C. SS. R.
PROV. PARIS.
JUVENATUS
47 C

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/coelumempyreumno02enge

bibl. Aug. Dis

COELUM EMPYREUM,

Non vanis & fictis Conſtellationum monſtris belluatum,

fr Bart de Munch prior.

SED

DIVUM DOMUS,

DOMINI JESU CHRISTI,

Ejuſque Illibatæ Virginis Matris Mariæ Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum Virginum,

NEC NON

Sacrarum Religionum, Patriarcharum, Aliorumque Tutelarium, præclaris factis, ac raris virtutibus, velut tot lucidiſſimis ſtellis in perpetuas æternitates micantibus,

SPLENDIDE ILLUSTRATUM;

Omnibus verbi Dei Eccleſiaſtis, ad honeſtos Mores, & divinos Amores Auditorum animis inſerendos, *Morali Doctrina, Sacra ac Profana Hiſtoria Lucubratum*

Per R. P.

HENRICUM ENGELGRAVE, SOCIETATIS JESU THEOLOGUM.

Partis primæ pars poſterior

NOVICIAT St-GERARD CSSR.
39. H
Province de PARIS

COLONIÆ.

Proſtant *apud* GABRIELEM à ROY, *Amſtelodami*, ANNO 1669.

P. Mathias Agolla Augustinianus Distensis acquisitus Neomagi in Missione

PRIMO DIE MAJI.

Radices non habent. Luc. 8. v. 13.



Fallit imago. Ovid. 3. metam.

ARGUMENTUM.

DE Sanctis Eccleſiæ Principibus *Philippo*, & *Jacobo*, cùm alias dictum ſit *a*; ex more patriæ recepto, Arbores Majales hoc die ante Magnatum æ-

a Pantheon. 1. Maji.

ædes plantandi, cuique hominum generi ſuam Arborem propriam aſſignabo: è quibus ſibi fructus virtutum, & honeſtatis decerpere queat. Tum quia *hoMo VeLVt arbor, qVæ non raDICata*, pleroſque mortalium Arbori Majali, quæ vivere, & virere videtur, ſed radices non habet, conſimiles comprobabo: quia in charitate non radicati, vivere videntur, & mortui ſunt; imò ut Apoſtolus loquitur: b *Arbores infructuoſæ*, BIS MORTUÆ; ubi Doctor Angelicus: c *Bis mortuæ per gratiæ, quæ eſt vita animæ, amiſſionem: & reatum, ac ſententiam damnationis æternæ, quæ eſt mors ſecunda.* Tales omnes *temulenti*, qui ligno *vitis* comparantur, quod nulli uſui, niſi ad comburendum. Tales *Avari*, qui *arbori nucis* ſimiles, unde nullus, niſi excutiatur, fructus. *Ambitioſi*, quos ſacræ paginæ *Rhamno* non injuria conferunt, &c.

§. I. JUVENIBUS, AC PUELLIS, *pro Arbore Majali, Arbuſculam* CERASI *plantabimus.*

§. II. *Jam ſuam* CONJUGIBUS *Arborem Majalem erigamus quâ nullam illis aptiorem, quàm* CASTANEAM *reperio.*

§. III. VIRGINIBUS LAURUS *erigenda.*

§. IV. VIDUIS, *quæ elato mariti funere, in luctu ſunt, & vitam ducunt in amaritudine animæ ſuæ, aptè* CUPRESSUS *figatur, quæ Arbor funeſta & luctuoſa eſt.*

§. V. ARBORES AUTUMNALES INFRUCTUOSÆ, BIS MORTUÆ, ERADICATÆ. *Epiſt. S. Judæ, v.* 12.

b Epiſt. S. Iudæ, v. 12. c S. Thom. hic.

PRI-

PRIMO DIE MAJI.

Radices non habent. Luc. 8, v. 13.

DIvus Hieronymus, quem Eccleſia præclaro encomio, Doctorem Maximum compellat, expendens illud Pſaltis Regii: d *Delectaſti me Domine in factura tua*, oſtendit hominem in omnibus rebus creatis, innumeras Numinis perfectiones mirari, & contemplari poſſe, atque ex his, in Creatoris laudem, & amorem inflammari debere. Seu ſolem, lunam, ſtellas, nutui ejus diu, noctúque obſequentes; ſeu flores, & fructus, aut etiam quantumvis puſilla animalcula attentius conſidero, ſeu aliud inquit, *quodcumque aſpexero, delectat me.* Ac tandem mentis oculos ad arbores & plantas convertens, ſic ait: e *Video arborem, & conſidero quomodo cortex arboris eſt quaſi tunica, quâ veſtitur Et deinde video quomodo flos cadat, & ipſe flos vertatur in pomum. Video paulatim per ſingulos dies, in ſingula tempora mihi naturam operari, & in meos cibos creſcere. Video quomodo Deus in omnibus mihi laborat, ut mihi nihil deſit; propterea exulto in te Domine.*

Dum horridam mundi ſylvam luſtras, & tot arbores extra Eccleſiæ viridarium infructuoſas, pabulum ignis æterni conſideras, immenſam illam Dei clementiam lauda, cujus ſuavi providentiâ, in domo Domini, *hoc eſt*, ut loquitur Hieronymus, f *in Eccleſia plantati ſumus*, in terra fertili, cœleſti gratiæ luce colluſtratâ, ac Divino ſanguinis imbre irrigatâ. Expreſſius purpuratus Pater B. Petrus Damianus: g *Quicumque fideles, arbores ſumus, intra ſanctæ Eccleſiæ nemus, illius ſummi Agricolæ diſpoſitione plantati.* Univerſim denique eminentiſſimus Hugo Cardinalis: h *Omnis arbor*, inquit, *id eſt, omnis homo, ſine perſonarum acceptione.* Quare cùm in hiſce partibus moris eſſe videam, ut ipſis Maji Kalendis, Arbores Majales ante ædes plantentur, non abs re eſſe duxi, ſi cuique arborem propriam, ex qua fructum ſtatui ſuo convenientem legere queat, erexero. Nam ut ſuaviſſimè mellifluus Doctor exponit: i *Habent horum lignorum ſingula ſuas ſignificationes*, quas in Juvenibus, Senibus, Conjugatis, Viduis, Virginibus, & Religioſis expendemus Tum fatales illas & autumnales arbores Majales proponemus, quæ radices non habent. Ac primum quidem, ut à tenera ætate auſpicemur;

d Pſalm. 91. e Hieron. in Pſalm. 91.

f Hieron in Pſalm. 91. v. 14. g Damian. 15. Maji. Serm. 21. de Sancto Spiritu h Hugo Cardin. in Luc. c. 3 i Bernard. de paſſion. Dom. c. 46.

§. I.

Juvenibus ac puellis, pro arbore Majali, arbuſculam ceraſi plantabimus.

QUia inter prima è pomis, *k* ceraſus colono annuam gratiam refert, atque inter omnes fructus, hi primi ac præcoces ſunt. Unde rectè primæ juventæ appropriantur, quæ utinam primum florem ac primitias Deo & Agno conſecrarent!

l *Primis ſic major gratia pomis.* Tunc vel unicum ceraſum tanti venit, ac in provectiori æſtate, centena. Sed magno coloni dolore accidere videmus, dum ceraſus floret, ex centum, imò vix è mille floribus, unum ad fructum, & maturitatatem pervenire. Fateor non injucundum ſpectaculum verno tempore, frugiferis lignis viridarium, aut ceraſetum, deambulantium oculis exhibere, non tam frondium, quam florum ex arboribus turgeſcentium copiâ: at verò quis non experientiâ compertum habet, ubi minimus turbo aut nebula irruerit, vixdum milleſimum florem in fructum concreſcere, ac matureſcere? ut aureo Petrus Chryſologus ſtylo exaravit: *m Flores multi, multitudinem fructuum pollicentur; ſed exanimati ventorum flabris, ad fructum pauciſſimi perſeverant: ſic credentes in Chriſto multi.* In primo ætatis vere, pueri ac puellæ probi, ac integerrimi multi; at ubi vanitatis aura, ubi tentationis turbo, aut nebula carnalis immunditiæ afflârit, omnis flos primi candoris, omníſque fructus vitæ maturioris, & ſanctioris evaneſcit. Itaq; cum Auguſtino loquor: n *Ad vos mihi ſermo eſt, ô juvenes, flos ætatis, periculum mentis.* Quot adoleſcentes genio, ac ingenio honeſto, nacti animam bonam, dum in ſcholis noſtris degunt, tractabili indole, angelicis moribus, mente candida, ſæculi fugam meditantes, & portum Religionis circumſpectantes: *Flores multi multitudinem fructuun pollicentur*; at ubi ad Univerſitatem profecti, jámque ocreati, & criſtati inambulant, liberiori aura afflantur, *ad fructum pauciſſimi perſeverant.*

Sic puellulas videre eſt, orationi intentas, precatiunculis aſſuetas, Agnetes, Cæcilias, Theclas, Thereſias æmulantes, & martyrium ſpirantes, quæ ubi licentiori juvenum contubernio aſſueſcunt, omnis flos piorum deſideriorum concidit, & ad fructum non perſeverant.

Hæc de floribus; nunc ad ceraſi fructus proprietatem veniamus, cujus color cum rubicundus ſit, & oculis gratiſſimus, rubicundæ juventæ genas, & vividum ac ſanguineum colorem aptè exprimere videtur. Puelli, puellæ florent, rubent lactea fronte, rubicundo ore, purpureis genis: nec eſt qui conſideret, ruborem illum evanidum, brevi in lethalem pallorem convertendum, juxta illud: *Heden root, morghen doot*, omniáque brevi tempore in putredinem caſura. Quod Plinius de fragili ceraſorum naturâ tradidit,

k Ioann. Bapt. porta villæ lib. 5. c. 24.
l Martialis. lib. 4. Epig 22. m Chryſolog. Serm. 97.

n Auguſtin. Serm. 246. de temp.

didit,dum ait:o adeò ea tenera,& fragilia,*ut niſi ſub arbore comedantur,facilè collidantur,& marceſcant, ac tota putreſcant.* Hoc parum altè in animum admiſerat perilluſtris quædam Angliæ Domina, quæ, ut ab oculatis teſtibus accepi, ſuper menſam fortè ceraſa apposita,inter eburneos digitos inſerta gloriabatur,quàm benè rubicundus ille color, candidum manuum ebur diſtingueret; ignara brevi ſe ad eas incitas redigendam, ut illas manus ad ſtipem extendere, & paulò poſt, ferali morte,funeſto pallore marceſcere deberent.

Vidi quandoque Mechliniæ, ubi plurima ac fœcunda ceraſeta conſita, ingentes naves in Hollandiam devehi; ſed erant *naves*, de quibus Huſſæus Vates: p *Poma portantes*, quo nomine interpretes etiam ceraſa complectuntur,& antequam in portum devenerant, majori ex parte colliſa marcuerant, & computruerant. Unde rectè Pineda in illud Jobi: *Pertranſierunt quaſi naves poma portantes*, ſubjungit: q *hoc ad vitæ* (& formæ) *brevitatem pertinet;illas enim velociſſimas eſſe oportet, vel propter levitatem mercium,vel propter periculum putreſcendi.* Hujuſmodi navibus ſi juvenes noſtri, puellas ſimiles cognoſcerent, quàm facilè affectum omnem,& appetitum, erga merces adeò evanidas, & tam citò putreſcentes amitterent. Uſuvenit enim, ut qui ſpecie venuſtam & forma rubicundam uxorem duxerit, uno anno duas habeat: venuſtam,& deformem, rubicundam, & pallidam ac marceſcentem.

o Plin.lib.15.c.25. p Iob c.2.v.26. q Pineda in Iob.cit.

Sed unam vobis ceraſi proprietatem, quam divus Hieronymus commendat, potiſſimum æmulandam propono. Munuſculum hic ſanctus Doctor fortè ab Euſtochio ſibi ſubmiſſum acceperat,caniſtrum ceraſis refertum, quæ ipſe ex rubicundo eorum colore,verum ac vivum virginalis pudicitiæ ſymbolum eſſe deprædicat: r *Accepimus*,inquit,*caniſtrum* CERASIS *refertum virginali pudicitiâ rubentibus.* Ut & vos in vultu, in moribus, in congreſſibus,in colloquiis,coram famulis, pediſſequis, domeſticis, externis, notis,& ignotis, ceraſorum inſtar,virginali pudicitiâ erubeſcatis;pauca è ſacris,& profanis Auctoribus teſtimonia inducam, quæ meritò vobis ruborem excutiant.

Ferunt Ariſtotelis filiam interrogatam, quis ei color pro veſte maximè placeret,reſpondiſſe: *Vultus purpuram*; quam ſpectatori exhibemus, cùm erubeſcimus. A patre hoc hauſiſſe videtur, cujus illud effatum eſt: ſ *Optimus color,quem gignit pudor.* Hæc purpura in virgine matre potiſſimum enituit, quæ non modò ad omnes viri aſpectus, & affatus, ſed vel ad cœleſtis aulæ ephebum,tota erubuit, ut artificioſo expreſſit penicillo Ambroſius, dum ait: t *Primus eſt pudor, qui in ipſo cognitionis ingreſſu,Domini matrem commendat, & tanquam teſtis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur,adſtruit,quod in cubiculo, quod ſola, quod mota eſt in introitu ejus,quod ad virilis ſexus ſpeciem peregrinam,turbatur aſpectus virginis.*

r Hieron.Epiſt.19.ad Euſtoch. de munuſculis miſſis. ſ Ariſtot.4.Ethic.c.9. t Ambroſ.lib.1.offic.c.16.

Itaque quamvis eſſet humilis, præ VERECUNDIA *tamen non reſalutavit*: ſed oculis demiſſis, toto vultu verecundiæ rubore ad conſpectum Angeli ſuffuſa fuit, ut ille:

Haer oogen vallen neer, de ſchaemte komter by,
En maeckt in haer geſicht een ſoete Schildery.

Hoc tam præclaro exemplo uſus Abbas Claravallenſis, ſic ait: v AMATORES VERECUNDIÆ *ſumant exemplum de Matre Domini, quæ* PRÆ VERECUNDIA *ſalutantem Angelum non reſalutavit*; quo ut juvenes potiſſimum, & juvenculas exſtimulet, *exordium*, inquit, *ſumere neceſſarium duxi ab illa laudabili virtute, quæ dicitur* VERECUNDIA: *quæ cùm ſit omnibus ætatibus, perſonis, temporibus, & locis apta; tamen adoleſcentes, & juveniles animos maximè decet.* Tum in quibus illa eminere ſoleat, exponit: *Quàm pulchra virtus* VERECUNDIA, *& ſuavis gratia, quæ non ſolum in factis, ſed etiam in ipſis ſpectatur ſermonibus, ne modum tranſgrediaris loquendo, ne quid indecorum ſermo reſonet tuus. Etenim ex inverecundis oculis, & laſcivis ſermonibus, libidinoſus animus deprehenditur.*

Quid ſublimius hunc virginalis pudicitiæ ruborem commendare poterat, quàm ut ea ad Genitricis Dei dignitatem, qua nec in terris, nec in cœlis major inveniri poteſt, aſſumenda cenſeretur. Qui quidem rubor, ut etiam maritatas, viros, & ſenes deceat, juvenibus tamen, ac puellis propriiſſimè convenit, ut nota ingenuitatis: quod optimus morum Magiſter, Philoſophus Romanus ad Lucilium obſervavit: x *Locutus eſt mecum amicus tuus bonæ indolis. Ubi ſe collegit, verecundiam* (*bonum in adoleſcente ſignum*) *vix potuit excutere, adeò illi ex alto ſuffuſus rubor.* Et paulò pòſt: *Rubor*, inquit, *magis in juvenibus apparet, quibus & plus caloris*; eſtque & tenera frons ingenuitatis indicium, & latentis pudicitiæ publicum argumentum, ut Poëta cecinit:

y *Ingenui vultus puer, ingenuíque pudoris:*
Quales eſſe decet, quos ardens purpura veſtit.

Seneca Epiſt. 25 agens de duobus pravè viventibus, unicam in alterutro, de quo maximè timebat, ad frugem revocandum ſpem habebat, quod pudorem omnem non exuiſſet: *De altero*, inquit, *non ſatis fiduciæ habeo, excepto eo, quod adhuc peccare erubeſcit.*

Referunt huc quidam, quod prætextam purpurâ veſtem pueri apud Romanos ferrent, indolis ſuæ teſtimonium, ut purpuræ intuitu, concolorem verecundiam perpetuò in ore, in dictis, factíſque retinerent, & ne cum veſte quidem pudorem animi deponerent. Fortiter & ſuaviter hæc proſequitur Bernardus, cujus locum inſtar panegyrici excellentis hic attexere placuit. Verecundiâ neſcio an quidquam gratius adverti in moribus hominum queat: z *Hanc primo omnium libet quodammodo in manibus ſumere, & quaſi quemdam ſpecioſum florem* (aut rubicundum ceraſum) *decerpere loco, noſtriſque apponere adoleſcentibus; non quia non ſit, & in provectiori ætate, omni ſtudio retinenda, quæ eſt certè omnium ornatus ætatum; ſed*

v Bern. lib. de formula honeſtæ vitæ.

x Seneca Epiſt. 11. y Iuven. Sat. 11.

z Bernard. in Cant. Serm. ult.

quod

quod teneræ gratia VERECUNDIÆ, *in teneriori ætate amplius, pulchriúſque eniteat.* Pergit porrò ejus encomia recenſere: a *Quid amabilius* VERECUNDO ADOLESCENTE? *quàm pulchra hæc, & quàm ſplendida gemma morum, in vita, & vultu adoleſcentis? quàm vera, & minimè dubia, bonæ nuntia ſpei, bonæ indolis index?*

Hac verecundiæ purpurâ Nebridium juvenem inſignitum, ſummis laudibus in cœlum extollit Hieronymus: b *Inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore, tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, & ne levem quidem obſcœni rumoris in ſe fabulam daret.* Hunc juvenem ſi Diogenes conſpexiſſet, idem illi, quod adoleſcenti laudabiliter erubeſcenti, ſuggeſſiſſet: *Bono animo es, nam iſtiuſmodi color, virtutis tinctura eſt.* Si adoleſcens ad nudas tabulas, ad obſcœnos Poëtas erubeſcat, *iſtiuſmodi color, virtutis tinctura eſt.* Si ad conſpectum puellarum, ſi ad verbum quodvis laſcivum erubeſcat, *iſtiuſmodi color, virtutis tinctura eſt.*

Non poſſum quin hoc ingenuo virtutis colore, unum, alterúmve probè tinctum, in exemplum proponam. Pater Joannes Rho præcipuis in Societate noſtra muniis functus, virtute ac eruditione clarus, refert c Georgium Haddocum, ſacerdotem Anglum, fortiſſimum ac pudiciſſimum, in ipſo juventutis flore, qui illi pulcherrimè vernabat, in Anglia captum, & ad Cæcilium, buſtuarium illum Religionis hoſtem, adductum eſſe; quem intuitus, ejúſque planè venuſtam ſpeciem, d *virginali verecundiâ*, ut cum Tullio loquar, gratioſè ſuffuſam, impudico cavillo ad ſatellites converſus: quam pulchrum, inquit, pro amica puella ſacerdotem adduxiſtis! non tulit impudicè dictum Georgius; ſed quamquam vinctus, Chriſtanâ libertate uſus: iſtud tuo licet occinas Luthero, & qui ex ejus grege libenter volutantur in cœno: nobis Catholicis alia ratio eſt; quo dicto, totam caſtiſſimi oris verecundiam, ingenuo rubore ſuffuſus, explicavit: neque enim à pudicis, talia audiri poſſunt, quin purpurâ pudoris obtegantur.

Ennodius unicè miratur Euſebium Ticinenſem Antiſtitem, & meritò quidem: fuit enim vir ſanctus, & integer ſapientiâ, conſilióque Præſul, & moribus ſuis venerandus; at, quid in eo potiſſimum deprædicet, audiamus: e *Vernabat in illo præ cæteris mater bonorum operum* VERECUNDIA. Quo dicto, neſcio an Euſebium plus commendet à verecundia, quam ipſam à merito, & pręſtantia verecundiam, quæ generatim probæ vitæ, & excellentium operum mater eſſe videatur. Nam, ut rectè Cyprianus: f *Honor eſt corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, hoſtis immunditiæ, lorica pudoris, pronuba ſanctitatis, repudium turpitudinis, abolitio ſcandalorum, pax virtutum, mater innocentiæ, dilectionis parens, quæ ſoli Deo placere quærit.* Similitudinem hujus purpuræ Pelignus vates deducit

a Bernard. in Cant. Serm. 86. b Hieron. Epiſt. 9. c P. Rho variæ virtut. hiſt. lib. 7. c. 3.

d Cic. pro Quint. e Ennodius in vita Epiph. f Cyprian. Serm. de pudicit.

g — *Pueri* RUBOR *ora notavit.*
Neſcit quid ſit amor, ſed & ERUBUISSE decebat.
Hic color aprica pendentibus arbore pomis,
Aut ebori tincto eſt:

Quæ poma rubentia, non alia niſi ceraſa, quia nulla alia in Aprili. Pluribus inſtitutum noſtrum proſequitur Doctor mellifluus Serm. 86. in Cant. h *Quid amabilius* VERECUNDO *adoleſcente? quàm pulchra hæc, & quàm ſplendida gemma morum in vita, & vultu adoleſcentis? virga diſciplinæ eſt illi, qui pudendis aſpectibus imminens lubricæ ætatis motus, actúſque leves coërceat, comprimat inſolentes. Quid ita turpiloquii, & omnis turpitudinis fugitans? ſoror continentiæ eſt.*

Nunc vos puellas, & teneras juvenculas compello, quarum hæc virtus propria dos eſt: ſi dum proci, ut hoc die in hiſce partibus moris eſt, herbam viridem promunt, *om te groenen*, vos ruborem reponatis: *Ick roo v.* Si ad conſpectum juvenis, aut viri erubeſcatis, *hujuſmodi color, virtutis tinctura eſt:* ſi ad defixum in vos obtutum, ſi ad oculum laſcivum, ad blandum oſculum, ad contactum manus, totæ erubeſcatis, *hujuſmodi color, virtutis tinctura eſt.* Si in publicum prodire, ſi palam vos omnium oculis proſtituere erubeſcatis, *hujuſmodi color, virtutis tinctura eſt.* Qua i Hieronyma à ſancta Cruce, ſanctimonialis Ordinis Minorum, ita claruit, ut cum virginalem pudicitiam, inſigni cum forma conjunctam, ſemper ſacro ſipario obvelaſſet, ne ſpectari etiam mortua ſuſtinuit, quin erubeſceret. Nam cùm funus Pinciæ, omnium oculis exponeretur, quaſi conſueto mortis velamento, pallori ſcilicet, non ſatis fideret, pudoris purpuram propriam ſibi, ac familiarem ſuperinduxit, & quidem adeò vividam ac flagrantem, ut plerique reviviſcere arbitrarentur. Mirum id, nec minus rarum, margaritam inſtar corallii erubeſcere. Sancta Margareta Scotorum Regina, quæ orationibus, & jejuniis tota pallida, & exanguis, mortua toto vultu erubuit. Senſiſſe diceres, quos ſemper declinârat, ſpectantium oculos. Ita Surius. Hanc gratiam fruſtra ſperent, quæ in vita, una cum pudore & verecundiâ, omnem frontem exuerunt. Ubi verò pudor exulat, in omne vitium, & præcipitium effrontes ruunt, quod Hieremias deplorat: k *Erubeſcere neſcierunt, idcirco cadent inter corruentes.* Tales ſunt, quæ extenſo collo ambulant, nudis brachiis, apertis uberibus prodire in publicum non erubeſcunt, ut pluribus poſtea demonſtrabimus. Nulla unquam reperta eſt meretrix, quæ non pudorem prius, quam pudicitiam perdidit, aut ipſo flagitii uſu, non repudiârit.

Impudentes, & audaces, in omni vitiorum cœno volutantes, duram & *ferream frontem* habere dicuntur, *neſciunt erubeſcere.* Contrà quæ mente candida, indole ingenua, animo pudico, ſuo virgineo rubore, impudicis lenonibus ſtatim pallorem inducunt. Hinc quaſi è tripode, dixit illud Symmachus, expolito ingenio dignum: l *Quorum mens honeſta eſt, eorum imbecilla frons eſt.* Imbe- cillam

g Ovid. lib. 4. metam. h Bernard. Serm. 86. in Cant. i P. Rho variæ virt. hiſt. lib. 7. c. 3.

k Hierem. c. 8. v. 12. l Symmach. Epiſt.

cillam frontem appellat verecundiam, quam alii doctiſſimi viri, conſimili ratione teneram, & mollem nuncupant; eámque prædicat in Pompejo Magno Seneca, prudentiſſimo omnium Principum, qui iiſdem Romæ temporibus floruerunt: m *Nihil mollius ore Pompeji, numquam non coram pluribus erubuit, & hic mirè illum pudor decuit.* Quantò magis vos Chriſtianos adoleſcentulos, & adoleſcentulas decet? nam & improbis, & agreſtioris ingenii hominibus, corruptis moribus, exoleſcit verecundia, & ipſe vultus impudentiam clamitat, atque

n *Ejectum ſemel attritâ fronte pudorem.*

Sic clariſſimorum virorum monitis proditum eſt, illuſtrium natalium ſemper notam fuiſſe pudorem, & præſtantis proſapiæ argumentum. Non ſine judicio & venuſtate, illud protulit Apulejus: o *Ego te etiam de illa corporis ſpecioſa habitudine, deque hac* VIRGINALI PRORSUS VERECUNDIA, *generoſa ſtirpe proditum rectè conjicerem.* Unde rerum maximarum Scriptores, ſi quando prædicare volunt claros viros familia, & educatione nobiles, in argumentum adducunt verecundiam. In Trajano Imperatore Plinius ſplendidè, atque luculenter hanc virtutem commendavit: p *Vidimus demiſſum gaudio vultum, tantúmque ſanguinis in ore, quantum in animo pudoris.* Domitianus hunc virtutis colorem tulit in florenti juventute, quem ſciebat ita probari omnibus, ut in Curia ob pudorem gloriatus ſit, quaſi in eo pignus daret eximiæ mentis, & ad præclara natæ. De illo enim Suetonius: q *Commendari ſe verecundia oris adeò ſentiebat, ut apud Senatum ſic quondam jactaverit: uſque huc certè animum meum probaſtis, & vultum.*

Quamvis non ideo verecundia probanda, atque celebranda, quod in Regibus, atque nobili loco natis reperiatur; ſed quod ipſa facit honoratos, & omnium laude celebrandos. Hoc fonte laudum, copioſæ dictionis ſuæ curſum, & ſplendorem argenteum hauſit Apollinaris Sidonius, cùm magnum virum exornaret: r *Nicetus*, inquit, *cum quodam prologo pudoris, vultum modeſtè demiſſus* ERUBUIT, *atque hoc illi maximum Sophos, non eloquentia prius, quàm* VERECUNDIA *dedit.* Flavium Nicetium intelligit, virum ortu clariſſimum, copia & eruditione maximum.

Hanc itaque virtutem amate, quæ mater honeſtatis, laus naturæ, moderatrix cupiditatum, innocentiæ dos, integritatis ac famæ cuſtos. Nam ut dixit Chriſtianè gentilis Seneca: ſ *Conſtante ſibi pudicitia, virtus ſalva eſt.* Ut tam neceſſarium ſit hac virtute non carere, quàm inter homines vivere. Ex hoc itaque ceraſi arbuſculo, quod plantavi, t *caniſtrum* CERASIS *virginali pudicitia rubentibus*, vobis legite.

Quare, ut concludam, vobis ô adoleſcentes, & adoleſcentulæ, tanto in pretio virginalis pudicitia eſſe debet, ut pro ea ſervanda, non modò vultū rubore ſuffundere, ſed & ſanguinem venis fundere, glorioſum ducere debeatis.

m Seneca Epiſt. 11. n Juven. Sat. 13. o Apulejus l. 1. metam. p Plinius in Paneg.

q Sueton. in Domit. c. 18. r Sidon. l. 8. Epiſt. 6. ſ Seneca de brevit. vitæ c. 13. t Hieron. Epiſt. 19. ad Euſtoch.

Quod ut pleniùs inculcem, juvat è Plinio, Athenæo, aliiſque Auctoribus Eccleſiaſticis, ceraſorum originem, ac unde nomen duxerint, paucis exponere. Tradunt etenim, [u] Lucullum debellato Mithridate, ſanguinolento prælio, victorem reverſum, arborem hanc primum à Ceraſunte, Ponti Oppido, in Italiam detuliſſe, fructúmque gentilitio nomine *ceraſum* appellâſſe. Confirmat Hieronymus, qui accepto caniſtro ab Euſtochio ceraſis referto [x] *pudicitia virginali ita rubentibus*, inquit, *ut ea nunc à Lucullo delata exiſtimârim: ſiquidem hoc genus pomi, Ponto & Armenia ſubjugatis, de Ceraſunte primus Romam pertulit, unde & de Patria arbor nomen accepit*. Ubi notandum occurrit, non ſine cruento prælio & ſanguine, ceraſa in Europam delata eſſe. Imperator noſter Chriſtus, devicto ſtygio hoſte, caniſtrum ceraſis plenum *virginali pudicitia rubentibus*, è cœlo detulit, nam ut loquitur Mediolanenſis Antiſtes: [y] *Virginitas nubes & aëra, Angelos, ſideráque tranſcendens, verbum Dei in ſinu Patris invenit* (*quia prima Trias Virgo eſt* [z]) *à cœlo accerſivit quod imitaretur in terris.*

Pro hac tuenda, quot virgines ad ſanguinem reſtitêre, in apertam mortem, præſenſque vitæ periculum ſeſe conjecere? unam vobis, eámque tenellulam virgunculam, cum matre & ſororibus, non meo, ſed Ambroſiano ſtylo ante oculos proponam.

„ [a] Sancta Pelagia apud Antiochiam quondam fuit, annorum „
fere quindecim, ſoror virgi- „
num, & ipſa virgo. Hæc primo „
domi claſſico perſecutionis in- „
cluſa; *cùm ſe à prædonibus fidei &* „
pudoris circumſederi videret, ab- „
ſente matre & ſororibus, vacua „
præſidio, ſed Deo plenior: quid agi- „
mus, inquit, niſi proſpicias ca- „
ptiva virginitas? & votum eſt, „
& metus eſt mori: quia mors „
non excipitur, ſed adſciſcitur. „
Moriamur ſcilicet, vel ſi nolunt „
licere, moriamur. Deus reme- „
dio non offenditur, & facinus „
fides allevat. Certè ſi vim ipſam „
nominis cogitemus, quæ vis „
voluntaria, illa magis eſt vis, „
mori velle, nec poſſe. Nec dif- „
cultatem veremur, quis enim „
eſt qui vult mori & non poſſit, „
cùm ſint ad mortem tam pro- „
clives viæ? jam enim ſacrile- „
gas aras præcipitata ſubvertam „
& accenſos focos cruore reſtin- „
guam. Non timeo, ne dextera „
deficiens non peragat ictũ, nec „
pectus ſe dolore ſubducat. Nul- „
lum peccatum carni relin- „
quam, non verebor ne deſit gla- „
dius. Poſſumus mori noſtris „
armis; poſſumus mori ſine car- „
nificis beneficio. Matris in gre- „
mio fertur ornâſſe caput, nu- „
ptialem induiſſe veſtem, ut non „
ad mortem ire diceres, ſed ad „
Sponſum. Aſt ubi deteſtandi „
perſecutores ereptam ſibi vide- „
runt prædam pudoris, matrem „
& ſorores cœperunt quærere. „
Verum illæ ſpirituali volatu „
jam campum caſtitatis tene- „
bant, cùm ſubitò hinc perſecu- „
toribus imminentibus, inde „
torrente fluvio excluſæ, à fuga, „
incluſæ ad coronam, quid ve- „

u Plinius lib. 15. c. 25. Athen. x Hieron. Epiſt. 19. ad Euſtochium, de munuſc. miſſis. y Ambroſ. lib. 1. de virg. z Gregor. Nazianz. Serm. 3. de virg.

a Ambroſ. lib. 3. de virg.

remur?

„ remur? inquiunt: ecce aqua, „ quis nos baptizari prohibet? & „ hoc baptiſma eſt, quo peccata „ donantur, regna quæruntur, „ & hoc baptiſma eſt, poſt quod „ nemo delinquat. Excipiat nos „ aqua, quæ virgines facit: ex- „ cipiat nos aqua, quæ cœlum „ aperit, Martyres reddit. Hæc „ effatæ, & ſuſpenſæ paululum, „ incincto ſinu, quo pudorem „ tegerent, nec greſſum impedi- „ rent, conſertis manibus, tan- „ quam choros ducerent, in me- „ dium progrediuntur alveum. „ Nulla pedem retulit, nulla „ tentavit, ubi pedem figeret, an- „ xiæ, cùm terra occurreret, of- „ fenſæ vado, lætæ profundo. „ Videres piam matrem modò „ ſtringentem nodo manus, gau- „ dere de pignore, timere de ca- „ ſu, ne ſibi filias vel fluctus au- „ ferret, &c. Tandem in has vo- „ ces generoſa mater prorupit. „ Has tibi hoſtias, inquit, Chriſte „ immolo, præſules caſtitatis, „ duces itineris, comites paſſio- „ nis. Sed quis jure miretur tan- „ tam viventibus fuiſſe conſtan- „ tiam, cùm etiam defunctæ im- „ mobilem ſtationem corporum „ vindicârint. Non cadavera un- „ da nudavit: quin etiam ſancta „ mater, licet ſenſu carens pieta- „ tis, tamen adhuc ſervabat am- „ plexum, & religioſum, quem „ ſtrinxerat nodum, nec morte „ laxabat. Hæc Ambroſius.

Steterit certè Lucullo, cruento prælio ceraſa ex Ponto, in Europam deportâſſe: nobilius Chriſtianæ Amazones, *ceraſis* ſimiles, b *virginali pudicitia rubentibus*, cujus ne unquam ruborem perderent, eam ſuo ſanguine tinxerunt, atque ex hac terra aliena, in illam patriam commigrarunt, ubi vernant in æternum. Hujus veritatis teſtis eſt ſancta Sperandia virgo, Augubii anno partæ ſalutis 1216 nata. c Oppidi Cingulani aſceterium, de cœlo eam invitante ſancto Benedicto, ut ſanctimoniales Ordinis ſui regeret, Antiſtita intravit. Hæc ſterili, & nivibus horrido brumæ tempore, proculdubio ex Paradiſi pomariis ſemper frugiferis, operariis fabricæ, quam inchoaverat, pro mercede, aut præmio ceraſa repræſentavit, quæ ut retinerent, ac referrent ſoli perennitatem, ex quo fuerant decerpta (ſuo conſtanter ſervato rubore) nunquam deinceps computruerunt. Si vobis, ô virgines! ad ea guſtanda ſaliva movetur, pari conſtantia cum virginibus hic pudicitiam ſervate.

b Hieron. cit.

§. II.

Jam ſuam d *conjugibus Majalem arborem erigamus, qua nullam illis aptiorem, quàm* CASTANEAM *reperio.*

AMor conjugalis, quo conjux erga conjugem fertur, ipſis etiam inanimatis plantis ineſſe perhibetur. Adeò ut & ſexum agnoſcere, & ſine conjuge ſterileſcere, ac velut viduatæ marito contabeſcere, à peritis naturæ ocellis, & SS. Patribus obſervatum ſit. Quod Plinius disertè

c P. Silveſter Petra ſancta Thaumaſiæ, Tom. 3. c. 12. d Conjugatis arbor caſtanea.

aſſeverat, e *arboribus, herbiſque etiam utrumque ſexum eſſe, diligentiſſimi naturæ tradunt.* Theophraſtus quoque ſolertiſſimus plantarum indagator, f in palmis *marem & fœminam* diſtinguit, ac dignoſcit. Mediolanenſis Præſul, cujus ſermo *dulci dulcior ambroſia: eſt, quod mireris, ipſis ſexus in pomis, & diſcretio ſexus in arboribus.* Quod manifeſtè in caſtaneis videre eſt, quas numquam non geminas, marem cum fœmina complantatas, ut creſcere, multiplicari & fructus ferre queant, conſpexi. g Et quaſi connubialis amor iis inditus eſt, ut altera alteram depereat: nec prius ſtimulante deſiderio levabitur fœmina, quàm eam mas adamans conſortio ſoletur, ferúntque ramis ſuis velut brachiis invicem complecti, mutuóque amore delectari.

Quare quod Baſilius Magnus Seleucienſis Antiſtes de Palmis, rectè de caſtaneis uſurpare poſſum: h *Plantarum curatores,* inquit, *caſtaneas in mares ac fœminas diſtinguunt, & videas utique aliquando, eam, quæ ab ipſis fœmina appellatur, demittentem ramos, & amplexum appetentem.* Hæc omnia quid aliud innuunt, quàm mutuum inter conjuges amorem vigere, virere, ſempérque floreſcere debere, ſi ſtatui ſuo dignos fructus proferre deſiderent. Hoc primum ac præcipuum conjugatis Paulinum monitum eſt: i *Viri diligite uxores veſtras, ut corpora veſtra; qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit: nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit; ſed fovet, & nutrit.* Quid ad amorem mutuum conjugis in conjugem præſtantius, aut potentius Apoſtolus afferre potuit? nam Hugo Cardinalis hîc: *Vt corpora tua* inquit, *id eſt, ut teipſos,* quia unum corpus ſunt. Nec hoc ſatis; ſi diligitis, fiet ut unus ſpiritus, unum cor, & anima ſitis. Quid enim eſt dilectio, inquit S. Laurentius Juſtinianus? k *Niſi duorum ligatio.* Ex qua ſuaviſſimus hic fructus germinabit, ut non ſit amor deſultorius, aut affectus adulterinus; ſed pax & † *charitas, quæ eſt chara unitas* corporum & animorum. Quo ſpectat illud Doctoris Angelici in Epiſt. ad Epheſios: *Viri diligite uxores veſtras:* ubi ſic ait: l *Monet viros ad dilectionem, quia certè ex amore quem habet vir ad uxorem, magis caſtè vivit* (non cogitando de aliena) *& pacifice uterque ſe habet.* En quàm dulces *ex amore* fructus pullulant, ut *magis caſtè & pacificè* conjuges vivant.

Quid porrò cauſæ eſt, maritos aliis liberis, puellis, aut conjugatis adblandiri, munuſcula mittere, colloquia & congreſſus habere, in prædia & villas ſuburbanas pellicere, minus *caſtè vivere?* niſi quia *amor quem habet vir ad uxorem,* nullus, aut exiguus eſt. Quæ non unius hujus amoris defectu, in conjugio turbæ, & tragœdiæ? qui non corporum & animorum interitus? ubi amor non eſt, *dura ſicut infernus æmulatio eſt;* tantum abeſt, *ut pacificè uterque ſe habeat.*

e Plin. lib. 13. cap. 4. f Theophraſt. hiſt. plantarum, l. 2. c. 22. g Bonif. Rhodig. hiſt. Iudic. l. 18. c. 7. Ruellius l. 1. c. 108. h Baſil. in hexam c. 5. Ambr. l. 20. hexam. c. 34. i Epheſ. 5. v. 25.

k Laur. Iuſtin. Serm. in nativ. B. Virg. † Ibid. l S. Thom. in Epiſt. ad Eph. c. 5. v. 25.

Hic au-

Hic autem amor conjugalis, ut S. Bonaventura, non debet eſſe amor concupiſcentiæ, qui ſpectet formam brevi perituram, & bonum fragile; ſic enim & amor fragilis, & brevi periturus. Non ſic Chriſtus dilexit Eccleſiam, ut aureè Chryſoſtomus: m *Qualemcumque uxorem acceperis, non tamen talem Sponſam accepiſti, qualem Chriſtus Eccleſiam accepit; verùm non faſtidivit illam, non odio habuit propter nimiam deformitatem &c. Et fatua erat & blaſphema; tamen pro deformi illa ita ſeipſum tradidit, ac ſi eſſet formoſa, ac ſi eſſet amatrix, ac ſi eſſet admiratione digna; ita debent viri diligere uxores ſuas. Amor formæ* (inquit Hieronymus l. 1. adv. Jovinian.) *rationis oblivio eſt, & inſaniæ proximus.*

n *Facies, non uxor amatur*:

Qui ſpectat divitias & opulentam dotem, tua potius quàm te. Quod prudens illa Catonis filia ſolerter expendit, quæ ad iteratas nuptias rogata, reſpondit ſe nubere nolle, cauſam ſubdit: *Se non invenire virum, qui ſe magis vellet, quàm ſua. Quo oſtendit, divitias magis eligi ſolere, quàm pudicitiam: & multos non oculis, ſed digitis uxores ducere.* Acutè & verè. Spectatur & numeratur pecunia, hoc ſatis eſt; virtus, indoles, & aliæ dotes in numero non ſunt, nec attendunt mariti monitum Senecæ: p *Omnes uxores divites ſervitutem exigunt*, nec illud Poëtæ:

q *Intolerabilius nihil eſt, quàm fœmina dives.*

Nec ſufficit amor naturalis & carnalis, nam is etiam inter tigrides & dracones, inter leones & leænas, & quantumvis efferatas belluas invenitur: r *Pro magno,* inquit Auguſtin. *laudaturus ſum in homine, quod video in tigride, in leone, & dracone? amant conjugem, amant filios ſuos*: unde concludit: *Laudandus non eſt, qui ſic amat, ſed deteſtandus qui non amat.* De ejuſmodi amore Hieronymus: ſ *Adulter eſt in ſuam uxorem amator ardentior: in aliena quippe uxore omnis amor turpis, in ſua nimius. Sapiens vir judicio debet uxorem amare, non affectu.*

Scire vultis qualem Deus inter conjuges amorem deſideret? rationabilem, fortem, conſtantem, eúmque ſummum uſque in finem: t *Viri*, inquit Paulus, *diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Potuítne altius amor viri in uxorem commendari? Sanctus Thomas expendens verba Pauli, ait: v *Signum autem dilectionis Chriſti ad Eccleſiam oſtenditur, quia tradidit ſemet ipſum pro ea. Et Iſaiæ 53. Tradidit in mortem animam ſuam.* Expendite quantum dilexerit Chriſtus Eccleſiam, quæ & quanta pro ipſa fecerit, & paſſus ſit. Profectò ſi hæc regula eſt amoris inter virum & uxorem; væ vobis, ô viri, à quibus tantus amor exigitur, & à quibus nullus aut certè exiguus exhibetur. Exſtimulet vos illa aurea Chryſoſt. commonitio: x *Quale vinculum amicitiæ inter conjuges, ſicut inter propria membra. Permiſit Adæ, ut ſororem ſuam duceret in uxorem; imò verò non ſororem, ſed filiam: quin adhuc non filiam quidem, ſed propinquius quiddam filia,*

m Chryſoſt. Serm. 20. ad Epheſ. n Iuvenalis Sat. 6. p Seneca l. 2. controv. 6. q Iuvenal. Sat. 6.

r Aug. l. 50. hom. 38. ſ Hier. l. 1. adv. Iovinia. t Epheſ. 5. v. 25. v S. Thom. in Epiſt. ad Epheſ. cit. x Chryſ. Serm. 20. in Ep. ad Epheſ.

carnem

carnem videlicet ſuam. Etſi animam pro ipſa dare oporteat, ac millies trucidari, & quamcumque rem ferre & pati; ne detrectes. Nam etiamſi iſta paſſus fueris, nihil tamen unquam tale feceris, quale Chriſtus.

Quod ut Chriſtiani conjuges æmulentur, viſum eſt vel in homine barbaro iis exemplum proponere. Refert Xenophon *y* Cyrum Regem Perſarum ex Tigrane Rege Armeniæ cum conjuge ſua capto, aliquando quæſiiſſe: ecquid pro uxoris ſuæ redemptione in lytrum offerret? cui confeſtim Tigranes: integrum, ait, regnum, ô Rex, ſi haberem; quod cum fortuna abſtulerit, libens ſanguinem & vitam dico. Hoc reſponſo mirificè captus Cyrus, ambos libertati, & Regiæ dignitati reſtituit. Jámque ſolo, ac ſolio reſtitutus Tigranes, perquam familiariter uxorem ſciſcitatus eſt, quid de Cyri prudentia, déque Regia ejus munificentia videretur? cui illa: ex quo tecum, inquit, in vinculis fui, ita me devinctam habuiſti, ut numquam oculos, aut mentem in alium defixerim, quàm in eum, qui me & ſanguinis & vitæ impendio redimere comparatus erat: hinc toto ex te corde, Tigranes,

z *Toto animo, totâ pendebam perdita mente.*

Dubites hic, utrum fortior & ferventior amor fuerit viri in uxorem, an uxoris in virum.

Quare quod alterum eſt, nôrint & fœminæ, quò amor reciprocus ſit, non minus ſeverè ſibi præceptum eſſe, *ut viros ſuos ament.* Et Tobiæ 10. ſedulò monetur Sara diligere maritum; quin & diſertè Paulus aſtruit omnes cogitationes, ſtudia, officia uxoris eſſe, a *ut placeat viro ſuo.* Eo veſtiatur modo, quo *placeat viro ſuo.* Ea in cibos apparet, quæ novit grata ejus palato, *ut placeat viro ſuo.* Ea loquatur & agat, quibus *placeat viro ſuo.* Omnes nutus, & nictus, & geſtus ejus obſervet, *ut placeat viro ſuo.* Excelluit in eo, ut ſuprà diximus, B. Maria Aurillot *b.* Sancta Crotildis, inſtar Heliotropii, ſe ſemper voluntati mariti, quamvis gentilis, conformando, & obſequendo, ita affectum rapuit, ut eum Chriſto lucrata ſit.

Nec hoc ſatis, uxores per omnia maritis placere, maritos diligere & amare: ſed amorem ſuum fortem, ferventem, conſtantem uſque ad ſanguinem teſtentur neceſſe eſt. Quod ſi viri diligere debeant uxores, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, uti ſuprà diximus: & ipſæ per omnia aſpera & ardua ad mortem uſque, ſuum in maritos amorem comprobare tenentur.

Luculente hoc argumentum pertractat Hieronymus libro 1. adverſus Jovinianum.

Artemiſia uxor Mauſoli, Regina Cariæ, quæ Poëtarum atque Hiſtoricorum laudibus prædicatur, in hoc vel maximè effertur, quod defunctum maritum ſic ſemper amavit, ut vivum. Quod non tam ex ſuperbo, quod ei condidit ſepulchro, ſed ex eo maximè patuit, quod mortui cineres in ſe tumulavit. Tum ad ardentiora amoris conjugalis argumenta procedit: *Indi & Barbari* inquit, *uxores plurimas ha-*

y Xenophon lib. 3. de inſtit. Cyri.
z Catull. Eleg. 65.

a Ad Titum 2. v. 4. Corinth. 7.
b V. Kalend. Januar. §. 3.

bent.

bent. Apud eos lex eſt, ut uxor chariſſima cum defuncto marito cremetur. Hæ igitur contendunt inter ſe de amore viri, & ambitio ſumma certantium eſt, ac teſtimonium caſtitatis, dignam morte decerni. Xenophon in Cyri majoris ſcribit infantia, occiſo Abradote, quem Panthea uxor miro amore dilexerat, collocâſſe ſe juxta corpus lacerum, & confoſſo pectore, ſanguinem ſuum mariti infudiſſe vulneribus. Mirus amor, non cōtenta vulnera lacrymis abluere, ſuū aſperſit & miſcuit ſanguinē. *Imitentur Matronæ ſaltem Chriſtianæ*, ut ſi, quod ab iis non exigitur, ſe vivas cum maritis tumulent; labores, ærumnas ſuas fortiter ferant; viros ad terras exteras, ad bellum, per aſpera & ardua, ubi id rogantur, ſequantur.

Ubi unā tacitus præterire non poſſum, quam Cornelius noſter eximia commendatione inducit. c Blanca Rubea Patavina, uxor Baptiſtæ à Porta, in præſidium Baſſiani municipii Patavini cum viro profecta anno Chriſti 1233. cum Acciolinus Tyrannus Patavio amiſſo, omnem belli vim in Baſſianum convertiſſet, & proditione etiam cepiſſet, atque in ipſis portis Baptiſtam obtruncâſſet; Blanca quoque, ut erat armis induta, fortiter pugnans, à militibus circumventa, captiva ad Tyrannum ducitur. Is forma ejus, quam ſplendor armorum augebat, captus, primò blanditiis, mox etiam vi adortus, corrumpere tentavit. Illa cum alia vi effugere non poſſet, generoſo ſaltu per feneſtram ſe præcipitem dedit. Semianimis ex caſu vix tandem curatur, ſibique reſtitutam Tyrannus rurſus aggreditur, ligatámque conſtupravit. Illa dolorem diſſimulans impetravit, ut ad levandum dolorem & deſiderium, aperto mariti tumulo, demortui cadaver, ſemel duntaxat aſpicere poſſet. Quod ut ex voto conceſſum, in apertum ſepulcrum magno emiſſo ejulatu ſeſe præcipitavit, ſimúlque tanta violentia lapidem ſepulcralem, qui erectus ſtabat, impulit, ut una rueret, & ſe una cum marito tumularet.

Hæc exaggeratius dicta ſunt, ut hiſce exemplis ſtimulatus mutuus, qui vel in ipſis inanimatis caſtanearum plantis viget amor, inter conjuges Chriſtianos eſſloreſcat. Ex quo fructus ille pacis & concordiæ gratiſſimus & ſuaviſſimus, non modò ipſis conjugibus, ſed & ipſi Deo exſurgit, magno teſte Hugone eminentiſſimo Cardin. d *Illa autem mutua dilectio inter virum & uxorem, placet Deo & hominibus.* Unde Eccl. 25. *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo: concordia fratrum, & amor proximorum*, ET VIR ET MULIER BENE SIBI CONSENTIENTES. Non dixit: vir & mulier jejunio aut orationi vacantes, pœnitētias & auſteritates facientes; ſed *bene ſibi conſentientes*: quia in eo matrimonii omnis perfectio, ſanctitas, pax, tranquillitas conſiſtit, ut hæc unica virtus cæteris omnibus in eo ſtatu præſtare, ac prævaleſcere, & omnia bona ſecum ferre cenſeatur. Quod Chryſoſtomus confirmat, hom. 4. in Epiſt. ad Titum: *Præcipuum*, inquit,

c Cornel. à Lapide in Daniel. c. 13. v. 23. ex Schardenio, lib. 3. hiſt. Patavinæ.

d Hug Cardin. in Epiſt. ad Epheſ. 5. verſ. 25.

inquit, *illud eſt domeſticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, ſi uxor viro per omnia conſentiens ſit* (& vir uxori) *nam ubi hoc eſt, nihil triſte accidere poteſt: quo pacto enim, cum caput corpori connexum, conjunctúmque eſt, ulla ibi ſeditio aut diſſenſio oriri poterit?* ut ſimilium conjugum tumulo lepida & vera inſcriptio illa, quæ olim Romæ in via Tiburtina legebatur, inſcribi poſſit: e *Heus, tu viator, miraculum! hic vir & uxor non litigant.* Quod paucis hoc ęvo epitaphium ex vero inſcriberetur; propriiſſimum tamen, quos in exemplum adduco, duobus illis, de quibus ſanctus Gregorius Turonenſis: f Apud Caſtrum Divionenſe, Hilarius quidam vir ſenatorius diem ſuum obierat, relicta uxore ſuperſtite: ea deinceps exareſcens & contabeſcens, inſtar caſtaneæ exciſo conjuge, poſt annum etiam exſtincta eſt. Cúmque ſublato prægrandi ſaxo ſepulchrali, in eundem cum marito tumulum demitteretur, exanime viri cadaver elata dextera conjugis cervicem amplexari viſum eſt, non ſine amabili ſpectantium ſtupore, qui in eo amplexu, ceu muto quodam charactere, legerunt, quam arctus inter vivos fuiſſet nexus, cùm etiam inter mortuos, & frigida cadavera is foret amplexus, eáque neceſſitudo, & ut Gregorius loquitur: *Quæ etiam inter ipſos dilectio fuiſſet in ſæculo, qui ſe ita amplexi ſunt in ſepulchro.* Ut hanc ſervent, velim ſibi conjuges ſæpe vigilantes proponere, clarum illud ac præclarum Joſephi ſomnium, quo maritum Solem, uxorem Lunam manifeſta viſione indicavit, Gen. 37. v. 9. *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me.* Dum hæc duo luminaria corpore medio ſibi opponuntur, eclipſis oritur, ſtellæ obſcurantur, omnia turbantur. Quoties eclipſes in familiis ob corpus pueri, matri nimis chari, interpoſitum, in quem parens ſeverius animadvertit? quoties eclipſis ob corpus ancillæ, pediſſequæ, marito tenacius adhærentis; aut corrivalis uxori liberius blandientis? quoties etiam ob canem vel felem interpoſitam graviſſimæ eclipſes, umbræ, tempeſtates, tonitrua & fulgura exorta ſunt? quæ ut tollantur, animorum conjunctio, & mutuus amor omnino neceſſarius eſt, quo curæ, ſolicitudines, moleſtiæ, tædia, faſtidia, dolores, tribulationes, quæ in matrimonio & graviſſimæ, & innumeræ ſunt (ut jam videbimus) dulcorentur & delectabiliter tolerentur. Ubi altera in caſtanearum plantis proprietas conſideranda occurrit. Plinius, qui præ cæteris naturas rerum plenius ac planius ſeptem & triginta libris complexus eſt, caſtaneas omnino g hiſpidas, aculeatas, & *armatas*, tradit, *echinato calyce*, hoc eſt, inſtar Echini, undique mille ſpiculis, aculeis, & tribulis obſitas, binas plerumque molles in ſe caſtaneas, velut conjuges concludere, teſte Iſidoro: h *Fructus ejus gemini reconditi ſunt.*

Ex quo liquidò patet, plantas haſce tanta licet neceſſitudine conjunctas, verum ac vivum

e Hieron. lib. 1. adverſ. Iovinian.
f S. Greg. Turon. l. de gloria confeſ. c. 24.

g Plinius lib. 15. c. 23. h Iſid. Orig. lib. 17.

con-

conjugii ſymbolum eſſe; quod quantumvis amabile, mille aculeis, ſpinis, tribulationibus undique obſitum eſt. Hoc primæ veritatis oraculum, diſertè Paulus docuit 1. Corinth. 7. *Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi: ego autem vobis parco.* Ubi Apoſtoli mentem ingenioſè interpretatur Auguſtinus: i *Quod autem ſe dicit eis parcere, quod ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi ſanius occurrit, quàm eum noluiſſe aperire & explicare verbis eandem ipſam carnis tribulationem, quam prænuntiavit eis, qui eligunt nuptias*; k quaſi timeret Apoſtolus, ut Fernandez noſter ſentit, ne ſi tribulationes conjugii patefaceret, nullus eſſet, qui ſe conjugio copularet. Tribulationes, quæ à tribulis nomen habent, tantas támque continuas & catenatas inter conjuges reperiri, quotidianæ eorum querelæ in arcanas aures repoſitæ, & immixtæ lacrymæ ſatis loquuntur.

Adeò ut nulla domus, nulla familia, quā ſi introſpicias non plena ſit infinitis curis moleſtiis, & graviſſimis tribulis, ac tribulationibus: quas Hieronymus ad ſeptemdecim contrahit: l Tribulationes in uxore paupere, in divite, *hanc alere difficile, iſtam ferre tormentum*: Tribulationes in fœda, tribulationes in formoſa: *Nam pulchra citò amatur, fœda facilè deſpicitur; minore miſeria deformis habetur, quàm formoſa ſervatur*: Tribulationes noctu à querula muliere: *Per noctes totas garrulæ conqueſtiones: illa ornatior incedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego in conventu fœminarum miſella deſpicior.* Accedunt ſuſpiciones: *Cur aſpiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? non amicum habere poſſumus, non ſodalem: alterius amorem, ſuum odium ſuſpicatur.* Tribulationes noctu à viro temulento, à liberorum ejulatione & vociferatione: de die ab innumeris curis. Si divitiæ ſuppetant; ad eas gubernandas, amplificandas, aſſervandas. Si inopia premat; ad eam propulſandam. Si ſint filii, ad eos alendos: ſi filiæ, ad eas collocandas. Veriſſimè ille:

m *Tormentum ingens nubentibus hæret*:

Tormenti genus, detrimentum rei familiaris, lites, æmulationes propinquorum, invidia corrivalium, calumniæ vicinorum, liberorum caſus, morbi, mortes, & his omnibus gravior orbitas, & carentia chari conjugis. Quæ graphicè Seleucienſis Antiſtes deſcribit virgines adhortando: n *Si virum bonum nacta fuerit, perpetuo, ne moriatur, metu viduitatis, incommoda, cruciatúſque ſuſtinet; ſin verò contrà, duro & immiti fuerit conjuncta, tota quidem vita illi cruciatus. Inde ubi filios edidit, aut ad bonam frugem evaſerunt, & majores ex illorum abſentia jugiter dolores tolerat, quàm parturiens habuerat; aut malos evaſiſſe conſiderat, & majus ex ea procreatione liberorum, quam ſi permanſiſſet ſterilis, opprobrium ſuſtinet.*

Dies me deficiat, ſi omnes ſpinas, aculeos, tribulos enarrare velim, quibus matrimonium, caſtanearum inſtar, undiq; cinctum eſt, quæ omnia uxores, præ maritis, gravius pungunt & configunt. Hæ etenim prægnantes, quæ non faſtidia, nauſeas, capitis

i Aug. Tom. 6. lib. de virgin. c. 16.
k Fernandez in Geneſ. c. 2 ſect. 11. p. 194.
l Hieron. adv. Iovinian. lib. 1.
m Iuven. Sat. 2. n Baſil. de vera virg.

verti-

vertigines, viſcerum convulſiones; parturientes, quos, quámque acutos dolores; prolem enixæ, quas non in lactando moleſtias, quas non ſordes, inſomnia, aliáque innumera tædia, & tormenta exantlare conſueverunt: dum interim viri, aut peregrè profecti, aut in tabernis deliciantur, maritos Chinenſes in eo æmulantes, qui ubi uxor peperit, ſe ut puerperæ ad lectum recipiunt, & porrectam ſibi ab uxoribus ſorbitiunculam ſumunt. Hoc miramini, & deterius operamini. Uxor aſſiduo domi inter lacrymas, vociferationes infantium, inter culinaria negotia deſidet, viris omni cura ſolutis paſſim evagantibus, & ubi à vino temulenti, aut à re minus feliciter acta, turbulenti domum redierint; poſt acerbiſſima verba, quandoque ad verbera devenitur. Audiant hi, quid Paulus intonet: o *Nolite amari eſſe ad illas.* Mulierculæ (quibus abunde miſeriarum eſt) ſuavitate & dulcedine deliniendæ ſunt.

Si tibi in curia, in encæniis, aut quovis convivio lautè prandere, & ſplendide epulari contingat; ſtrophiolum ſaccharo, aliiſque bellariis refertum uxori deferto, ſeu blandis verbis, ſuavi ſermone, ejus curas & amaritudines levato. Qui ſecus faciunt, non modo barbari, ſed beſtiæ, magno teſte Chryſoſtomo, nuncupandi ſunt. Ipſum audite. p *Uxorem verberare, eſt extremum contumeliæ, non ei quæ verberatur, ſed ei qui verberat* Et ſtatim ſubdit: *Ejuſmodi virum, ſi vir eſt appellandus, & non beſtia; inſtar parricidæ, & morticidæ ego duxerim.* Ejuſmodi beſtia, & parricida habendus eſt, qui gloriabatur, ſe pugnis ſuis gratias debere, quod bonam uxorem haberet. Nec melior aut mitior, licet callidior, qui uxorem ſemper pridie Epiphaniæ crudè excipiebat: à vicino rogatus, cauſam dedit, ſe eo die omnia uxoris delicta per annum commiſſa plectere, atque in eo ſe honori ejus conſulere, ut, licet clamitet, inter vociferationes potantium & clamantium: vivat Rex: non audiatur. Sed de his aculeis, tribulis, & tribulationibus ſatis. Nam ut rectè Auguſtinus: q *Neque nos exaggerare debemus, ne ipſis non parcamus, quibus parcendum exiſtimat Apoſtolus.*

o Coloſſ. 3. v. 19. p Chryſ. hom. 26. in Epiſt. 1. ad Cor.

§. III.

Virginibus Laurus erigenda eſt.

NUnc, ut cum Cypriano loquar: r *Ad virgines nobis ſermo eſt. Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum.* Unde non longe quærendum, aut diu deliberandum, quæ virginibus arbor Majalis plantanda ſit, cum *laudis & honoris opus integrum & incorruptum*, ſuo ſibi jure & nomine laurum depoſcat: nam & apud Gentiles ſ *innuba laurus dicitur*,

t *Et juvenis* CASTA *redimitus tempora* LAURO.

q Aug. lib. de virg. c. 16. r Cyprian. de diſciplina & habitu virg. c. 2. ſ Ovid. 10. metam. t Tibull.

Qui-

Quibus concinit alter;

v VIRGINEAS *circum diſponite* LAUROS.

Sanctus Iſidorus *à Laude* nuncupari aſſerit: antiqui quoque *laurum*, *laudum* vocabant, ut Servius ad Ecl 9. *Cur triumphantes lauro coronentur, hæc ratio eſt: quoniam apud Veteres à laude habuit nomen: nam laudum dicebant.* Verſatus ac verſutus in arte amandi Pelignus vates, etſi obſcœnis amoribus totus deditus, pudicitiam tamen virginalem adeò ſuſpexit, ut virginem fœdos amplexus fugientem, non modò laurea donandam, ſed in ipſam laurum converſam decantârit. Conjecerat ardentes ſuos oculos Phœbus in Daphnidem, ſpecie pervenuſta virginem, & quid fit?

x *Spectat inornatos collo pendere capillos,*
Et, quid ſi comantur, ait? videt igne micantes,
Sideribus ſimiles, oculos: fugit ocyor aurâ
Illa levi: neque ad hæc revocantis verba reſiſtit:
Nympha mane: ſic agna lupum, ſic cerva leonem,
Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ,
Hoſtes quæque ſuos.

Dixit, & veriſſimè quidem: docuitque ſua Daphnis fugâ, ejuſmodi blandos pudicitiæ procos, puellis magis fugiendos, quam agnæ lupum, aut cervæ leonem, aquilámque columbæ fugiant. Dúmque ambo currunt,

Hic ſpe celer, illa timore:
Qui tamen inſequitur, pennis adjutus amoris
Ocyor eſt.

At dum jam prendere, & manum injicere tentat; illico Daphnis in Daphnidem, hoc eſt in laurum convertitur.

Quod & apud Chryſoſtomum invenio: y *Daphnim puellam, forma admodum præſtantem fuiſſe volunt, quam cùm vidiſſet Apollo, illius ſtatim amore deflagravit: hæc verò Deum, ſe curſu capere cupientem, fugiens; in ejuſdem nominis plantam convertitur.*

Unde hæc virgo in triumphalem laurum converſa? unde perpetuus illi vigor & viror? unde victoriæ inſignia reportavit, niſi à fuga? ut ingenioſus ac Religioſus Poëta luſit:

z *Fuga Laurigeros parit illa triumphos.*

Quod vernaculo idiomate ſcitè expreſſit.

Terwyl hy roept, en vleydt, en ſucht,
De zuyver Maget, neemt de vlucht;
En Sy loopt voor, en Hy loopt naer,
En daer loopt dat oneenigh Paer.
Het ſcheen hy was ſoo dapper vlugh,
Al had hy Vleugels op den Rugh.
Doch ſoo hy haer nu hebben zou,
En dat hy haer nu vatten wou:
Soo is terſtondt het aerdigh Dier,
Veranderdt in een groen Laurier.

Quid innumeras Virgines, ſan-

v Sabell. x Ovid. lib. 1. metam.

y Chryſoſt. ad popul. Serm. de S. Babyla. z Imago 1. ſæculi.

ctáſqueMoniales triumphali perpetuæ integritatis laurea decoravit, niſi è ſæculo, ex omni juvenum ac virorum contubernio, ex omnibus carnis & libidinis illecebris & periculis, in ſecretum cubiculum, in ſolitarium clauſtrum glorioſa fuga? quam, ut inertem & infamem, cùm Vigilantius in Hieronymo reprehendiſſet, quaſi ut ſegnis & imbellis miles ſtationem deſerens, in eremum confugiſſet, ſic reſpondit: a *Imò ut tua bella non patiar, ut me non capiat oculus meretricis. Reſpondebis, hoc non eſt pugnare, ſed fugere. Fateor imbecillitatem meam: nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.*

Et quis tu, qui præfidentior Hieronymo eſſe audeas, & pugnare cum pudicitiæ periculo, quam fugere præſumas? cùm vel exercitatiſſimus ſibi diffidat, & in fuga ſibi omne præſidium ponat: nam ut purpuratus Doctor admonet: b *Hoc certaminis genus fugam potius, quam aſſultum requirit.* Niſi fortè vos adoleſcentes & adoleſcentulæ, qui in lubrico ſtatis, & inter fomenta libidinis, in epulis, tripudiis, congreſſibus verſamini, vos illic tutiores, quàm Hieronymus in eremo, quam filiæ voto adſtrictæ in clauſo cubiculo, tot Sanctimoniales genere & forma præſtantes in Religioſo clauſtro, eſſe arbitramini. Tubam illam Apoſtolicam auribus, & cordibus veſtris intonantem audite: c *Fugite fornicationem.* Quæ ſic angelicè divus Thomas exponit: d *Cætera vitia vincuntur reſiſtendo; ſed vitium fornicationis vincitur fugiendo, id eſt totaliter vitando cogitationes immundas* (quæ ex lubrica converſatione aſcendunt in cor) *& quaſlibet occaſiones.*

Ipſi Tartareo hoſti quantumvis feroci ſuadet Princeps Apoſtolorum reſiſtendum, dicens: e *Cui reſiſtite fortes in fide.* Cùm adverſus diabolum & vitia depugnandum eſt, monitum illud Apoſtoli identidem inculcandum: *Reſiſtite diabolo, reſiſtite.* Animum invadit ira? *reſiſtite.* Avaritiæ & pecuniæ amor laceſſit? *reſiſtite.* Arrogantia & ambitio ſupercilium erigit? *reſiſtite.* Acedia & torpor aggravat? *reſiſtite.* Libido & laſcivia impetit? tela ignea ab oculis, ab ore, à manibus immittuntur? hic aliud armorum genus capeſſendum, *fugite, fugite.* Ipſiſſima hæc Auguſtini præceptio eſt: f *Quod libidinem fugiendam eſſe ſuggerimus, Apoſtolus Paulus evidenter oſtendit, qui cum omnibus vitiis prædicaverit reſiſtendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit reſiſtite, ſed fugite fornicationem. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam. Nec tibi verendum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam vis obtinere.*

Exemplo Joſephi exſtimulat nos S. Ambroſius de fuga ſæculi cap. 4. Perſequuntur nos peccatorum illecebræ, perſequitur libido: *Sed fuge tanquam furioſam Dominam, quæ, ſi comprehenderit, nec die, nec nocte quieſcere ſinit; exagitat, urit, incendit.* Niſi fugeris, nuſquam effugies, *omnis in fuga eſt ſalus*, omnis in fuga victoria eſt. Fugientes in hac acie, ex hoc campo, laurea donantur, quæ victo-

a Hieron. adv. Vigilant. b Cyprian. de jejunio & tentat. Chriſt. c 1. Cor. 5. d S. Thom. in 1. Cor. 5.

e 1. Petri 5. f Aug. Ser. 250. de temp.

victoriæ inſigne ſymbolum eſt: g *Laurus*, inquit Plinius, *triumphis propriè dicatur, eáque dicuntur triumphantes uti.* Quemadmodum Pelignus vates de triumpho Germanici agens, ſic illi applaudit:

h *Tempora Phœbea lauro cingentur, Ioque*
Miles io, magna voce, triumphe, canet.

Et Horatius de Aſinio Pollione, qui de Salona urbe à Dalmatis capta triumphavit, ita cecinit.

i *Cui laurus æternos honores,*
Dalmatico peperit triumpho.

Sed ſordidè hi aſſentati ſunt, aut ſtultè hallucinati ſunt, *laurum* victoribus, aut Imperatoribus *æternos honores* parturire. Qui quàm brevi evaneſcerent, ipſæ, quas plantârant lauri, in eorum obitu teſtatæ ſunt, dum ſubitò marceſcerent. Sic etenim refert Suetonius, *k* prope Romam brevi tractu diſſitum *lauretum*, unde Imperatores electi ſibi coronam decerpebant, & *novam laurum* plantabant; ſed animadverſum eſt, eam quam plantaverant, illo ipſo, quo moriebantur die, exareſcere.

Unica Chriſtianæ virginitatis *laurus* eſt, quæ devicto mundo, carne & diabolo, tot virginibus immarceſſibiles lauros, &

æternos honores
Virgineo peperit triumpho.

Nam ſi, ut Ambroſius ait: l *Lauro victorum capita coronantur*; quæ nobiliſſimam de Venere & Cupidine victoriam reportarunt, ea jure coronandæ ſunt, quam pleræque non ſine ſanguine, inter ſicas & ſecures, inter ſpinas & vepreta, conſecutæ ſunt.

Plenum lepore inventum affirmare minimè dubitarim Bionis, de quo Laërtius in vita poſteritatis memoriæ prodidit: m *Is cum ſenio confectus, gravi morbo decumberet, juſſiſſe perhibetur, januæ ſuæ domus imponi rhamnum, & lauri ramum.* Novum plane, & fortaſſe poſt hominum memoriam inauditum ſive ſpectaculum, ſive inventum. Sed niſi fallor, conſilium eò prudentius ſapientiſſimi viri, quo inſolentius: etenim quorſum hæc tam inuſitata conjunctio rhamni cum lauro? niſi ut moneret gloriæ ſectatores, victoriæ laurum ſine rhamno (quod genus acutiſſimæ ſpinæ teſte Plinio *n*) acquiri non poſſe. Quod ille de vana & lubrica mundi gloria, hoc nos de vera & æterna uſurpare poſſumus, laurum immarceſſibilem, ſine ſpinarum aculeis, & adverſitatum tribulis comparari omnino non poſſe.

Hac glorioſa fuga, virgo novam lauri prærogativam conſequitur, ut nunquam libidinis fulmine, quo fortiſſimi, ſapientiſſimi, & ſanctiſſimi afflati, percutiatur. Quod adeò proprium lauro tradunt, rerum naturalium Hiſtorici, ut Plinius aſſerat, eam ob cauſam *Tiberium Principem, tonante cœlo, coronari ea ſolitum contra fulminum metus.* Expreſſius Joan. Salisbergienſ. o *Tiberius Cæſar turbatiore cœlo, lauream coronam geſtabat in capite, quia hoc genus* frondis,

g Plinius lib. 15. cap. 30. h Ovid. lib. 4. triſt. Eleg. 2. i Horat. lib. 2. Ode 1. k Sueton. in vita Galbæ, cap. 1. l S. Ambroſ. lib. 3. hexam. cap. 13.

m Laert. lib. 4. de vit. Philoſophor. n Plin. l. 24. c. 14. o Ioan. Salisberg. de nugis Curalium, c. 13.

frondis, fulmine negatur afflari : tonitrua ſiquidem timidiſſimè, & vehementer ſemper exhorruit. Eſt tamen *quod proculdubio tutiorem facit hominem* ; ſi animus condecoratus ſit aureola virginitatis : nulla vis fulguris, aut flammarum, hac redimitos afflare poteſt.

Flamma in fornace Babylonica, trium puerorum corpora, nec leviter perſtrinxit : cauſam nôſtis? Damaſcenum Præſulem audite : p *Quid tres pueri ? nónne cùm virginitatem coluiſſent, ignis ardorem ſuperarunt ? id videlicet per virginitatem adepti, ut eorum corpora igne confici non poſſent.* Potentius ac præſentius contra ignem libidinis munimentum, animus virginitatis laurea coronatus, quæ omnia laſciviæ fulmina eludit, & elidit. Solerter nonnemo obſervavit in Litaniis non ſine myſterio, ubi Eccleſia deprecatur à ſpiritu *fornicationis* liberari, mox ſubjungi : *A fulgure, & tempeſtate libera nos Domine.* Nam ut fulgur illæſo corpore interiora viſcera & oſſa depaſcitur ; longè q *potentius ictu fulmineo*, ignea libidinis fulgura animum afflant, & interimunt. Ut enim Luc. 10. habetur : *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*, divinus Tullius, & illuſtris Antiſtes ad rem noſtram hæc traducit, dum ait : r *Quod fulmen in gladium illæſa vagina, hoc dæmon per peccatum in animam, illæſo corpore.* Cùm haud abſimiles effectus ſortiatur, niſi forte hoc efficacius, quod fulmen metalla, medullam, oſſa conſumat; at ignea dæmonis tela, robur animi, meritum, gratiam, vitam ipſam animæ tollant, ipſúmque peccatorem interitús ſui ignarum, quaſi in nihilum redigant, quemadmodum de ſe Propheta percuſſus queritur : *Ad nihilum redactus* ſum, & neſcivi : haud aliter,

ſ ——— *quam qui Jovis ignibus ictus*
Vivit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.

Sic perſtrictos tota urbe, & orbe innumeros reperire eſt. Verum enimvero ab hoc fatali fulgure tutæ, & intactæ ſunt tot virgines voto caſtitatis Deo devotæ, tot ſanctimoniales, virginitatis laurea condecoratæ; quas cui aſſimilabo ? niſi lauro iſti, t quæ inter luculentum incendium, quo Romanum palatium conflagravit, illæſa & intacta inter flammas permanſit anno ab urbe condita 606. v *Luxuria*, teſte Hieronymo, *ignis infernalis*, qui ut orbem univerſum latè depopuletur, illæſæ tamen in hoc tartareo incendio laureatæ virgines conſiſtunt, ut cum Poëta concinere poſſint :

x *Nunc ſpiſſa ramis laurea, fervidos*
Excludit æſtus.

Tertia lauri & virginitatis commendatio, à perpetuo virore, & vigore deſumitur.

Hyeme ingruente cæteræ paſſim arbores omni viroris amœnitate, omni foliorum ornatu viduantur; laurus verò perpetua viriditate floreſcit, & ſervat *æternos honores.* Quam gratiam virgo

p Damaſc. l. 4 de fide c. 25. q Horat. r Lanuza hom. 29. Serm. 5.

ſ Ovid. lib. 1. triſt. Eleg. 3. t Ricciard. Brixian. in comment ſymb. tit. Laurus. v Hieron. in c. 3. Prov. x Horat. lib. 2. Ode 15.

Apolli-

Apollinem fugiendo conſecuta eſt. Unde Poëta de lauro Apollini ſacra cecinit:

y *Vtque meum intonſis caput eſt juvenile capillis,*
Tu quoque perpetuos ſemper gere frondis honores.

Idipſum de virginitate uſurpare poſſum, de qua ſanctus Ildephonſus: z *Æternitas virginitatis eſt, quæ nec bruma, nec æſtate, nec frigore, nec æſtu marceſcat.*

a *Vtque viret ſemper laurus, nec fronde caduca*
Carpitur, æternum ſic habet illa decus.

Nolim hic exaggerare quantum non modò formæ decus, juventæ flos, & vigor, luxuriâ defloreſcat, ſed & robur ac vires omnes corporis enervari, in fœtorem & tabem, in luem, quam Veneream vocant, ſumma omnium deteſtatione diffluere, valetudinem, & vitam, ut experientia quotidiana ſatis, & nimium compertum eſt. Sed his miſſis, ſi lubet, vel ipſos legitimo matrimonio junctos contemplare, & veriſſimum experieris, quod Sponſus uncialibus litteris in nuptiis vertici Sponſæ inſcripſerat.

H L. *Niet hoe langer hoe liever, maer* HL. *Hoe langer hoe leelijcker.*

Conjugatas cernere eſt, uno alteróve anno pallidas, luridas, deformes & ante ætatem vetulas, ut illa de qua Poëta:

b *Flet quoque, ut in ſpeculo rugas conſpexit aniles*
Tyndaris, & ſecum, cur ſit bis rapta, requirit.

At virginibus nec ætate forma marceſcit, aut defloreſcit: vegetas, vividas, forma præſtantes, valetudine firmas numerare eſt innumeras ſanctimoniales, octogenario & nonagenario majores, ſine rugis quaſi juvenculas, & adoleſcentulas, laurea meritò donandas: quia, ut divus Athanaſius: c *Virginitas corona immarceſſibilis.* Hæc lauri inſtar perpetuum ſervat virorem, æternumque vigorem. Sic de Apollonio ſcriptum invenio, *d* cum ſtimulos carnis in ſe generoſè reprimeret, ſuæ continentiæ acceptum retuliſſe, ut juventæ nitorem perpetuò ſervarit, quamvis annum centeſimum exegiſſet. Et ne longius excurramus, hujus rei teſtem induco virum orbi notiſſimum; magni Bavariæ Ducis Eccleſiaſtem Drexelium, & quidem oculatum.

e Cœnobium in Suecia eſt ſacrarum virginum, ubi ſexagenariæ & ſeptuagenariæ inter ſenes vel anus non numerantur. Ego ipſe, inquit Religioſus Auctor, cùm ad illud virginum collegium reviſerem, amitam ſalutaturus, quæſivi ab ea, quot annos in ea Parthenone poſuiſſet? quadraginta inquit, quod ſi ſuos quis oculos interrogaſſet, virginem viginti quinque annorum duxiſſet. His, & ſimilibus, congruit illud Baſilii Magni: f *Magnum quiddam & præclarum virginitas eſt, quæ, ut totum ſimul explicem, hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit; hæc autem profectò non à corporibus ad animas manat; ſed cum incor-*

y Ovid. 1. metam. z S. Ildephon. de Virg. Mariæ. c. 10. a Ovid. lib. 3. triſt. Eleg. 1. b Ovid. lib. 15. met.

c Athan. de virg. l. ult. d Pancirol. l. 1. c. 10. de horolog. Rhodig. l. 17. c. 13. e Drexel de jejunio, l. 2. f S. Baſilius lib. de vera virg. initio.

poreali

S

poralis animæ propria & præcipua ſit, ejus pretioſiſſimâ integritate, corpora quoque incorrupta ſervantur.

Hoc teſtantur tot virorum, ac puellarum virginum, à morte incorrupta, &, inſtar lauri, vegeta, ac quaſi vivida corpora.

g Gerundæ ſanctiNarciſci corpus integrum eſt ab annis mille trecentis: meruiſſet lauri potius quàm floris nomen, qui cum ſole oritur, ac moritur.

Barcinone corpus ſancti Aldegarii, jam ab annis amplius quingentis, immune permanet ab omni tabe. *h*

Aſſiſii ſanctus Franciſeus ſeraphicus, ita perhibetur ſtare, *quaſi laurus plantata in domo Domini viveret, ac ſpiraret*, rectus & erectus, cujus mirabilis ſancti depictæ imagini quis aptè ſubſcripſerit illud Ovidii:

Utque viret ſemper laurus, nec fronde caduca
Carpitur, æternum ſic habet ille decus.

Neapoli, corpus beati Jacobi à Marchia, Franciſcani, ferme à ſeſquiſæculo jacet illibatum, etſi loco humeſcenti ſitum. Spectatur verò infra urnam cryſtallinam grandiorem: tractaríque, & amiciri ſolet, ut à dormiente, & quieſcente nihil differre videatur.

Ejuſmodi innumeras ſanctimoniales virgines adferre poſſem, quibus *laurus* virginitatis, immarceſſibiles, & *æternos honores* ipſis etiam corporibus peperit. Ne multitudine vos obruam, unam Catharinam virginem Bononienſem adducam, quæ ſupra ducentos & octoginta annos vivis erepta, dici poſſit adhuc vitæ compos: non enim, ſicut mortui ſolent, jacet; ſed ſedet, quaſi interſit adhuc rebus humanis. Sanctimoniales divæ Claræ, ex quarum familia fuit, tanquam ſuperſtiti obſequuntur. Capitis peplum, veſtémque commutant, quæ in varias partes pro reliquiis diſtrahuntur. Ut integritas & incorruptibilitas, peculiaris dos ſit virginitatis, ut rectè divus Ambroſius: *i* *Quid eſt caſtitas virginalis, niſi expers contagionis integritas?* addo, quod ſtupendum magis: cùm P. Silveſter à Petra Sancta de miraculis perpetuis hunc Tractatum perſcriberet (quo hic utor, quia liber in Belgio vix exſtat) reſponſum accepit à P. Fratre Albergato Rectore Bononiæ commorante, non modò ſe ea, quæ enarrata, oculis conſpexiſſe, ſed & conteſtatur: *Capillos & ungues ſubinde ſectiles ſuccreviſſe, ut fidelium votis in ſui reliquias effloreſceret*, & quiſque ex hac ſuperſtite, ſupra Galbæ, omniumque Imperatorum Romanorum lauros, fructum decerperet.

Sic & alia innumera, inſtar vividæ ac ſucculentæ lauri, corpora Sanctorum florere, & ſucco plena vigere cernimus; quod Jerrandus noſter ſcitè & eruditè proſequitur. Non poſſum tamen quin unum cum amabili ſtupore recenſeam: *k* Frater Thadæus à Toco, Ordinis Seraphici, in quo exactis ſumma auſteritate, Angelica caſtitate, & vitæ ſanctitate, integris nonaginta annis diem extremum clauſit, natus annos cen-

g PetraSancta Thaumaſiæ Tomo 3. c. 12. h Ibidem & Ierrandus diſquiſit. de S. Reliq. p. 41.

i Ambroſ. lib. 1. de virg. c. 2. k Ierrand. diſquiſit. Reliquiaria, l. 2. c. 2. art. 1. Hē. Iongen nupt. Agni, p. 644, de Iubilæis.

centum & ſex. Corpus ejus exhauſtum jejunio & ſenio, ſtatim ab obitu refloreſcere viſum, & in teneritudinem & flexibilitatem infantilis ætatis, ſeu teneræ plantæ converſum eſt; & die ſexto poſt ſepulturam, de mandato Urbani VIII. exhumatum fuit, eíque aperta vena, & (ô prodigium inſolens, & hactenus inauditum) ex ſecta vena, haud aliter quàm ex vivo, vegetóque corpore, ſanguis effluxit: ut ex authenticis teſtimoniis Româ perſcriptis manifeſtum eſt. Quis laurum vigere ac virere negaverit, quamdiu illi ſuus ſuccus ſupereſt?

Sed aliò me retrahit fragrans, neſcio quo ex Laureto, odor.

Suaveolentia lauri, omnium ore cantata, omnium nare explorata eſt, de qua Ambroſius, ligna Paradiſi deſcribens ait: l *Nec non laurus aſſurgens, odorem ſuum dedit.* Alexander olim, cùm mare navigaret, ſuavi odore percepto, eum ſecutus, odoriferam Arabiam detexit. Mihi ſupra humanam omnem fragrantiam, divinus quidam odor aſpirat, & in Lauretum deducit, ubi

m———*Redolentes cernere lauros*

licebit: quodque miremini, illas in regione umbræ mortis, in ipſis ſepulchris enatas, & cœleſte quid ſpirantes fatebimini. Libet hic præfari ſuaviſſimis Bernardi diſcipuli verbis, qui Sanctorum ſepulcra, cum amœniſſimis Heſperidum hortis componit, in hæc verba: n *Magna ſanè differentia eſt ſepulchrorum, & hortorum. Illa plena ſpurcitiâ, & oſſibus mortuorum: hi omni ſuavitate, & gloria florum, aut fructuum. Quid enim ſi aliquando ſepulcra videntur in hortis? nam & Dominus in horto ſepultus fuit: etſi enim ſepulcra in hortis, numquid tamen horti in ſepulcris? ita fortaſſis; ſed in ſepulcris juſtorum,* è quibus, ut videbimus, cœleſtis quædam ſuaveolentia, & divina fragrantia aſpirans, ſatis teſtatur ſuavem, quem per omnem vitam, variarum virtutum, ac potiſſimum Angelicæ caſtimoniæ ſpirârunt odorem Quid? quod vel ipſi Gentiles ex ſingulari quodam odore, divinitatis indicium ſumere ſolerent, ut ille:

p *Manſit odor, poſſes ſcire fuiſſe* DEAM.

Alter verò:

q *Ambroſiæque comæ* DIVINUM *vertice odorem*
Spiravêre.

Hæc non fictis Poëtarum fabulis, ſed veris Sanctorum prodigiis comprobabo, & *hortos in ſepulcris* virginum, *omni ſuavitate* redolentes, & lauros proferentes demonſtrabo.

Divus Gregorius, Turonenſis Antiſtes, aſſerit, ex ſancti Baudilii Martyris ſepulcro, laurum enatam, quam non ſepulcralem, ſed triumphalem, divinum latè odorem ſpirantem dixero, hæc illius verba ſunt: r *Apud Nemauſenſis urbis oppidum, B. Martyris Baudillii glorioſum ſepulcrum, de quo ſæpius virtutes multæ manifeſtantur; ex quo ſepulcro laurus orta, & per parietem egreſſa, arborem foris fecit, ſalubri coma vernantem Quod ſæpe loci incolæ, in multis infirmitatibus, habere*

l Ambroſ. hexam. lib. 3. c. 11. Plut. in vita. m Mantuan. n Guarric. Serm. 1. ad excitandam devotionem in pſalmodio.

p Ovid 5 faſt. q Virg. l. 1. Æneid.
r Greg. Turon. l. 1. de gloria Martyr. c. 78

N n cœ-

cœleſte remedium ſunt experti, pro quibus virtutum beneficiis, plerumque nudabatur à foliis. Miramur è ſepulcro lauros, lilia, roſas ſuaviſſimo odore efflorescentes, ut apud Ferrandum *ſ* legere eſt: at ego non inferius miraculum duxero, corpora virginum in plura ſæcula, inſtar fragrantiſſimæ lauri, divinum exhalare odorem. Ita *t* Barii olet ſuaviſſimè brachium Sancti Gregorii Nazianzeni, & Neapoli in Deiparæ Virginis Annuntiatæ Baſilicâ, afflat Paradiſi ſuavitates caput ſanctæ Barbaræ virginis & Martyris. Mamilla verò ſanctæ Agathæ virginis & Martyris, quæ intra ſacrarium eſt Baſilicæ ſancti Petri in Galatino, miſcellaneam fragrantiam roſarum, violarum, liliorum laurorum, & nunc horum, nunc illorum egerere ſolet, quaſi *odorem agri pleni.* Diceres adhuc ſanctum Petrum, hujus beatiſſimæ Virginis mamillas curare, ac eis cœli ſuaveolentiam conferre. Veriſſimè Mediolanenſis Antiſtes: *v Virgo ſpirat fragrantiam caſtitatis, ſuavitatem gratiæ, odorem fidei.* Hæc prærogativa, meritò hiſce, aliiſque innumeris virginum corporibus debetur, quarum fuit *x odor vitæ in vitam*, & caſti mores, in odorem ſuaviſſimum: nam ut mellifluus Doctor de his diſſerit: *y Habent mores colores ſuos: habent & odores*, quos integritatis ſuæ exemplo omnibus afflabant: quia *odorem habent in fama, colorem in conſcientia. Colorem operi ſuo dat ejus bonitas, & cordis intentio: odorem, modeſtiæ, & virtutis exemplum.*

ſ Ferrandus diſq. Reliq. l. 2. c. 2. art. 4. t Petra Sancta Thaumaſiæ, Tom. 3. c. 12. v Ambroſ. l. de inſtit. virg c. 1. x 2. Cor. 2. v. 4. y Bernard. Serm. 71. in Cant.

Si quis veſtrum in odorem hujus tam divinæ & excellentis fragrantiæ trahitur, & inſtar lauri, perpetuò cum ſanctis hiſce virginibus amat ſuaviter redolere, omnes mundi ſuffitus, & z *peregrinum murem*, & odoramenta averſetur, quæ *incentiva ſunt fœdæ libidinis*, atque indicium putoris latentis, ut ille verè cecinit:

a *Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles bene, Poſthume, ſemper:*
Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.

Hujus nobis nauſeam ingerit Petrus Damianus, qui de cujuſdam uxoris Ducis Venetiarum, deliciis ſcribens, ejus fœtorem & putredinem intolerabilem ſub hac verborum ſerie enarrat: *b Hæc Ducißa tam tenerè tam delicatè vivebat, & non modò ſuperſtitioſa; ſed artificioſa, ut ita loquar, ſeſe jucunditate mulcebat, ut etiam communibus ſe aquis dedignaretur abluere, ſed ejus ſervi rorem cœli ſatagebant undecumque colligere, ex quo ſibi laborioſum ſatis balneum procuraret. Cibos quoque ſuos manibus non tangebat; ſed ab Eunuchis ejus, alimenta quæque minutiùs concidebantur in fruſta, quæ mox illa quibuſdam fuſcinulis aureis, atque bidentibus, ori ſuo liguriens adhibebat. Ejus porrò cubiculum tot thymiamatum, aromatúmque generibus redolebat, ut & nobis narrare tantum dedecus fœteat, & auditor fortè non credat. Atque inter hos aggeſtos ſuffitus, corpus ejus omne computruit; ita ut membra corporis undique cuncta marceſcerent, totúmque cubiculum intolerabili prorſus fœtore comple-*

z Hieron. lib. 2. adv. Iovinian. Ambroſ. l. de Elia & jejunio c. 10. a Martialis l. 2. Epig. 12. b Petr. Damian. Epiſt. 3. ad Blancã comit. c. 11. poſita opuſcul. 50. c. 11

rent:

rent: nec quiſquam tantam perferre narium injuriam potuit, non coſmeta, non ſervulus, vix una duntaxat ancilla. eadem tamen raptim accedebat, & protinus fugiens abſcedebat. Diutius igitur hoc languore decocta, & miſerabiliter cruciata amicis quoque lætantibus, diem clauſſit extremum.

Difficilè autem Veſpillones reperit, qui adeò putidum ac fœtidum cadaver attrectare, ac tumulare vellent; quod etiam vivum, tam intolerabilem mephitim undique diffundebat.

Uti idem refert Eminentiſſimus Cardinalis de Sophia, *c* quæ duorum Marchionum Ugoſonis ſoror, & Rainerii filia, ex abortu mortua, in Abbatia ſancti Chriſtophori Martyris, condita eſt in ſepulcro, à cæmentariis probe undique occluſo, nihilominus *per annum integrum tantam fœtoris illuviem exhalavit, ut tolerari vix poſſet, nec fratres quieſcere in tota illius clauſtri medietate permitteret.*

Quantum hæc cadavera, quorum eſt *odor mortis in mortem*, differunt à corporibus Sanctorum, quibus eſt *odor vitæ in vitam?*

Sed parum eſt, corpora ex nimia mollitie in ſaniem diffluere, & ſuffitu in cadaveroſum fœtorem, etiam viva reſolvi: at illud juſta Dei vindicta,

e *Tormenti genus*

hominibus luxurioſis, jure inflictum eſt, ut ſuper omnem ſentinam & cloacam, atque omne putridiſſimum cadaver, etiamnum viva eorum corpora, venerea lue diffluentia mephitim peſtilentem effundant; *f* quam S. Catharina Senenſis, & Sanctus Philippus Nerius, non ſolum ex ejuſmodi corporibus, ſed animabus perſentiſcebant, & ſumma nauſea afficiebantur, ut alibi diximus. Nam, ut rectè divus Auguſtinus: g *Qui habet ſanum olfactum animæ, ſentit quomodo puteant peccata, cui putori peccatorum, contrarius eſt odor ille, de quo dicit Apoſtolus: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco, iis qui ſalvi fiunt.*

Hunc *ſanum olfactum animæ* ſi haberemus, quantum plerique juvenum & conjugatorum, ceruſſatas puellarum formas, & corpora paſtillos redolentia averſarentur, putidam, & fœtidam, quæ ex animabus exhalat, cloacam, ſi perſentiſcerent? argumento ſunt corpora damnatorum, ut ex iis beatorum, laurum dolentium & divinum ſpirantium, odorem concludam: Unus Doctor, Seraphicus omnia complexus videtur, dum dixit: *h* ſi unius tantum hominis damnati corpus in hunc mundum adduceretur, omnes confeſtim domos, pagos, urbes, provincias, omnes beſtias, & homines, totum hunc aërem, univerſum denique orbem peſtiferâ luce inficeret, & quidquid ſpirat, interficeret.

Quæ cum vobis audientibus horrori ſint, & fœtori, ac omnibus nauſeam pariant; rapiat & trahat vos in odorem unguentorum ſuorum, virginum Sponſus: trahat vos odor ſuaviſſimus tot ſanctarum virginum, ſupra omne cinnamomum, & balſamum etiam poſt ſæcula in ſepulcris redolentium, i *è quibus laurus dederunt odorem ſuum.*

c Damian. ibid. c. 10. d 2. Co. 2. v. 4. e Virg. Æn. f Lancic. opuſc. 6. c. 10. & 14

g Aug. in Pſ. 37. h Bonavent. de æt. ſalut. c. 39. i Ambroſ. l. 3. hexam. c. 11.

§. IV.

Viduis, quæ elato mariti funere, in luctu ſunt, & vitam ducunt in amaritudine animæ ſuæ, aptè cupreſſus figitur, quæ arbor funeſta, & luctuoſa eſt.

De hac Plinius: k *Cupreſſus mortis funeríſque ſymbolum, piis Manibus ſacra.* Cui accinit Poëta:

l *Et non plebejos luctus teſtatà cupreſſus.*

Hinc olim moris, cupreſſum ante funeſtam domum erigere, ut tradit Servius: m *Moris Romani,* inquit, *fuerat, ramum cupreſſi ante domum funeſtam poni.* Feſtus idipſum confirmat & rationem aſſignat, dicens: *Cupreſſi mortuorum domibus ponebantur, quia hujus generis arbor exciſa non renaſcitur, ſicut ex mortuis nihil jam eſt ſperandum.* Sic viduis ſpes omnis reciſa, quia mortuus maritus non renaſcitur, nec quidquam ultra ſperandum; ſed in luctu & veſte lugubri, quam induit, vita omnis tranſigenda. Quod non meum, ſed divi Ambroſii ſalubre, & ſalutare monitum eſt: n *Viduis,* inquit, *munimen pudoris eſt, ipſe amiſſi conjugis dolor, atque ipſe lugubris habitus, pompa funebris, fletus aſſiduus, & mœſtæ frontis inarantibus rugis impreſſa triſtitia.* Nôſtis quis inde fructus? quale viduitatis munimen? *hæc petulantium premit oculos, reſtinguit libidines, procaces avertit aſpectus. Bonus cuſtos pudoris, pietatis dolor.* Vidua igitur cùm ſemper, inſtar turturis, gemat, & in dolore ducat dies ſuos, rectè ſub umbra cupreſſi requieſcet. Audite in hanc rem, quam ex divini verbi Eccleſiaſte audivi, narrationem. Matrona Sicula, à teneris, imò ab ovo, fertur aluiſſe duos turtures, qui cùm per plures annos inter ſe pacificè convixiſſent, accidit comparem, neſcio quo fato, è vivis exceſſiſſe. Domina verò, miſerta viduæ turturis ſuperſtitis, eam corte liberam avolare fecit. At illa non longè evolans, nec liberiore aëre aut aurâ delectata, ad proximam, quæ in impluvio domus ſtabat, cupreſſum ſe recepit, ibíque perpetuò commorata, noctes & dies gemitibus tranſigebat. Non multò poſt factum, ut hujus matronæ conjux lethali morbo correptus, trimeſtri vix exacto, ſumma comploratione dilectæ uxoris ſuæ, extinctus ſit. Quæ quò arctiori amoris vinculo illi per annos tres & viginti colligata fuerat, hoc acerbius illud mortis divortium ferebat. Suum autem luctum hoc publico argumento teſtata eſt, quod poſt hac omni virorum contubernio abſtinuerit, deliciis omnibus valere juſſis, numquam ridere viſa, per plures horas, diu, noctúque ſub cupreſſum illam gemebunda & plorabunda conſederit, alternis cum turture ſuos queſtus ingeminando, donec extremum ſpiritum exhalavit. Voluit autem ſub hac funeſta arbore corpus ſuum ſepeliri, hoc Epitaphio in tabella appenſo:

Digna jacet leſſo, triſti tumulata Cupreſſo,

Tur-

k Plin. lib. 16. c. 33. l Lucan. l. 3. Phar. m Servius in l. 3. Æneid. n Ambroſ. lib. 2. de viduis.

Turturis ad mores, quæ gemit ante fores.

Quæ Poëta Belga ſic expreſſit:

Cypres, die dagh voor dagh twee weduwen hoort ſuchten,
En uyt een droef geſicht, ſiet droever tranen vluchten:
En dunckt u niet dat ick een torteldnyve wort,
En dat ſy wordt een weuw, die ſoo veel kermens ſtordt?
Het lyck maeckt ons gelyck, wy ſtorten tranen beecken,
Ons hert beweent ſyn hert, dat is in d'aerd geſteecken;
Ghy die ons droefheyt ſiet, verwondert niet den rouw,
Noyt wierter kleene wond' gemaeckt van groote trouw.

Hauſerat illa fortè hanc lectionem Hieronymi, quam tradidit Euſtochio, & Epitaphio inſcripſit Paulæ viduæ; o *Poſt viri mortem, cum nullo comedit viro, quamvis eum ſanctum, & Pontificali ſciret culmine conſtitutum*: alterámque viduis peropportunam, qua filiam Catonis laudat, quod virum mortuum luxerit, quamdiu illi ſupervixerit: p *Interrogata*, inquit, *quem diem haberet luctus ultimum de ſuo viro? eundem ait quem vitæ*: ſic ſuum amorem teſtata. Quem ſanè nullum, aut minus verum & ſincerum habuiſſe arguendæ ſunt, quæ calente adhuc mariti corpuſculo, de ſecundis nuptiis cogitant, & q *necdum elato funere prioris viri memoriter digamiæ præcepta decantant*. Uſurpantes illud Apoſtoli: *Si non contineant, nubant*. Ut verè ſe contineant, publico abſtineant cum Juditha: r *In ſuperioribus domus ſuæ ſibi faciant ſecretum cubiculum*, habeant *ſuper lumbos ſuos cilicium*. Jejunent, *omnibus diebus vitæ ſuæ*. Aut ſaltem illud divi Ambroſii conſilium amplectantur, ut pulla veſte luctum indutæ, dum lacrymis mariti Manibus parentant, ſuas unà & ſæculi vanitates defleant. Hæc viduitatis probatæ & laudatæ commendatio eſt: Sic enim ait: ſ *Habet igitur vidua bonam commendationis ſuæ materiam, ut dum virum luget, fleat ſæculum, & in promptu ſint lacrymæ redemptrices* (vanitatum) *dum penduntur mortuis, viventibus profuturæ. Fletus oculorum miſericordiam conciliat, laborem minuit, dolorem allevat, ſervat pudorem: nec jam miſera ſibi videtur, quæ conſolationem in lacrymis habet* (& Chriſtum conſolatorem) *in quibus ſunt charitatis ſtipendia, pietatis officia*. Quid ſupereſt, niſi ut, quam in funere mariti pullam veſtem aſſumpſiſti, numquam niſi in funere tuo deponas, eámque intuens, inſtar turturis, jugiter ingemiſcas.

Tibi congruunt, quæ Hieronymus ad Salvinam de ſervanda viduitate: t *Tu quæ in tumulo mariti ſepeliſti pariter omnes voluntates: quæ litam purpuriſſo & ceruſſâ faciem, ſuper feretrum ejus, lacrymis diluiſti: quæ pullam tunicam, nigróſque calceolos, candidæ veſtis, & aurati ſocci depoſitione ſumpſiſti; nihil habes neceſſe aliud, niſi perſeverare in jejunio. Pallor & ſordes gemmæ tuæ ſint: plumarum mollities juvenilia membra non foveat: balnearum calor novum adoleſcentulæ ſanguinem non incendat.*

o S. Hieron. Epiſt. 17. ad Euſt. de Epitaph. Paulæ. p Hieron. adv. Iovinian. lib. 1. q Ibid.

r Iudith 8. v. 4. ſ Ambroſ. lib. 2. de Abraham part. 2. t Hieron. Epiſt. 9. ad Salvinam.

Tum, ubi Didonis viduæ continentiam deſcripſit, his verbis exſurgit: *Si tanti viliſſimum vitrum; quanti pretioſiſſimum margaritum? ſi ſic communi lege naturæ damnat omnes Gentilis vidua voluptates; quid exſpectandum eſt, à vidua Chriſtiana, quæ pudicitiam ſuam non ſolum ei debet, qui defunctus eſt, ſed & ei cum quo regnatura eſt?* quod argumentum ethnicæ nulla vidua Chriſtiana diſſolvet.

At novi proci, prurientes auribus, illud Apoſtoli occinunt: v *Volo juniores nubere*, & ipſæ ſibi blandiuntur eodem: x *Melius eſt nubere, quàm uri.* Quibus carnis, ac dæmonis fallaciis, ſolidiſſimè occurrit Doctor maximus: y *Neſciat vidua digamiæ indulgentiam, nec noverit illud Apoſtoli: melius eſt nubere, quàm uri. Tolle quod pejus eſt, uri: & per ſe bonum non erit nubere.* Pergit porrò, & nupturientium viduarum incontinentiam, adeò infamem, & effrenem perſtringit, ut malint habere virum, ne habeant diabolum: *Unde,* inquit, *illud Apoſtoli, quod fornicationis metu, indulgere compellitur, ſcribens ad Timotheum.* z *Volo adoleſcentulas nubere &c. cur indulſerit, ſtatim ſubjecit: jam enim quædam declinaverunt poſt ſatanam. Ex quo intelligimus, illum non ſtantibus coronam, ſed jacentibus manum porrigere.* Ac tandem concludit: *Vide qualia ſint ſecunda matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur; quia declinaverunt quædam poſt ſatanam. Ideo adoleſcentula vidua, quæ ſe non poteſt continere, vel non vult,* MARITUM POTIUS ACCIPIAT, QUAM DIABOLUM. PULCHRA NIMIRUM, ET APPETENDA RES, QUÆ SATANÆ COMPARATIONE SUSCIPITUR. Quod acerrimum, & ſaluberrimum Hieronymi monitum, ſi quæ vidua, frontem habens, in animum induxerit, numquam *maritum potius accipiet, quàm diabolum.*

Sed cum de his alibi a ex profeſſo dictum ſit, pluribus agere ſuperſedeo.

Et quam poſt juvenes, & adoleſcentulas, ac viduas, depontanis Senibus & rugoſis vetulis, ac anibus Majalem arborem erecturi ſimus, attendite: qua ex Poëtarum, Hiſtoricorum, ſanctorum Patrum placitis *aptiorem Senibus nullam, quàm populum aſſignandam putavi.*

Populum, quæ à Poëta dicitur:
b *Populus alba comis*,
ſenectutem ac venerandam canitiem, in coronæ modum exornare, Philo c *diſertiſſimus Judæorum*, notavit, qui reſpiciens ad morem, quo emeriti milites coronâ populea donabantur, hæc habet: d *Ætas ipſa ſenem, quaſi functum laboribus, & emeritum militem, canis coronat: quid enim aliud canities, niſi populeum, aut floridum ſertum?*

Hac venerandâ canitie ſenem, ne quid indignum committant viri ſenes canis ſuis, inducunt ſacræ paginæ lib. 2 Machab. cap. 6. exemplum illum ſenem Eleazarum, de quo, niſi multa paucis complecti vellem, finem non facerem. Pro omnibus qui hic fusè excurrunt, & conſuli poſſunt, divum Ambroſium audiamus, qui ſic in laudes ejus excurrit: e *Non te, Eleazare, prætermittam, utpote*

v 1. Timoth. 5. x 1. Cor. 7. y Hier. cit. z 1. Timoth. 5.

a 5. Kal. Ianuarii, §. 3. b Ovid. Ep. Deianir. & Hor. carm. l. 2. ode 3. c Hier. de Script. Eccl. d Philo de legatione ad Cainum. e Ambr. lib. 2. de Iacob. & vita beata.

ſacer-

ſacerdotum ſacerdos, maturus ævi: cùm oblatus eſſes Antiocho perſecutori, nec tentamentis potuiſti capi, nec præmiis inflecti, nec ſuppliciorum acerbitatibus frangi. Atque ut diſcant ſenes juvenibus exemplo eſſe, ſubjungit, quæ & ſacræ literæ teſtantur: cúmque urgeretur ut ſaltem ſimularet, *ille clamans reſpondit: nequaquam continget mihi, ut fiam ſenex incentivum juvenilis erroris, qui huc uſque eram ſalutaris forma inſtituti. His ergo ludibriis, ut paululum vivam, lucrabor, & totius vitæ labores addicam brevi viatico ſenectutis? ſenectus portus debet eſſe, non naufragium vitæ ſuperioris. Non abjurabo vos ſancta majorum inſtituta, non decolorabo vos, infulæ ſacerdotales, non te perfidiæ pulvere turbabo, pulchra canities.* Verè digna canities, quæ, ut Philo loquitur, f Populeo *& florido ſerto* coronanda.

Sed ſimilem illi quæro, ante cujus ædes hanc populum albam plantare queam, è qua ſuo cano vertici ex merito coronam decerpat. Divus Hieronymus unum inducit Paulum Concordienſem, centeſimum annum agentem, ad quem ſcribit his verbis: g *Senectutem tuam, & caput ad Chriſti ſimilitudinem candidum (juxta illud Apocalyp. cap. 1. caput autem & capilli erant candidi, velut lana alba & tanquam nix) dignis vocibus prædicamus Ecce jam centenus ætatis circulus volvitur, & tu ſemper præcepta Domini cuſtodiens, futuræ beatitudinem vitæ, per præſentia exempla meditaris.* Atque ubi vigorem omnium membrorum, in currendo viam mandatorum Dei, enarravit, ſubdit: *Futuræ nobis reſurrectionis virorem in te Dominus oſtendit.* Dignus & ille centenarius ſenex, ut Populeo *florido ſerto* veneranda ejus canities coronetur. Sed quotus quiſque ſenex, habens canis aſperſum caput *ſemper præcepta Domini cuſtodiens*, hac populo alba redimiri meretur? nihilominus populum illis, & coronam populeam propriã eſſe demonſtrabo.

f Philo cit. g Hieron. Epiſt. ad Paulam Concordienſem.

Ubi unum pro fundamento, & argumento meo notandum: *h* populum folia germinare, ex una parte candida & cana; ex altera prorſus viridia. Cauſam hujus Poëtæ hanc commenti ſunt. Cùm ad inferos Hercules deſcenderet & labore defatigaretur; corona populea caput propter ſudorem velâſſe dicitur: unde foliorum partem alteram, quæ temporibus adhærebat, exalbuiſſe ajunt; partem verò exteriorem, quæ libero aëri patebat, & expers ſudoris ac caloris erat, viridem remanſiſſe, unde à Poëtis paſſim bicolor nominatur, ut ille:

i *Bicolor cum populus umbra.*

& divus Ambroſius de plantis Paradiſi agens, k *populos bicolores* nuncupat.

Quæ ut miſſis fabulis, ad mores deducamus, ſcire debetis, plures hoc tempore viros ſenes & vetulas, has populi proprietates habere, ut cani ſint, & virides: cani & albi barba & capillitio, virides paſſionibus & concupiſcentiis. Tales ad vivum depingit Africanus Doctor, dum decrepitos ſenes in aridis oſſibus libidinem germinantes, avaritiam ac temulentiam maximè ſectantes deſcribit: l *An fortè*, inquit, *ſene-*

h Ioan. Bauhini hiſt. plant. i Virg. l. 8. Æn. k Amb. l. 3. hex. c. 13. l Aug. Dom. 23. poſt Trin. Ser. 2. de temp. Ser. 246.

ctus excepta eſt (à vitiis) *& in carne jam vicina cadaveri, ſanguis ac membra illicitæ concupiſcentiæ friguerunt? & jam feſſo ac prope mortuo corpore, materies tentationis emarcuit? imò verò tantus eſt in malis ſenibus plerumque gurges aviditatis, & inſatiabilis vorago ventris, & gutturis, ut quanta boni ſenes prudentia ſerenantur, tanta iſti vinolentia ſepeliantur: quaſi ad hoc in eis arida viſcera, & ſucco exhauſta curventur, ut ad vigorem priſtinum reparandum, ebrietatis inundatione irriganda ſint.*

Habet hoc populus, quod jugem amet liquorem, & perpetuò humectari debeat. Hoc ore omnium Poëtarum decantatum:

m *Populus in fluviis.*

Et alius:

n *Populæ vive precor, quæ conſita margine ripæ:*

quaſi è ſucco ſibi vitam trahat & omne nutrimentum è liquido hauriat, unde alibi dicit:

o —— *Nutritaque populus undâ.*

Haud aliter nonnullis ſenibus, p *inſatiabilis vorago ventris & gutturis eſt, quaſi ad hoc in eis arida viſcera & ſucco exhauſta* (velut rami) *curventur, ut ad vigorem priſtinum reparandum, ebrietatis inundatione irriganda ſint.* Jámque temulentiæ aſſueti, neceſſarium ſibi alimentum, & vitam adimi arbitrentur, niſi liquore vini (quod lac ſenum vocant) jugiter alantur, irrigentur & oppleantur. Interim ratione emotâ, ac pedibus captis, cana ſua barba, liberis ſcandalo, totique populo ludibrio ſunt. Ut ille, quem vel ipſe gentilis exſibilat:

q —— *Viſa eſt mihi digna relatu Pompa: ſenem potum, pota trahebat anus.*

Hoc autem vitium, quam non hominibus duntaxat, ſed & Deo odibile ſit; teſtatur per Eccl. 25. tres ſpecies odivit anima mea, *pauperem ſuperbum, divitem mendacem, ſenem fatuum & inſenſatum. Id eſt,* inquit Hugo Cardinalis, r *luxurioſum & ebrioſum, quia fornicatio & ebrietas infatuant.* Quò fit, ut ea agant, quæ ſanum hominem, ac potiſſimum gravitatem ſenilem non deceant. Exempla ſunt in Noë, ſene, qui ebrius à filio illuſus eſt. Et in Loth, qui ſenex inebriatus, infandum crimen inceſtus commiſit. Sui enim non ſunt, qui vino capti ſunt, ut rectè Hieronymus: ſ *Quod in adoleſcentibus eſt libido, hoc in ſenibus eſt ebrietas, ut non ſint ſui, ſed vini.*

Moveat hos magni Catonis oraculum: t *Non modò vituperatio nulla; ſed etiam ſana laus ſenectutis eſt, quod ea voluptates nullas magnopere deſiderat, caret epulis, exſtructiſque menſis, & frequentibus poculis, habeóque ſenectuti magnam gratiam, quæ mihi ſermonis aviditatem auxit, potionis & vini ſuſtulit.* Sed longe potentius moneat & moveat Chriſtianos ſenes, & anus, præceptum Pauli, qui cùm hoc vitium in ſenibus notâſſet, ſic eos admonet: v *Senes ut ſobrii ſint.* Quod cùm fortè & inter vetulas obſervâſſet, vult & anus *ſobrias eſſe & non multo vino ſervientes.* Laudatur illa vox Berzellai, qui ad aulam, & menſam Davidis regiam invitatus, dixit: x *Octogenarius*

m Virg. n Ovid, in Epiſt. o Ovid. l. 5. metam. p Auguſtin. cit.

q Ovid. in faſtis, l. 3. r Hugo Cardin. in Ep. ad Titum, c. 2. ſ Cit. Corn. & Hugo Card. in Titum, c. 2. t Cicero de ſenectute. v Ad Titum c. 2. v. 2. x 2. Reg. 19. v. 34.

genarius

genarius ſum, *numquid delectare poteſt ſervum tuum cibus & potus*? dic & tu: ſeptuagenarius, octogenarius, nonagenarius ſum, edentulus ſum, y *molentes ſunt in minuto numero*, appetitus abiit, ſtomachus contractus eſt, brevi cibus vermium futurus ſum: *Numquid* me *delectare poteſt cibus & potus*? propè hoc vitæ pelagus emenſus, terram proſpicio, lacte & melle manantem, ubi inebriabor torrente voluptatis: *Numquid* hic me *delectare poteſt cibus & potus*?

De altero ſenum vitio, avaritia nempe, paulò pòſt dicemus, dum Avaris ſuam arborem plantabimus. Id hic potiſſimum ago, ut ſenes canis reſperſos, & albos inſtar populi, ſimul & virides concupiſcentia exiſtere, & in arido ac prope emortuo corpore, juvenilem libidinis vigorem, non rarò ſupereſſe oſtendam.

Mirari forte & indignari poſſent graves ſenio viri, quorum z *ſenectus venerabilis*, & *ætas ſenectutis vita immaculata*, hoc à me argumentum tractari, cum Seneca inter commoda & virtutes ſenectutis, hoc potiſſimum commendet & prædicet, quod calore & vigore naturali exhauſto, ac fomite prope extincto, ſenes ad illicitas carnis illecebras, impotentes reddantur. Quo titulo, inquit, a *gratias ago ſenectuti, quod me lectulo affixit. Quid ni gratias illi hoc nomine agam? quidquid debebam nolle, non poſſum*. Quantus hic divinis Eccleſiaſtis campus patet! debebam nolle inebriari, fornicari, adulterare: *Quidquid debebam nolle, non poſſum*. Eodem ſpectat illud Iſidori: b *Senectus multa ſecum bona affert, quia nos à potentiſſimis dominis liberat, voluptatibus imponit modum, libidinum frangit impetus &c.* Quæ bona ut aliquibus ſenibus obtingant; non tamen omnibus, de quibus hic mihi ſermo, & reſpondeo cum Tullio: c *Libido magis eſt adoleſcentium quàm ſenum; nec tamen omnium adoleſcentium, ſed improborum: ſic iſta ſenilis ſtultitia, quæ deliratio appellari ſolet, ſenum levium eſt, non omnium.*

Unde non illos, ſed d *inveteratos dierum malorum* inſectari animus eſt: qui adeò virides (*het ſtaet haer ſoo groen*) ut jam uno pede in cymba Charontis, adhuc de ducenda uxore cogitent; qui in hyeme ætatis ſuæ, & ſub nivea canitie, flammas alunt libidinis. Quales exſtitêre duo illi ſenes, qui contemplantes caſtiſſimam matronam Suſannam, e *exarſerunt in concupiſcentiam ejus*. Divus Cyprianus libro de bono conjugali: *Suſannam ex ſenibus duo cœperunt deperire, nihil memores ſuæ annis jã marceſcentis ætatis; ita illos in flagrantia tranſactæ juventutis incendia, rediviva libidinis flamma revocabat.* Hinc patet, ignem hunc ſub cinere doloſo ſæpe deliteſcere & revireſcere, & ſub cano vertice, quandoque flammas in corde coqui, non ſecus ac Ætna nive tectus, intus flammarum vortices alit, & ſummo impetu non raro ejaculatur. Attendite quid ſacræ paginæ de Salomone referant: f *Cúmq; jam eſſet* SENEX, *depravatum eſt cor ejus per mulieres.* Non eſt quod quis ſibi perſuadeat, quod ab hoc fomite: g *Fortè ſenectus excepta eſt, & in carne jã vicina cadaveri, ſan-*

y Eccl. c. 12. z Sapient. cap. 4. a Seneca Ep. 63. b Iſidor. l. 2. Orig. c. 2.

c Cic. de ſeneƈt. d Dan. c. 13. e Idem. f 3. Reg. 11. 4. g Aug. Serm. 246. de tẽp.

ſanguis ac membra illicitæ concupiſcentiæ friguerunt, & in jam feſſo ac prope mortuo corpore, materies tentationis emarcuit. Aliter ſenſit ille, de quo Iſidorus Peluſiota: h *Cani effuſi ſunt, & ipſe ignoravit, vitioſis nimirum affectibus juveneſcens.*

Non eſt quod quis devexæ ætati, & cano ſenio nimium præfidat, quaſi jam effœto corpore, & cineri proximo, ignis reaccendi non queat: i *Lædit etiam ſenium*, inquit Philo, *liber obtutus.* Incendium exortum in aridis ſenibus id ſatis teſtatur: ſcilicet *videbant eam ſenes quotidie ingredientem & deambulantem, & exarſerunt in concupiſcentiam ejus.* Ubi flamma vetuſtam domum, aut horreum corripit, inextinguibilis eſt. Imò ſi & viride nemus invaſerit, k *diu ſilva*, ut cum Seneca loquar, *momento cinis* erit. Senes hos & capillitio, & mento canos, virides juvenili libidine dixero, cùm ſic eos notaſſe Danielem, divus Cyrillus aſſerat: l *Daniel puer arguit ſenes, de peccatis juvenilibus.* Idipſum confirmat ſanctus Gregorius, dicens: m *Quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate* (ſenili) *vigeat, carnales tamen ſenſus, puerile quiddam exterius perſtrepunt.* Quò fit, ut juvenibus ſcandalo, & ruinæ ſint, qui flagitiis ſuis auctoritatem ſenum prætexunt. Unde inquit Hieronymus: n *Optandum ſanè eſt, ut ætatis gravitatem, morum gravitas decoret: ne jam frigido ad libidinem ſanguine, exemplo ſint juvenibus ad ruinam.* Vel ſola veneranda juvenibus capitis canities, & promiſſa ſenum barba, canis reſperſa, ipſis ruborem incutere deberet, ne quid illis indignum committant, & in memoriam reducere, quia

o *Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.*

Ita è Stoa ſenex Philoſophus rogatus, ut quid tam longam inſtar lanæ albam barbam aleret? reſpondit: p *Ne quid illis indignum committam.* Hæc gentilis; quanto laudabilius hæc Chriſtianus uſurparet, cujus animus & ætas, q *ad reprimendas libidines, firmior eſſe deberet?*

Nemo ſe palpet, nemo quantumvis ætate provectus ſe temere occaſioni exponat, cùm & ſanctiſſimi viri ad devexam jam ſenectutem, in omni ſanctitate vitâ exactâ, ſolicite ambulârint. Certe divus Gregorius Nazianzenus ſic de ſeipſo ſcribit: *equidem in hac canitie corpus lanio, oculos premo, diurnis, nocturniſque curis ter miſeram animam conficio, ut eam à flamma extraham, & ne ſic quidem, niſi admodum ægrè, corpus in poteſtate habeo.* Hæc Præſul ætate gravis, canitie venerandus, frigido jam, effœtóque corpore; illud tamen laniat, illud conficit, & hoc *ut à flamma extrahat* cōcupiſcentiæ. Nec quidquam ſenes à teneris in deliciis & vitiis enutriti, ab hac flamma ſibi timendum arbitrantur? audiant hi ardentem Abbatis Igniacenſis monitionē: r *Mors ſenibus eſt in jannis, quæ juvenibus eſt in inſidiis; & utinam*

h Iſidor. Peluſiot. l. 1. Ep. 314. i Philo l. de migrat. Abrah. Dan. c. 13. k Sen. l Cyrill. Ieroſolim. catech. 17. m S. Greg. l. 21. moral. c. 2. n Hieron. cit. à Corn. & Hugone Card. in c. 2. ad Titum.

o Horat. de arte. p Lycoſtenes Apophtheg. q Ambr. l. 10. ſup. Lucam, c. ult. r Guarricus Serm. 3. de Advent.

vel

vel ſenes ſe obſervarent; qui mortem tam paratam intrare, imò jam intrantem vident. An non ex parte jam intravit, quæ aliquas partes corporis jam præmortuas occupavit? in pluribus tamen ſemimortuis videre eſt adhuc viventem corporis concupiſcentiam. Quis huic ultro ſtuppam admoveat, & incendium non timeat?

Profectò in mortua jam prope ætate, ſub mortuali cinere ignem deliteſcere, qui accedente ſtuppa ſuſcitetur, toti poſteritati manifeſtum reddere voluit, ſui jam morientis exemplo Urſinus Presbyter, ſenex venerandus, Magno teſte Gregorio. *ſ* Is vitam ſumma in ſeveritate caſtimoniáque egerat, pænè in ipſo gremio virtutis, atrióque cœli educatus. Tandem morbo lethali corripitur. & cum motu, ac calore omni deſtitutus animam exhalâſſe crederetur, acceſſit illius quondam uxor, cujus tactu, atque omni familiaritate, quadraginta jam annis abſtinuerat, quod omne tempus in ſacroſanctis Eccleſiæ miniſteriis, & divinarum rerum commentatione poſuerat. Illa dum explorat an ſpiritus ſupereſſet, & veſtigium animæ nondum abeuntis, admota ad nares aure, an adhuc aſpiraret; mira res! hoc ut perſenſit, ardore magno collegit vires omnes, quæ in corpuſculo eſſe potuerunt, ad ea dicenda, quæ pro monito ſalutari futura eſſent, omni imprimis ſenectuti, totíque Orbi terrarum: *Recede*, inquit, *mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle*. Hinc diſce nullum debere ſibi fidere, quod

ſ Gregor. Turon. Marulus lib. 4 c. 7. Sabellicus lib 5. c. 6.

adoleſcentiæ annos prætervectus, jam ætatis quandam maturitatem, conſtantiámque attigerit.

Quare, ut concludam, ſcire vis, ô ſenex, quomodo laudabiliter inſtar populi revireſcere queas? audi quæ Rex Caſſiodori calamo ſcribat Cypriano: t *Cum ætate ſemper creſcis & meritis; curſus annorum, laudis tibi procurat augmentum. Seneſcis quidem corpore; ſed laude juveneſcis. Meritò tibi prolixior ætas optatur, in qua famæ ſemper robuſtior invenitur.*

Talem in devexa ætate, virtutibus clarum, animo vegetum, & viridem, Romanus Philoſophus deprædicat: v *Claranum*, inquit, *condiſcipulum meum vidi poſt multos annos ſenem; ſed mehercule viridem animos, ac vigentem.*

Hoc autem agamus, ut vitam probè exactam, nobiliori fine claudamus, ut rectè monet divus Paſchaſius, qui expendens illud: *Regina in veſtitu deaurato, & in fimbriis aureis*, obſervat multum rem auream differre à deaurata, & ait: *Fimbriæ cum aureæ dicuntur, divinior ſenſus introducitur: ex quo intelligitur, quia perfectior & pretioſior ſemper eſſe debet finis vitæ, quàm principium.*

Nunc ad alteras arbores Majales, ſed fatales veniamus, de quibus Apoſtolus in Canonica:

t Caſſiodor. lib. 8. Epiſt. 21. v Seneca Epiſt. 66.

§. V.

Arbores Autumnales infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ. Epiſt. S. Judæ, v. 12.

NOn levis inter arbores Majales & Autumnales ſimilitudo eſt: quia ut his, ita & illis fructus nullus, vigor & viror brevis. Doctor Angelicus in hunc locum, ſic ait: x *Autumnales, quia tunc folia & fructus cadunt.* Quod omni peccatori accidit, cui fervore charitatis, & Sole gratiæ ſublato, omnes frondes & fructus bonorum operum ſolent decidere. Ut venerabilis Beda teſtatur, cujus judicio homines flagitioſi rectè y *arboribus Autumnalibus comparantur, ut deſperata eorum ſalus intelligatur: autumni enim tempore non ſolum poma nulla naſci; ſed etiam, quæ nata erant, maturæ ſolent decidere*, & derepente multarum horarum, dierum, hebdomadarum, menſium fructibus, arbores ſpoliantur. Sic & animæ omni orationum, jejuniorum, eleemoſynarum, confeſſionum, communionum, indulgentiarum, gratiarum fructu, per unum peccatum mortale, velut ventum urentem & autumnalem privantur. Ex quo ſequitur, ut & *infructuoſæ* dicantur, id eſt, z *nullam utilitatem ſibi vel aliis ferentes.* Quibus quid ſupereſt, niſi quod Matth. 7. habetur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

x S. Thom. in Epiſt. Iudæ v. 12. y Beda cit. à Lorin. in Epiſt. Iudæ, v. 12. z S. Thom. ibid.

Hæc hactenus clara ſatis & dilucida videntur; ſed myſterium, ac paradoxum quis dixerit, homines aut arbores bis mortuas dici, & inveniri. Quæ ſi ſenſu morali & myſtico accipiantur, ut ſancti Patres exponunt, myſterium manifeſtum erit: a *Bis mortuæ*, inquit Sanctus Thomas, *in ramis, & in radice; in ramis quidem bonorum operum, & radice bonarum voluntatum.* Ex voluntate, enim, quaſi ex radice, omnia bona vel mala pullulant.

Univerſa quæ ſancti Patres, & Interpretes in hunc locum allegant, paucis complexus mihi videtur Lorinus noſter: *Bis mortuæ.* b Duplex mors, deſignat peccatum mente, & opere perpetratum. *Bis mortuæ*: boni omiſſionem, mali commiſſionem. *Bis mortuæ*: culpam, & conſuetudinem. *Bis mortuæ*; interitum proprium, & illatum aliis. Denique *bis mortuæ*: ſignificat gratiæ, quæ vita eſt animæ, amiſſionem, & reatum damnationis æternæ. Quæ, cùm mihi tempus non ſuppetat, aliis exaggeranda relinquo, complures arbores bis mortuas reperiri *in ramis bonorum operum*, qui totos dies opera fraudis, injuſtitiæ, perjurii, detractionis, ebrietatis, luxuriæ exercent: *Mortuæ in ramis* filiorum & filiarum, ex ipſis procedentibus, quos malè inſtituunt: *Mortuæ in radice bonarum voluntatum*, quas nullas habent niſi ad malum. *Bis mortuæ*, deſignat peccatum *mente & opere perpetratum.* Quot numerare eſt, qui ſe verè mortaliter peccaſſe, & morte animę interiiſſe non æſtimant, aut confitentur,

a S. Thom. cit. b Lorin. in Canon. Epiſt. Iudæ, v. 12.

niſi

niſi deſideria, mortifera actu complêrint? &c. *Arbores bis mortuæ*, per *omiſſionem* boni, mandatorum Dei, ſacrificii feſtis & Dominicis, reſtitutionis, voti Deo facti: & per *commiſſionem* mali, damnum aut injuriam inferendo, pupillos & viduas opprimendo, ſe de hoſtibus vindicando, Eccleſiaſtica beneficia ſimoniacè procurando, Decalogum infringendo &c *Bis mortuæ*, per *culpam*, ut jam dictum eſt, & ſecundò per *conſuetudinem*, qua peccator non modò mortuus; ſed ita ſepultus cenſetur, ut difficillimè ad vitam gratiæ reſuſcitandus ſit. *Bis mortuæ*, per *interitum proprium*, & *illatum aliis*, peccato ſcandali, conſilio, conſenſu, irritatione, approbatione, aliiſque peccatis alienis; de quibus quotus quiſque ſe ut mortuum accuſat? denique *bis mortuæ*, per *gratiæ, quæ eſt vita animæ, amiſſionem*, & *reatum*, ac ſententiam *damnationis æternæ*, quæ eſt c *mors ſecunda*, & mors peccatorum peſſima, amariſſima, & terribilium omnium terribiliſſima.

Hæc autem omnia mala oriuntur ex eo, quod d *eradicatæ, id eſt, extra radicem charitatis extractæ, & eradicatæ à Deo: Deus enim eſt locus animæ*, 1. *Joannis* 4. *qui manet in charitate, in Deo manet. In quo notat quod omnis diſpoſitio & habilitas ad bonum, privata eſt in eis, ſicut in arbore eradicata diſpoſitio ad fructificandum.* Quod antequam plenius proſequamur, juvat prius cuique homini ſcelerato, ſuam fatalem arborem non præ foribus, ſed in cordis fundo plantâre.

Luxurioſis in cœno vitiorum volutantibus, & vitam porcorum degentibus *quercus* ſtatuenda eſt, idque ex ſenſu Chryſoſtomi: e *Quercus*, inquit, *infrugifera, eſt meretrix, glandes tantum proferens in alimoniam porcorum.* Ejuſmodi *quercus infrugifera* eſt homo fornicator, leno, adulter, omnis filius prodigus, qui cum meretricibus conſumpſit omnem ſubſtantiam: & eſt f *velut quercus defluentibus foliis*, cogitúrque ſiliquis ac glandibus porcorum vivere. Tales omnes illi, qui hic retia tendunt, ut capiant innocentes animas, qui ut puella aut fœmina compti, ac criſpi, è divitiis & vitiis, tandem in luxurioſa quercu ſibi laqueum nectunt. Cujus rei vivum typum pendulus è quercu Abſolon expreſſit, 2. Reg. c. 18. *Accidit autem ut occurreret Abſolon ſervis David, ſedens mulo, cúmq; ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam* QUERCUM & *magnam, adhæſit caput ejus* QUERCUI, & *illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus, cui inſederat, pertranſivit.* Ad rem noſtram perappoſitè Hugo Cardinalis: g *Abſolon peccator eſt, mulus ſenſualitas. Abſolon mulo inſidet, cùm peccator ſenſualitate delectatur. Cæſaries Abſolon, divitiæ ſunt hujus mundi*, QUERCUS *luxuria*: QUERCUS *enim cibus eſt porcorum; ſic legitur de filio prodigo*, *Luc.* 15. *quod implebat ventrem de ſiliquis porcorum. Item* QUERCUS *patula eſt, & luxuria nimis patula eſt, quia multos involvit.* Ac tandem concludit: *De hac* QUERCU *dicitur Iſa.* 2. *Dies Domini ſuper omnes* QUERCUS *Baſan, id eſt ſuper omnes luxurioſos, qui ſunt in mundo: Baſan enim interpretatur confuſio*,

c Apocal. cap. 20. d S. Thom. in Epiſt. Iudæ v. 12.

e Chryſoſt. Tom. 1. in Iſai. in procem. f Iſaiæ 1. g Hug. Card. l. 2. Reg. c. 18.

& *ſigni-*

& ſignificat mundum. Quercui *igitur per cæſariem Abſolon pendet, quando peccator fomento divitiarum inhæret. Mulus tranſit, & ipſe remanet ſuſpenſus: quia dum peccator in luxuria detinetur, caro paulatim declinat ad mortem.* Fatalem hanc Quercum, ſi homines libidinoſi, dies & noctes ante oculos mentis fixam contemplarentur, ſimilem profectò Abſolonis exitum perhorreſcerent, & porcinos mores in divinos commutarent.

Pudeat profectò vos ad cœleſtia illa paſcua natos, & ad delicias æternas creatos, in cubilibus & impudicitiis, porcorum ſiliquis ſaginari. Aculeum hic exerit Apis illa Claravallenſis: h *Sunt arbores infructuoſæ, ut* QUERCUS, *& ſilveſtres aliæ arbores, ſed hujuſmodi nemo plantat in horto ſuo, quia non faciunt fructum, & ſi quem faciunt, non humano eſui aptus eſt, ſed porcino. Tales ſunt filii hujus ſæculi, agentes in commeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis: hæc namque porcorum cibus ſunt.* Ipſos verò luxurioſos homines, porcos eſſe tradit Doctor Hipponenſis, cauſam hanc afferens, cur *dæmones rogârint mitti in gregem porcorum.* i *Dimiſit*, inquit, *Dominus dæmones in porcos, ut oſtendat diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt.* Quò ſpectat illud Euthymii: *Dæmones ingrediuntur porcos*, eos vidilicet, qui in cœno volutantur. Sed parum eſt hos porcos à dæmonibus inhabitari: ipſi, quod maximè deteſtandum, dæmonum cibus fiunt. Sic ſentit Cardinalis Damiani: *k* QUERCUS, inquit, *fructus quidem proferunt, ſed non quibus homo veſcitur, ſed unde ſues aluntur. Sues autem immundi intelligendi ſunt ſpiritus, qui ſpurcis ſordentium hominum operibus ſaginantur.* Atque hæc ad luem illam porcinam, & eſcam porcorum, ac dæmonum averſandam, ſatis ſunt.

Quæ *ebrioſis* & temulentis arbor dicanda ſit, ſatis Hiſtorici & Poëtæ loquuntur, qui dum ſingulas ſingulis Diis arbores conſecrant, *vitem* Baccho temulentiæ Deo ſacram eſſe voluerunt. Sic enim cecinere:

Sacra Jovis grandes circumdant tempora glandes,
Geſtat fronte tenus myrtea ſerta Venus.
Pallas amat viva redimiri pacis oliva,
Quam placet Alcidæ populus alba, vide.
Cæſariem, collo juvenis quam geſtat Apollo,
Quæ bene laurus olet, condecore ſolet.
Sed vitis Bacchum, cingit quoque vitis Iachum:
Perplacet hæc vero planta referta mero.

Mirabitur quis veſtrum, tam nobilem plantam adeò delicioſum vinum germinantem, quod l *lætificat Deum & homines*, temulentis helluonibus dicari. Audite non inficetum apologum. Vitis cedrum deſpexit, & multis ſannis aſperſit, quod exaltata inter ligna ſylvarum verticem altiùs attolleret, interim ſterilis, infœcunda, nullos fructus proferret, ſed inani foliorum pompa ſuperbiret: cum ipſa ſuos pampinos extenderet,

h S. Bernard. Serm. de S. Benedicto. i S. Auguſt. cit. in catena D. Thom. Matth. 8. k Petr. Damian. opuſcul. 50. de inſtit. c. 7.

l Iudic. 9.

deret ſuaviſſimis botris turgentes; omnis ſaporis vina proferret, in Principum viridariis creſceret, & Regum palatiis ad culmen uſque adreperet. Cui modeſtè reſpondit Cedrus: tu quidem ſuaves fructus profers, quorum vinum modicè ſumptum *lætificat Deum & homines*; ſed innumeris ebrioſis lethiferum eſt, corpori & animæ venenum, iiſque non ſuave, ſed m *uva tua, uva fellis, & botri amariſſimi*, qui Deum Bacchum lætificant. Jactas te palatiis Regum adrepere: ſed neſcio an tibi idem, quod ebrioſis proprium eſt, ut conſiſtere non valeant, niſi ſuſtententur. Cæterum ut tuo muſto hominum palato placueris, quid de te fiet? cui uſui apta es, niſi ad comburendum? ego verò etſi eo titulo non glorier, quod in domibus Regum ſum, quod perpetuus mihi viror ſit, ſi gloriari oportet, hoc unico gloriabor, quod ad præſtantiſſima quæque opera materiem ſuppeditem, omni carie expertem, incorruptibilem, atque adeò immortale mihi nomen conquiram. Ex me arcas cedrinas, n *laquearia cedrina, domos cedrinas*, non vulgaribus hominibus, ſed potentiſſimis Regibus, ipſi o Salomoni, & immortali Deo ædificant, qui habitare *in domo cedrina* delectantur. Hæc *fabula* eſt, quæ ut inquit Ambroſius, p *etſi vim veritatis non habet*; *tamen rationem habet, ut juxta eam poſſit veritas manifeſtari* Hoc enim Apologo eruitur veritas illa, quam Ezechiel Propheta proponit: q *Quid fiet de ligno vitis?* cui rei lignum vitis utile erit? hæret Propheta, quid ex eo confingat? an oſtia, an trabes, an tabulas, an arcas? ad nihilum utile eſt, niſi ad comburendum. Sic enim divus Auguſtinus: r *Unum è duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: ſi in vite non eſt, in igne erit.*

Nunc verò ut ebrium cum ligno vitis conferamus; quærit Propheta: *Quid fiet de ligno vitis?* quæro ego, quid fiet de homine ebrio? de nobili ebrio, de mercatore ebrio, de cauſidico ebrio, de medico ebrio &c. ad nihilum valet, nec hic ad auctoritatem tuendam, nec ille ad negotia tractanda, nec iſte ad cauſas tractandas, nec alter ad morbos curandos. Ad nihilum valet, niſi ad comburendum, quia non in vite, id eſt, in Chriſto, qui dicit: ſ *Ego ſum vitis*; ſed in Baccho, & Bacchus in ipſo. Ergo *ſi in vite non eſt, in igne erit*: ut diſertis verbis apud Joannem teſtatur: t *Si quis in me non manſerit* (per gratiam ſanctificantem) *mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Quibus pabulum præbebunt cereviſiæ & vini arbores in tabernis, quæ ſæpe uno die in immenſum excreſcunt.

Sunt qui volunt omne quod in orbe, & in orco malum eſt, ex hac planta pullulâſſe: variantibus enim inter ſe auctoribus, quæ arbor fuerit è qua primus parens vetitum fructum decerpſit, Moſes Barcepha v vitem fuiſſe credit, cujus maturus botrus, longè præ ficu, & viſui, & guſtui arriſiſſe cenſendus eſt.

m Deuteron. c. 32. ver. 32. n Cant. 1. v. 17. o 2. Reg. 7. v. 2. p Ambroſ. lib. 3. offic. q Ezech. c. 5. v. 2.

r Auguſtin. Tract. 81. in Ioan. ſ Ioan. 15. Aug. cit. t Ioan. 15. v Moſes Barcepha c. 10. de Paradiſo.

Sed

Sed ne *Avaros* prætereamus, illis *arborem nucis* plantabimus, quam à paucis annis pro arbore Majali ante domum cujuſdam Euclionis erectam vidi. Nec immeritò, quia nullus ab hac arbore fructus ſperandus, niſi decutiatur: ut ſcitè divus Auguſtinus: x *En arbor percuſſa copioſiorem* NUCUM *ſegetem proferre ſolet.* Sic ab Avaro, ut quid impetres excutiendum eſt: *Ghy moet het daer uyt kloppen, uyt die oude neutelaers.*

Nucem Poëta ſic per proſopopœiam querentem inducit.

y *Nux ego juncta viæ, cùm ſim ſine crimine vitæ,*
A populo ſaxis prætereunte petor.
Non odium facit hoc; ſed ſpes inducta rapinæ:
Ante diémque, meæ percutiuntur opes.
Fructus obeſt, peperiſſe nocet, nocet eſſe feracem:
Quæque fuit multis, hæc mihi præda malo eſt.

Quot diris, imprecationibus, calumniis, cavillis, paſquillis impetuntur Avari? quoties importunis precibus, obſecrationibus, comminationibus eorum arca & crumena pulſatur? quoties etiam ab infidis famulis & domeſticis, ab uxore & liberis, qui in penuria ſunt, pugnis & fuſtibus ciſtæ pecuniarum pulſantur & reſerantur? à quibus alias nihil, niſi ut ex nuce, vi extorqueas.

Non odium facit hoc; ſed ſpes inducta rapinæ:
Ante diémque ſuum percutiuntur opes.

Nux duplici cortice, amaro, & duro quidem, nucleum recondit: quæ tria divus Auguſtinus in nuce obſervat, z *corium, teſtam & nucleum.* Avarus arca intra arcam, & ſera duplici nucleum recondit, nec eo potieris, niſi perfringas: nam, ut ſanctus Hieronymus ait, & communi parœmiâ ventilatur: a *Qui nucleum eſſe vult, nucem frangat oportet.* Ita, niſi morte Avari, arcæ effringantur, non potieris, nec priuſquam nux vitæ hujus confracta ſit: *Dat dit nootje gekraeckt is*: juxta illud: *Avarus nulli bene, niſi dum moritur, facit.*

Quare nolim hic omnia hominis Avari vitia perſtringere, ſed eorum duntaxat ſenum Euclionum, quibus nihil, niſi mortis falce excuſſeris: cùm b *nihil abſurdius eſſe poſſit*, ſummo Oratorum Principe atteſtante, *quam quo minus viæ reſtat, hoc plus viatici quærere.* Unde c Demonax ridebat Acheronticos vetulos & capulares ſenes; qui genium in præſenti vita fraudaſſent; & magno ſtudio bona acervaſſent, quaſi alteram in terris vitam, poſt hanc victuri: cùm potius, juxta monitum Platonis, d *minuendæ cupiditati, quàm augendæ poſſeſſioni* ſenes ſtudere oporteat. Sarcinæ in via gravant, nec aſportandæ, cùm breve eſt iter: e *Incaſſum*, inquit Gregorius, *multa portantur, cùm juxta eſt, quò itur.*

Hoc probè intellexit venerandus Senex, f qui, cùm nuper in aula Romana vitam diu per ſummam

x Auguſtin. Serm. 20. in appendice.
y Ovid. de nuce.

z Auguſtin. Dom. ante feſtum nativit. Domin. Serm. 3. de temp. a S. Hieron. de Reg. monaſt. tit. obedient. b Cicero de ſeneƈt. c Maxim. Tyrius Serm. 12 d Stobæus Serm 10. e Gregor hom. 32. in Evang. f Bonifacius Rhodiginus hiſt. ludic. p. 177.

mam inopiam toleràſſet, oblato ſibi à ſummo Pontifice pingui Epiſcopatu Anagnino: *Itáne verò, inquit, edentulo panem?* ſed quis eſt hic, & laudabimus eum, qui hanc nucem non frangat ut nucleum eſſe queat? quotus quiſque eſt Avarus, cui hoc votum eſt, quod nuci arbori?

g *O ego, cùm longæ venerunt tempora vitæ,*
Optavi quoties, arida facta, mori.

Vero illud verius eſt, quod decantat Horatius de Sene:

h *Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti.*

At alio hic finem impono Auguſtini teſtimonio: i *Omnia in homine ſeneſcunt vitia, ſola avaritia juveneſcit.* Et alibi longè luculentius: k *Nónne in frigidis ſenibus avaritia ad acquirendum tantò ferventius inardeſcit, quantò citius relictura eſt, quod acquirit; mirabili ſane dementiâ: gravioribus enim ſe ſarcinis onerare feſtinat, cùm jam pervenerit, quo tendebat.*

Ambitioſos ac ſuperbos, nonnulli *cedris* Libani conferendos dictitant, juxta illud: l *Vidi impium* ſuperbum & arrogantem (ut paſſim vertitur) *ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani.* Quámque eos Deus execretur, alibi ſignificat Pſaltes Regius m *Confringet Dominus cedros Libani.* Procopius docet *n* proceras ſine fructu cedros ſuperbos eſſe, rebus externis duntaxat elatos. Quæ fuſius Interpretes *o* & ſancti Patres proſequuntur. Ego Apologo exponam: Conſilium inierunt arbores, quo ſe ab hominum injuriis, quibus undique laniabantur, expedirent. Et cedrus quidem, quæ ut cæteras altitudine, ita & conſilio præſtare videbatur, prior ſententiam dixit: ſævire ut plurimum homines in ligna ſecuribus, quas ligneis manubriis muniunt, quò aptiùs feriant. Itaque è re eſſe arborum, ut ligna denegarent hominibus, nec quidquam de ſuo conferrent in propriam perniciem. Multis ultro citróque re agitata, in eandem abeuntibus ſententiam, ſurgit humilis Myrtus: & nolite, inquit, arbores, nolite in tantam altitudinem excreſcere, eritis, mihi credite, ab hominum injuriis, & ſecuribus ſecuræ. Humilitas ſola tutas facit, *perflant altiſſima venti.* Quod ipſum, ne fabulis inhæreamus, docet ſanctus Bernardus: p *Nec enim in ſerendis arboribus, montana ſolemus eligere, quod frequenter arida ſunt, & petróſa. In vallibus pinguedo eſt, ibi proficiunt plantæ. Ibi plantare, ubi decurſus aquarum: quia ibi copia gratiæ ſpiritualis. Stemus in valle* (cum Myrto, non in monte Libani cum Cedro) *& plantati ſtemus, ut non areſcamus.* Et ventorum turbine, & voce Domini inſtar tonitrui decutiamur, ſic enim per Prophetam ſuum Dominus comminatur: r *Dies Domini ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnes Cedros Libani ſublimes.* Ad quem locum B. Petrus Damianus ſic ait: ſ *Per figuras rerum ratione carentium, ſtoliditas intelligitur hominum reproborum. Cedri quippe*

g Ovid. de nuce. h Horat. de arte. i Auguſtin. Serm. 48. ad frat. in eremo. k Auguſtin. Serm. 249. de temp. l Pſal 36. v. 35. m Pſalm. 28. n Procopius in Iſaiam, cap. 2. o Lorin. in Pſalm. 28.

p Bernard. Serm. in feſto S. Benedicti. r Iſaiæ 2. ſ Petr. Damian. opuſc. 50. inſtit. monial. c. 7.

Libani ſublimes & erectæ, Potentes ſunt hujus ſæculi, per excellentiam quidem terrenæ ſublimitatis elati; ſed bonorum operum fructu infœcundi. Hæc de Cedris cum ſuperbis collatio fortè quibuſdam arridebit.

At ego, pace veſtra, hujuſmodi hominibus ambitionis & dominandi ſpiritu elatis, aptiſſimam arborem *Rhamnum* erigendam putavi, quam Gregorius Nyſſenus deſcribit: t *Species inter ſpinas omnium difficillima eſt Rhamnus, cujus acutæ cuſpides, & eos, qui accedunt propius lædentes.* Conſimili ſenſu divus Hieronymus: v *Rhamnus plena ſentibus, & hericio ſimilis.* Sed quid ſpinoſo huic frutici, quid hiſpido Rhamno, cū ambitioſo, proprietatis aut ſimilitudinis? remediſſeret Apologus, quem lib. Judicum c. 9. viris Sichem propoſuit Joatham filius Jerobaal, ubi intellexit, quod conſtituiſſent ſibi Regem Abimelech hominem ſceleratiſſimum: x *Ierunt*, inquit, *ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem, dixerúntque Olivæ: impera nobis, quæ reſpondit: numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear? &c.* Sic & ficu, & vite Regnum detrectantibus, *dixerunt omnia ligna ad Rhamnum: veni & impera ſuper nos; quæ reſpondit eis: Si verè me Regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite: ſi autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & devoret Cedros Libani.*

Videtis hic omnes arbores bonas ac frugiferas, vanos honoris & dignitatis titulos devitare, quos ſilveſtris & ſpinoſa Rhamnus avidè complectitur. Unde Hugo Cardinalis: y *Hic per Rhamnum ſignificantur ambitioſi, qui dignitates appetunt & honores. Unde ligna ſilvarum, id eſt, Clerici ſæculares, vadunt, ut faciant ſibi Regem ſuper ſe, id eſt, eligant Prælatum. Per olivam, ficum, & vitem ſignificantur Contemplativi, ſive Religioſi, qui nolunt promoveri: debent enim viri Religioſi eſſe oliva per ſuavitatem conſcientiæ, ficus per dulcedinem devotionis, vitis per hilaritatem ſpiritualis lætitiæ. Cùm ergo bonus Contemplativus non vult dimittere pinguedinem charitatis, quam habet in contemplatione: neque dulcedinem, quam habet in devotione, neque hilaritatem conſcientiæ; tunc ligna ſylvarum, id eſt, mali & infructuoſi præficiunt ſibi Rhamnum, id eſt, Prælatum, qui in principio mollis eſt, & poſtea indureſcit, & aculeatur, & ſpinoſus efficitur, ſpolians ſubditos ſicut ſpina, quæ ſpoliat oves quæ tangunt eam. Et tandem de ſe emittet ignem perverſæ converſationis, & ſe, & ſubditos comburet igne infernali.*

Numquid propriiſſime hæc jam rediêre tempora, quibus à Curia, Magiſtratu, alióve munere, aut dignitate, viri juſti, probi, fructuoſi, virtuoſi ſe ſubducunt, ne videntes corruptelas, injurias, injuſtitias perdant *ſuavitatem conſcientiæ, & ſe, & ſubditos comburant igne infernali.* Hæc dum animo volvunt ambitione turgidi mortales, deſinant tandem arborem ſtirpis & proſapiæ ſuæ gentilitiæ, per infinitos ramos, & traduces, ac proſapias jactare, quarum tandem originem ad Adamum agricolam reduxerint.

Aſſumitur Rhamnus ſpinoſus, z *ſpolians ſubditos ſicut ſpina quæ ſpo-*

t Nyſſen. in Pſalm. 57. v Hieron. in 3. Abacuc. x Lib. Iudic. c. 9.

y Hug. Card. in l. Iudic. c. 9. z Hug. cit.

ſpoliat oves, quæ tangunt eam. Ad Rhamnos ſimiles quot oves viduæ, agni pupilli lanam ſuam amiſerunt; nec tantum lanam, ſed & ſanguinem hauriunt. Hieronymus, a *Rhamnus ſpinoſus frutex & arbuſcula, ſentibus unciníſque contexta, quæ teneat quidquid attigerit, & retentum vulneret, & vulneratorum ſanguine delectetur.*

Denique *ſceleratis omnibus, arbor mali* plantanda eſt, cujus ſpecies quædam eſt, vel ipſo nomine Belgis nota, ipſis propriiſſima, *Rabauboom*, cujus poma à Theophraſto b *Orthomellica Rabauwen*, nuncupantur. Nunc ſupereſt, ut has arbores *eradicatas*, ſeu à radice præciſas, omnes mortuas, uti promiſimus, probemus.

Arbor Majalis hodierna luce præ foribus Magnatum figitur, tota virens, frondens, florens, coronis redimita, ſericis lemniſcis exornata; ſed ut à radice, ſimul à vita præciſa eſt. Quod & iis omnibus competit, qui c *in charitate radicati non ſunt*, qui ut vigere vivere, floreſcere videantur; verè mortui ſunt. Qualis filius ille prodigus, in viridi juventa, criſpatus, comatus, vegetus, & vividus omnium oculis apparens; interim primæ Veritatis, & ipſius parentis teſtimonio, d *mortuus erat.* Sic enim ille ad natu maximũ *Frater tuus mortuus erat. Mortuus erat*, dũ inter puellarũ greges, infames choreas duceret. *Mortuus erat*, dum inter pocula, laſcivos ſermones commiſceret. *Mortuus erat*, dum omnem ſubſtantiam concoqueret. *Mortuus erat*, dum omnibus privatus, diras in Deum, & blaſphemas voces evomeret. *Mortuus erat*, dum inter ſcorta totus inareſceret, & computreſceret. Nam, ut Hipponenſis Præſul ait: e *Tunc enim pejus mortuus, luxurioſè vivens, quàm moriendo luxuriam finiens.* A radice porrò charitatis præciſus erat. Ejuſmodi arbor Majalis, tu laſcivè adoleſcens, quiſquis es: in quem magnus ille ſpiritus Apocalypſis. 3. intonat: *Novi opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Hoc eſt ad ſpeciem externam vivens, probus ac pius appares, reapſe occultum foves, quod mortem animæ adfert. Rupertus de vitio carnis occulto intelligit, dicens: *Datur autem conjici, quod mortui hujus mors, fuerit peccatum carnis.* Tales enim homines, vel ipſis Confeſſariis vivere videntur, & mortui ſunt: f *Qui fornicatur, eſt omnino mortuus, & à ratione tanquam à ſpiritu, cadaver relictus eſt.*

Secundò, omnis filia, matrona, vidua, g *quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.* Quem locum Pauli ſic eleganter exponit Euſebius Emiſſenus: h *Tunc planè vera mors eſt, quando homo, anima præmoriente deteriore ſibi parte hominis eſt ſuperſtes.* Quid hoc, viduam quæ in deliciis eſt, mortuam dici, & haberi? non legitur Dominus viduam reſuſcitaſſe; ſed lego mortuam non unam, nempe ſpiritu, & anima: i *Quid eſt*, inquit Hieronymus, *vivens mortua eſt? vivere quidem videtur ignorantibus, & non eſſe peccato mortua; ſed Chriſto, quem ſecreta non fallunt, mortua eſt.* O quot hodie viduas

a Hieron. in Aggeæ. 2. b Theophraſt. de plant. in Indice. c Eph. 3. d Luc. 15.

e Auguſt. in Pſ. 37. f Clem. Alexand. lib. 2 pæd. c. 10. g 1. Timoth 5. h Emiſſen. hom. 1. de Quadrag. i Hieronym. Epiſt. ad Furiam.

videre

videre eſt,quæ vivere videntur! Theodoretus: *Immodicæ deliciæ rationem obruunt, & efficiunt, ut in corpore, tanquam* IN ALIQUO SEPULCHRO *jaceat.* At viduæ & filiæ hujus ſæculi numquam ſe magis ac melius vivere arbitrantur,quam dum in deliciis, conviviis,tripudiis,illiciis verſantur: eáſque captare,adornare, aucupari,hoc artis eſt maximæ, & cautelæ ſingularis,*hoc ſcire, vivere eſt.* Si quæ filia vana ac garrula eſt, *hoc ſcire, vivere eſt.*. Si quæ juvenes irretire,mille lenociniis pellicere novit, *hoc ſcire,vivere eſt.* Si quis juvenis leviculus puellæ gratiam captare novit,*hoc ſcire,vivere eſt.* Si quis Politicus,*intus Nero,foris Cato*, *hoc ſcire,vivere eſt.* Si quis cautè, ſi non caſtè, ancillæ conſueſcat, *hoc ſcire,vivere eſt.* Si quis faſtu vel aſtu viduas & pupillos opprimat, *hoc ſcire, vivere eſt.* Si quis læſus vindictam ſumere, hoſtem peſſumdare, aut perdere novit, *hoc ſcire, vivere eſt.* Itáne verò? non in ſchola, aut ſub diſplicina Matronæ aulicæ, hæc ars bene vivendi, ſed à graviſſimo Magiſtro Morum haurienda eſt: k *Putas*, inquit Bernardus, *parva res eſt* SCIRE BENE VIVERE? *magnum aliquid, imò maximum eſt. Non vivit qui ſuperbia inflatur, qui luxuria ſordidatur, qui cæteris inficitur peſtibus: quoniam non eſt hoc vivere, ſed vitam confundere, & appropinquare uſque ad portas mortis.*

Altera ſpecies arboris Majalis, quæ radice caret, & verè mortua eſt, ebrioſos complectitur. Hujus rei teſtem habeo Doctorem maximum Hieronymum, qui ſic argumentatur: l *Venter mero æſtuans, citò deſpumat in libidines. Qui luxuriatur, vivens mortuus eſt, ergo qui inebriatur, mortuus & ſepultus eſt.* Quid, quod nemo non ebrius ab ipſis Gentilibus

m——*Somno, vinóque ſepultus*

deſcribitur. Pacuvius Tiberii Cæſaris Procurator in Syria n, *cum vino, & illis funereis epulis ſe ſepeliſſet, quaſi ſibi parentaret, ſic in cubiculum ferebatur à cœna, ut inter plauſus exoletorum hoc ad ſymphoniam caneretur: vixit, vixit: nullo non die ſe extulit.* Quod ſi omnibus ejuſmodi mortuis funeſtæ exequiæ inſtruendæ, quot indies celebrandæ forent? ſed his, longè plus ponderis ac momenti, ſacri Eccleſiæ Præſules Auguſtinus & Chryſoſtomus addere conſueverunt. Quorum prior: o *Ebrietas*, ait, *eſt quædam vivi hominis ſepultura.* Alter verò: *Ebrius, dæmon eſt voluntarius, & mortuus animatus.*

Avari quoque huic arbori Majali quàm ſimillimi, qui licet lucro inhiantes, nummos

p *Nocturnâ verſare manu, verſare diurna*

non ceſſent; nihilominus mortui ſunt, quia q *radices non habent, nec in charitate radicati ſunt.* Unde nulli uſui ſerviunt, niſi ut excidantur; & in ignem mittantur. Uti accidit purpurato illi diviti, qui ne mendicum de micis ſaturabat. De quo Doctor Angelicus in illud Luc. 16. MORTUUS *eſt dives*, ſic diſſerit: r MORTUUS *quidem eſt tunc tempore: ſed erat illi ante anima* MORTUA: *nihil enim*

k Bernard. Serm. 1. de Feſto SS. Petri & Pauli.

l Hieron. Epiſt. 83. ad Ocean. m Virg. 2. & 9. Æneid. n Sen. Epiſt. 12. o Cit. Cornel. in Prov. part. 2. pag. 254. p Horat. de arte. q Matth. 13. r S. Thom. in Luc. 16.

age-

agebat ex operibus animæ: nam totus fervor ejus, qui provenit ex dilectione proximi, exſpiravit, & erat DEFUNCTO DEFUNCTIOR. Conſimiles hodierno die quamplurimos Eucliones reperire eſt, qui corpore quidem vivunt; ſed mortui ſunt animâ, nulláſque viventis animæ functiones exercent. Aures enim ad preces pauperum occluſas habent: manus quaſi inſtitis colligatas, ne eleemoſynas erogent: pedes ſimiliter conſtrictos, ne templum adeant, & lucrum perdant, ne miſeris ſuccurrant. Quemadmodum unum aliquem Avarum nihil à mortuo differre Chryſoſtomus ait: ſ *Conſideremus potentem hominem, & imprimis hujus caput, quaſi ebrioſi opertoriis & vinculis alligatum; ſic obrutum, ut ſenſibus extinctis nil audiat, nihil prorſus ſentiat. Deinde manus inſpicite, videte ventri annexas ſicut mortuorum, non quidem inſtitis cônſtrictas: verum, quod turpius eſt, duriſſimis avaritiæ vinculis. Vultis & pedes ſimiliter irretitos videre, & variis curis alligatos, ac idcirco non poſſe Dei Eccleſiam adire.*

Habent quidem hi radicem, ſed mortiferam, & omne malum germinantem, juxta illud: t *Radix omnium malorum eſt cupiditas*: at, *in charitate radicati* non ſunt, in qua vita, & ex qua fructus omnium bonorum operum. Nam, ut Auguſtinus ait: v *Quomodo radix omnium malorum eſt cupiditas, ſic radix omnium bonorum eſt charitas.* Quod idem alibi confirmat: x *Radix noſtra eſt charitas, fructus noſtri opera noſtra. Opus eſt, ut opera noſtra de charitate procedant: & tunc* ERIT RADIX *tua in terra viventium.* Sine hac etenim, ut quis indies vacet prolixæ orationi, jejuniis, aliiſque auſteritatibus, omnes facultates ſuas in pauperes erogârit, imò dederit corpus ſuum, ut ardeat, charitatem autem, ſeu gratiam habitualem non habuerit, nihil ei omnia proſunt. Quod Divino oraculo ſummus Pontifex Gregorius confirmavit: y *Ut enim multi arboris rami, ex una radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex una radice generantur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, niſi manſerit in radice charitatis.* Denique omnis peccator, ex eo, arbori Majali rectè comparatur, quod charitatis radicem non habens, verè mortuus ſit, qui z *vivere quidem videtur in corpore; ſed mortuus probatur in corde.*

Atque hæ omnes arbores, cùm nullum fructum bonorum operum proferant, ad nihilum valent ultra, niſi ut excidantur, & in ignem mittantur. Quiſquis hic ades, ô peccator! ô lignum aridum! ex toto corde cum Auguſtino exclama: a *Anima mea, arbor infructuoſa! ubi ſunt fructus tui? talis arbor digna eſt ſecuri, & igne, ſuccidi, & incendi.* At ſi volueris eam rigare lacrymis, & facere fructus dignos pœnitentiæ, rurſus in charitate radicatus, florebis plantatus in domo Domini, hoc eſt, in Eccleſia, & jam non in igne, non ad comburendum ſervies; ſed in vitam æternam revireſces.

ſ Chryſoſt. hom. 28. in Matth. t 1. Timoth. 6. v Auguſt. in Pſalm. 90. Serm. 1. x Auguſt. in Pſalm. 51.

y S. Gregor. hom. 27. in Euang. z Auguſtin. lib de decem plagis. a Auguſtin. lib. medit.

FESTUM SANCTÆ CRUIS INVENTIONIS.

Omnes perſecutionem patientur. 2. Timoth. 3.



Fugacem perſequitur virum. Horat. lib. 3. carm. ode 2.

ARGUMENTUM.

HOdie crux, in qua ſalus mundi pependit, diu, multumque quæſita, reperta eſt; at crux, qua nos, velut ſcala in cœlum conſcendere poſſumus,

Non

b *Non quæſita reperta eſt:*
ubique enim obvia eſt, & ubi ubi oculi inciderint, non materiales duntaxat cruces in navibus, in avibus, in curribus, in feneſtris, in parietibus, & plateis; ſed & formales, ac morales undique occurrunt. Crux in militia, in mercatura, in curia: crux in caula, crux in aula: crux in copia, crux in inopia: crux in cœlibatu, crux in conjugio: crux in formoſa, crux in deformi; ut veriſſimum ſit illud Senecæ propylæo Apollinis dignum effatum: c *Nulla domus in toto orbe terrarum aut eſt, aut fuit ſine comploratione*: nVLLa DoMVs sIne qVereLa, ſine rixa, ſine invidia, ſine perſecutione, & tribulatione: non eſt DoMVs sIne LVCtV, nec ſine cruce. Quæ ut more noſtro, ad mores transferamus, tres hodierna die repertas cruces, & mali, & boni latronis, ac ipſius Salvatoris mundi invenio, quibus tres hominum claſſes confixas exhibeo. Prima eſt eorum, qui inviti, & reluctanter patiuntur. Secunda eorum, qui patienter. Tertia eorum, qui libenter, & ardenter.

§. I. *Tota Chriſtiani hominis vita,* CRUX EST, *atque martyrium.* Auguſtin. Serm. 32. de Sanctis.

§. II. TRES CRUCES *in uno loco erant: in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Chriſtus alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid ſimilius iſtis* CRUCIBUS*? quid diſſimilius iſtis pendentibus?* Auguſtin. Epiſt. 48. ad Vincentium.

Crux mali latronis, quæ fertur repugnanter.

§. III. *Crux boni latronis, quæ toleratur patienter.*

§. IV. *Conſummatur in Charitate, qui amplectitur* CRUCEM CHRISTI *ardenter.* Bern. Serm. de S. Andrea.

b Ovid. lib. 1. metam. c Seneca de conſolat. ad Polybium c. 32.

FESTUM
SANCTÆ CRUCIS INVENTIONIS.

Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto JESU, *perſecutionem patientur.* 2. Timoth. 3.

CUm jam inde à principio, in æternitate ſua, ſine principio Deus optimus maximus mundum ſervandum, genúsque humanum admirabili ſanctæ crucis myſterio redimendum ſtatuiſſet; ubi primùm pro ſua infinita bonitate, rerum procreatione mediante, ſeipſum creaturis ſuis communicare voluit, altiſſimum, & planè admirabile hoc myſterium innuere, ac præfigurare aggreſſus eſt: d *Ita ut nulla pænè ſit creatura viſibilis, quæ ſacro hoc ſigno, cœleſtique hoc charactere inſignita non ſit,* vel quæ évidentem, clarámque ejus ſignificationem, præcipuum ſymbolum, vel idoneam quandam non contineat figuram.

Quamobrem quicumque ad univerſi, ac rerum in ea creatarum contemplationem ſedulâ animadverſione oculum intenderit, clarè admodum perſpiciet, non rationales, intellectuales, & ſenſibiles duntaxat creaturas; verum etiam irrationales, non intellectuales, atque ſenſibiles, hoc admirandum, & adorandum crucis continere, ac præ ſe ferre ſacramentum. Quod quidem licet ipſis etiam Angelis celatum fuerit; videtur tamen Deo optimo maximo placitum fuiſſe, idipſum per cæteras creaturas hominibus innuere, in quorum peculiare beneficium celebrandum erat. Eleganter hoc aſſerit Theophanes Tauromeniæ Archiepiſcopus: e *Crux*, inquit, *quatuor ſuis extremitatibus omnem creaturam complectitur, ſuáque gloria complet. Nimirum natura illa omnis principii expers, non ignara myſterii, quòd præfinito tempore per* CRUCEM *perficiendum erat, multifariam, multiſque modis, ut cum Apoſtolo loquar, hujus virtutem, & potentiam ſignificavit iis, qui aliquo modo, per ea quæ cernuntur, manuduci poſſunt ad ea, quæ intelliguntur.* Et poſtquam ab ipſa mundi conſtitutione, in univerſo ipſo, ejuſque creaturis, variíſque figuris, ac ſymbolis divinum crucis myſterium adumbratum oſtendit, ad calcem orationis hæc ſubjungit: *Oportebat autem naturam non ſolum auditu, ad hanc divinitatis intelligentiam quaſi manuduci; ſed & neceſſe erat, ut viſus etiam altiorum cogitationum magiſter fieret, ut* CRUX *velut Theologi*

d Figura crucis in creatis exprimitur. Boſius crux triumphans lib. 2. c. 1.

e Theophan. in orat. in exaltat. S. Crucis.

munere

munere fungeretur apud illos, qui perſpicaciori ſunt ingenio, tanquam omnem creaturam ſpecie ſua repræſentans. Unde & Prudentius cecinit, f *crucem* haud eſſe *novellam*; ſed vel *naſcente mundo* expreſſam, variiſque adumbratam *ſignis*. Quod argumentum vigilantiſſimus veritatis defenſor, g magnus Lutheranorum domitor, ac malleus Hæreticorum Jacobus Gretſerus, dum pertractandum ſuſcipit, ſic orditur: *h* Quoniam propoſiti noſtri eſt crucis memoriam facere, operæ pretium exiſtimavimus, ſi oſtenderimus *ſalutiferæ crucis* gloriam, etiam diu antè, atque adeò ab ipſo orbis principio, *in univerſa hac rerum machina ſemper reluxiſſe*. Ac videte, an non ita ſe res habeat: licet enim cuivis apertiſſimè, atque evidentiſſimè videre omnes conditas res, tam quæ oculis conſpici, quam quæ iis comprehendi nequeunt, à Deo *in crucis formam* eſſe factas. Ut Tertullianus dicere non dubitârit: i *Quantò hoc ſacramentum magis magnificum, tanto magis adumbratum.*

Si placet, mecum oculos, animóſque per ea, quæ in mundo ſunt, circumferte, & ubique manifeſta ſacroſanctæ crucis veſtigia impreſſa cernetis, ac mundum crucibus plenum, ut diu multúmq; quærendæ non ſint, comperietis. Cœlum ſuſpice, & illic cum Antiſtite Nyſſeno crucem contemplare: k *Cœlum ſuſpice*, inquit, *& partes infimas animo complectere, extremóſque ac ſummos orbis terminos cogitatione comprehende, atq; conſidera, videbiſq; ſponte ſua, in ea divinæ potentiæ contemplatione,* CRUCIS FIGURAM *exprimi in animo, ac mente tua, à ſuperis ad inferiora, ab extremis ad extrema protenſam, atque deſcriptam. Figuram hanc magnus etiam David de ſe loquens expreſſit: quò ibo, inquit, à ſpiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum (hæc eſt ſublimitas* CRUCIS) *tu illic es. Si deſcendero in infernum (hoc eſt profundum) ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, id eſt ad ortum ſolis (hæc eſt latitudo) & habitavero in extremis maris, ſic enim occaſum appellat (hæc eſt longitudo) cernis quomodo* CRUCIS FIGURAM *deſcribat.* Non minus dilucidè & diſerte D. Ambroſius: l *Cœlum ipſum hujus ſigni figurâ diſpoſitum eſt: nam cum quatuor partibus, hoc eſt, Oriente, & Occidente, ac Meridiano, & Septentrione diſtinguitur, quatuor quaſi* CRUCIS ANGULIS *continetur.*

Ipſa quoq; volatilia cœli, dum hoc tranſverſim toties pervolant, quot non crucibus ſignant; imò volatu ſuo, perfectam expanſis alis figuram crucis exprimunt, ut D. Hieronymus obſervavit: *Ipſa* SPECIES CRUCIS, *quid eſt niſi forma quadrata mundi? aves quando volant ad æthera,* FORMAM CRUCIS *aſſumunt*; ut quot cœlo volucres, tot oculis veſtris cruces obvolitare cernatis: ſic etenim Origenes: *Aves quoque ipſæ quando in ſublimiora obvolvuntur, & pendent per aëra extenſis alis,* IMITANTUR CRUCEM.

Quod ſi è cœlo in vaſtiſſimum ſubjectum Oceanum deſpiciatis, innumeris illum dum ab Oriente in Occidentem, ab Auſtro in Septentrionem, aſſiduò

f Prudent. periſteph. hymn. 10. g Alegambe Bibliot. ſcrip. Soc. Spondan. h Gretſer. de cruce. i Tertull. l. 3. contra Marcion. k Gregor. Nyſſen. orat. 1. de Reſurrect.

l Ambr. Tom. 3. Serm. 56.

trajiciunt navigia, non ſolum crucibus ſulcari; verum etiam quot navigia, tot expreſſas cruces mare pervolitare, fateamini neceſſe eſt: m *Nam cùm à nautis ſcinditur mare, prior ab ipſis arbor erigitur, velum diſtenditur, ut* CRUCE DOMINI FACTA, *aquarum fluenta rumpantur: & hoc dominico ſecuri ſigno, portum ſalutis petunt, periculum mortis evadunt*; antenna enim, ex qua velum defigitur, tranſverſim ad malum alligata, crucem effingit, ut ſummus ingenio & eloquio Adamantius: n *Antennæ navium, velorum cornua, ſub* FIGURA NOSTRÆ CRUCIS *volitant.* Hieronymus citatus: *navis per maria, antenna cruci aſſimilata ſufflatur.*

Et quoniam in aquis verſamur, ipſos quos toties ſub oculos habemus, homines nantes, crucem expanſis brachiis formare, Doctor maximus adnotavit: o *Homo natans per aquas,* FORMA CRUCIS *viſitur.*

Nunc ſi pedem in terras exponamus, ubi oculi inciderint, in cruces impingent. Juſtinus Martyr, qui teſte Euſebio, p *non longè poſt Apoſtolos, in religionis noſtræ doctrinâ excelluit*, his propoſito noſtro fidem adſtruit: q *Conſiderate*, inquit, *omnia quæ in mundo ſunt, an ſine hoc* SIGNO CRUCIS *gubernentur, aut poſſint præbere ſui uſum. Terra non aratur ſine eo*; aratrum quippe cum ſtiva ſignum crucis refert, ut & Ambroſius confirmat, dicens: r *Bonus agricola cùm parat terræ ſolum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non niſi per* SIGNUM CRUCIS *id facere conatur; dum enim aratro dentale ſubjicit, aures affigit, ſtivam inſerit*, FIGURAM CRUCIS IMITATUR. Idque in omnibus prope opificum inſtrumentis, in ligone, in malleo, in terebra, in ſerra, aliíſque animadvertendum eſt, unde concludit Juſtinus: ſ *Foſſores verò opus non abſolvunt, neque alii item operarii mechanici, niſi per inſtrumenta, quæ formam hanc referant.*

Sed his miſſis, vos ipſos compello; pavimenta quæ tu calcas, plateæ, quas indies obambulas, non ſolum triviis plenæ ſed & quot lapidibus, tot crucibus ſtratæ ſunt: parietes quot lateribus, tectum quot ſcandulis, vitreæ quot teſſulis feneſtræ, tot crucibus conſtant: ipſa quibus induimini veſtimenta, linum ſit, aut lana, per innumeras cruces contexuntur: adeò ut in domo quam inhabitas, & in ſcamnis, & ſellâ qua ſedes, & in menſa cui accubas, & in ſtrato, quo jaces, & in rheda, qua veheris, & in ciſtis ac capſis, pataconibus & piſtolis refertis, cruces innumeras numerare ſit.

Maxima autem crux in mundo, eſt homo microcoſmus, ipſemet ſibi, qui porrectis brachiis, in abſolutam omnibus menſuris, & dimenſionibus crucem à Deo effictus videtur; qua figurâ nos à brutis differre, purpuratus ſanguinis ſui oſtro Juſtinus Martyr teſtatur: t *Humana figura non alia re à belluis differt, quàm quod & recta ſit, & manuum extenſionem habeat, neque aliud demonſtrat, quàm ſignum hoc* CRUCIS. Admirabilem hanc humani corporis conſtructionem contemplatus

m Amb. cit. n Orig. cit. o Hieron. cit. & Anaſt. Sinaita in hexam. lib. 4. p Euſeb. l. 2. hiſt. c. 12. q S. Iuſtinus Apol. cit. r Ambroſ. cit.

ſ Iuſtin. cit. t Iuſtin. Apol. 2.

magnus

magnus Anaſtaſius Sinaita, hominem quatuor corporis ſui extremitatibus, quatuor crucis cornua præſignâſſe, eundémque ad Chriſti crucifixi imaginem formatum fuiſſe aſſeruit: v *Similiter etiam homo*, inquit, *ad formam* CRUCIS *figuratam habens imaginem*, *ut qui factus ſit ad imaginem Chriſti* CRUCIFIXI, *præfiguravit quatuor cornua* CRUCIS.

His itaque tot, támque obviis, & innumeris crucibus undique circumſeptus, quis non videat mundum, totum crucis ſymbolis, crucis veſtigiis, crucis figuris, ac picturis, veris crucibus quaquaverſus completum?

Verum enimverò hæ cruces in creatis expreſſæ, materiales, artificiales, naturales ſunt, at ſi eas mentis oculis ſubjicere voluero, quæ ſpirituales, intellectuales, morales, & ſenſuales ſunt, eas & numero, & pondere, & menſura, nimium quantum alias exſuperare, & nuſquam non, & nullibi non occurſare quotidiana ſatis ſupérque experientia teſtatur: x ſunt etenim cruces in pueritia, ſunt in adoleſcentia, in virili ætate, in ſenectute quam plurimæ: ſunt cruces in Religione, & cœlibatu, in matrimonio, in uxore, in marito, in liberis, in ſervis, & ancillis, & frequentiſſimæ, & graviſſimæ: ſunt cruces in militia, in mercatura, in curia, in aula: ſunt cruces in pauperie, in fame & ſiti, in æſtu & frigore, in jactura bonorum, & famæ: in litibus, in morbis corporis, & animæ: quódque maximè mirandum, & paradoxum putandum, ſunt & cruces in divitiis, cruces in honoribus, cruces in voluptatibus, in ipſis maximis mundi deliciis & plurimæ, & amariſſimæ. Denique ipſe homo maxima ſibimetipſi crux eſt: quid etenim aliud T. ſonat, quàm te? adeò ut veriſſimum ſit illud magni Auguſtini oraculum:

v Anaſt. Sinaita anago. contempl. in hexam. 4. x Labata de Tribull.

§. I.

Tota Chriſtiani hominis vita, CRUX *eſt, atque martyrium.* Auguſt. Serm. 32. de Sanctis.

TEſtatiſſimum eſt illud Huſſæi vatis: y *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis*, à primis ortus ſui cunabulis, uſque ad ultimum, quem exhalat ſpiritum; hinc quaſi preſcius, in vallem lacrymarum, & locum miſeriarum ſe expoſitum, vix natus, vagitu & fletu prophetat, ut non tam animal riſibile, quàm flebile potius dicendus videatur: z *Poterat*, inquit Auguſtinus, *ridere prius puer, qui naſcitur: quare plorare jam novit?* & quæſito reſpondet: *Quia cœpit ire in iſtam vitam*, in qua labores, dolores, miſeriæ, morbi, cruces perpetuæ; hinc ait: a *Infantia non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem; quod, quid malorum ingreſſa ſit, prophetat hoc modo*. Quod nemo quiſquam mirabitur, qui miſerrimam præ cæteris animantibus, infantis in lucem effuſi conditionem

y Iob 14. v. 1. Tota vita hominis crux eſt. z Aug. in Pſalm, 121. a Idem lib. 21. de civit. c. 14.

attenderit, quam graphicè depingit Annæus Seneca, quem D. Paulus b *doctiſſimum magiſtrum*, in epiſtola ad ipſum appellavit, ſic eam concludens, *vale doctiſſime magiſter*, hunc itaque Magiſtrum audiamus: c *Quid eſt homo? imbecillum corpus, & fragile; nudum, ſuapte natura inerme: alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum. Cùm bene lacertos exercuerit, cujuslibet feræ pabulum; frigoris, æſtus, laboris impatiens: alimenta metuens ſua, quorum modo inopia, modo copia rumpitur. Odor illi, ſapórque, & laſſitudo, & vigilia, & humor, & ſine quibus vivere non poteſt, mortifera ſunt. Quocumque ſe moverit, infirmitatis ſuæ conſcium, non omne ferens cœlum, tenuiſſimis cauſis, atque offenſionibus morbidum, putre, caſſum, à fletu vitam auſpicatum.*

Altiori, & diviniori ſtylo Clemens ille Alexandrinus, qui cæteris calamitatibus, & cruciatibus etiam nexus, & vincula adjungit: *d* merito, ait, ut infans utero caput extulit, ſtatim lamenta, non riſum exorditur: *Simul enim atque editus in lucem, & ſuſceptus eſt, pedes, manúſque faſciis conſtringitur, & vinculis impeditur*; cùm pullus gallinæ ovo excluſus, matrem ſequatur, & neceſſaria ſibi conquirat, ut & pullus equinus &c. hominem verò *primum temporis munus, quadrupedi ſimilem facit.* e *Natura cæteris animantibus tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquammas, vellera. Truncos etiam, arboréſque cortice interdum gemino, à frigoribus, & calore tutata eſt. Hominem tantum nudum (& inermem) abjicit ad vagitus ſtatim, & ploratum, nullúmque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio. Cætera ſentire naturam ſuam: alia pernicitatem uſurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare? hominem ſcire nihil, non ingredi, non fari, non veſci: brevitérque non aliud naturæ ſponte, quàm flere. Ad hoc, lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus, & à ſuppliciis vitam auſpicatur.* Hæc ſupplicia, & cruces, quas infans ſentit, & patitur, ſi rationis compos eloqui poſſet, adeò gravia, & continua ſunt, ut multorum Martyrum cruciatus excedant. Adeò ut non aberrârit Romanus Philoſophus, dum dixit: f *Nullus vitam accepiſſet, ſi daretur ſcientibus.* Ex his tam arduis rudimentis, venitur ad adoleſcentiam: ubi quæ non tædia, & faſtidia, qui labores, & lucubrationes in ſtudiis, in artibus liberalibus, & ſervilibus addiſcendis exantlandæ ſunt? quot objurgationes, ferulæ, verbera toleranda? quot pericula corporis & animæ ſubeunda?

Ex his omnibus nonnulli velut è tempeſtate ſe in portum recepiſſe autumant, dum animum conjugio applicârunt, & ignorant ſe g miſeriarum omnium officinam intrâſſe, in qua aliæ ex aliis graviſſimæ, diū, noctúque cuduntur cruces: h *Video*, inquit Seneca conſolatione ad Marciam, CRUCES *non unius quidem generis*,

b Maſſutius in vita Pauli, lib. 7. c. 8. c Seneca conſolat. ad Marciam. cap. 11. d Clemens Alexan in c. 1. Iob. in catena Græca. e Plinius in procemio lib. 7. nat. hiſt.

f Seneca in ſent. g Cruces matrimonii. h Seneca conſol. ad Marciam, cap. 20.

Sed

ſed aliter ab aliis fabricatas: vellet quandoque uxor paululum exſpatiari, liberiorem auram captare; jubetur à viro domi per hebdomadas, per menſes totos deſidere. Uxor pro numeroſa prole educandâ, convivas execratur, omnéſque ſumptus ſuperfluos; maritus quot hebdomadis nunc hos, nunc illos menſæ adhibet. Sero veſpere ſomnus ad quietem invitat; abſens maritus cogit in multam noctem excubias agere; redux verò ebrius & temulentus debacchatur, verbis & verberibus, oculis cum ſomno lacrymas excutit. Integras noctes, vagientes, ac lacrymantes infantes vigilare cogunt, & non unum nocturnum alternis choris canere: imò & matutinum, & veſperas inſumunt: i *Video* CRUCES *non unius quidem generis*; parvæ ſint, quas enarravi; graviores alterius generis, quæ maritos ſpectant, Hieronymus enarrat: k *Per totas noctes* (uxorum) *garrulæ conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratior ab omnibus habetur, ego in conventu fœminarum miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? de foro veniens quid attuliſti?* non falſus hic vates cecinit:

l *Semper habet lites, alternáque jurgia lectus,*
In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo.
Tum gravis illa viro, tunc omni tigride pejor.
Cùm ſimulat gemitus, occulti conſcia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.

i Seneca cit. k Hieron. lib. 1. contra Iovinian. l Iuvenalis Sat. 6.

Hanc crucem ipſa morte graviorem duxit Gregorius Houmbergenſis, vir in jure doctiſſimus: m hic ut litteratis pluribus hoc ævo accidit, moroſam ſibi conjugem, & quaſi alteram Xantippen duxerat; cúmque pro Imperatore legatione fungens, diutius domo abeſſet, nunciatum ei eſt per amicum, conjugem valere, & vivere: cui ille: *Si vivit mea uxor, ego ſanè obii*, ſignificans uxorem malam, lentam eſſe mariti mortem, juxta illud Sapientis placitum: n *Inveni amariorem morte mulierem.*

Rei præſenti ſervit ridicula narratio: p *Riſum teneatis amici*, inquit celebris Eccleſiaſtes, & Ordinis Seraphici definitor. Lovanii potenter, ac patheticè quidam è cathedra hanc ſententiam populo inculcârat: q *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat* CRUCEM SUAM, *& ſequatur me*; addens, quidquid homini moleſtum eſſet, illud ejus crucem eſſe, eámque tollere debere. Adfuit, & audivit hoc, moroſam habens uxorem, qui actutum domū reverſus, ea in humeros ſublatâ prodiit in publicum dictitans: *Se crucem ſuam tollere*, nec quidquam ſe illa moleſtius ferēdum habere. Uxor garrula, imprudens, impudens, gravis crux eſt; uxor rixoſa, otioſa, captioſa, ebrioſa, ſterilis, morbida, gravis crux eſt; ſed omnium graviſſima, uxor zelotypa; ſapientiſſimo mortalium credite: r *Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa*, quæ omnes viri greſſus, oculos, verba, nu-

m Æneas Sylvius lib. 3. de geſtis Alphonſ. n Eccl. 7. v. 27. p Guiliel. Spoelberg. feſto inventionis S. Crucis conc. 2. q Matth. 16. r Eccl. 26.

tus obſervat, omnia ſuſpecta habet, ubique illi detrahit, unde ſubdit: ſ *In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans*; ipſa verò ſibi, velut anima damnata, ſumma crux, & tormentum eſt, quia *dura ut infernus æmulatio*, quam Orator aureus his verbis deſcribit: t *Morbus iſte non triſtitiam ſolum, ſed iram intolerabilem ingenerare ſolet; cùm verò eo furore corripitur, nihilo melius efficitur, quàm qui à dæmonibus agitatur. Quæ cùm animadvertiſſet Salomon: dira, inquit, ſicut infernus æmulatio.* Nec minor crux, & carnificina eſt, v *maritus zelotypiæ ſpiritu concitatus.*

Infinitus ſim, ſi omnes matrimonii cruces proferre velim; Hieronymus eas ad ſeptemdecim contrahit: x *Cruces* in uxore paupere, cruces in divite: *Hanc alere difficile, iſtam ferre tormentum.* Cruces in fœda, cruces in formoſa: *Nam pulchra citò amatur, fœda facilè deſpicitur.* Cruces noctu à querula muliere, cruces à viro temulento, cruces ab innumeris curis, & ſolicitudinibus. Cruces ſunt detrimenta rei familiaris, æmulationes propinquorum, invidiæ corrivalium, calumniæ vicinorum, diſſidia cum ſocru, & nuru, cum noverca & privignis: liberorum caſus, morbi, mortes, & his omnibus gravior orbitas, & ſterilitas. Quæ, virgines adhortando, potenter exaggerat, y *os Eccleſiæ, & aurea doctrinæ luſcinia*, Magnus Baſilius: z *Si virum bonum*, inquit, *nacta fuerit, perpetuo ne moriatur, metu viduitatis, incommoda, cruciatúſque ſuſtinet. Sin verò contrà, duro & immiti fuerit conjuncta, tota quidem vita illi cruciatus. Inde ubi filios edidit, aut ad bonam frugem illi evaſerunt, & majores ex illorum abſentia jugiter dolores tolerat, quam parturiens habuerat; aut malos evaſiſſe conſiderat, & majus ex ea procreatione liberorum, quàm ſi permanſiſſet ſterilis, opprobrium ſuſtinet.* Adeò ut quot liberos enixa eſt, a tot in partu, tot in educatione, tot in continua eorum cura, & ſolicitudine, cruces valeat enumerare, & Indam illam æmulari, quæ liberos ſuos in baptiſmo *cruces* vocitari volebat.†

Quod, ut de cæteris exemplum habeatis, in familia ſanctiſſimi Patriarchæ Jacob conſiderare licet, quod Auctor inter ſomnia ſua refert. *b* Hic cùm ad extremam vitæ lineam perveniſſet, omnes filios ad ſe acciri juſſit, & in fatali lectulo collocatus, hæc ad eos ſuprema verba, amaritudinis plena habuit: c *Congregamini, & audite filii Jacob, audite Iſrael Patrem veſtrum*; omnéſque curas, anxietates, dolores, cruces quas perpeſſus fuerat, enuntiavit. *Ruben primogenitus meus*, caput familiæ, cæteris conſilio, & exemplo fore ſperâram, ſed ſpe mea falſus ſum, nam is *principium doloris mei* exſtitit, eò quod *maculavit ſtratum meum* immani ſcelere. Duo alii filii, *Simeon, & Levi*, ad bella, & duella nati, rixis & diſſidiis inter ſe continuò altercantur, & in vulnera, ac cædes ruunt, *vaſa iniquitatis bellantia, in furore ſuo occiderunt virum.* Habeo *Judam*, virum in ſtatu collocatum, quem

ſ Eccl. cit. t Chryſoſt. de virg. c. 52. v Num. 5. x Hieron. l. 15. contra Iovin. y Nyſſen. in encomio S. Ephrem. z S. Baſilius de vera virgin.

a Cruces in liberis. † Iarricus hiſt. Ind. Tõ. 2. b Ab Heumen Ioſeph ſomnians ſomn. procantium. c Gen. 49. v. 2.

om-

omnes adorant; ſed quaſi leæna diu ſtertit, quod non decet Rectorem populi, & pallium ſuum purpureum, velut in ſanguine lavare, & tingere videtur. *Zabulon* mercaturam exercens, *habitat in littore maris*, & naves in omnes mundi oras mittit; dum noctu ventum audio ſpirantem, anxia cura ſubit, ne fluctibus hauriatur, ne tempeſtate merces pereant. Habeo *Iſsachar*, qui eſt velut aſinus fortis, ſed ſtupidus, hunc in villam ablegavi; at infeſtatur à militibus, *factúſque eſt tributis ſerviens*, quibus miſerè opprimitur. Eſt mihi alter filius *Dan*, qui Juri ſtuduit, & *judicabit populum ſuum*, quæ autem ibi non tricæ, & fraudes, & juris everſiones, ac legum tortiones? non eſt *coluber*, qui in tot gyros ſe novit inflectere, ut ipſe leges ſiniſtrè torquere, & in pravos ſenſus diſtrahere: miſeret me animæ ejus. Nec minus ſolicitum me habet alius filius, nomine *Gad*, qui militiæ nomen dedit, *accinctus* ſemper ad prælium, in perpetuo vitæ diſcrimine verſatur, & ut militia malitiæ affinis eſt, vix per annum, templum Domini ingreditur: perjuriis, ac blaſphemiis conſueſcit. Eſt & alius, qui vocatur *Aſer*, qui lautè victitat, *pinguis panis ejus*, & Regum ſectatur delicias, per dies & noctes pergræcatur. Deus novit, quot mihi nummos ſurripuerit, quantum in diverſoriis pro eo perſolverim. Alius *Nephtali* dictus, procum agit, *dans eloquia pulchritudinis*, quaſi *cervus emiſſus*. Diſcurrit, equitat, navigat: & heu! ingens ſumma, mihi annumeranda puellæ, quam ſub ſpe matrimonii vitiaverat. Præ his *filius accreſcens Joſeph, & decorus aſpectu*, delicium meum, quem ob morum candorem plus cæteris amavi; ſed ob parvam tunicam, & ſomnium quod narrârat, fratrum invidiam, & odium incurrit, venditus eſt in mancipium, & 23 annis illum amariſſimè luxi, ut mortuum, & à feris diſcerptum. Denique & tu fili mi *Benjamin*, quem ego quidem *filium dexteræ* meæ nuncupavi; at mater tua Rachel, te *Benoni*, hoc eſt, filium doloris appellavit: quia dum tibi lucem dedit, illa pariens amiſit. Et ubi nunc tu, ô *Dina*, filia mea unica, quæ in juventute tua, toti familiæ inuſſiſti maculam, numquam eluendam, quia dum curioſa ad gentilium ſolennitates, & choreas evagaris, à Sichem turpiter deflorata es. Quot, & quantæ in una familia ex ſolis liberis cruces? quas plerique veſtrum non per inane ſomnium, ſed per inſomnia, & perpetuas vigilias, ac curas quotidie experimini.

Quis jam enumeret cruces in *d* famulis, & ancillis, ignaris, ignavis, cervicoſis, garrulis, infidis, laſcivis, &c. ut veriſſimè interpres ſomniorum Artemidorus, *e* cùm quidam ſomniaſſet ſe *in crucem rapi*, illum brevi nuptias initurum vaticinatus ſit, innuens ſtatum conjugalem, perpetuam crucem eſſe. Quod Paulus diſertè tradidit, dicens: f *Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi*. Sed ut quid ſubdit: *Ego autem vobis parco?* Apoſtoli mentem ingenioſè interpretatur Auguſtinus, *g* cruces, ac tribulationes matrimonii

d Cruces in famulis & ancillis e Artemidorus l. 2. c. 28. de interpret. ſomnior. V. Paoletti. Dom. 2. poſt Epiph. f 1. Cor. 7. g Auguſt. de virgin. c. 16.

tantas, tamque multiplices eſſe, ut enarrare noluerit,ne fortè terrorem incuteret; ſeu ut Fernandez noſter ſentit, h ne ſi tribulationes conjugii patefaceret, nullus eſſet, qui ſe matrimonio copularet. Sed de his ſatis. i *Video* CRUCES *aliter ab aliis fabricatas.* Video *cruces*, quis credat,in divitiis, cruces in honoribus, cruces in deliciis,& voluptatibus ſęculi.

Quis credat intra mercatorum arcas, k intra nummorum ſaccos, angores, ſolicitudines, vigilias, cruces latitare? hoc vel Gentilis vidit, dum dixit: l *Majori tormento pecunia poſſidetur, quàm quæritur*; magno labore,& ſudore colligitur, *majori* cura, anxietate, & *tormento poſſidetur*; dolore ſummo amittitur. Notum primæ veritatis oraculum,divitias *ſpinas* nuncupari. Acerbius torturæ genus Chryſoſtomus divites pati aſſeverat, dicens: m *Divitiæ ſunt tortore acerbiores*, nuſquam, nec unquam animum excruciare deſinunt; ſed ſtultus non intelligit hæc: n *Suſpirat ille in convivio,vigilat in pluma, nec intelligit miſer pretioſa eſſe ſupplicia.* Si honores ſpectem, audio Hugonem Cardinalem, & Bernardum Abbatem exclamantes: p O AMBITIOSORUM CRUX! *quomodo omnes torquens omnibus places?*

Quis credat honores q graviſſimæ crucis onus eſſe, cui ferendo multi ſuccubuêre;non pauci, quos inter Aman, in crucem acti ſunt: r *Eſt* ſiquidem *inter onus, & honorem, non tam alluſio vocis,quàm rei ipſius expreſſa veritas; honor quippe ex onere venit, aut potius ex honore onus.* Ut ſcitè S. Iſidorus. Moyſes de cuſtode armentorum, Princeps factus, & celeberrimi, ac numeroſiſſimi populi Hebraici dux, è tugurio ad imperium evectus, tot curis, ac laboribus ſe oppreſſum ſenſit, ut coram Domino, amarè queſtus ſit, impar humeris ſuis, trabali cruce gravius onus impoſitum eſſe: ſ *Cur,* inquit, *afflixiſti ſervum tuum? quare non invenio gratiam coram te: & cur impoſuiſti* PONDUS *univerſi populi ſuper me?* ſeu, ut Abulenſis exponit: *Cur imponis onus intolerabile, quod morte gravius?* vulgus enim querulum,& aſſidua populi murmuratio, t *Moyſi intoleranda res viſa eſt.* Quis credat quadrigas, & auratas rhedas,non ſolum in temone crucem præfixam habere, ſed & tot creditorum murmurationes, plebejorum cavillos, & calumnias, æmulorum machinationes, & æmulationes unà devehi?

Europæus ille Alexander, & Orbis domitor *Carolus V.* invictiſſimus Imperator,onerum, ac curarum pertæſus, cùm Bruxellæ principatum Belgii in filium Philippum II transferret,illacrymans dixit: v *O fili!* MAGNUM TIBI ONUS IMPONO: *Ego enim toto tempore principatus mei, numquam quadrantem horæ magnis curis, & anxietatibus vacuum habui.* Myſterio non vacat, Imperatorum, ac Regum coronas, cruce inſigniri. Hanc experta, ſi quis mortalium, x *Maria* illa Medicæorum Prin-

h Fernandez in Gen c.2.ſect.11. pag. 194. i Sen.conſolat.ad Marciam c 20. k Cruces in divitiis. l Senec.Ep.115. m Chryſ. in Pſal.48. n Cyprian.l.2. Ep.2. p Bern apud Hugonem Card. in c. 9. Lucæ. q Cruces in honoribus. r Senec. de brevitate vitæ, c.2. S.Iſidor. lib. 2.

ſ Numer.11.v.11. t V.10. v Cornel. à Lapide in Numer.11.v.11. x Lyræus Triſagion.l.3.ſcholio 3.p.448.

cipum

cipum ſanguine prognata, Henrici IV. Francorum Regis lectiſſima conjux, trium Regum Regina mater: gloria, qua fulſit, ſed & cruce quam pertulit, orbi notiſſima. Evocârat hæc ab ipſa Hetruria ad ſe Pariſios, incomparabilis ſanctimoniæ, atque integritatis virginem *Paſitheam Crogi*; quam ut primum vidit, ac quidnam ſibi ex patria cymeliorum adferret, interrogaſſet: audiit pulcherrimum quoddam, ac longè optimum advexiſſe Reginæ munuſculum, quo præ omnibus ſui ſimilibus emineret; cujus jam videndi facta avidior, dum illa inſtaret ſolicite, ut quid attuliſſet, illico proferret. Ecce *Paſithea* CRUCEM MAGNAM, ATQUE ENORMEM è ligno fabrefactam, in apertum producit; quam cum Regina admittere, propter immodicam magnitudinem, abnueret; illa verò magno ſpiritus fervore ſuæ majeſtati ingerere non ceſſaret, recipe, inquiens, audacter, mox longè major ſequetur eam, ſibi obtrudi paſſa eſt. Nec falſa vates *Paſithea* fuit, & eventus verum dixiſſe probavit, cùm paucos poſt dies, parricidali ſicâ Rex conjux confoſſus exſpiravit. Hæc initia dolorum: vixdum enim facta jam vidua, maritum eluxerat, cùm ter bellis civilibus appetita fuit. Proprii corporis ſtatim erepta cuſtodia, & alia ſubſtituta: una portarum Palatii ſui obſtructa, omnes anguli cubilis regii excuſſi, diebus octo captiva detenta, ac deinde Bleſias exulatum dimiſſa fuit, cum nullo iſtic ſine Regis diſerto conſenſu locutura, ut illud Prophetæ jure ingeminare potuerit: y *Poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam.* Tandem hinc per medias noctis tenebras elapſa, Inculiſmam divertit; ſed novis exinde caſibus, & crucibus exercenda, eo imprimis authore, quem pacis ſuæ, atque quietis habere debuiſſet procuratorem. Compendium itaque ſummâ hieme, ac tempeſtate perfrigida captiva abducitur, nec Regi, nec Reginæ valedicere permiſſa. Quare poſt quintum menſem, iſtuc in Belgium profugiens, bonis dotalibus exuta, alienam coacta eſt munificentiam implorare, quam poſt ſeptennium ſumma Regis noſtri liberalitate exactum, ſuorum fraudibus deluſa, in Anglia quoque voluit experiri. Unde bellorum turbine poſt triennium ejecta, Coloniam divertit, amiſſo in via unico mœrentis animæ ſuæ ſolatio R. P. Joanne Suffren. Soc. JESU Theologo, viro magnarum virtutum, & ſapientiæ donis excultiſſimo. Sed neque hic reſpirare liberius datum fuit, tum ob imminentis belli formidinem, tum adrepentis paulatim mortis indicia non vana, quæ eam paulò pòſt, die ſcilicet Julii 3. ærumnis, atque afflictionibus, quas dudum tulerat, exemit. I nunc, & regales coronas cruce deſtitutas ambi, & regias aulas, ac animas, crucibus vacuas jacta. Quo altius honorum ambitio eniti poſſet, quàm ad tricoronides infulas pertingere? ſed & iis pedum cum triplici cruce, non ſine cœleſti omine adjunctum eſt, ut ille ingenioſè luſit:

y Thren. 1. v. 13.

Cur tibi CRUX TRIPLEX *Gregori, tripléxque corona eſt?*
Anne ſuam ſequitur quæque corona CRUCEM?

Eos qui non triplicem, ſed multiplicem in ſumma hac dignitate crucem experti ſunt, videre eſt apud Cornelium, Lorinum, alióſque in lib. Numerorum, cap. II. v II. Denique quis credat, ſub ipſis deliciis, z & voluptatibus ſæculi, amariſſimas cruces delitеſcere? nemo hoc argumentum, ut politicis, & ſæculi amatoribus perſuadeam, luculentius tractavit, quam totius artis politicæ magiſter Seneca, dum voluptuoſum, & omnibus mundi deliciis affluentem, Regulo crucem acerrimam perpeſſo, conferre non dubitavit: a *Veniamus*, inquit, *ad Regulum. Quid illi fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit?* (quid illuſtrius de martyre pro veritate, quam hîc pro vanitate paſſo, dici poſſet) *Figunt cutem clavi, & quocumque fatigatum corpus reclinavit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam ſuſpenſa ſunt lumina Quantò plus tormenti, tantò plus gloriæ.* Nunc quantò infelicior ſit, qui ſine virtute, ſine laude, & honore, non inferiora patitur, ſubjungit: *Feliciorem ergo tu Mecænatem putas, cui amoribus anxio, & moroſæ uxoris* (quam amabat ille, ſed non ſolus, inquit Lipſius) *quotidiana repudia deflenti, ſomnus per Symphoniarum cantum, ex longinquo lenè reſonantium, quæritur? mero ſe licet ſopiat, & aquarum fragoribus* (quos jam in cubili commenti ad ſomnum conciliandum) *avocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quàm ille* IN CRUCE; nec minoribus ſtimulis cruciabitur: *Illi enim ſolatium eſt, pro honeſto dura tolerare: hunc voluptatibus marcidum, & felicitate nimiâ laborantem, magis his quæ patitur, vexat cauſa patiendi.* At ne hic prolixor ſim, quod voluptas omnis ſuas cruces, & b *plus aloes, quàm mellis habet*, aliàs diximus c. Quod Religioſis perpetua crux ſit, & longum martyrium, feſto trium Martyrum Japonenſium videre eſt. Satis, ſupérque jam vobis exploratum eſſe confido, cruces ubique, & à nemine non inveniri, ut feſtum Inventionis Crucis, utinam ſanctæ, multis non ſemel in anno; ſed & quotidie celebrandum ſit, cum nulla domus ſit, quæ ſuam crucem non habeat, juxta vulgare illud:

Elck Huysken,
Heeft ſijn Kruysken.

Libro Exodi cap. 12. d *Percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat, uſque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere:* NEQUE ENIM ERAT DOMUS, IN QUA NON JACERET MORTUUS, in qua non clamor, & luctus, & plurima mortis imago. Ita è Stoa Romanus Philoſophus, pulcherrimo, ac ſaluberrimo Chriſtianis relicto documento, de univerſa hac mundi machina ſenſit: e *Nulla domus in toto orbe terrarum, aut eſt, aut*

z Cruces in voluptatibus. a Sen. l. de provid. cur bonis viris mala accidant.

b Iuven. Sat. 6. c Lux Evang. part. I. Dom. Palmar. d Exod. 12. v. 29. e Seneca de conſolat. ad Polybium, c. 32.

fuit ſine comploratione ; nulla domus ſine cruce, in qua non aliquando diſſidium, litigium, luctus, morbi, mortes. Crux ſua cuique domi eſt, ut veriſſimè Antiochenus Præſul hom. 66. ad populum è cathedra veritatis: e *Revera non eſt vita ſine miſeria, nec poteſt citra tribulationem, nec poteſt citra triſtitiam vita præſens tranſmitti : ſicut enim immortalis homo non poteſt inveniri, ita neque abſque triſtitia, & CRUCE.*

Cùm Artaxerxi Regi amicus primæ admiſſionis eſſet mortuus, Rex Joniam miſit ad Democritum, peritiſſimum Medicum, ut ſi quid in eo artis eſſet, ſuum ſibi amicum in lucem reſtitueret. Democritus rem ſeriam, & difficilem poſtulari reſpondebat; ſi tamen Rex vellet, poſſetque à ſe poſtulandis annuere, in opus deducendum. Promiſſa omnia liberaliſſime. Ergo, inquit Democritus, defuncti tumulo hanc figite inſcriptionem : triginta nomina eorum, qui ad viceſimum ætatis annum, nil dolorum ſunt paſſi, ſepulchro inſculpantur. Quæſita ſunt ſedulò hæc fauſta nomina; ſed necdum inveniri potuerunt uſpiam, nec ullo ævo, ut credibile eſt, invenientur. Ecquis ille, obſecro, mortalium eſt, qui non dicam viginti annis, ſed vel diebus viginti nil ſentiat adverſi? locupletiſſimus hîc teſtis Eccleſiaſtes : f *Cuncti dies ejus doloribus,* inquit, *& ærumnis pleni ſunt.* Sapiens ille Auguſtini diſcipulus : g *Qualitercumque*, ait, *ordinavero de pace mea, non poteſt eſſe ſine bello, & dolore vita mea* Chriſtianè Gentilis Seneca : h *Quæ latebra eſt, in quam non intret metus mortis? quæ tam munita, & in altum ſubducta vitæ quies, quam non dolor territet? quocumque te abdideris, mala humana circumſtrepent. Multa extra ſunt, quæ circumeunt nos, multa intus quæ etiam in media ſolitudine exæſtuant.*

Hæc autem mala, quæ intus i animum exulcerant, cruces deſolationis, tentationis, remorſus, anxietatis de ſalute, ſcrupulorum, tribulationis ſpiritus, &c. quæ hominum oculis non patent, longè acerbiores, & frequentiores ſunt, adeò ut ſi quiſque ſuam crucem præ foribus figeret, vici, & compita omnia crucibus referta cernerentur. Accidiſſe memini, dum Japoniæ tyrannus publico edicto evulgâſſet, ut Chriſtiani omnes qui martyrii deſiderio flagrabant, crucem præ foribus domus ſuæ erigerent, die proximo inſequenti, plateas undique crucibus plenas fuiſſe. Quod ſi omnes Martyres Chriſti, imò & mundi, ac diaboli, ſuas cruces ante januam publico exponerent, nemini per vias aditus pateret, & quod Joſephus de Judæis in deſtructione Jeroſolymitana : *deeſſet crucibus locus.* Sic Seneca : k *Plena infeſta variis caſibus* (& crucibus) *vita eſt, à quibus nulli longa pax, vix induciæ ſunt.* l Sapienter ille è ſeptem Græciæ Sapientibus *Solon*, amicum ſolaturus, in editiſſimam urbis Athenienſis

e Chryſ. hom. 66. ad popul. Antioch. f Eccleſ. c. 2. v 23. g Thom. à Kemp. l. 3. de imit. c. 12.

h Seneca Epiſt. 82. i Cruces interiores graviſſimæ. k Seneca conſolat. ad Marciam. c. 16. l Valerius Max. lib. 7. c. 2.

ſpeculam illum eduxit, atque ſubjectas omnes magnificas ſubſtructiones, & opulentas mercatorum officinas circumquaque digito oſtentans, exclamavit: O *quot ſub his tectis inquietudines, anxietates, calamitates, miſeriæ, luctus, cruces deliteſcunt:* quod ſi & ulli veſtrum intueri liceret, quantæ, quamque ponderoſæ ſub ampliſſimis hujus urbis ædibus cruces abditæ ſint, nullam non domum ſua infeliciorem judicaret: m *Circumſpice* audacter omnes*: nullam tam miſeram nominabis domum, quæ non inveniat in miſeriore ſolatium.* Sed multa latent, quæ non patent. Pueris ænigma illud proponi ſolitum: quid maximè, ac frequentiſſimè in domo ſit, & minimè videatur? iſtud veſtigia hominum ſunt; at ego cruces eſſe dixero, quæ hominum oculos latent, & noctes ac dies animum excruciant: ut dies rogationum, quos nos *Cruyſdaegen* vocitamus, quia cruces circumferuntur, non ſemel in anno, idque triduo, ſed quot menſibus, & ſingulis diebus occurrere videantur.

Cum itaque tot undique incurſent, n ſtolidus ac ſtultus jure cenſendus eſt, qui eas effugere, aut excutere ſe poſſe arbitratur. Quod diſertiſſimè tractat D Auguſtinus, p *flumen eloquentiæ, ubertim per omnes campos Eccleſiæ decurrens*, dum in Pſalm. 45. ſic ait: q *Quid facturus eſt homo? quò confugiet, cum tribulationes pati cœperit? Fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum: & ſequitur tribulatio. A cubiculo quo fugiat non habet, niſi interius ad cubile ſuum.* (ad cubile cordis) *Porrò ſi ibi tumultus eſt, ſi flamma ſceleris, pellitur inde; & cum inde pellitur, à ſeipſo pellitur: Et ecce hoſtem ſuum invenit, quò confugerat, ſeipſum.* Quamobrem ſubdit: *quocumque fugerit ſe, talem* (hoſtem) *trahit poſt ſe: Et quocumque talem traxerit ſe,* CRUCIAT *ſe;* ipſe enim homo expanſis brachiis, ut diximus, crux eſt, quam ſi in ſole fugere nititur, non fugiet; ſed illa r *fugacem proſequitur virum.* Eleganter hoc expreſſit Abbas Claravallenſis, ſ *Spiritus Sancti Organum*, hac ſimilitudine uſus, ad fratres de monte Dei: t *Qui ægritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur, ſic eſt, ſicut qui fugit umbram corporis ſui, ſeipſum fugit, ſeipſum circumfert* (& crucem) *locum mutat non animum.* Hoc ipſum etiam gentiles, quos inter Princeps Seneca, cenſuerunt: v *multis ſe modis ſemper fugit; ſed quid prodeſt, ſi non effugit? ſequitur ipſe, & urget graviſſimus comes*: atque hoc ipſo ſe gravius excruciat, quod fugiat, nec effugiat, & vel invitus pati cogatur. Quare cum hodierna luce tres cruces inventæ ſint, crux mali latronis, altera boni, tertia Redemptoris noſtri, pignus Salutis noſtræ, in tres claſſes crucem ferentes diſtinguemus.

m Seneca conſolat. ad Marciam. c. 12.
n Nemo crucem effugere poteſt.
p Victor Vticenſis lib. de luminar. Eccl.
q Auguſt. in Pſal. 45.

r Horat. ſ Diſcipulus S. Anſelmi.
t Bern. de vita ſolit. ad fratres de monte Dei. v Seneca lib. de tranquillit.

§. II. TRES

§. II.

Tres x Cruces *in uno loco erant: in unâ latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Chriſtus, alterum liberaturus, alterum damnaturus. quid ſimilius iſtis* Crucibus? *quid diſſimilius iſtis pendentibus?* Auguſtin. epiſt. 48. ad Vincentium.

Crux mali Latronis.

TRes cruces in uno loco inventæ ſunt, & tres claſſes ſunt, quæ maximè diverſam ex iis geſtant. Expreſſit has graphi- „cè Hugo Victorinus: y Tres „sunt siquidem cruces; „prima latronis deſperantis; ſe- „cunda latronis orantis; tertia „autem Chriſti. His tribus aſſi- „milari poſſunt tres ſpecies ho- „minum, quorum primi, qui „portant crucem mortificando „carnem, & tamen non prodeſt, „quia non pœnitent; ſunt autem „alii qui mortificant carnem, & „prodeſt eis ad ſalutem, & au- „diunt, *hodie mecum eris in para-* „*diſo.* Quando autem hoc au- „diunt? hoc audiunt cum legen- „tes Euangelium dicunt: *Beati* „*pauperes Spiritu, quoniam ipſorum* „*eſt Regnum Cælorum.* Sunt alii „liberi à peccato, qui tamen aſſiduo orant, & laborant, portan- „tes aliena peccata, quaſi ſua, hi „portant *crucem Chriſti. Prima* „*igitur* crux *diaboli. Secunda* „*cujuslibet juſti. Tertia vero Chri-* „*ſti.* 1. malitiæ. 2. pœnitentiæ. „3. juſtitiæ. in prima crucior. ad „2. tendo pro 3. ſuſpiro. Harum „primam pono, qui cum peſſimo latrone crucem timent & averſantur, & cum murmure ac maledictis in Deum impatienter tolerant; de quibus Drogo hoſtienſis: z *Quare timent homines* cruces? *quia latrones ſunt; ſi latrones non eſſent,* crucem *non timerent (nec fugerent). Ergo qui timet, latro eſt. quomodo autem latro eſt? Audi Chriſtum: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Tu mercator, qui in jactura bonorum crucem toleras, & cum malo latrone in eadem damnatione es, Deum blaſphemas, feciſti domum tuam ſpeluncam latronum, hoc eſt, quod timeas crucem: *ſi latro non eſſes, non timeres* crucem. Tú nobiliſſime Domine, qui uxorem primo nuptam, ſine hærede, aut unicam prolem omnium hæredem amiſiſti, cum malo latrone in eadem damnatione es, ſi Deo obmurmures, impatienter, & impotenter feras, ac blaſphemes. *Hanc crucem non timeres ſi latro non eſſes.* Tu quiſquis es, qui dolore dentium, capitis, diuturnis calculi, & podagræ doloribus conflictaris, ſi in tecum crucifixum, & tui causâ longè acerbiora paſſum, linguam cum malo latrone ad iras, & diras lancines, latro es, & feciſti domum animæ tuę, ſpeluncam latronum.

Religioſa domus Dei eſt, in hac ſi ferimus impatienter crucem

x Tres claſſes cruces ferentium ſecundum tres cruces inventas. y Hugo Victorin. lib. 2. de clauſtro animæ c. 23.

z Drogo de paſſione Dom.

cem, ac diſciplinam religioſam: Si de ſuperioribus obmurmuremus, ſi rigorem regulæ, ac obedientiæ, ægrè, ac repugnanter toleramus, reddimus illam ſpeluncam latronum, & patimur ut fures, ac latrones. Quod ne fiat, hortatur Apoſtolorum Princeps: a *Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Quomodo igitur pati debet? planè ut Chriſtianus, ut religioſus, ut diſcipulus Chriſti, ut is qui ſponte, non coactè amplectitur crucem: *Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine:* miſerrima enimverò, & acerrima crux eſt reorum, & omnium eorum, qui violentâ, & invitâ, eáque maxime ignominiosâ, ac damnosâ morte cruciantur: quia nullo merito, nullo ſolatio, duplici tormento torquentur. Hoc eſt quod *D. Gregorius, vir eloquentiſſimus*, b *quo ego*, inquit Hieronymus, *magiſtro glorior, & exulto*, graviſſimè exaggerat: c *non grave eſt* inquit, *plagis affici; ſed plagâ meliorem non fieri, graviſſimum, &* acerbiſſimum eſt. Plagis à Deo immiſſis meliorem, & mitiorem non fieri, graviſſimum eſt: nam ut in feris fieri conſuevit, plagis, & laqueis dum captæ ſunt, & in avibus viſco irretitis, quo ſe magis expedire, & effugere nituntur, ſe magis implicant, & illinunt; haud aliter iis accidit, qui dum in cruces incidunt, impatienter ferunt, & excutere nituntur. Non alium hac in re, quam gentilem, ut Chriſtianos confundam, magiſtrum induco: d *omnis indignatio in tormentum ſuum proficit, & imperia graviora ſentit, quo contumacius patitur. Sic laqueos fera dum jactat, aſtringit: ſic aves viſcum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum eſt jugum, quod non minus lædat ducentem, quam repugnantem.* Sic qui reluctanter patiuntur, cruciatus ſibi accumulant, ac majoribus ſeſe ipſi involvunt.

Quid infeliciſſimo mortalium luctuoſius, acerbius accidere poteſt, quam de tormentis ad tormenta tranſire, & quo acerbiora tulerit, eò longè acerbiſſimum tolerare? Ejuſmodi ſunt de quibus Apoſtolus: e *miſerabiliores omnibus hominibus*, ſi inviti, ſi murmurantes, ſi blaſphemantes crucem noſtram feramus, *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Si Chriſtiani injurias aëris, publicas calamitates, pauperiem, jacturam bonorum, liberorum morbos, mortem iniquo animo ferant, in rerum omnium moderatorem, ac ſupremum Dominum excandeſcant, *miſerabiliores ſunt omnibus hominibus*: f *hæc* CRUX *diaboli eſt*: quia non aliter ac ille, inviti patiuntur.

Si Religioſi, ac Sanctimoniales, crucem ſuam paupertatis, caſtitatis, obedientiæ, mortificationis, duri ac imprudentis ſuperioris, reluctanter, ac murmuranter tolerent, *miſerabiliores ſunt omnibus hominibus*, quia omnes aliæ religionis, diſciplinæ, auſteritatis, afflictiones aſſiduæ, & crux perpetua, nihil illis proderit. Solidè ac ſolerter Bernardus: g *ſi hoc ita eſt, ut quid ſine cauſa mortificamur tota die, æſtimati ſumus*

a 1. Petri. 4. b Hieron. lib. 1. in Iulian. c. 5. c Greg. Naz. orat. 15. d Senec. l. 3. de ira c. 16.

e 1. Cor. 15. f Hugo cit. g Bernard. apologia ad Guiliel. Abbat.

ſumus ſicut oves occiſionis: quid nobis prodeſt tanta in victu parcitas, & aſperitas, in veſtitu notabilis illa vilitas: in opere manuum quotidiana deſudatio, in jejuniis & vigiliis jugis exercitatio, totius denique vitæ noſtræ ſingularis quædam atque auſterior converſatio? quia non prodeſt nobis quidquam, ſed potius eſt ad damnationem. Poſſet quilibet eorum illud uſurpare: h *miſer ego homuncio, qui tanto labore, & induſtria ſtudeo non eſſe, vel potius non videri, ſicut cæteri hominum, minus tamen accepturus; imò gravius cruciandus, quam quilibet hominum.* Nam Filii hujus ſæculi, ut in altero ſæculo infelices futuri ſint, in præſenti fruuntur deliciis, & indulgent voluptatibus; ſed hi amariſſimè queri poſſent melliflui Doctoris verbis: *Siccine non inveniebatur nobis via (ut ita dicam) utcumque tolerabilior, ad infernum? ſi ita neceſſe erat ut eò deſcenderemus, cur ſaltem illam quam multi incedunt viam, ſcilicet latam, quæ ducit ad mortem, non elegimus, quatenus vel de gaudio, & non de luctu ad luctum tranſiremus? O quam felicius eſt illis, quorum non eſt reſpectus morti eorū,* i *qui in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur! qui etſi peccatores, ac pro gaudiis temporalibus, perpetuis cruciatibus addicti; ſaltem abundantes, in ſæculo obtinuerunt divitias!* k *væ portantibus* CRUCEM, *non ſicut Salvator ſuam, ſed ſicut ille Cyrenæus alienam: væ inquam ſemel, & væ iterum portantibus* CRUCEM CHRISTI, *& non ſequentibus Chriſtum! duplici quippe contritione conteruntur, qui hujuſmodi ſunt*; quando & hic votorum vinculis aſtricti, carceri perpetuo, ac neceſſitate inviolabili mancipati, *temporaliter ſe affligunt, & in futuro*, pro intolerantiâ, ac impatientiâ *ad æterna ſupplicia pertrahuntur.* Quæ crux quàm horrenda, & non modò latronum omnium, ſed & ipſorum dæmonum truculentior ſit, nemo non videt: hi etenim pergunt peccata peccatis, & pœnas pœnis accumulare, quod dæmones non faciunt.

h Ibid. i Pſal.72. k Ibid.

In tempeſtates, in aëris intemperies, in Cœli injurias, quas neceſſario pati coguntur, imo in Cœli Dominum detonant, & fulgurant: jam immodicos imbres, jam frigoris inſolentiam, jam nimios æſtus, jam hyemis pertinaciam queruntur, nec conſiderant ſuis iſta legibus peragi, nihil horum in noſtram injuriam fit; imò contrà, nihil non ad ſalutem. Sic fruſtra cum aëre litigamus, ſi ſerenitatem neget, ſi pluat, ſi ningat, ſi tonet. Ad hæc turbari, iraſci, puſilli, ignavi & malevoli animi eſt: l *hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradit. At contrà ille puſillus, & degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè exiſtimat, & emendare mavult Deum, quam ſe.*

Ad hunc modum uxor obluctatur marito, membra reipublicæ capiti, religioſi Prælato, & malè exiſtimant de ordine gubernationis, ac religionis, de diſpoſitione Dei per hominem ſignificata. Cur emendare volunt Deos terrenos, qui vicarii Numinis ſunt? Et in iis cur Deum volunt emendari, non ſe? Accidit nonnullis Religioſis in non magnis obſervantiis, contra propriam voluntatem crucem ferentibus, quod de ſæcularibus in magnis

l Seneca ep.98.

adver-

adverſitatibus ſcripſit m *profundiſſimus tamquam mare, magnus Hilarius*, dum avaro horrea incenduntur, marito impotenter amanti uxor eripitur, ambitioſo ſpes gloriæ præciditur, &c. n *Si quid adverſi accidit, prona in Deum querela eſt. Deum enim inter damna ſua avarus accuſat: Deo cum invidia fletuum ſuorum orbatus iraſcitur: Deo injuſtitiam, qui ad confeſſionis gloriam perſecutionibus probatur, exprobrat. Univerſorum ſtultiſſima hæc querela eſt, cum injuſtitiæ Deum, per impatientiam impii doloris accuſant.* Quod ſi cives, ſubditi, religioſi, Deum in ſe non accuſent, ſatis eſt in ſuperiore damnare, dum contra juſſa obmurmurant.

Quid quod occaſiones minimæ, o cruces indies obviæ, homines in rancorem, in furorem, in intemperies agant, & è parvis ſibi ingentes cruces conflent: parum agilis eſt puer, fornax non tempore calefacta, turbatus torus, menſa negligentius poſita, calix everſus, mox concitati bilem & impatientiam effundimus: indignamur, vociferamur: *Pone* CRUCEM *ſervo*. Calamo quo ſcribimus, equo quo vehimur, veſti qua induimur, iraſcimur; hinc illæ voces: Ecquis diabolorum hunc hominem advexit? quis malus corvus hunc laborem attulit? quis per Deum immortalem, rem meam hinc ſurripuit? ita res nihili nos maxime conturbant.

Vultis nobile illius paradigma cernere, quod meis oculis ſpectavi, auribus excepi, inquit Religioſiſſimus ſcriptor. p Anno 1618. quo Sereniſſimus Elector Bavariæ Dux Maximilianus, in Bohemiâ rebellium arma movit, die 29. Auguſti in oppidum Boëmicum Strouviz prætorianus miles ingreſſus eſt, ego cum ſociis ad tuguriolum ſutoris deductus ſum. Hic jucundum fuit ſpectare, quàm è re nihili, & nauci, impatienter, ac impotenter tolerata, ingens tempeſtas exorta ſit. Sutor paterfamilias, religione Anabaptiſta, vir uſquequaque humaniſſimus, verba melle, ac ſeſamo ſparſa jaciebat. Si quis militum ingreſſus ſalutaſſet hunc opificem, adventorem ille reſalutabat amiciſſime: ſi quis calceos petiiſſet, promptiſſime, ac miti pretio dabat. Si quis novas ſaleas vetuſtis calceis induci cupiiſſet, paratiſſimus gratificari ſatagebat: ſi quis à tugurio diſcedens valedixiſſet, ille hominem ſuaviſſime compellans, mi Frater ajebat, Dominus Jeſus te cuſtodiat. Dixiſſes alcedonia in animo ejus eſſe; ſed ſubitò malacies omnis turbata eſt. Siquidem repente vir iſte bonus, par ſolearum cœpit quærere, nec tamen eas uſpiam reperire. Hic datum ſpectaculo initium. Ego de regione me collocavi, ut probe in oculis eſſet comœdia, & vidi ſane, quid etiam in minimis facere ſoleret impatientia. Sutor ob ſoleas, quas putabat furto ſubtractas, jam pæne in rabiem efferatus, neminem ingredientium non allatrare, omnes tam inquilinos, quam exteros invadere: uxorem, liberos acerrimis verbis perſtringere, ſutoriam ſupellectilem huc illuc disjicere, ligulas chalybeas, ferreas, tudes, mateolas, modulos, & formas, omnia commiſcere: modò ſpongiam, modo forficem, aut forcipem modò

m Pet. Cellen ep. 131. n Hilar. in pſ. 118. o Minima impatientem graviſſimè conturbant. p Drexel Iob. c. 10.

modò falculam, modò aſſulam ſutoriam prehendere, & mox iterum rejicere: jam caput fricare, jam impatienter expuere, jam calcitrare, ita varias impatientiæ ſpecies eleganter exprimere: ita præceps, ac impotens ſui impatientia, inſigniter ſeſe ſpectaculum dare. Sed numquid de Græciæ fortunis agebatur? par unicum ſolearum credebatur furto ſublatum, quod denique repertum, ubi diu ſatis duravit tempeſtas.

Talem non rarò comœdiam videre eſt, dum quid in familia deperditum, turbatum, aut confractum eſt. Impatiens ſi obolum amittat, totam crumenam abjicit, cum ei culmus ſubtrahitur, totos ſpicarum manipulos incendit. Sic q inter aulicos Rudolphi II. Cæſaris, fuit è magnatibus imperatorii cubiculi, qui manè frigidam allaturus ſuo Cæſari ad lavandam faciem, vitrum ferebat cryſtallinum; ſed quia operculum excidit incauto, totum poculum humi alliſit, cum dicto: habeat diabolus & equum, qui rapuit ephippium. Sic uno jactu, quadringentos Philippeos abjecit: tanti enim cryſtallinum illud æſtimabatur; ſic ſæpe malum leviſſimum, malo ingenti geminatur: ſic incommoda non grandia, damnis maximis per impatientiam augentur. Salomonis ſcitum eſt: r *qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum*: quò enim aliquis contumacius patitur, tantò gravius ſentit quod patitur. ſ *Noli mala tua facere tibi ipſi graviora, & querelis onerare*; impatiens damnum ſuſtinebit non in fortunis duntaxat, ſed & in corporis valetudine, & in æternâ animæ ſalute.

Abjecta itaque hac diabolica mali latronis cruce, quam impatienter hactenus tuliſtis, aliam longe meliorem, ac leviorem boni latronis, quin & ſuaviſſimam, ac ſanctiſſimam Chriſti Redemptoris noſtri Crucem amplectamini, & in humeros ſuſtollite: t *in* CRUCE CHRISTI *gloriatio eſt. In* CRUCE *dextri latronis conſolatio. In* CRUCE *ſiniſtri latronis confuſio. In* CRUCE *Chriſti pœna ſine culpa, & poſt pœnam glorificatio. In* CRUCE *dextri latronis pœna pro culpa, & poſt pœnam remiſſio. In* CRUCE *ſiniſtri latronis pœna pro culpa, & poſt pœnam damnatio.* Nemo ſic patiatur, ut fur aut homicida. *Dicunt homines quando pœnam ſuſtinent, ſi meruiſſemus, non erubeſceremus, nunc autem injuſtè pati, & ſine culpa, ignominioſum nobis eſt*; quaſi verò honorificum ſit magis, pati nocenter, quam innocenter; ut Sancti, & Sanctorum Caput Chriſtus, quam ut latrones, proditores, ſacrilegi, paſſi ſunt. Quod vel ethnicus ſolerti apophthegmate declaravit: v dum Socrates ad mortem damnatus, commiſeranti ſibi quod innocenter damnaretur, reſpondit: *viſne ergo me nocentem mori?* unde ſic pergit Hugo Victorinus: *oculi qui non vident*, quod gentiles viderunt. *Imò ſi pro culpa pateris, erubeſce; ſi ſine culpa pateris, gloriare. Latro magis vis eſſe, quàm Chriſtus? Et fortè ſiniſter blaſphemator, non confeſſor. Si ſaltem dexter fuiſſes latro, culpam humiliter agnoſceres, pœnam patienter ſuſtineres, veniam devotè implorares, nec pro pœna præſumeres,*

q Drexelii. Gymn. patien. part. 3. c. 1. §.
r Prov. 19 v. 19. ſ Sen. epiſt. 78.

t Hugo Victor. l. 1. Miſcellan. lib. 50.
v Valer. Maximus l. 7. c. 2.

nec

nec pro culpa deſperares: ſicut quidam, qui de ſua ſuſtinentia gloriantur, de pœna murmurant, de culpa deſperant. Ad alteram itaque crucem boni latronis x amplectendum vos adhortabor, ut patienter quæcumque adverſa eveniunt, tolerare velitis.

§. III.

Crux boni latronis ferenda PATIENTER.

Omnium gentilium; & Chriſtianorum, omnium nationum, & conditionum ſententiâ, ac experientiâ comprobatum eſt, cuilibet mortalium neceſſe eſſe *pati*. Seneca conſolatione ad Polybium: y *ſi velis credere altius veritatem intuentibus, omnis vita ſupplicium eſt.* z Melius, ac verius ille ſpiritualis crucis magiſter: diſpone, & ordina om-„nia ſecundum tuum velle, & „videre, & non invenies niſi „ſemperpati, aut ſpontè, aut in-„vitè, *& ita Crucem ſemper inve-„nies*: aut enim in corpore do-„lorem ſenties, aut in animâ „ſpiritus tribulationem ſuſtine-„bis. Interdum à Deo relinquê-„ris, interdum à proximo exci-„taberis: & quod amplius eſt, „ſæpe tibimetipſi gravis eris; „nec tamen aliquo remedio, vel „ſolatio liberari, ſeu alleviari „poteris, ſed donec Deus volue-„rit, oportet ut ſuſtineas. Ne-„mo de hac re tam dilucide, tam „luculenter, ac Paulus Chriſto confixus, loquitur, dum neminem etiam maxime fidelium à Cruce immunem aſſerit: a *Omnes*, inquit, *qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur*; cum dicit *omnes*, neminem cujuſcumque ſtatus, ætatis, conditionis excludit, ut ſcitè obſervat Ambroſius: b *omnes dixit, nullum excipit: Quis enim exceptus eſſe poteſt* (aut velit) *cum ipſe Dominus perſecutionum tormenta toleravit*, idque non tribus horis dumtaxat, pendens in cruce, ſed per omnem vitam, ut poſtea dicemus. Quandoquidem ergo nemo non in hac miſerâ, & mortali vitâ, multa, & magna pati debeat, c & *totius temporis* (præſentis) *ſit* CRUCEM *ferre*, ut eam cum fructu, & merito, ac æternæ mercedis intuitu ferre poſſimus, rectè monet: d *patientia vobis neceſſaria eſt.* Non pudeat ab Ethnico Chriſtianum monitum mutuari: e *Patientia ſuadet*, inquit Seneca, *quod effugere non poſſis, quàm fortiſſimè ferre*; hoc ille ſuadet, & monet, nullâ niſi virtutis politicæ honeſtate, & naturali ratione, ne ſe homo in vanum magis excruciet. Altius nos exſtimulat, & acutius vidit f *Byzantinæ Eccleſiæ, atque adeò Eccleſiarum omnium oculus*, divus Joannes Chryſoſtomus, qui ſic ait: g *Cogita quod ſive velis, ſive nolis, calamitatem* (& crucem) *patieris. Quod ſi gratè, maximè lucraberis; ſi verò ægrè, & impatienter feras*, neque illam ita minorem facies, ſed majorem reddes procellam.

x Crux boni latronis patienter ferenda. y Seneca conſolat. ad Polybium. c. 28. z Thomas à Kempis. l. 2. de imitat. Chri. c. ult.

a 2. ad Timot. 3. v. 12. b Amb. in pſal. 118. Serm. 20. c S. Leo, Serm. 9. de quad. d Ad Heb. 10. v. 36. e Seneca epiſt. 68. f Iſidor. peluſiota, lib. 1. ep. 156. g Chryſoſt. hom. 64. ad pop.

Cogitantes ergo *quod neceſſitatis eſt, hoc noſtræ voluntatis eſſe faciamus*; hoc virtutis Chriſtianæ eſſe faciamus. Gratanter, non ægrè, & impatienter accipiamus, quæ evitare non poſſumus, & maximè lucrabimur. In exemplar vobis bonum latronem, vel ipſam crucem patienter amore Chriſti ferendo, illuſtrem confeſſorem, & Martyrem propono. Vidit ille Chriſtum tam patienter, & libenter tot ludibria, opprobria, tormenta, ac acerbiſſimam Crucis mortem ſubire, atque pro crucifigentibus ſe orare, & ut cum Ambroſio loquar: h *Intellexit latro, quod pro alienis peccatis has plagas Chriſtus ſuſciperet.* Voluit ille exemplo Chriſti patienter ſua ferre tormenta, quæ quidem ſe meruiſſe confeſſus eſt: *nos* inquit, i *digna factis recipimus.* Hanc autem crucem ſuam patienter ferendo, *k* quid meriti, quid gloriæ conſecutus ſit, diviniſſimi Eccleſiæ præcones teſtantur, D. Cyprianus inprimis, ſcribens de latrone, ſic ait: l *Latrocinii damnationem meruerat, & ſupplicium; ſed cor contritum, pœnam mutavit in* MARTYRIUM, *& ſanguinem in Baptiſmum.* Inducit eundem Cyprianum S. Auguſtinus in eandem ſententiam: m *Latro ille non ante* CRUCEM *Domini ſectator, ſed in* CRUCE *confeſſor, à Cypriano* INTER MARTYRES *computatur.* Sic etenim Cyprianus: n *Latro factus eſt particeps Regni, factus collega Martyrii.*

h Amb. Serm. 45. i Lucæ 23. k An S. Latro Martyr patienter crucem ferendo? l Cyprian. Serm. de cœna Dom. m Aug. l. 1. de Origine animæ. c. 9. n Cyprian. Serm. de paſſ. Dom.

Latronis ſancti Martyrio adſtipulatur D. Hieronymus dicens: p *latro crucem mutat Paradiſo, & facit homicidii pœnam Martyrium.* Præiverat S. Hilarius, q *vir eloquentiſſimus, & latini ſermonis tuba*, ut illum nuncupat Hieronymus, qui hoc elogio latronem commendat: r *hominis filius loquens in terris manet, & in cœlo* MARTYRI SUO *Paradiſum promittens.* Ita Baſilius, Drogo Oſtienſis, Anſelmus, aliique apud ſ Raynaudum. D. Bonaventura Serm. de pluribus Mart. & in 4. d. 4. dub. 1. non aliam cauſam adfert, quam patientiſſimè exceptam mortem à latrone jam juſto: id enim ad latronis ſancti Martyrium putat ſufficere. Quæ verò ratione, patienter crucem ferendo, quis ſuo modo Martyr effici queat, fuſè tradit idem Raynaudus lib. de Martyrio per peſtem. Quod praxim ſpectat, ut & nos inter eos numerari, & merita Martyrum conſequi valeamus: Primum eſt, ut cæli inclementiam, t & aeris injurias, quas evitare, aut emendare non poſſumus, patienter, & æquanimiter feramus. Ubi rurſus opportune Romanus Philoſophus: u *Imperetur æquitas animo, & ſine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit: algendum eſt. Æſtas calores refert: æſtuandum eſt. Intemperies Cæli valetudinem tentat: ægrotandum eſt. Et fera nobis loco occurret, & homo perniciofior feris omnibus. Aliud*

p S. Hierony. epiſt. 13. & epiſt. 58. q Hierony. in Ruffinum. r Hilarius, lib. 1. de trinitate. ſ v. Rayn. metamorph. latronis in Apoſt. c. 12. t Aeris injuriæ patienter ferendæ. u Seneca ep. 107.

aqua

aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non poſſumus; id poſſumus, magnum ſumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortnita patiamur, & naturæ (nos Deo) *conſentiamus. Ad hanc legem animus noſter aptandus eſt: hanc ſequatur, huic pareat: Et quæcumque fiunt, debuiſſe fieri putet, nec velit objurgare naturam* (aut naturæ auctorem). *Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deum quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari* (in cruce ferenda). Ac tandem hoc Chriſtiano epiphonemate concludit: *malus miles eſt, qui imperatorem gemens ſequitur*. Malus miles Chriſti eſt, qui Imperatorem ſuum Cruce onuſtum, non tantum gemens, ſed & murmurans, & indignans, impatienter, & reluctanter ſequitur. Alia adverſa x fortunæ ſunt, quæ undique ingruunt: *pauperies velut vir armatus* in ædes tuas irruit, bona à militibus diripiuntur, horrea incenduntur, ſilvæ eruuntur, morbi amicos, propinquos, liberos, uxorem, te ipſum agmine facto invadunt: cauſæ iniquiſſimè abjudicantur, innocentes opprimuntur, impune ſcelerati dominantur &c. Ad hæc, liceat mihi cum gentili quærere: y *doce quomodo feram ærumnas ſine gemitu?* Noſtis quomodo? patientiâ. Non è ſtoâ, ſed Chriſti ſcholâ reſpondet Bernardus, z *crucem Chriſti ſuſtinendo patienter*, hoc unicum, & ſolum adverſus hæc omnia mala remedium eſt: a *unum eſt levamentum malorum ingentium, pati, & neceſſitatibus ſuis obſequi*. Quis jacturam bonorum, & omnium malorum ſuorum congeriem, cum illa, quam Huſſæus Vates patientiſſimè toleravit, conferre audeat? Job ſimul perdit mille boves, aſinas quingentas: perdit ovium ſeptem millia, perdit tria millia Camelorum, & hæc Propheta, ignarus adhuc Crucis Chriſti, aut quaſi per nebulam proſpectans, patientiſſimè tolerat: b *ut diſcas*, inquit Chryſoſtomus, *quantum lucri afferunt paſſiones, dummodo quis* PATIENTER, & MANSUETE *ferat, & Deum in omnibus glorificet. Vide Job qui neſciebat ſe propter Deum pati, quæ patiebatur; & tamen pro his coronabatur, quod cum cauſam neſciret*, PATIENTER FEREBAT. Plus enim poteſt homo mereri mala patiendo, quam bona faciendo. Probat Gerſon, ipſum Job plus patientia ſua meruiſſe, bona ſua perdendo, quam ſi illa in pauperes erogaſſet. Haud aliter, qui pecuniariis technis, & inſidiis circumvenitur, & Philippeos non paucos perdit: cui pecunia vi eripitur, aut vanis promiſſionibus, aut fallacibus artificiis: vel qui fortunis ſuis evertitur per mercaturam, quem alii plures in damni ſocietatem trahunt: vel quos perpetuæ, graveſque potentum Dominorum exactiones, ad rei familiaris anguſtias, ad vincula compellunt; denique qui ad mendicitatem detruduntur, morbis, litibus, bellis, incendiis, naufragiis, ſi hæc omnia æquanimiter ferendo, illud Pauli ſibi præfixum habeant: c PATIENTIA *ſuadet, quod effugere non poſſis, quam fortiſſimè ferre.* Huic malo levando ſerviet viri præ-

x Adverſa Fortunæ, morbi, mortes patienter ferenda. y Seneca ep. 117.
z Bernard. Serm. de S. Andrea. a Seneca lib. 3. de ira.

b Chryſoſt, ep. 3. ad Olymp. c Sen. ep. 68

prænobilis exemplum illuſtre: is fuit Franciſcus Tregianus, Anglus, qui magiſtra patientia inclaruit; *d* vocatus hic erat ad hæreticorum tribunal, quod etſi detrectare potuiſſet, noluit tamen. Venit igitur non ſordidatus, non pulla, ut reorum mos eſt, veſte indutus; ſed byſſino amictu magnificè ſplendens: Crederes ire ad epulum nuptiale, non ad audiendam contra ſe feralem ſententiam. Ea porro fuit ejuſmodi, aut perpetuus carcer, aut bonorum omnium proſcriptio. Hanc ut ſibi delegit inclytus heros, ſimul & eam vocem extulit: *pereant bona, quæ ſi non perirent, forſitan Dominum perderent.* Norat ſiquidem jacturam temporalium bonorum, quæ neceſſario incurrenda, æquanimiter ferendo, æterna ſibi in cœlis ſervata. e *Hoc ipſum ſi intelligimus, ſolatium eſt, æquo animo perdere, quod periturum eſt.* Mendicum Lazarum attende: pauper erat, ſed non voluntarius: premebatur fame, ſed præter voluntatem: vulneribus, quæ noluiſſet, plenus erat. Jacebat humi, & ad januam, qui libenter intra domum jacuiſſet in lecto: micis carebat, quibus ſaturari cupiebat: potius optâſſet famulos paſcentes, quàm canes lingentes: à quopiam poſcebat & nemo illi dabat. Verumtamen quia in omnibus his quæ invitus patiebatur, fuit ſemper patientia munitus, nec contra Deum, aut homines quid ſiniſtri locutus eſt, ſed crucem ſuam patienter tulit, ab Angelis in ſinum Abrahæ deportatus eſt. Unde meritò Chryſoſtomus hunc ut communem orbis Doctorem, omnibus crucem portantibus, in exemplum proponit, dicens: f *Communis orbis Doctor Lazarus propoſitus eſt, rem quamcumque moleſtam patientibus.* Ecquid porrò Doctor ille elinguis nos docet? Deum in tribulationibus non incuſare: divitibus non invidere, non laceſſere: deneganti nobis auxilium, non obtrectare, atque impoſitam humeris crucem, quam excutere non poſſumus, patienter ferre. Nulla alia bona opera illum feciſſe legimus; hoc ſolum conſtat quod mala ſibi advenientia æquo animo toleravit, ſicque partem cum Abraham habere meruit. De eo Chryſoſtomus, qui, ut S. Proclus loquitur: g *in verbis prædicationis margarita, Scripturæ à Deo inſtitutæ impolluta Bibliotheca, divinus theſaurus intelligentiæ,* ſic loquitur: h *ſolummodo patiebatur, & viriliter portabat, cùm non eſſet qui curaret: tolerabat enim dolorem venientem ex vulneribus, à fame, ab aſpectu divitis, & crudelitatis ejus. Interim nôſti quantas adipiſci meruit coronas, & quidem nullum ejus præclarum facinus inveniemus; non quod pauperibus ſit miſertus, non quod oppreſſis affuerit, non quod aliud quid boni effecerit; ſed quod januæ divitis permiſerit excluſionem, & debilitatem, & canum linguas, & deſpectum divitis contra ſe. Magnificum autem nihil fecerat; verum quia tantummodo malorum iſtorum triſtitiam fortiter pertulit, Patriarchæ, quem plurimas feciſſe virtutes ſcimus, finem habere promeruit.* Campus hic alius patet excur-

d Lobbetius. tract. aſcet. de patient. 14. e Sen. epiſt. 98.

f Chryſ. hom. 1. de Lazaro & divite: g S. Proclus in encom. Chryſ. h Chryſ. Epiſt. 3. ad Olympiad.

excurrenti, Lazarum nullo crimine graviori animam commaculâſſe, quantò ergo æquius eſt, ut tu, qui cum latrone digna factis recipis, patienter cum illo crucem feras? altera non minus gravis crux, quæ cutem tangit, longus & acutus morbus eſt, ad quem æquanimiter ferendum, ante omnia *i* PATIENTIA *nobis neceſſaria eſt.* Sit illud fortaſſe minus elegans, certè prudens Antonii Guevarræ dictum eſt: *Non erit clamor in valetudinario,* k *ſi* PATIENTIA *fuerit in infirmo,& charitas in infirmario.* Cibus tibi non ſapit? *patientia*: commune hoc ægrotis, & plerumque primum, omnes cibos faſtidire; ſomnus tibi brevis, & interruptus? *patientia*: ægroti vix unquam tam bene dormiunt ac ſani, & quo te magis inſomniis crucias, minus dormies. Dolores te urunt? *patientia*: hoc morbi proprium, hoc ægrotare eſt. Fortaſſe negligentius tibi miniſtratur? *patientia*: ægroto in omnibus ſatisfacere, difficillimum. Fortaſſe deſunt, qui viſant, qui recreent, & ſolentur? *patientia*: Chriſtus Dominus conſolator eſt optimus, qui tecum eſt in tribulationibus. At multa deſunt, quæ neceſſaria videntur? *patientia*, deſint omnia. Ad Carolum V. Imperatorem, articulari morbo laborantem, Elector Brandenburgicus Joachimus reviſit, monuitque Medicorum operâ utendum. Cui Carolus: *Optimum hic remedium,* inquit, *eſt* PATIENTIA:

l *Solvere nodoſam neſcit medicina podagram.*

Patientia unicum remedium eſt, & huic malo medelam adferre, ſupremi duntaxat medici eſt, qui non patietur tolerare, & tentari ſupra id, quod poteſtis. Unde ſacræ paginæ, jure Regem Aſa incuſant: m *Ægrotavit Aſa dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum; ſed magis in medicorum arte confiſus eſt* O podagrici! ſi non pedibus; animo, & ardentibus deſideriis ad Chriſtum in cruce pendentem confugite, & amore illius, qui manus, & pedes clavis transfixus, tanta toleravit, hanc crucem patienter ſuſtinere ne recuſetis. Laudat Tullius Poſſidonium, quod conſtanter tulerit articulorum dolores, quibus cùm acutius excruciaretur, dicere ſolebat n *Nihil agis dolor, quamvis ſis moleſtus, numquam te eſſe confitebor malum.* Quidni & tu, Chriſtiane dolore preſſus exclames: nihil agis dolor, non propterea ali[quid] quod committam malum; ſe[d] vertam mihi, conſtanter & patienter tolerando, in bonum; au[t] ſi velis, in veterum delictorum quæ forte & morbo cauſam de[dêre,] dêre, præſentiſſimum remedium quod ſanctiſſimus Pontifex Gregorius, qui teſte D. Idelphonſ[o] o *vicit ſanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, ſapientiâ Auguſtinum,* nobis, cùm ipſe minim[e] egeret, præſcripſit: *Podagræ dolo[ri]bus torqueor, qui & mihi, & vob[is]* (ô podagrici, quos conſolatur) *nocivi ſunt. Inter quos, quid aliu[d] debemus, niſi ſemper delicta noſtr[a] ad memoriam revocare, atque Omn[i]potenti Deo gratias agere? quonia[m]*

i Ad Hebr. 10. v. 36. k Morbi aliáque incommoda patienter ferenda. l Ovid. 2. de Ponto.

m Paralip. 16. 2. n Cicero l. 3. Tuſcul. quæſt. o S. Ildephonſus de viris illuſt. c. 1. S. Gregor. lib. 9. Epiſt. 25.

qu[i]

qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur. Sciendum quoque eſt nobis, quia pœna præſens, ſi animum afflicti convertit, finis eſt culpæ præcedentis; ſi autem ad timorem Domini minimè convertit, initium eſt pœnæ ſequentis. Curandum eſt igitur (quod de cruce mali latronis diximus) *ne de tormento, ad tormenta tranſeamus*; quod certe fieret, ſi inter hujuſmodi dolores, in Deum impatientiæ querelas, ac blaſphemas voces jaceremus; quin potius crucem boni latronis patienter ferendo, mala noſtra alleviemus, & graviſſima in purgatorio carcere ſubeunda, per patientiam effugiamus. Ecquis non unam noctem in morbi doloribus inſomnem ducere, quam 20, 50, imo 100, in equuleo, & cippo tortus ſuſtinere mallet? ecquis non unum diem, aut breve tempus hic in molli lecto calculi, podagræ cruciatibus patienter pro Chriſto toleratis, multorum menſium & annorum, acerbiſſima piacularis ignis tormenta redimere non exoptaret? atqui hac optatiſſima ſorte nos frui poſſe, graviſſimi viri, ac luculentæ hiſtoriæ teſtantur. Celeberrimus Theologus Leonardus Leſſius, *famâ ſuper æthera notus*, hæc pronuntiare non dubitavit: p *Modica paucorum dierum tribulatio* PATIENTER TOLERATA, *ſæpe eſt tanti apud Deum, quanti perpeſſio ignis purgatorii multorum annorum.* Hoc eſt quod inſinuat Ezechiel: q *Diem pro anno dedi tibi*: via etenim rectiſſima, ac breviſſima ad cœlum eſt, modica hic tribulatio patienter tolerata, ut veriſſimè aſſeveravit venerabilis Beda: r *Infirmitas carnis, ſi* PATIENTER SUSTINEATUR, *erit quaſi purgatorius ignis.* Unde ut annuæ noſtræ ſ referunt, cum pia quædam fœmina Mediolani per plures annos variis ex doloribus graviter laborans decumberet, ſacerdos in ſacra expiatione, veram Dei famulam comperit, quæ cruciatus ſuos æquiſſimo animo ferret, iiſque adeò liberari non expetiit, ut orationem Dominicam percurrenti, religioni eſſet, verba illa proferre: *Sed libera nos à malo*, quod putaret ſe verbis illis à Domino petere, ut tolleretur dolor, quem ipſa augeri optabat, ut rectà in cœlum evolaret. Hoc porrò in ægris operatur commodi, divina providentia, ut per brevem pontem crucis, deducat in portum ſalutis. Teſtis è Societate noſtra juvenis, t qui morbo jam ingraveſcente, dixit in aurem familiari ſocio: tu, mi frater, ora, obſecro: grandis enim mihi imminet tempeſtas. Et ecce ſubitò ingruit multiplex dolorum cruciatus, ut omnibus membris graviſſimè torqueretur. Stupere interim omnes, condolere, precibus ad Deum recurrere; ipſe patienter agere, Dei clementiam, virginis opem implorare. Perduravit hoc malum integras quatuor & viginti horas; quo tempore exacto, diſſerenavit tempeſtas. Æger ad ſe reverſus, omnibus admiratione, & exſpectatione circumfuſis, luctæ ſuæ cauſam expoſuit: petiiſſe piacularibus flammis hic ſatisfaceret,

p Leſſius de ſummo bono, c. 7.
q Ezech. c. 4.

r Beda in ſcintillis. ſ Anno 1603. Mancinus de paſſione Chriſti, pag. 115. t P. Fernandez in Geneſ. cap. 35. ſect. 10. pag. 452.

ut

ut recta in cœlum evolaret, poſtulatíſque Deum annuiſſe; atque his tandem doloribus expiatus, placidè, ſanctéque obdormivit in Collegio Eborenſi. Non abſimile quid Cæſarius refert, Monacho Ciſtercienſi contigiſſe, v qui nocte inſequenti, qua extremum diem obierat, Prælato ſuo ſe miro lumine circumfuſus declaravit. A quo rogatus quid accidiſſet ut citra ullam in purgatorii pœnis moram, rectà cœlum conſcendiſſet? hanc cauſam ſubjecit: *Peracerbi dolores, immanes cruciatus; gravéſque angores, quibus in morte vehementer admodum ſum afflictatus, expiantis mihi flammæ in purgatorio vicem ſubiére.* Denique ad omnia adverſa, patientiæ clypeo nos muniamus, & de neceſſitate virtutem faciamus, ut aureo ſermone ſuadet Chryſologus, qui ubi Evangelicum latronem, è cruce effringentem Paradiſum laudavit, ſic ait: x *Et nos, fratres, qui de voluntate meritum non quæſivimus, acquiramus vel de neceſſitate virtutem.* Iniquè tecum agitur, innocenter opprimeris, condemnaris, calamitas invadit, morbus affligit, omnia in te elementa conſpirant, quid ages? audi vera, & recta monentem: y *Neceſſitati quis ſuccendet? Judex eſt* (qui litem abjudicavit) *plus illius credas ſententiæ, quàm tuæ. Rex eſt?* (cui fruſtra obniteris) *ſi nocentem punit, cede juſtitiæ: ſi innocentem, cede fortunæ. Mutum animal eſt?* (quod damnum intulit) *imitaris illud, ſi iraſceris. Morbus eſt, aut calamitas? levius tranſiliet ſuſtinentem. Deus eſt?* (qui pluit, ningit, tonat) *tam perdis operam, cùm illi iraſceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum.* Hæc, ne infinitus ſim, in aliis cujuſvis mali moleſtiis uſui, & fructui eſſe poſſunt. Venio nunc ad illam, quam mortales graviſſimam ducunt *crucem,* z nominis infamiam, calumnias, contumelias: quia *melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ,* imò quàm ipſa vita, quam multi perdunt, & prodigunt, quibus in primis curis, atque amoribus eſt bonum nomen: nam, ut ille canit,

Omnia perdideris, famam ſervare memento.

Ut tamen malevolentiam, ac maledicentiam hominum evites, in tua poteſtate non eſt, cùm nullus a *in illum editum* integritatis, ac ſanctitatis *verticem eductus,* ut extra omnem teli jactum (vipereæ inquam, linguæ tactum) *ſurrexerit:* nam ut Pſaltes ait: † *Sagittant in occultis immaculatum.* Africanus Doctor hic, non tantum viros juſtos intelligit; ſed Chriſtum, in quo nullus nævus, vel macula; & nihilominus quàm turpiter denigratus eſt candor lucis æternæ? nunc, ſeductorem populi, nunc blaſphemum, nunc vinolentum, & ut omnia acervatim dicam, malefactorem, energumenum, omnium dæmoniorum archiſtrategum, qui in Beelzebub, principe dæmoniorum, ejiceret dæmonia. Ut manifeſto comprobatur Pſalm. 71. *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt.* Ambroſius legit, *in excelſum.* Hieronymus: *Calumniam de excelſo loquentes.* Apollinarius: *Altiſſimum calumniis feriebant:* Ad hc

v Cæſarius lib. 12. c. 151. x Chryſolog. Serm. 167 y Seneca l. 2. de ira, c. 30

z Nominis infamia calumniæ patienter ferendæ. a Seneca de conſtant. Sa c. 1. † Pſalm. 65.

divin

divinæ patientiæ exemplar, ſe ingentes mentes, & magnæ Sanctorum animæ, in calumniis, & opprobriis conformârunt, quos ut & vos paſſibus æquis, in cruce hac, quæ mundo ſcandalum; ſed Deo, & Angelis glorioſum ſpectaculum, patienter ferendâ, æmulari poſſitis, & velitis, paucos in ſcenam producam.

Sunt amici quidam crucis Chriſti, qui tamen vivaci quodam ſenſu tanguntur, ſi turpiter notentur in vitiis, à quibus maximè abhorrent, quæque famæ ſuæ graviſſimè adverſari arbitrantur. Verbi gratia, hic ſacerdos, ne ſcortator: hic divini verbi præco, ne Euangelii prævaricator: hæc ſanctimonialis, ne gulæ, & ingluviei ſectatrix habeatur: atque ita de cæteris. Ne in immenſum excurram, ad imitandum cuique exemplum proponam. Mitto Davidem, qui Semei ſibi obtrectantem, & canis inſtar oblatrantem, patientiſſimè tulit. Integerrimæ matronæ Suſannæ, acerbiorem ipſa morte calumniam fuiſſe, quam *b tacendo vicit*, omnibus perſpectum eſt. Recentiora videamus. *c* Sacerdos Soc. Jesu, ut ſcribit Janus Nicius Erithræus, confeſſionibus audiendis præpoſitus, matronæ cujuſdam, eximiâ pulchritudine cum pari integritate, pudicitiáque conjuncta, confeſſiones excipiebat. Hanc juvenis quidam impurus ad inſaniam concupiebat; ſed cùm omnes ad eam aditus ſuis cupiditatibus intercluſos aſpiceret, exiſtimavit id ſacerdotis illius conſiliis, & admonitionibus fieri: ac pro certo credidit, illud tam munitum præſidium pudicitiæ, ſe expugnaturum, ſi dediſſet operam, ut eo auxilio nudaretur. Itaq; ſacerdotem illum apud ſuperiorem ſuum probri, flagitiíque inſimulare conſtituit: nec mora, ad eum venit, oſtendit ſacerdoti, illi veterem cum ea muliere, ſtupri conſuetudinem eſſe: fictos in eum teſtes dat, qui dicunt pro teſtimonio, eum à ſe, manifeſto in flagitio deprehenſum, atque adeò rem totam ad ſimilitudinem veri componit, ut omnis miſero illi, tum inficiandi, tum exiſtimationis ſuæ, à calumniis vindicandæ ratio præcideretur. Quamobrem ſuperior de conſilii ſententia, graviter in eum adimadvertendum ſtatuit; ac primò ſacris eum interdicit, tum abjectioribus quibuſdam officiis præficit, publico abſtineat, & alia etiam humiliora procuret; quam ille contumeliam, Chriſti Domini causâ, tacitè ferendam arbitratus, generosè exſorbebat. Non eſt oblitus Dominus ſervi ſui; ſed lethali calumniatorē illum morbo percuſſit: quo dum indies acrius premeretur, confeſſus eſt ſacerdoti peccata ſua, cui inter alia negotium illud aperuit, quod innocenti faceſſiverat. At prudens ſacerdos, non poſſe eum Deo judici ſalvū eſſe reſpondit, niſi quē fama privaverat, eâdem redonaret: qui facti pœnitens, rem totam ſacerdoti permiſit, qui ſuperiorem adiens, ærumnoſum illum falſo crimine circumventum liberavit, gaudente plurimum ſuperiore, ac ſacerdoti illi maximas gratias referente, qui mox glorioſa commendatione innocentem extulit; at longè ampliori mercede à Chriſto donatum, ob crucem tam ignominioſam, adeò

b Aug. Serm. 118. de temp. c Ianus Nicius Erythræus, exemplo 13.

adeò conſtanter, & patienter toleratam; quam adeò gravem ducit Chryſoſtomus, c *ut multi ad laqueum convolarint, famæ opprobria non ferentes.* Quo in genere longè illuſtrior exſtitit S. Petrus Martyr, Dominicani Ordinis decus, ut aliàs enarravi. Magna ſanè virtus, quam niſi præluſeris, ægrè conſequaris; ita námque apud milites fieri ſolet, primum illi arma comparant, & ludicrum certamen, in fictum hoſtem, vel hoſtis imaginem inſtituunt; unde palæſtrica illa nobilium certamina, & ſimulatæ gladiaturæ velitationes exortas credo, quibus illi veris ſe præliis apparabant. Res clara exemplo fiet. *d* Annus agebatur 1346 cùm Rhodum invaſerat inuſitatæ magnitudinis draco, qui in ſpecu iſtic deliteſcens, vicinum aërem inficiebat, ut equitibus hunc locum, quem ipſi Maupas dicebant, pertranſire vetitum eſſet. Adeodatus erat, cognomento Gozon, nationis Gallicæ, equitum magiſter, qui certus huic peſti occurrere, ad fratrem in Gozonem, Galliæ vicum ſeceſſit, ibíque in Draconis fabrefactam imaginem, ipſo aſpectu horribilem & terrificam, equum, cui inſidebat, bonóſque moloſſos, quotidiano uſu irruere docuit, quo veri monſtri metum illis adimeret. Tum Rhodum reverſus, clam ad Draconis ſpecum, relictis ſub vicinum collem famulis, perrexit, in eumque ferociter inſiliit Et verò equus nihil jam belluæ, cui aſſueverat, ſpecie territus, nec magis Moloſſi, ardenter prælium capeſſunt. Eques haſta cùm nihil promoveret, gladio Draconis guttur, ubi mollior cutis erat, transfodit, & beſtia concidit quidem, ſed in Adeodatum reſupinata, victorem ipſum propè victoria oppreſſit. Ocyus advolare famuli, herúmque amoliri inſtiterunt. Addit Auctor, aſſervari ſolitum in Gozonis familiâ lapidem, ex Draconis capite extractum, olivæ magnitudine, varii coloris, fulgentem, præſentiſſimum adverſus venena antidotum, qui liquorem, cui immergitur, ſic fervefacit, ut bullire videatur. Dimicandum nobis eſt, abnegandi noſipſi, ferenda Chriſti improperia. At horrendum hic monſtrum occurrit, ſed inexpertis. Equum noſtrum, inferiorem animæ partem: canes noſtros, ſenſus nimirum quà externos, quà internos, quos ad ſui cuſtodiam natura poſuit, ad congreſſum hujus belluæ, viva præmeditatione, & in minoribus præluſione, ubi vel congrediendi occaſio ſeſe offert, aut neceſſitas cogit, exerceamus. Ita ſapuiſſe, ita feciſſe legimus *e* P. Joan. Hieronymum, Societatis noſtræ ſacerdotem, qui ob virtutum ornamenta, & conciones per Hiſpaniam celebris, & apud Philippum II. gratioſus, veſpere plures horas orationi dare ſolitus fuit, in qua ſæpius amorem ſanctum, ad luctam cum amore proprio provocabat, ibi inſtructâ velut acie, prodibant omnia mala huic infeſta, & unum poſt aliud quam horrificâ poterant, ſpecie ad incutiendum metum ſe mentis meditantis repræſentabant, hæ

c Chryſoſt. hom. 15. in Matth.

d Boiſſatus in hiſt. Eq. S. Ioannis pag. 121.

e Annales Societ. Pennequin amour divin. part. 1. c. 7. n. 4.

rebant

rebántque velut in conſpectu, donec paratum ſe ad illa perpetienda, & ſuperanda Deo offerret. Id cum die quodam ageret, & famem, ſitim, morbos, carceres, mortem ipſam, velut præſentia, pro amore Chriſti ſubeunda volens, jubénſque acceptaſſet, ſubit poſtremum monſtrum horrendum, ingens animo, ipſa nempe ſpecies hæreſeos. *Quid ſi te jam inquiſitio ſacra accerſeret; & de propoſitione hæretica in pulpitis prolatâ, accuſatum examinaret, & damnaret?* hic hæſit, & ad Deum converſus, ait: *Non hoc Domine:* cúmque nihilominus videretur ſibi minus liberaliter cum Deo agere in hoc puncto; poſt aliquam cogitationum pugnam, & cum imaginaria illa bellua depugnans, exclamavit: *Et hoc etiam Domine.* Vix hæc verba protulerat, cùm apparitor fores pulſat, ad Inquiſitores vocat, à quibus jubetur abſtinere à pulpito, donec de propoſitione hæretica, quam dicebatur inter concionandum protuliſſe, planè ſe purgaret. Etiam accuſatus eſt apud Romanum Pontificem, de verbis contra ſupremæ ſedis auctoritatem temerè prolatis, Romámque accerſitus, ut dictorum rationem redderet. Quæ ubi omnia æquiſſimè toleraſſet, in utroque tribunali, poſt longum examen, innocens declaratus, & concionibus tum Romæ coram Pontifice, tum in Hiſpania deinceps, majore quàm antea audientium applauſu habitis clarior evaſit; ſed etiam Deo charior, ob crucem illam probroſam conſtanter toleratam. Ne & vobis crux ignominiæ, terrifici inſtar monſtri, terrori ſit, illam vobis quandoque piâ commentatione proponite, & ut exſuperare poſſitis, in minoribus opprobriis, & injuriis tolerandis, vos ipſos exercete: quia effugere, & inuſtam notam delere non poteſtis. Sic etenim Caſſiodorus, lib. 8. Epiſt. *Nulla poteſtas, quæ qualitatem famæ ſuæ, de ore hominum poſſit auferre.* Hoc ſolius Dei, cui cura eſt de fama, & nomine tuo, ut Gelaſius Pontifex loquitur: *Infamiam facti* (& dicti) *removere ſolius Dei eſt.* Sed parum eſt ab hominibus fœdam nomini, ac integritati labem inuri, invidus ſtygis lavernio, ut vaferrimo eſt ingenio, puriſſimas mentes hac parte aggreditur, qua ſcit ſe validiſſimam virtutis opinioni impreſſionem facere poſſe. Sic Mariam Magdalenam de Pazzis, quam nuper Urbanus VIII. beatarum Virginum catalogo adſcripſit, jejuniis, ac inediæ impensè deditam, & gulæ, ac intemperantiæ vitium maximè abhorrentem, hoc aſtu ludere tentavit. f Aſſumpto habitu, & ſpecie B. Magdalenæ, dum aliæ in choro orarent, viſus eſt dæmon è cacabo culinæ, carnes furtivè ſubducere. Unde factum, ut id feciſſe B. Magdalena ab ea, quæ culinæ præerat, putaretur, cum magna ſuæ integritatis nota; re evulgatâ, tacens illa, patienter omnia ſuſtinuit, donec è monialibus una, ſanctè teſtata eſt, eam illo ipſo tempore in choro fuiſſe, & à ſe viſam eſſe. Hauſerat illa indubiè cum lacte, Spiritum ſanctiſſimæ matris ſuæ Thereſiæ, cujus hæc documenta, oraculi loco habenda ſunt: g *Ma-*

f Puccinus in vita, c. 47. g S. Thereſia in itinere perfect. c. 15.

gnum humilitatis argumentum eſt, videre immeritò, & innocentes nos damnari, & ſilere. Quod qui faciat, næ ille Deum Dominum egregiè imitatur. Atque ut eximium in hac cruce portanda exemplum, ac documentum traderet: *Numquam*, inquit, *ullum aliquod malum de me loquentem audivi, quin liquidò perſpicerem, minus illum dicere, quàm revera erat. Nam etſi fortè eadem mala non eſſent; in aliis tamen plurimis Deum offenderam: unde etiam pluſquam ſatis mihi facere videbantur, quod de aliis nihil dicerent.* Hoc illa candidiſſima anima. quod vobis fortiſſimo argumento, & acri ſtimulo eſſe debet, ad opprobria quævis devoranda, quia in aliis plurimis, iiſque graviſſimis Deum offendiſtis, quæ ſi omnibus nota palam evulgarentur, confuſionis majorem materiam haberetis. Unde & illud ſolatii loco ſubjungit: *Semper magis mihi placet, ut quæ falſa ſunt de me dicant, quam quæ vera*; cùm contra, ipſi ægerrimè feramus, nos falſo accuſari, ac denigrari. De his fuſè Lancicius, opuſc. 9. cap. 4. de omnibus qui graviter paſſi ſunt. Sunt denique omnis generis cruces ferendæ, quia omnes, ſi patienter tolerentur, cruces Chriſti ſunt; unde ad mores ſolerter S. Franciſcus Saleſius, ad piam quandam animam ſcripſit: h *Nunquam certò ſcitum eſt, ex quo ligno* CRUX CHRISTI *fuerit fabricata, ut* CRUCES *omnes à Deo, aut à quocumque immiſſas, æqualiter amaremus*, quocumque demum è ligno, aut materiâ eſſent compoſitæ, nec diceremus: crux hæc, aut illa, non eſt amabilis, quod non ſit de ligno crucis Chriſti: tum ſuo exemplo Sanctiſſimus hic Antiſtes docet, quaſcumque cruces indifferenter acceptandas, & amplexandas eſſe, dicens: i *Saluto vos ô parvæ, & magnæ* CRUCES. Idipſum piiſſimus aſceticæ vitæ Doctor tradit: k *Verus patiens*, inquit, *indifferenter ab omni creatura, quantumcumque, & quotieſcumque ei aliquid adverſi acciderit, totum hoc de manu Dei gratanter accipit, & ingens lucrum reputat.* Ne ergo quis dicat: Paratus ſum jejunare, corpus meum vigiliis, aliiſque afflictationibus excruciare, ſtationes obire, ægris diu, noctuq; aſſidere; ſed nequeo pati, me adeo vexari, derideri, contemptui ac ludibrio haberi; nolim me pro furaci, ſalaci, ſcorto, aut ſaga, digito notari; præſertim à cognatis, & conſanguineis, ab hera, cui tot annos tam fideliter ſervivi, ab eo cui plurima beneficia contuli: à vilibus, & abjectis hominibus; libenter ab alio patiar. Sic tibi illudis; hoc eſt, te in Schola crucis Chriſti planè rudem, ac tironem oſtendere, & in primis ejuſdem Gymnaſii principiis ignarum: l *Non eſt verus patiens, qui pati non vult, niſi quantum ſibi viſum fuerit, & à quo ſibi placuerit.* Ad omnia quæ incurrunt, undecumque, à quocumque adverſa, firmandus animus eſt, imò obviandum, ſponte accipienda, & libenter toleranda ſunt, ut emphaticè ille: m *Virtus fortiter ſtabit, & quidquid evenerit, feret non patiens tantum, ſed etiam volens, & ut bonus miles, feret vulnera, enumerabit cicatrices, &* transſ-

h Sacres reliques du S. Franc. de Sales, cap. 8. & l. 5. vitæ.

i Idem. epiſt. 99. & ep. 64. k Thom. A Kempis. de imit. Chri. l. 3. c. 19. l Thom. A Kemp. cit. m Sen. de vita beata c. 15.

tranſverberatus telis, moriens amabit eum, pro quo cadit; Imperatorem. Habebit in animo illud vetus præceptum: Deum ſequere. Quiſquis autem queritur, & plorat, & gemit, imperata facere vi cogitur, & invitus rapitur ad juſſa nihilominus. QUÆ AUTEM DEMENTIA EST, POTIUS TRAHI, QUAM SEQUI? nunc ad *Chriſti Crucem* gaudenter, & ardenter complectendam, qui ſummus gradus perfectionis eſt, veniamus.

§. IV.

Conſummatur in charitate, qui amplectitur n CRUCEM CHRISTI ARDENTER. Bern. Serm. de S. Andrea.

SAnctus Bernardus, qui faſciculum myrrhæ inter ubera ſua commorari, & Crucem Domini jugiter in corpore ſuo portare voluit, in gymnaſio Crucis, tres quaſi ordines, & gradus conſtituit: p *triplicem*, inquit, *hic licet conſiderare gradum: incipientium, proficientium, & perfectorum. Qui initiatur in timore*, CRUCEM *Chriſti ſuſtinet* PATIENTER. *Qui proficit in ſpe, portat* LIBENTER. *Qui conſummatur in Charitate, amplectitur eam* ARDENTER. in prima claſſe incipientium, collocandi videntur, qui cum Simone Cyrenæo, coacti, & angariati, Crucem Chriſti violenter portant; poſtea tamen de neceſſitate facientes virtutem, ac divinæ voluntati ſe conformantes, eam portant *patienter*. Illud enimverò mirabile, quod Simon ad tollendam crucem angariatus, ejuſdem Crucis virtute, non ſolum poſtea in Chriſtum credidit, ut Lucius Dexter tradit: q *non fraudatus debita mercede portatæ poſt Chriſtum Crucis*; ſed etiam ut refert Braulio: r *prædicavit in Hiſpania, comitans eò primo Paulum, tum Iacobum*, & à Petro conſecratus Epiſcopus, obiit Hieroſolymis, coliturque prima die Decembris. Non itaque diffidant, qui cum Cyrenæo, tribulationis Crucem portare incipiunt angariati, & violenter; ſed poſtea ſuſtinent patienter: quia & hi, ut de Simone dictum eſt, *non fraudabuntur debita mercede portatæ poſt Chriſtum* CRUCIS; quod advertens Origenes, ait: ſ *non ſolum eum conveniebat accipere* CRUCEM *ſuam; ſed & nos conveniebat portare eam, ſalutarem nobis angariam adimplentes*. Salutaris autem eſt hæc angaria iis omnibus, qui tribulationis Crucem, ſi minus libenter; ſaltem ſuſtinent *patienter*. t Patienter verò ſuſtinent omnes ii, qui licet in leves aliquos impatientiæ motus actualiter incurrant; habitualiter tamen tribulationem Deo offerunt. Et quamvis crucis amaritudinem ſentiant, cum Chriſto tamen ſe divinæ voluntati patienter conformant. Sed de his ſupra ſatis. Unum ſupereſt, ſi ad gradum perfectorum pertingere velitis, ut crucem

n Crux Chriſti libenter, & ardenter amplectenda. p Bern. Serm. de S. Andrea.

q Lucius Dexter Chron. Chri. 112. n. 10. r Braulio. in addition. ad Chron. Maximi. ſ Origen. in Matth. c. 27. t Recupitus de ſignis prædeſt. ſigno 4.

voluntarie, *libenter*, & *ardenter amplecti* ſtudeatis. Ad hoc ſapiens exſtimulaſſe videtur, Cant. 5. ubi Eccleſia ſub typo ſponſæ dicit: v *manus meæ ſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima*, quæ apud Eccleſ. vocatur *myrrha electa*. Duplex quippe eſt genus myrrhæ: unum vile, quod ex arboris ſucciſo cortice, non niſi vi, ferroque exprimitur. Alterum multo nobilius, quod ſponte ſtillat ex arbore, & hæc dicitur myrrha *probatiſſima, ſeu electa*, atque, ut ait Plinius, x *myrrhæ huic, quæ ſponte ſtillat, nulla præfertur*. Cum igitur teſte Bernardo: *myrrha amara res, dura, & aſpera, tribulationem ſignificet*, duplex eſt cruciatus, ac tribulationis genus. Alterum ejus, quæ violenter ſuſtinetur ab invito, & planè renuente; & hæc, myrrha quidem eſt, quia amara, ſed vilis: quia omnino violenter expreſſa. Alterum genus eſt tribulationis, & crucis voluntariæ, & ultro prorumpentis, & ad eam ſeſe effundentis, atque hæc eſt *myrrha probatiſſima, & electa*, quæ ſponte ſtillat. Sic etenim Hugo Cardinalis: y *myrrha quæ ſponte emanat, pretioſior eſt, & electa dicitur; quæ verò per inciſionem manat corticis, eſt vilior. Eccleſia* (& anima juſti) *eſt myrrha electa, per ſpontaneam carnis mortificationem*, per ſpontaneam, & ultroneam Crucis Chriſti ſuſceptionem. Hujuſmodi animas Chriſtus Sponſus cruce onuſtus, hac ſolenni inventionis die quærit, & raras invenit. Unam conſtat Claram de monte Falco reperiſſe, cui Crucem humeris geſtans apparuit, & dixit: z *Sponſa mea Clara, quæſivi locum ſolidum, in quo hanc CRUCEM plantarem, & inveni cor tuum, ubi eam figere exopto, ſed oportet te in hac CRUCE mori, ſi ſponſa, ſi filia, ſi hæres eſſe velis*. Nemo arborem plantat in luto, aut in fortuitò congeſto arenarum cumulo, aut in rapido torrente, aut terrâ ſaxoſa, ubi ventorum turbine, aut undarum impetu, radicitus evertatur; ſed quærit ſolum ſolidum, ubi perpetuo infixa hæreat, radices agat, ac fructus uberes proferat. Ita Chriſtus locum ſolidum, terram uberem, Sanctæ Claræ cor delegit, ubi Crucis ſuæ arborem defigeret, nullis tentationum ventis, aut adverſitatis procellis eradicandam, in qua ipſam Chriſto confixam emori oporteret. At quo, & quanto prærogativo, ad mortem uſque libenter cum Chriſto in Cruce hæſit? ut Sponſa Sponſi ſanguinum: ut *filia* Filii Dei, qui obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: ut hæres Regni illius, cujus non erit finis, eſſe poſſet: nam *ſi compatimur & conregnabimus*. Tam arctè Clara, tam ardenter amplexa eſt, tam altè cordi infixit, ut poſt mortem divina cælatura crucis, & omnia Sponſi patientis arma exhibuerit. In nobis nil tale cœlum ſculpit, quia dura heu, & nimis ſaxea corda gerimus, in quibus nec ſtabilis, nec minimus crucis figendæ locus. Cœleſti non caret myſterio, partes Sanctiſſimæ crucis per totum orbem fuiſſe diviſas, ut locus non eſſet, ubi aliquid è ligno Crucis non reperiretur. Juxta illud Cyrilli Hieroſolymitani: a LIGNO CRUCIS *univerſus terrarum*

v Cant. 5. Ecl. 24. x Plin. l. 12. c. 15. Bern. Serm. 43. In cant. y Hugo.

z In vita. a Cyrill. Hieroſ catech. 4.

terrarum Orbis per partes repletus eſt Magnus Theſaurus, qui meritò & argento, & auro,& gemmis includitur, atque beatos ſe jure reputant, qui vel minimam particellam nacti ſunt. Sed hic Theſaurus per ſe nec beatos,nec Sanctos facit: Nam & plurimis annis apud Turcas delituit, & apud multos inglorius jacet. At cruces ſpirituales, amore Crucis Chriſti ardenter expetere, libenter tolerare, & arctè complecti, hoc enimverò nos Crucis Chriſti amatores, & imitatores efficit. Ad hoc b ardens patiendi deſiderium,amanter nos invitat,& inflammat, inſatiabilis Chriſti ſitis, & ardor in crucem ſuam, quam teſtatur his verbis: c *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur*; S. Thomas hic: d *id eſt, Sanguinis proprii tinctione prius habeo perfundi, & quomodo* inquit, *coarctor? ſeu coangor, non ex metu mortis, ſed ex mora.* Conſimili ſenſu Hugo Cardinalis: e *quantum, & ex quanto deſiderio appeto, & deſidero ipſam paſſionem, pro ſalute hominum conſummari*; ſic Euthymius: *anxius propter tarditatem.* Theophylactus præfata verba exponens, baptiſmum, mortem Crucis vocat, *hanc autem valde deſiderans, quomodo,dicebat,conſtringor,id eſt quam ſolicitus, & anxius ſum, ac premor, donec perficiatur.* Præclarè id de quo agimus confirmat, quod nobis S. Catharina Senenſis,ævi ſui gemmula, in epiſtola quadam ſcriptum reliquit: nempe poſtremam illam Chriſti luctam,quam agoniam vocant, neutiquam ex imminentium tormentorum horrore, metuve aliquo mortis exortam fuiſſe,verum ex ardentiſſimo amore,ſtudioque patiendi, ac potiſſimum ex dilatione moriendi in Cruce.Quod clarè S. Ambroſius aſſeruit,dicens: *non ex metu mortis; ſed ex mora noſtræ Redemptionis.* Unde meritò exclamat Bernardus: f *quantum eos diligebas, pro quibus mori cupiebas: nobis vitam, tibi mortem affectabas; ſedulo conſiderate fratres, quantum eſt diligendus, qui ſe tradentem ad mortem ſic hortatur, dicens:* QUOD FACIS, FAC CITIUS. Atque hoc deſiderium patiendi, non in ultimo vitæ termino, ſed ab ipſo primo incarnationis momento exarſit, & actu exercuit.Quare ubi ore Prophetico ſic locutus invenitur: g *in laboribus à juventute mea*, vertit Genebrardus: *Exſpirans ſum à juventute mea*; vel ut Cajetanus, *obiens ſum à puero* Vatablus: *animam ago ab adoleſcentia*, veluti qui lenta morte conficitur. Unde SS. Patres hunc Pſalmum, ad mundi Redemptorem referunt, cui propter continuum mortis deſiderium,ſpirare,exſpirare fuit Quod probè intelligens, purpurâ, & Sanctimonia eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus, ita ſcripſit: h CRUCEM SUAM *Chriſtus ſemper ante oculos ſic habuit, ut verè dici poſſit, toto vitæ ſuæ tempore in ea pependiſſe. Imo cum ejus ſcientia indita, ſeu infuſa eſſet independens à corpore, & ſenſibus, quando corpore dormiebat, cor ejus vigilabat; nec ab intuitu* CRUCIS, *aut doloribus* CRUCIFIXI *vacuum erat.* Teſtatum id ipſe ſingulari amico ſuo-

b Ardens Chriſti patiendi deſiderium.
c Luc.12.v.50. d S.Thomas hic in catena. e Hugo. hic.

f Ber.Serm.3.in Cant. g Pſ.87.v.16
h Bellarm.de gemitu columbæ.l.2.c.3.

voluit, ut Alanus Rupenſis ſcriptum reliquit, dicens: *A principio meæ conceptionis, ad horam uſque mortis, CRUCIS tormenta pertuli pro te, & cunctis filiis Adæ.* Ut & vos à juventute, & pueritiâ, & per omnem vitam libenter crucem ferre, ardenter complecti velitis, exſtimulet vos monitum, quod Benigniſſimus Jeſus dedit dilectæ Sponſæ ſuæ Mariæ Magdalenæ de Urſinis; *i* cum hæc continuis doloribus affligeretur, contigit die quadam ſuper his apud Dominum impenſius queri; inter quæ, ſomno correpta fuit. In ſomnis apparuit ipſi Chriſtus Crucifixus, filiam ſuam, ad alacriter ferendam crucem, adhortans, cum ipſe ejus cauſa duriorem longè, gravioremque portaſſet. Dicente autem illa: *O Domine, non fuiſti CRUCI affixus, niſi tribus horis; me vero tot jam menſibus CRVCI affixam, vis iſtam perferre omnibus diebus vitæ meæ?* Replicavit Chriſtus: ah ingrata! *à primo inſtanti meæ conceptionis, uſque ad extremum vitæ, CRUCEM ſuſtinui, incipiens jam tum pati per vivas apprehenſiones ſecuturæ CRVCIS, quam ſemper habui præ oculis, donec illi reipſa affixus fui*; quæ Patris optimi filialis correptio, tantum illi profuit, ut Cruces ei antea formidabiles, poſtea forent optabiles, & ambabus ulnis complexa, & exoſculata ſit. At quis ſatis animo aſſequatur, cum per omnem vitam redemptor noſter crucem tulerit, & deſiderio patiendi, millies, & millies emortuus fuiſſet, niſi divinitus vita ſuſtentata, quam ardenter illam ſibi in Golgothæo monte paratam ſalutarit, oſculatus ſit? nemo avarus quem auri dira fames exſtimulat, ita ardenter in theſauri, in auri cumulum irruit: nemo procus, amoris facibus inflammatus, tam arctè ſponſam ſuam ſuaviatus, & amplexatus eſt, ut Chriſtus Crucem ſuam, quæ ſola omnes dolores, & patiendi ardores ſolari poterat, ut per Prophetam vaticinatus fuerat: k *conſolabitur me lectulus meus.* Adeo ut Crux illi gratior, & jucundior thalamus, quàm amantiſſimæ Matris uterus extiterit. Huc imprimis facere arbitror, B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virginis Ecſtaticæ; ſeu potius Chriſti, ejus ſponſi teſtimonium. *l* Anno 1588. cum in feriam ſextam Sanctioris Hebdomadæ, Jeſu patientis cultui præcipue dedicatam, feſtiva B. Virginis Annunciatæ ſolennitas incidiſſet, accidit ut devota hæc Dei famula, in profundam horum myſteriorum contemplationem digreſſa, mira omnino de eiſdem divino acta Spiritu loqueretur. O Maria, inquiebat, Sanctiſſimæ Trinitatis voluptas! O Verbum æternum, incomprehenſibile, eodem tempore te parvulum in Mariæ utero, & in Cruce intueor. *Dic mihi ô Verbum, libentiuſne in CRVCE, an in Virgineo utero manebas?* Crux in horrido monte, & in ſolo arido, & ſterili defixa erat: Mariæ uterus erat illa tam jucunda, amœna, benedicta, atque frugifera terra, quæ te fructum vitæ producere debebat. O mi Jeſu, in utero Mariæ, ſuper ſolem pulchra erat facies tua; in cruce verò ſine pulchritudine, & decore

i Ioan. a S. Maria in vita. tom. 2. p. 612.

k Iob. 7. v. 13. l Puccinus in vita. Marraccius Lilia Marian. c. 10. §. 14. p. 272.

decore apparebas. In utero Mariæ omnia membra tua creſcebant, & nutriebantur; at in Cruce, ut ita dicam, minuebantur: Ex omnibus enim copioſum ſanguinem effundebas. in utero Mariæ ſuavem illum guſtabas liquorem, qui continuè ab ejus puriſſimo, ac Virgineo corde, in os animæ tuæ ſtillabat; at in cruce, felle, & aceto potaris. In utero Mariæ, nobiles audiebas laudes, quas illa indeſinenter tibi promebat; at in Cruce, horrendas Judæorum blaſphemias excipiebas. Quapropter *dic mihi ô Verbum? ubi libentius manebas, in utero Mariæ, an in* CRUCE? IN CRUCE, IN CRUCE. O divinum reſponſum! ſuaviſſimè applaudente Bernardo, cum dixit: *cariora illi fuere* BRACHIA CRUCIS, *quàm ubera matris.* Ad quid enim in utero Mariæ manebat, niſi ut ſuo tempore maneret in Cruce; In ſinu Patris recumbens, ad uterum Mariæ aſpirabat, manens in ſinu Matris, aſpirabat ad Crucem. Hæc votorum ejus ſumma fuit, quæ ipſum præ omnibus aliis tormentis acerbiſſimè excruciavit. Bernardus, cui complexu ſuo Chriſtus amorem Crucis inſpiravit, duo JESU patientis dicta, una conſideratione, quaſi ſibi mutuo adverſantia, expendit: m *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte*; idque iteratò. Et illud in Cruce: *Sitio*, combinat illa, atque admirans exclamat: n *Quid eſt hoc? ante quam guſtes, o bone JESV, petis Calicem omnino auferri; & poſtquam bibiſti, SITIS? ut video, mirabilis potator es tu.* Ex his variantibus in ſpeciem CHRISTI deſideriis concludit denique in hæc verba: *quando paſſionis calicem, quem antea rogaveras auferri, jam exhauſiſti, dixiſti; SITIO; dilectionis erga nos tuæ magnitudinem commendas, tanquam diceres: quamvis paſſio mea tam acerba fuerit, ut quantum ad humanitatis ſenſum illam declinare petiverim; tamen tua, ô homo; me charitate vincente, & ipſa tormenta CRUCIS ſuperante, adhuc plura, & majora, ſi neceſſe ſit, SITIO ſubire tormenta.* Illud unicum verbum *Sitio*, uberrimam, ac pulcherrimam, ſi SS. Eccleſiæ Patres, & Interpretes conſulamus, ferventiſſimæ meditationis exhibet materiam. Sed ut propoſito noſtro inſiſtamus; occurrit illud Regii vatis: p *cucurri in ſiti.* S. Baſilius, Theodoretus, Euthymius vertunt: *cucurrerunt in ſiti*, Judæi nempe, paraturi virgas, flagra, ſpinas, & crucem; ſed CHRISTUS magis ardebat ad ea ſuſcipienda, quam ipſi ad inferenda. *Cucurrerunt illi in ſiti*, & ego inquit, *cucurri in ſiti.* Ardentiſſimum hoc JESU deſiderium, acutè, & egregiè colligit venerabilis Beda ex verbis CHRISTI pendentis in cruce: q *DEVS meus, DEVS meus, ut quid dereliquiſti*

m Matth. 26. v. 39. n Bern. tract. de paſſ. c. 13.

p Pſal. 67. q Matt. 27.

me? de quo inquit, arbitramini Salvatorem noſtrum hic apud Patrem queri? & reſpondet: r *Chriſtus ex vi tormentorum, ſuam mortem accelerari videns, & volens diutius pro nobis ferre tormenta, hanc amore refertam querimoniam propoſuit Patri: Pater, cur tam cito me mori diſpoſuiſti? Cur non moras protrahis, ut magis, magiſque pro hominis amore patiar?* Hanc patiendi ſitim, Seraphici Doctoris confirmat auctoritas, qui ait, ſ Chriſtum tanto deſiderio patiendi exarſiſſe, ut tribus horis in Cruce, inter acerbiſſimos dolores exſaturari non potuerit; ſed expetierit ſæpius, ac plura perpeti, atque in cruce uſque ad mundi finem vivus pendere; ſi quidem vel Patris æterni voluntas, vel ſalutis noſtræ ratio exegiſſet. Cui „ ſubſcribit Bloſius, Abbas Leti„ enſis, qui ad illud verbum *Sitio*; „ ſic Chriſtum inducit: *t* Aſpice „ ut tuæ ſalutis gratiâ exhauſtus, „ & conſumptus ſum: Vide „ quam horribiles ſum perpeſſus „ dolores, & cruciatus; nondum „ ſatisfactum eſt cordis mei deſi„ derio: Etenim ſi fieri poſſet, & „ Patri gratum foret, *vel millies ob* „ *Salutem omnium veſtrum crucifigi, & ad extremum uſque judicii diem in hiſce miſeriis, doloribuſque hic pendere optarem.* Idem argumentum luculenter proſequitur Patriarcha Venetus, qui Salvatorem noſtrum, ſic Cœleſtem Patrem compellantem, inducit: v *ſi hæc, quæ tolero, pauca videntur, adde flagellum flagello, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percute, occide, univerſa hæc, & majora toto deſiderio SITIO.* Sitit plura pati, & poſtquam calicem tot opprobriorum, dolorum, ac tormentorum ad fundum uſque exſorbuit, ardentiſſima amoris febri ſuccenſus, adhuc clamat, *Sitio.* Quod diſertiſſimus Eccleſiaſtes x indicari vult per verbum illud, ſi per interrogationem ſumpſeris: *conſummatum eſt*? Ergone nihil ſupereſt patiendum? Talia hæc verba, qualia febricitantis, qui cum poculum aqua plenum exhauſit, & adhuc ſitit, circumſpicit, & clamat: Aquam, aquam. y *Mirabilis potator es tu Domine Jeſu, poſtquam bibiſti, SITIS.* Ardentiſſima hæc ſitis, tot amantium pectora accendit, ut ipſi crucem arderent, & plura, ac plura amore Jeſu Crucifixi perpeti ſitirent. Fervida divi Andreæ deſideria, *lingua ejus, & verba ignea* teſtantur, quibus eam eminus ſalutavit: z *O bona CRUX! quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata!* probat autem Ferrandus noſter, a crucem Andreæ non decuſſatam fuiſſe, ut paſſim pingitur, ſed prorſus ſimilem Cruci Chriſti. Hanc verò crucem ſuam, quam ardenter complexus, & exoſculatus ſit, D. Bernardus exponit: *ubi paratum ſibi lignum intuitus eſt, ex hoc jam plane totus igneſcens, applaudebat, & blandiebatur illi Amatæ ſuæ,* ut nullus Sponſus ſponſæ, aut procus amaſiæ. Talis ardor Pauli, qui ſtigmata Domini

r Beda. in Matt hic. ſ Bonav. medit. de Paſſ. t Bloſius. de Paſſione Dom. 18. v B. Laur. juſtinian, de triumphali Chriſti agone, c. 19.

x Lanuza. hom. 25. §. 8. n. VIII y Bern. cit. z Bern. in Vigilia S. And. in breviar. Rom. a Ferrandus diſquiſitio Reliquiaria lib. 1. c. 4. ſect. 2. Bern. cit.

jugiter

Jugiter in ſuo corpore portavit, & Chriſto confixus cruci. Qui nullis laboribus, ærumnis, doloribus ſaturari potuit : b *in cruce gloriatur quam amplectitur, cui inſeri nititur*. Talis ſitis patiendi eluxit in Laurentio, qui ſic ad Valerianum Imperatorem minantem, & monſtrantem ignes, rotas, ſcorpiones, beſtias: c*hanc menſam*, inquit, *appeto*, *hanc SITIO. Non eſt famelicus qui eſcam, nec ſitiens, qui potum deſiderat tam avide, quam ego hæc omnia tormenta ambio, & SITIO, ut amorem amori, dolorem dolori, mortem morti rependam Chriſto meo.* Conſimiles voces fuere inviẞiſſimi Martyris Vincentii, qui hiſce verbis, Daciani carnifices increpat : d *quam eſtis deſides, quam imbelles ? putabam vos longe eſſe fortiores. En ego plura pati deſiderio.* At ne longior ſim, exemplo ab uno omnes diſcite, quid valeat inſatiabilis patiendi ſitis pro Chriſto. Viginti octo annis nobiliſſimum Martyrium ſuſtinuit Clemens Epiſcopus Ancyranus, *e* qui poſt mundum conditum, omnes quocumq; tormentorum genere excruciatos, longè exſuperavit. Genera tormentorum hæc fuere: ligno appenditur, & ferro raditur : lapidibus os, & genæ illi contunduntur, in carcerem compingitur, rotæ alligatur: fuſtibus verberatur, cultris laceratur: ferreis graphiis os ei compungitur, maxillæ confringuntur, dentes excutiuntur, compedibus ferreis conſtringitur, rurſuſque in ergaſtulum conjicitur. Crudis bubulis nervis cæditur, à trabe ſuſpenditur, tædis ardentibus latera uſtulantur, feris objicitur, ſubulæ ignitæ per medios digitos illi adiguntur : viva calce obruitur, duoſque dies in illa relinquitur. Lora è cute corporis ab humeris detrahuntur: fuſtibus iterum contunditur, in lectum ferreum, igneq; candentem conjicitur : in fornacem ſuccenſam immittitur, ibiq; per diem & noctem cruciatur. Lumbi ferro carpuntur, muricibus ferreis injectus fodicatur, quibus graviſſimè compunctus, & ſauciatus eſt. Saxum molare collo appenditur, tractuſque per urbem, lapidibus impetitur. Rurſus fibulæ ardentes per aures trajiciuntur, facibus iterum admovetur: Saxo ingenti adſtrictus, baculis os & caput contunditur, & quotidie quinquaginta plagarum ictus ſuſtinet. Demum Ancyræ Galaciæ, capite plectitur. Quæ omnia hic glorioſiſſimus Chriſti pugil ardentiſſimè exantlavit, novas ſemper vires Deo ſuggerente, aut Angelorum miniſterio plagas curante. Ad hoc vos video non erubeſcere duntaxat, ſed exhorreſcere; ut tamen amore Jeſu, non dico tam atrocia, ſed levia, & parvas quaſdam cruces amare, & geſtare velitis, ſitis Chriſti urgeat vos, cui peropportuna D. Auguſtini expoſitio : f *Quid SITIS Domine* JESU ? & reſpondet : *Sitit ſitim.* Sitit ſitim noſtram, ut & nos quoque amore ejus cruces ſitiamus, ſitim patiendi habeamus. Ut tyranni defuerint, hac ſiti accenſæ in tenera ætate virgunculæ, ſibi ipſæ è cœlo cruces flagitarunt, & impetrarunt; aliæ ſibi illas per

b Ad Gal. 6. Chryſoſt. c Corn. in Luc. 12. v. 50. d Ibid. e V. Bolland. 23. Ianuarii, Martyrium S. Clementis. 28. Annorum.

f Aug. Serm. 1. de ramis Palm.

voluntarias corporis afflictiones fabricârunt; quas inter amantiſſima crucis S. Coleta, cujus ardor patiendi, & ſitis ingens, quantumcumque aſſiduis ſuppliciis, expleri non poterat. *g* Aſpera quæque ferre Chriſti amore ita avebat, ut annis omnino quadraginta omnes martyrum cruciatus, lubens, voléنsque perſenſerit. Subinde lento igne ſibi viſa torreri cum Laurentio, aliàs crudelem in modum torqueri cum Vincentio, aliquando ſibi vivæ pellem detrahi cum Bartholomæo, quandóque in crucem rapi cum Chriſto, numquam non infanda ſupplicia exantlare, eaque millies, ac millies inferri, ac renovari ſitiebat. Conſimili ardore incenſa B. Maria Raggia, *h* quæ optabat membratim concidi, atque iterum renaſci, ut ſæpius, ac ſæpius, vitam ſuam Chriſto, qui ſuam toties illi donârat, redderet. Si hoc tenellæ virgunculæ, & innocentes Chriſti oviculæ; quid vos tauri pingues, & obeſi? non poteritis vos quod ille, & illæ? i *ſitit* JESUS *ſitim veſtram*, ut in vobis ſitim patiendi accendat, ut injuriis impetiti, calumniis laceſſiti, morbis dejecti cum Xaverio exclametis: *Amplius, Domine, amplius.* Hoc eſt, quod teſte D. Hilario indicavit, cùm dixit: *Tranſeat à me calix iſte*, ubi ſic ait: k *Ut ad alios quoque tranſeat, & quomodo à me bibitur, ita ab aliis bibatur.* *l* Quemadmodum in conviviis, amyſtides ad ſanitatem, de uno ad alterum tranſeunt. Hunc autem calicem paſſionis, ne quis noſtrum bibere recuſaret, ipſe prius bibit, nobíſque propinavit. Homo hominem ſubinde ad dolorem aliquem, & cruciatum generosè tolerandum, aut bolum aliquem amariorem devorandum, ſuo exemplo incitavit. Familiariter ſe noſſe ſcribit Joannes Stephanus Menochius, variâ, reconditâque eruditione clariſſimus, virum nobilem Genuenſem, Paulum Auguſtinum Spinolam nomine, *m* qui cùm in Hiſpania apud amicum degeret, vehementior quædam odontalgia, os, capútque ejus univerſum efferabat; nec tamen putridum ſibi dentem, omnis mali cauſam, extrahi, præ tormenti, quod verebatur, metu patiebatur. Quare is coram afflicto, dentem ſibi ſanum, & integrum evelli, nullo doloris edito ſigno, juſſit: quo alter incitatior exemplo, ſine mora, & ſuum chirurgo obtulit evellendum. Unde luce clarius patet, quantum vel unius hominis amici exemplum proſit; profuturum ſanè amplius, quoties à Deo, ac Domino noſtro fuerit datum, de quo S. Petrus: n *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Propoſito convenientius eſt, quod Ludovicus Granatenſis, notæ vir ſanctitatis, & eloquentiæ refert, Joannem II. Luſitaniæ Regem amico ægrotante, & acerbam quandam potionem à Medicis porrectam, cui ſalus ejus innitebatur, bibere recuſante, deguſtaſſe prius, & bonam ejus partem exhauſiſſe, ut ſui amore ſervus æger faceret, quod piiſſimus Rex in ejus gratiam feciſſet, uti & fecit. Ad hunc modum Rex noſter, non ſolum exemplo ſuo

g Stephan. Iuliac. vitæ, c. 49. h In vita. i Auguſt. cit. k S. Hilarius hic. l S. Thom. in catena.

m Menochius hiſtor. part. 3 n 1. Petri 2.

ad calicem bibendum provocavit; ſed dum illi ſuaviſſima ſua labia admovit, omnem amarorem abſtulit, & amorem ſuum indidit. Hoc eſt, quod mellifluus Doctor teſtatur: o *Super omnia reddit amabilem te mihi*, JESU *bone, calix quem bibiſti*, ut amore tui illum hauriam. Super omnia reddit amabilem mihi crucem, quam portaſti. Ita ſenſerunt magnæ, & excelſæ mentes, quæ cruces etiam ipſi cœleſti gloriæ præferebant, & cœlis adſcriptæ, ad nos redire exoptabant, ut cruces ferre poſſent. Cœleſti calculo rem confirmo: *p* apparuit aliquando poſt mortem eximio cuidam Aſcetæ S. Virgo Thereſia, acriter eum reprehendens, quod contriſtaretur animo, ob varias ſibi cruces immiſſas, quibus jam diutius premebatur, hoc addens: nulla ex cauſa in cœlis, tantis ſe præmiis decorari, quam ob eas, quas in mundo perpeſſa fuerat, cruces: *Seque, ſi ob ullam cauſam rediviva in terras redire vellet, nullum alium ob finem reverſuram eſſe, quam ut amplius vivens pateretur.* Præclarum ſanè, ac grave jam cœlis adſcriptæ teſtimonium, dignum, cui fidem omnes amici crucis Chriſti habeant. Hunc ſpiritum à matre hauſerat B. Magdalena de Pazzis, quam dicere ſolitam accepimus, *q* non deſiderare ſe brevem vitam, aut celerem mortem, cùm in cœlis nulla ſit cruciatuum perpeſſio; deſidero inquiebat, vivere diu, quia deſidero amore Sponſi, ac Domini mei diu pati, non tantum breve aliquod martyrium; ſed & morborum examina, calumnias, infortunia, & quæcumque in me aſſurgere poſſunt, adverſa. Quis ergo cruces non amet, non amplectatur, cùm & ipſæ beatæ mentes, cœli deliciis, & Beatorum gloria privari malint, quàm iis carere. Atque hæc ad amatores crucis dicta ſint ſatis. Nunc ſtylum converto ad illos, quos Paulus cum lacrymis lamentatur, & inſectatur, r *inimicos crucis Chriſti*, qui omnes cruces carnis, & ipſum ſanctiſſimæ crucis ſignum, in quo ſalus mundi pependit, diabolo pejus execrantur.

o Bern. Serm. 20. in Cant. p Ribera in vita, lib. 5. c. 4. q Puccinus in vita.

§. V.

Brevis diſceptatio, & inſectatio adverſus ſ INIMICOS CRUCIS CHRISTI.

DOctor gentium hic homines libertinos, ebrioſos, libidinoſos, carni, & ſanguini ſervientes, *inimicos crucis Chriſti* appellat, *quorum Deus venter eſt*, ut ore aureo Chryſoſtomus: t *Quoniam erant nonnulli, qui Chriſtianiſmum quidem ſimulabant; ſed in otio, ac deliciis vivebant; id verò adverſatur* CRUCI; *idcirco ita dicebat.* CRUX *propria animæ eſt, in acie ſtantis, mori cupientis, nullam ſibi oblectationem poſtulantis. Illi verò contrariam vitæ rationem ſequuntur. Quamobrem tametſi dicant ſe Chriſti eſſe; inimici tamen ſunt* CRUCIS: *alioqui ſi* CRUCEM *amarent, etiam ſtuderent, ut crucifixam vitam viverent.* Tales omnes molles hæretici, v qui Chriſtianiſmum ſimulant,

r ſ Philipp. 3. t Chryſoſt. hic. Vide Velaſques hic. v Hæretici inimici omnis crucis pœnicentiæ.

hæc

hæc ut certa axiomata deblaterantes, ſolam fidem in Chriſtum ſufficere ad ſalutem, Chriſtum pro nobis abundè ſatisfeciſſe: ac proinde nulla eſſe bonorum operum merita, ſatisfactiones nullas. Audiant hi quod intonat Petrus 1. Epiſt. c. 2. v. 21. *Ut ſequamur veſtigia ejus.* Et ex eo S. Gregorius: x *Per* CRUCEM *quidem ſuam omnes redemit; ſed remanſit, ut qui redimi & regnare cum eo nititur,* CRUCIFIGATUR. *Hoc profectò reſiduum viderat, qui dicebat:* y *ſi compatimur, & conregnabimus.* Quis unquam verâ ſpretâ religione, ad heterodoxos confugit, ut vitam auſteram ducere, crucem Chriſti tollere, eúmque ſequi melius poſſet? cum hoc Lutheri, eorum anteſignani monitum ſit: z *Ne cures, licet hic vel ille ex Sanctorum numero, auſteram vitam duxerit, à carnium eſu abſtinuerit, veſtes cilicinas geſtarit; ne cures, ne moreris; ſed dicito, quamvis iſti ordinum Auctores, & Architecti, miracula patrâſſent, mortuos excitaſſent, & præ nimio pietatis ardore, jejuniis, & corporis diverberatione ſeſe peremiſſent; nihilominus manum non verterim. Jejunium tuum, oratio tua, flagellatio tua, nihil emolumenti mihi parit.* Ac tandem concludit præclaro hoc epiphonemate: *Numquam conceſſero hanc eſſe ad cœlum viam.* Exiſtimo illum, rectam ad cœlum viam, latam, & ſpatioſam ſibi aperuiſſe. Unde Luthero glorianti, tot infames è clauſtris transfugas, ſua dogmata, ac veſtigia ſecutos, aptè reſpondit inclytus ille heros Thomas Morus, a hoc tam pronum, quàm lapides ex alto deorſum labi: tu, inquit, ducis deorſum, per declive vitiorum; Catholici cum Chriſto ſurſum, ad ardua tendunt virtutum. Chriſtus dicit: b *Qui non accipit* CRUCEM SUAM, *& ſequitur me, non eſt me dignus.* Quod non ſolis Apoſtolis dictum, ſed omnibus, ut rectè annotavit venerabilis Beda: c *Pulchrè poſuit ad omnes,* Lucæ 9. *dicebat autem ad omnes, ſi quis vult poſt me venire,* &c. ubi divina illa intelligentia ſanctus Thomas: d *Ne putarent, Chriſtum quidem paſſurum perſecutiones pro vita mundi; eis verò licere lentam vitam ducere, oſtendit neceſſariò, quod per æqua certamina gradi decet, cupientes ejus gloriam obtinere.* Hinc Doctor Gentium, illud vas electionis: e *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Et ad Coloſſenſes 1. v. 24. *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſioni Chriſti, in carne mea.* Et c. 3. v. 5. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* S. Lucas c. 3. v. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* At quos fructus pœnitentiæ libertini noſtri, & effœminati hæretici faciunt? quam prædicantes eorum ſuis prædicant pœnitentiam, niſi fortè illam Epicureorum: f *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Aut illud Sapient. 2. v. 6. *Fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ, tamquam in juventute celeriter. Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Qui-

x S. Gregor. in 1. Reg c. 9. v. 29. y 2. Timoth. 2. 12. z Lutherus in c. 1. Ioan. Tom. 2. novorum operum. fol. 418.

a Stapleton. in vita, c. 13. b Matth. c. 10. v. 38. c Beda hom. 56. in Matth. d S. Thom. in Luc. 9. e 1. Cor. 9. v. 27. f Iſaiæ 22. v. 13.

bus hæc primæ veritatis concio aliquando ad ruborem, & confuſionem ingeretur: g *Væ tibi Corozain! væ tibi Bethſaida! quia ſi in Tiro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & in cinere* POENITENTIAM EGISSENT; quæ fruſtra Chriſtus interminatur, ſi pœnitentiæ non requirantur. Unde in hos crucis Chriſti inimicos, ſic invehitur Antiochenus Præſul: h *Conſuevit Dominus paſſiones, nomine* CRUCIS *appellare, ut, cùm inquit: niſi quis tollat* CRUCEM SUAM, *& ſequatur me; iſti verò degeneres vitæ, & corporis amantes, profectò* CRUCIS CHRISTI SUNT INIMICI: *& quiſquis deliciarum, mundanæque tranquillitatis amator eſt,* INIMICUS EST CRUCIS, *in qua Paulus gloriatur, quam amplectitur, cui nititur inſeri.* Quæ pluribus proſequitur Velaſquez cit. Quis verò, & quam horrendus illos exitus maneat, ſubdit Paulus: i *Quorum finis interitus eſt*, id eſt, inquit S. Thomas, k *mortis æternæ: quia opus eorum eſt exercitium inimicitiæ, contra* CRUCEM CHRISTI. Ubi adducit illud 1. Cor. 1. v. 18. *Verbum enim* CRUCIS, *pereuntibus quidem ſtultitia eſt; iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt.* Tum quærit: *Et quid eveniet? certè nobis vita,* PER CRUCEM CHRISTI; *illis autem contrarium, quia incurrent mortem.* Quod teſtimonium Apoſtoli, cùm veriſſimum ſit, compello vos Catholicos, qui hæreticos, ut capitales crucis Chriſti inimicos execramini, & certum eis interitum judicio Pauli imminere ſuffragamini, quî fieri poteſt, ut eorum veſtigia ſequamini, & inimici crucis Chriſti efficiamini, dum non pauci veſtrûm non minus, quàm heterodoxi, omnes carnis afflictiones, pœnitentias, *paſſiones quas* NOMINE CRUCIS Dominus appellavit, horrendo, fugiendo, excutiendo, execrantur? dum non ſecus ac illi, carnis deliciis, gulæ illecebris, ac omnibus ſenſuum lenociniis famulantur. De quibus Hugo Cardinalis: l INIMICI CRUCIS CHRISTI, *quia guloſi erant, & delicioſi, & ita* HOSTES CRUCIS: *argumentum eſt, quod amicus ventris, eſt inimicus* CRUCIS, *id eſt, pœnitentiæ. Et hoc flebat Apoſtolus, ſcilicet quod hoſtes erant* CRUCIS. Tum ſuo ævo, & hoc noſtro, opus eſſe Paulo, qui ejuſmodi fleat, ad mores eleganter deducit: *Hodie propter eos flendum eſſet, ſi quis eſſet Paulus. Fere omnes videntur* PERSECUTORES CRUCIS, *id eſt, pœnitentiæ. Magis fugimus, & odimus* CRUCEM, *quàm diabolus.* Atque hæc de cruce ſpirituali, & de inimicis illius. Supereſt, ut hac ſolenni glorioſæ crucis Chriſti inventione, m Hæreticorum, ac Iconomachorum ſannas, injurias, blaſphemias, vivifico crucis ſigno illatas, eorúmque diabolicum in illud odium, validè perſtringamus. Tales omnes cacodæmonis adminiſtros, tradit Cardinalis Baronius, potiſſimum deflêſſe Paulum, *inimicos crucis Chriſti*; ſic enim ait ad Annum Chriſti 60. *Haud dubium, illos ſignat hæ-*

g Matth. cap. 11. verſ. 21.
h Chryſoſt. apud Velaſq. cit. in Philip. 3. v. 18. i Ad Phil. 3. k S. Thom. hic.

l Hugo in Phil. 3. m 2. Hæretici, Iconomachi, inimicis crucis Chriſti materialis, ſeu ligni crucis.

reticos

reticos, qui licet Chriſtum verè crucifixum fateantur, crucem execrantur, ut crux, n *vexillum ſalutis, Chriſti triumphus, palma vitæ æternæ, gladius quo peremptus diabolus*, tanto nobis magis amori & honori ſit, quò inimicis crucis Chriſti, majori odio, ac opprobrio eſt. Ac primum quidem videamus, quibus argumentis o Novatores noſtri, crucem, honorémque crucis oppugnatum, imò ſublatum eant, quæ Gretzerus noſter doctè, & diſertè elidit. Objiciunt primò: *Crux attulit Chriſto dolorem, & ignominiam; videtur igitur potius deteſtanda, quàm colenda, & adoranda, ab iis, qui Chriſti amore tanguntur.* Quod telum facilè retunditur: nam ſi crux Domino tantum peperiſſet infamiam, ignominiam, & cruciatus, meritò à nobis rejiceretur, nullóque in pretio haberetur; ſed quia Chriſto attulit quoque gloriam, & honorem, & exaltationem nominis in univerſo mundo, jure optimo à nobis magni fit, & debito cultu afficitur; ſic etenim Paulus teſtatur: p *Humiliavit ſemet ipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem* CRUCIS; *propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Alterum argumentum eſt hujuſmodi: *Non modò ſtultus, ſed ingratus, & impius judicaretur filius, qui amaret, & coleret patibulum, in quo parens ejus fuiſſet ſuſpenſus. Ingrati igitur ſunt, & Deo injurii, qui colunt* CRUCEM, *qua Dominus, non modò crudeliſſimè cruciatus eſt, ſed & necatus.* Hoc argumento miniſtelli ſuis imponunt, & ſtolidi ſenes, ac deliræ anus triumphant, quod nullo negotio refellitur: filius enim qui coleret lignum, in quo parens non ſua culpa, ſed per alienam crudelitatem, & truculentiam, pro ſalute patriæ ſuſpenſus obiiſſet, is potius cenſendus eſſet pius, quàm impius; præſertim ſi ex ligno illo, aut inſtrumento mortis, innocenter paſſo, maxima gloria adveniſſet. Uti & inſtrumentum mortis, quo Scævola, quo Regulus excarnificati fuêre, poſteris honori, ac gloriæ meritò fuere. Cùm ergo Chriſtus in cruce non ſua, ſed aliena crimina expiârit, cúmque crux inſtrumentum fuerit ſalutis noſtræ reparandæ, illíque ſummæ gloriæ fuerit, vímque tot miracula patrandi à Chriſto hauſerit, honorari non modò à nobis licitè poteſt, ſed & debet. Tertium non minus imbelle telum eſt: *Si colendæ ſunt omnes cruces, quia Chriſtus pependit in cruce, pari modo colere oportebit omnia ſepulchra, quia Chriſtus in quodam ſepulchro conditus fuit: omnes claves, quia clavis confixus eſt: omnes ſpinas, quia ſpinis coronatus eſt: omnes arundines, flagella, columnas, lanceas, omnes virgines, quia Chriſtus in utero Virginis manſit: omnes naves, quia frequenter navigavit. Imò & omnes aſinos*, inquit Claudius Taurinenſis, acerrimus crucis Chriſti inimicus. Ad hoc illudendum, ſciendum eſt, honorari à Chriſtianis omnes cruces, quod omnes ſunt figuræ, ac typi, & imagines crucis illius primæ, & Chriſti in ea expanſi; non autem honorari omnia ſepulchra, omnes clavos, ſpinas, lanceas &c. Quia non ſunt ima-

n Ambroſ: orat. de obitu Theodor.
o Argumenta hæreticorum contra crucis cultum refelluntur. p Ad Phillipp. 2. verſ. 8.

imagines ſepulchri Chriſti, clavorum &c. Quia ad imaginem non ſatis eſt ſimilitudo naturæ, vel artis, ſed requiritur ut alterum ex altero, imitatione quadam exprimatur, & effigietur, repræſentationis cauſa, ut Theologorum Princeps Aquinas: q *Imago ab imitando dicitur (quaſi imitago) ex eo quod agitur ad imitationem alterius.* Unde non omne quod alteri ſimile eſt, hujus imago eſt: r *Omne quippe ovum*, inquit eleganter D. Auguſtinus, *omni ovo, in quantum ovum, ſimile eſt; ſed ovum perdicis, quamvis ovo gallinæ* (aut columbæ) *ſimile eſt; tamen imago ejus non eſt: quia non eſt de illo expreſſum.* Omnes verò cruces fiunt ad imitationem crucis Chriſti, & ut tam illam, quam hunc repræſentent: nam crux apud Chriſtianos, non fit ad alium uſum, quàm ut repræſentet; non autem omnia ſepulchra, clavi, lanceæ, ad repræſentationem inſtrumentorum, quibus Chriſtus paſſus eſt. Eandem ob cauſam non veneramur ſacro cultu omnes virgines, quia non ſunt imagines Virginis Deiparæ. At omnes illius imagines colimus, quia omnes factæ ſunt, illius repræſentandæ cauſa. Hinc intelligitur quoque, cur non honoremus cruces, quæ caſu fortaſſe ex arte in ædificiis conficiuntur: vel etiam neceſſariò ex præſcripto artis: vel quæ fortuito in herbis, & arboribus naſcuntur: non enim fiunt ad imitationem, & ſimilitudinem, ac repræſentationem crucis Chriſti. Aſinos, & alias de genere eodem imagines, vel reliquias, hæreticis honorandas relinquamus: quod enim ad Catholicos attinet, non facilè adduci ſe patientur, ut iſtæc colant, cùm non ſint ignari ea tantum colenda, quorum cultus nullam præ ſe fert abſurditatem, hominúmque rectè ſentientium offenſionem. Ut taceam, illis optimè compertum eſſe, aſinos non eſſe aſinorum imagines, ſed fratres. Tam impudentes tamen ſunt hæretici, & imprimis Calvinus, ut non erubeſcat ſcribere, ſ Catholicos caudam aſini, cui Chriſtus inſederit, pro ſacris reliquiis venditâſſe, & populo honorandam propoſuiſſe, quod etiam aſſerit Auctor Apiarii t. Sed videntur mihi, inquit Gretzerus, hæretici illi veterem calumniam ab inferis excitâſſe, quæ eſt apud Athanaſium: v *An quia Chriſtus vectus eſt, inſidens aſino, aſinos honorificè venerari debeamus?* reſpondet Auctor his verbis: *Chriſtus per aſinum non devicit diabolum, neque in eo ſalutem operatus eſt; ſed in* CRUCE. *Unde aſinum quidem ſi videant dæmones, non horrent, neque metuunt; videntes verò* CRUCEM *terrentur, fugiunt, & evaneſcunt. Hæc*, quæ de Apione dixit Joſephus x, Calvinus *debuit reſpicere, niſi cor aſini ipſe potius habuiſſet, & impudentiam canis.* Sed parum eſt hiſce inimicis crucis Chriſti, cruces omnes, ac ſigna, ad ipſam vivificæ crucis imaginem efficta execrari, y quin & veras, ac ſanctas ex ea ipſa, toto orbe diſperſas partes, ac reliquias, innumeris

q S. Thom. 1. part. qu. 53. art. 1. & qu. 93. art. 1. r Auguſt. lib. 83. quæſt. qu. 73. & 74.

ſ Calvin. lib. de relig. t Auctor Apiarii 4. p. c. 3. v Athan lib. quæſt. ad Antiochum Princip. x Ioſeph. lib. 2. contra Apionem. y Calumniæ, ac blaſphemiæ hæreticorum in particulas crucis Chriſti.

ſan-

ſannis,ſarcaſmis, ac blaſphemiis impetunt. Calvinus projectâ,ac ſacrilegâ audacia effutire auſus eſt : z *Cùm crucem integram unus homo geſtare potuerit, nunc ejus ferendis particulis,ſi omnes colligerentur in unum, ne trecentos quidem homines ſufficere, imò ne integram navim*:vel ut alii nugantur: (z)*Ne decem quidem naves Batavicas*. Sic batavicè philoſophantur. His tamen parciorem ſe præſtitit Eraſmi perſonatus Ogygius, a *cùm crucem Dominicam privatim,ac publicè tot locis oſtendi dictitat,ut ſi fragmenta conferantur in unum, navis onerariæ juſtum onus videri poſſint; & unum tamen totam* CRUCEM SUAM, *bajulavit Dominus*. Demus & Apoſtatæ Luthero, b *integram domum conſtrui poſſe ex particulis* SANCTÆ CRUCIS, *quæ hinc,& inde oſtenduntur,ſi in unum colligerentur*. Quid tum? an ideò unum, idémque ſalutiferæ crucis lignum non ſit? omnino ſi reformatam deformiter iſtorum Apoſtatarum fidem, ac verba excantati audiamus. Verum mendacii, meræque calumniæ, impudentiſſimos Hæreſiarchas evincunt quamplurima ſanè argumenta. Evincit SS. Patrum, omni exceptione major auctoritas, è quibus S. Paulinus, de quo Auguſtinus: c *Pectus tuum tale Domini oraculum eſt, ut ex eo nobis placita contra implicita, & adverſus loquaciſſimas quæſtiones explicatiſſima dari reſponſa præſumamus*; hic Præſul Nolanus Severum monet his verbis: d *Crux in materia inſenſata, vim vivam tenens,ita ex illo tempore innumeris pænè quotidie hominum votis, lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat,quotidie dividua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus*. Evincit ad fidem faciendam ratio, quam adducit momenti maximi: e *Iſtam*, inquit, *imputribilem virtutem, & indelebilem ſoliditatem, de illius profectò carnis ſanguine bibit,quæ paſſa mortem, non ſenſit corruptionem*. Quæ fusè proſequitur Ferrandus f noſter. Evincit Dei omnia potentis virtus,cui ſimilem cùm aliis ſacris Lipſanis communicârit; cur redemptionis noſtræ inſtrumento corporis, ac ſanguinis contactu ſacrato denegarit? ut etiam Eraſmianus ille Ogygius vidit: g *Cur novum dici poſſe videtur* id miraculi, *cùm Dominus, qui hæc auget, ſit omnipotens*. Evincit farina ex hydria,oleum è lecytho apud viduam Sareptanam. Sicut piſces, panes,vinum à Chriſto in Judæa. Evincit ſtatua uxoris Loth, quæ per ſua diſpendia ſeipſam divinitus reparat,& reformat,ut è vatibus Chriſtianis Prudentius, & Tertullianus cecinerunt *h*. Vide quot ſæcula hæc ſtatua ſatis perpluta nimbis, nive, grandine, lambentium armentorum, vulneribus tranſeuntium, & injuriis impetita,extenuata,&attrita, ſibi ſemper ſimilis, ſeipſa miraculo reparabilis ſteterit, ac perdurârit. Idem de veſtigiis Chriſti aſcendentis, monti Olivet[i]

z Calvin.admonit. reliq. (z) Beza Serm.27.de paſſ.Auctor.Apiarii p.4. c.3. a Eraſm. colloq. peregrin. b Luther. conc.de exaltat. Sanctæ Crucis. c Aug. Epiſt.34.

d Paulinus Epiſt.11. e Ibid. f Ferrandus diſq.reliq.lib.1. cap.1.art. g Eraſm.cit. h Prudent.Hamarbig.Tertull.de Sodoma.

im

impreſſis, graviſſimi Auctores *i*, & oculati teſtes affirmant. Denique evincunt ſexcenta id genus alia, mirabili augmento multiplicata, ut in Thaumaſiis P. Silveſtri Petra Sancta, de miraculis perpetuis videre eſt. Unum prætTerire non poſſum, quod apud Ludovicum de Angelis, ex Auguſtinianâ familia exſtare lego, cujus hæc verba ſunt: k *Exſtat*, inquit, *Virga Lignea, propter contactum corporis Sancti Auguſtini, incorruptibilis, & in parvas ſecta particulas, ab antiquo tempore numquam diminuta, & pro magno pignore, apud Eremitas, ubi ſepultura B. Auguſtini, aſſervata.* Quæ hactenus de inimicis Crucis Chriſti attulimus, minuta videbuntur, ſi cum iis quæ dicturus ſum, conferantur; à verbis procedunt ad verbera, ad immania & ſacrilega facinora. Eo quippe in Crucem odio feruntur, eamque à patre diabolo traxêre veſaniam, *l* ut omne ſignum Crucis everti, peſſumdari, flammis aboleri in votis habeant, & ſacrilegis auſis nitantur. Ad quod probandum narrat Bzovius: *m* Anno 1565. cum Novatores noſtri Pariſiis primum facultatem obtinuiſſent condendi in urbe, orationis, ſeu potius impietatis domum, operis artificem vocarant in judicium, quod tectum crucis ſigno, rubris, & viridibus tegulis diſtincto, communiviſſet, hoc in deriſum & contumeliam reformatæ Religionis aſſerentes factum. Reſpondit verò artifex, ſe honoris cauſa id feciſſe, quia videret ædem B. Virginis, præcipuam urbis Baſilicam, atque inſuper Regis Chriſtianiſſimi Palatium, Crucis ſigno notatum eſſe. Si autem præſciviſſet gentem illam cruci inimicam, ne lapidem quidem pro ea poſiturum fuiſſe. Nec ſatis eſt Crucifixi cultorem in jus vocare, ultrà impietas, ac effrenata eorum rabies ſe effudit: cum Nemauſi ſub Annum 1561. Crucifixi imaginem quatuor lictoribus tradidêre flagellandam. Quin & alias plures ejuſdem Salvatoris in crucem acti effigies, variè fiſſas, ad comburenda Sanctorum corpora adhibuere. Uti factum ab illis Cæſaroduni, *n* ubi Corpus Sancti Franciſci de Paula, etiam poſt 55 Annos integrum, atque incorruptum, ſacro loculo extraxerunt, & majoris Crucifixi lignis, quem ex odæo deturbarant, & in fruſta diſſecuerant, impiè combuſſerunt. Horreſco referens, & lentam hic vindicis Dei manum obſtupeſco. Vos ſaltem veri crucis amatores, dum hæc auditis, injurias illas ab impiis amabili Salutis noſtræ ſigno illatas, amoris lacrymis expiate, & omni honoris ac venerationis cultu reſtaurate. Quo genere pietatis enituit Margarita, Maximiliani II. Imperatoris lectiſſima filia. *o* Inaudierat hæc, Judæos gentem perfidam, ac crucis ſimul, & crucifixi inimicam, pendentis è cruce Domini effigiem impiè violâſſe, multiſque contumeliis affectam, peſſumdediſſe, atque aliquoties in ignem conjeciſſe, voce hac ad aures eorum allabente: *Cur me tam impiè*

i Vide Ferrand. cit. k Petra Sancta [m]iracula perpetua.
[l] Hæretici, iconomachi cruces deſtru[u]nt & incendunt. m Bzov. ad an. 1565.

n Raynaud. gloria Patriarch. o Ioan. Gans in hiſt. Virg. Auſtriacar. l. 12. c. 4.

tracta-

tractatis: An neſcitis me Deum veſtrum eſſe? Quid agat imbellis Virgo? Sponſi contumeliam primò multis profuſis lacrymis ſolari inſtituit: deinde, ut qua poſſet viâ, illatam Domino injuriam compenſet, *Feſtum*, novum *injuriarum Domini Jeſu* dictum celebrare cœpit, totoque octiduo ſumma cum pietate, ac Religione, universâ aula Madritana adnitente, tranſegit: quo id apud Dominum promerita fuit, ut ſingularem coram eo gratiam iniret; quod vel inde patuit, cum non multò pòſt, cœleſti nuncio declaravit, Margaritam ex iis unam eſſe, quæ divinæ juſtitiæ gladium, & quæ univerſo Hiſpaniæ Regno clades imminebat, avertiſſet. Crux itaque Domini; quæ Judæis quidem ſcandalo, hæreticis, ac inimicis Crucis Chriſti ludibrio, opprobrio, & odio eſt, nobis in amore, in honore ſit. Signetur in fronte, figatur in Baſilicis, exſtet in abacis, fulgeat in auro, & gemmis: emineat in Regum diadematis, honoretur, ac adoretur ab omnibus. Ad hoc hortantur nos Sanctorum Patrum verba, & exempla: p *Nos*, inquit Auguſtinus, (lignum Crucis) *omni veneratione digniſſimum fatemur, & ad recordationem* Crucifixi *noſtri veneramur.* Sanctus Damaſcenus: q *Omnia quæ Deo adjacuerunt, adoramus, ipſis reverentiam & pietatis cultum exhibentes.* Cumque crucem ab ipſo DEO cernimus honoratam, cur nos homines, cruci honorem denegemus: r *Cur ſub antiquis*, inquit Auguſtinus, *ſcelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur; honorata eſt, & finita eſt: finita eſt in pœna, manet in gloria. A locis ſuppliciorum, fecit tranſitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis ſuis, quid non ſervat fidelibus ſuis?* amatoribus ſcilicet crucis ſuæ. Quem honorem ut & perfidi Judæi, & impii hæretici glorioſiſſimo crucis trophæo tribuant; concludo inſolenti tragœdia, qua ad ſacrilegam ſævitiam nihil truculentius, qua ad inauditam benigniſſimi Jeſu Crucifixi clementiam, nihil poteſt excogitari aut enarrari clementius; quam ex D. Athanaſio, & concilio Oecumenico, ut omnibus ad manum, in oculis, & animis ſit, verbotenus ſubjicio.

t Suſtollite oculos mentis veſtræ, & videte novum miraculum hoc, quod factum eſt nunc in infinitam admirationem Dei. Aſpicite, & date ei gloriam. Contemplamini ineffabilem miſericordiam ejus, & magnitudinem diſpenſationis ejus, atque lamentum cum lætitia ſumite. In Deo quidem nihil extraneum: Deus enim cum ſit, omnia poteſt: quid verò in diebus noſtris, & in nobis factum eſt, expaveſcet omne cor audientium. Verè expavit cœlum in eo, quod temerè factum eſt. Conturbatæ ſunt abyſſi, & ſol obtenebratus eſt, & luna, & ſtellæ ſimiliter ſuper hoc quod patratum eſt. Sed iterum lætatæ ſunt in eo, quod à Domino diſpenſatum eſt, omnes Cœlorum virtutes. Audite, & admiramini

p Auguſt. lib. 2. de viſit. infirm. c. 3.
q Damaſc. lib. 1. c. 12. r Auguſtin. in pſalm. 36.

t Sermo S. Athanaſii de imagine Jeſ. Chriſti. Conciliorum tom. III. Synodo Act. 4. Martyrolog. 9. Novemb.

quo

quod factum eſt in diebus no-
ſtris. Intelligentes intelligite, &
aurem veſtram inclinate, foras
quod cordis eſt, porrigite, & audi-
te. Civitas eſt Berytus vocata, in
finibus Tyri, & Sidonis ſita, An-
tiochæ ſubdita. In hac civitate
Beryto, multitudines erant co-
pioſæ Judæorum. Porrò juxta
Synagogam ipſorum, quæ valde
eſſe magna videbatur, Chriſtia-
nus quidam accepit ad penſio-
nem cellulam à quodam, in qua
habitans, contra accubitum ſu-
um fixit imaginem Domini no-
ſtri Jeſu Chriſti, honeſtè depi-
ſtam, & integræ ſtaturæ, haben-
tem Dominum noſtrum Jeſum
Chriſtum. Tranſacto autem mo-
dico tempore, perquiſivit man-
ſionem majorem ille Chriſtia-
nus, quemadmodum & indi-
gebat. Hoc autem Domini noſtri
Jeſu Chriſti gratia diſpenſavit, ut
credo, v *qui vult omnes homines
ſalvos fieri, & ad agnitionem veri-
tatis venire*, oſtendens miracu-
la ſua ſe colentibus, & omnibus
in ſe credentibus, in redargutio-
nem impiorum, & ſtabilitatem
fidelium. Quæſivit ergo Chriſtia-
nus, ut dixi, majorem domum, &
invenit in quodam loco civitatis,
& tranſtulit ſe illuc à domo, quæ
erat juxta Synagogam Judæo-
rum. Et ſublatis omnibus ſuis,
per oblivionem (diſpenſatione
tamen DEI) Imaginem Domi-
ni dimiſit, oblivioni, ut præfa-
tus ſum, traditam. Quidam verò
Judæus accepit domum illam ad
penſionem, in qua imago Domi-
ni ſtabat; intromiſſis autem
omnibus ſuis permanebat in
domo, minimè contemplatus
iconem Domini, quod ſtaret
illic. Neque enim conſidera-
vit locum illum, ſed ingreſſus
manebat. Quadam verò die in-
vitavit Judæus unum è contri-
bulibus ſuis ad prandium; Et
cum pranderent, elevatis oculis
Judæus, qui invitatus fuerat,
vidit Iconem Domini noſtri Jeſu
Chriſti; & dicit ei, qui ſe in-
vitaverat: Tu cum ſis Judæus,
quomodo imaginem hujuſmodi
habes? convicia plurima quo-
que, & nefanda emittens ad-
verſus Dominum: quæ non au-
deo ſcribere, abſit, quæ dixit
contra Salvatorem is, qui fue-
rat invitatus. Tunc is, qui in-
vitaverat, videns imaginem Do-
mini, rationem reddidit invitato
Judæo, dicens: quia uſque in
præſens non vidi imaginem:
Et ſiluit invitatus. Abiit autem
ad ſummos Sacerdotes ſuos, &
accuſat Judæum, qui in domo
manebat, in qua imago Domini
erat, dicens, quia ille imaginem
habet Nazareni videlicet in do-
mo ſua. Qui audientes dixerunt;
ſi potes hoc oſtendere. At ille
affirmavit, quia ego oſtendam
hoc in domo ejus. Illi verò
repleti furore, veſpere quidem
ſiluerunt. Mane verò facto
ſummi Sacerdotes eorum, at-
que presbyteri, aſſumpto eo, qui
Judæo detraxerat, & turba
multa gentis ſuæ, pergunt ad do-
mum Judæi, in qua imago Do-
mini ſtabat. Pervenientes au-
tem ad locum ſummi Sacerdotes
inſiluerunt, & ſeniores cum eo,
qui indicaverat, & vident
imaginem Domini ſtantem.
Tunc vehementer irati, Ju-
dæum quidem, qui habitabat in
domo

v 1. Tim. 2.

domo illa, extra Synagogam facientes, expuierunt; imaginem verò Domini noſtri Jeſu Chriſti deponentes, dixerunt; ſicut Patres noſtri illuſerunt ei aliquando, ita & nos illudamus illi. Tunc cœperunt conſpuere in faciem Sanctæ imaginis Domini, & dare alapas coram his, qui convenerant, hinc & inde imaginem Domini in faciem percutientes, atque dicentes; quæcumque fecerunt ei Patres noſtri, omnia faciamus & nos imagini ejus. Et dicunt, audivimus quia illuſerunt ei, & hoc ipſum nos faciamus. Infinitis ergo ludibriis illuſerunt Iconem Domini, quæ nos neque dicere audemus. Deinde dicunt; audivimus quia clavis confixerunt manus ejus, & pedes: hoc & nos etiam faciamus ei. Tunc in manus, & pedes imaginis Domini infixerunt clavos. Iterum ſævientes dixerunt; audivimus, quia aceto, & felle potaverunt eum cum Spongiâ; faciamus ei & nos: & fecerunt, apponentes ad os Imaginis Domini ſpongiam aceto plenam. Rurſus dicunt; didicimus quia calamo percuſſerunt caput ejus Patres noſtri: idipſum & nos faciamus: & accipientes calamum, percutiebant caput Domini. Cæterum noviſſime dicunt; & liquidius edocemur, quia lanceâ latus ejus aperuerunt, nihil prætermittamus, ſed addamus & hoc: & facientes deferri lanceam, præceperunt cuidam ſuorum tollere lanceam, & percutere contra latus imaginis Domini. Mox ergo emanavit multitudo ſanguinis, & aquæ ab ea. Chriſte gloria tibi, incomprehenſibilis gloria tibi, quis ſicut tu DEUS? Quis præ[ter] te Deus, faciens terribilia, [&] obſtupeſcenda? O miraculu[m] Salvatoris noſtri Majeſtati[s]. Horruerunt veraciter, & jam ſ[u]per hoc ſupernæ virtutes tu[æ]. O quantus es Domine ad hum[i]litatem, ô quantus ad longan[i]mitatem, ô quantus es in miſer[i]cordia? Prius enim propter no[s] & propter ſalutem noſtram, cu[m] eſſes ſine carne, incarnatus [e]x Virgine Maria, crucifixus es [i]n illa carne, cum eſſes ipſe impaſſ[i]bilis Deitate. Nunc verò iteru[m] in imagine crucifixus es Dom[i]ne, in redargutionem impioru[m] & omnium incredulorum, a[t]que ſtabilitatem eorum, qui v[e]raciter in te credunt. Sed glor[ia] tibi Domine, qui ſolus omn[i]potes, unà cum benedicto D[eo] noſtro & Patre, atque cum Sp[i]ritu Sancto. Amen. Vos aute[m] ô Filii audite reliqua, quæ d[iſ]penſata ſunt ab eodem Domin[o]; ipſius enim erat permiſſio. Dei[n]que poſtquam percuſſum [eſt] lancea latus ejuſdem imagi[nis] Domini, & emanavit Sanguis, [&] aqua, ut ſuperius dictum eſt; [di]cunt ſummi Sacerdotes eorum [&] Seniores: Quoniam ſuſurr[a]colentes eum, quod ſanita[tes] multas fecerit, ſumamus e[x] ſanguinem hunc, & aquam, [&] deferamus ad Synagogam, [&] colligamus omnes, qui malè [ha]bent in populo, & ungamus [eos] ex illo, & videamus, an vera ſ[int] quæ dicuntur. Tunc afferen[tes] lateri Iconis Domini, vas ſec[un]dum locum imaginis percuſ[sio]nis lanceæ, unde exivit Sang[uis] & aqua, repleverunt ampull[as] ad locum jugulationis lanceæ inferentes illudebant; ut inju[riam] ap[...]

appeterent,ſicut putabant, coram omnibus univerſorum Dominum. Et collectis omnibus, qui malè habebant,ante omnes paralyticum, quem a nativitate noverant,adducentes unxerunt; & ſtatim ſaluit,& exiliit ſanus homo penitus. Deinde cæcos adduxerunt,qui & ipſi viſum receperunt. Dæmonium verò patientes mox emundati ſunt. Turbatio quoque magna,& infinita per totam civitatem effecta eſt, cunctis confluentibus propter infinita miracula. Commotæ autem ſunt omnes multitudines Judæorum: plures enim civitatem habitabant. Currebant ergo ferentes eos,quos in domibus ſuis habebant, quotquot habebant languentes, aut paralyticos, aut debiles,aut aridos, aut leproſos, omnes cucurrerunt: ita ut neque Synagoga eorum,licet magna fuerit, caperet illos: neque locus,multitudine infiniti populi propter miracula concurrente. Omnes autem PrincipesSacerdotum,ac Seniores, & populus Judæorum,virorum, puerorum,& mulierum crediderunt in Dominum Jeſum Chriſtum, clamantes: Gloria tibi Chriſte, quem Patres noſtri crucifixerunt, qui & à nobis nunc crucifixus es in imagine tua. Gloria tibi Fili Dei,qui tanta feciſti miracula: tibi credimus, propitius nobis eſto,& ſuſcipe nos. Hæc clamabant lugentes omnes, & voces mittebantur, & miracula perficiebantur, ſummis ſacerdotibus ſ[illegible]gentibus, & cunctis curatis,& vivificatis. Poſtquam autem omnes ſanati ſunt,confeſtim adEpiſcopum ſanctiſſimæ conſtitutæ illic Eccleſiæ, qui jam quæ fuerant facta didicerat,multitudines currebant clamantes, unus Deus Filius,& ipſe unigenitus. unus Chriſtus,quem Patres noſtri crucifixerunt ipſum Deum novimus,huic nos credimus. Multis itaque laudibus glorificantes Deum, imagineſque Archiepiſcopo demonſtrantes, & annunciantes quæ fecerant imagini Domini, qualiter & Sanguis & aqua exierunt ex latere Imaginis,nec non & infinita miracula quæ facta ſunt, ita omnes multitudines,ut Sancto Baptiſmate dignæ fierent, ſupplicabant. Quos Epiſcopus unà cum Clero ſuo aſſumptos, omnes baptizavit per multos dies; & Synagogam eorum,Eccleſiam Salvatori noſtro Chriſto dicavit. Illis autem rogantibus, etiam cæteras Synagogas eorum martyria fecit. Et ſic gaudium magnum factum eſt in civitate illa,non ſolum corporibus ſanatis & vivificatis, ſed & tot animabus in vitam à mortuis redeuntibus æternam. Hæc agnoſcens ego feſtinavi indicare vobis, fratres amantiſſimi, ad utilitatem animarum veſtrarum: ut cognoſcentes & in hoc Dei,& Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti virtutem, plus aliquid in fide ipſius confirmemini, & exultetis ſuper magnalibus ejus,quæ nunc etiam operatus eſt. Date ergo ipſi gloriam,cum lætitiâ in compunctione, & lamento, gaudentes & gratias agentes, quia ſua nos fide,& ſua fecit agnitione dignos in Chriſto Jeſu Domino noſtro; Cum quo & Patri, unà cum Spiritu Sancto gloria, nunc & ſemper, & in Sæcula Sæculorum. Amen.

Quid

Quid ad hæc, Auditores? Si tam miranda, & toto orbe celebranda, immenſa illa benignitas Redemptoris noſtri, ligno Crucis confixi, in impios, blaſphemos, ſacrilegos Judæos, prodigialiter prodiga ſeſe effuderit; quæ non vobis Crucem amantibus, ac venerantibus, & potiſſimum in ſupremâ & mortis luctâ arctè amplexantibus, virtus, robur, gratia, ſalus, & benedictio ſperanda eſt? Confidite, qui in hoc ligno vicit mundum, faciet & vos de mundo, carne, & dæmone triumphare, & ſecum ubi hoc ſignum erit, in æternum regnare.

FESTU

FESTUM
SANCTI IVONIS
JURISPERITORUM
PATRONI.

ADVOCATUM *habemus apud Patrem.* 1. Joan. 2.



Omnibus idem. Virgil. lib. 10. Æneid.

ARGUMENTUM.

QUanta ſit JURISPRUDENTIÆ dignitas, & excellentia, ex eo colligere eſt, quod qui hac ſcien-

ſcientia præcelluêre, illos apud Reges, Principes, Imperatores ſummo ſemper in honore ac veneratione habitos fuiſſe conſtet. Utilitas verò exinde manifeſta eſt, quod à Juriſperitis, & Cauſidicis, jura omnia divina & humana vindicanda: abſq; his, innocentum, viduarum ac pupillorum oppreſſio exſpectanda: juſtitia omnis, ſine qua nulla regna, nec reſpublica conſiſtere poteſt, terris eliminanda ſit. Hinc ſibi titulum, & partes *advocati*, filius Dei, ejúsque exemplo, Advocatorum Tutelaris DIVUS IVO, ultro aſſumpſit; quem *paVperes Laborantes ADVoCatVM reperIent*. Hunc alii complures juſtitiæ, ac recti defenſores, viduarúmque, ac pupillorum Patroni, cœlitum Albo adſcripti, laudabiliter æmulati ſunt. Nunc, cum communis omnium querela ſit, multos inter Cauſidicos, & Advocatos, imperitos irrepere, vix à limine *Bartholum* & *Baldum* ſalutâſſe: alios à recto deviare, iniquis cauſis patrocinari, lites ex litibus ſerere, contentioſum funem trahere, maximo regnorum ac reipublicæ damno, eorúmque æterno exitio, tragico non uno eventu declarabo; ut quorum exitus reformidant, eorum fraudes, & injuſtitiam deteſtentur.

§. I. *Juriſprudentia commendatur primum ex illo Joannis:* ADVOCATUM *habemus apud Patrem,* JESUM *Chriſtum juſtum.* I. Joan. 2.

§. II. *Sancti, qui munere* ADVOCATI *rectè functi cœlitibus adſcripti ſunt.*

§. III. *Iniquorum Cauſidicorum vitia, fraudes, nequitiæ injuſtitiæ deteguntur.*

F

FESTUM
SANCTI IVONIS
JURISPERITORUM
PATRONI.

ADVOCATUM *habemus apud Patrem.* 1. Joan. 2.

DIcturus hodie ad hunc ampliſſimum litteratorum Virorum conſeſſum, *x* ad venerandum tot Juriſperitorum Senatum, vereor ne mihi eveniat, quod olim Porcio Romano, Oratori parum exercitato accidiſſe legimus. *y* In celebri Senatorum conſeſſu, eloquentiæ ſuæ omnem ſupellectilem explicaturus, elaboratam induſtriâ orationem, in horto ſuo declamitabat quotidie: ibi copioſa caulium multitudo repræſentabat Auditores, & ut quiſque aut trunco humilior, aut patulis diffuſior foliis erat, diverſos dignitatum ordines diſtinguebat. Dicebat ad virides iſtos Præſides magna cum cura, ſubmiſſo vultu, adductâ togâ, in omne argumentum modeſtiæ fictus. Si ventum foret ad illud ſolenne, *Auditores ornatiſſimi*, aut illud grandius, *Patres conſcripti*; hinc caput aperire, pedem utrumque per vices adducere, jactare cerviculam, concionem modeſtis oculis, & gravibus ſalutare. Adreperet terrigena, herbigrada, domiporta, aut limax è cochlea, novum fingebat auditorem: obſtreperet è myricis avicula? quaſi adverſus importunos tumultuantium ſtrepitus, animum obfirmabat: impulſæ levi flatu ſtirpes agitarentur? hæc verò ſententiosè, & nervosè dicta laudantium admurmuratio cenſebatur.

Jam ſatis firma erat memoria, congruens actio; illuxerat dies ille, quo ex hortuli umbraculis in Solem, & apertum educenda erat eloquentia. Inſtruitur locus ad agendum ampliſſimus, omni apparatu, ornatúque viſendus, conferta hominum turba maturè fores obſidet, excluduntur plebejæ animæ, pauci barbâ, talaríque pallio doctrinam, aut pretioſo veſtitu nobilitatem profeſſi, magnâ demum ambitione admittuntur. Prodit tandem novus Hortenſius, cogitationum febribus æſtuans: in unum ora, in unum oculi, in unum animi defiguntur: altum ſilentium, ingens exſpectatio. Quid deinde, quid cenſetis, Auditores? orationem, ut apud Homerum concitatam, & ſine intermiſſione

x Ad Iuriſperitos. y Ludov. Cellotius, orationes panegyr. orat. 6.

in morem nivis ſupervenientem? eámne potius, quæ verecundo ſimilis principio, ſe circumſpicit, & æſtimat, & præbet æſtimandam? videte ut pallet, ut tremit! ſalva res: magnos olim Oratores ſcimus in principio dicendi exalbeſcere, & non parum commoveri ſolitos. Sed diutius obmuteſcit; quid etiam circumſpectat? dic Orator, aut numquam dicas. Surgit, caput aperit, voce tremulâ poſtulat ſibi ignoſci, evolâſſe cum Auditorum horſenſium viriditate ſilicatam orationem: patere certè, præſentes, ſuperſtites cauſes non eſſe, qui ſponte moverentur. Quid plura? demittere cogitur auriculas, elinguis & rubore ſuffuſus, proripere ſeſe infantiſſimus Orator.

Conſimile quid, ne mihi, qui non ſum, niſi qui dicam ad ſtolidos & agreſtes, caulium, aut ſtolonum inſtar, aut ad imperitas mulierculas, in hoc doctiſſimorum hominum theatro obveniat, alium vobis, qui pro Auditorum dignitate, pro numquam ſatis laudandæ *Juriſprudentiæ* excellentiâ, pro eximia D. Ivonis in cauſis tractandis peritia, pupillis & orphanis tuendis juſtitia, ſingulari denique in omnem vitam virtutum præſtantia dicturus ſit, oratorem aureum, ipſum nempe Chryſoſtomum, Chryſologum, alióſque aurei ſæculi ſacros Oratores ſufficiendos decrevi.

* * *

§. I.

Juriſprudentia commendatur primum ex illo Joannis: z ADVOCATUM *habemus apud Patrem* JESUM *Chriſtum juſtum.* I. Joan. 2.

QUàm copioſè aureum elo-quentiæ flumen hic decurrat attendite: a *Sicut* ADVOCATUS *à malefactore inſtructus, ad tribuna[l] accedit, & perſonam gerit ejus, cu[i] patrocinatur: & omnia crimina ejus qui judicatur, in ſe aſſumit, & qua[ſi] pro ſeipſo apud Judicem cauſam agit, tametſi criminum minimè reus ſit: eum in modum Dominus noſter* JE-*sus Chriſtus venit è cœlis impeccabilis, & pro me* (& pro vobis) *inter-cedit.* Ipſe contra Simonem le-proſum Magdalenæ: & contra Phariſæos, diſcipulorum parte[s] egit, & Advocatus extitit. Ipſe *qui peccatum non fecit*, peccatoru[m] cauſam ſuſcepit. Sic mulier i[n] adulterio deprehenſa Chriſtu[m] cauſæ ſuæ Patronum nacta e[ſt] nequidquam Judæis malignanti-bus, & accuſantibus: b *Magiſte[r] hæc mulier modò deprehenſa eſt [in] adulterio; in lege autem, Moy[ſes] mandavit nobis hujuſmodi lapidar[e]. Tu ergò quid dicis?* JESUS verò *i[n]-clinans ſe, digito ſcribebat in terra*, [in] brevi Scripturâ, c divinus hic A[d]-vocatus, inquit S. Thomas, *ſe[n]-tentiam profert ad eorum inſta[n]-*

z Chriſtus Advocatus. a Chryſ[oſt.] Serm. contra hæreticos. b Ioan. 8. v. c S. Thom. hîc.

tia

tiam, qua partes confudit, & convicit; ream defendit, & abſolvit.

d *Ad officium* porrò *Advocati pertinet, non quod accuſet, vel condemnet; ſed magis accuſatorem repellat, & condemnationem impediat.* Documentum hinc ad mores Pineda Judicibus præſcribit: e *Hoc*, inquit, *fecit* JESUS, *cùm ferre ſententiam contra adulteram rogaretur. Duo hoc facto innuit, quod imitari debent Judices: imprimis inclinavit ſe deorſum, ut terram tantummodo aſpiceret: & à rea, & accuſatoribus vultum averteret*; Quod ſuo loco plenius proſequemur.

Quin & Benigniſſimus Redemptor inter homines verſatus, cauſam omnium noſtrum complexus eſt, & potenter peroravit: Ioannis 17. f *non pro eis rogo tantum* (ſcilcet Apoſtolis) *ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Longè autem potentiſſime è cathedrâ Crucis interpellavit pro nobis, de quo Angelicè Doctor Aquinas: g *ejus pro nobis interceſſio fuit triplex. Primò, ante paſſionem devota oratione* (de qua jam diximus) *Secundò in Cruce, ſanguinis effuſione. Unde ſanguis Chriſti melius, quam ſanguis Abel dicitur clamare. Tertio poſt aſcenſionem, cicatricum repræſentatione* juxta illud ad Heb. 9. h *Ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Hinc eſt quod Dilectus ille diſcipulus Jeſu clamet: k ADVOCATUM *habemus apud Patrem JeſumChriſtum.* l Nôſtis qualem? *In cauſis animarum; non poſſeſſionum.* Idque *apud Patrem, ut iram Patris habeat placare, repræſentando Patri naturam humanam cicatricibus ſignatam, & ita ſua merita allegantem; non noſtra.*

Quæ potiſſima cauſa fuit, cur vulnerum cicatrices, glorioſo in Corpore reſervarit. Etenim ſi Marcus Antonius, Orator Romanus, m in cauſam Aquileii, qui de capite periclitabatur, apud Senatum perorans, arrepto illius ſago, multis confeſſo telis, ſanguine conſperſo, ac teſtante vulnera, quæ pro Patriâ acceperat, magis ad clementiam hoc ſpectaculo, quam variis adductis rationibus, & ſuadâ ſua permoverit; quid de Chriſto Advocato apud Patrem ſentiemus? n *Qui ut appareat vultui Dei pro nobis, utque reſervatæ in corpore plagæ*, uti ait Cyprianus, *Salutis humanæ, à Patre exigant pretium, & obedientiæ donativum*; Quæ potentiſſima ad animos permovendos ratio, & oratio eſt.

Quare ad quæſtionem illam inter Theologos multis ventilatam: an Dominus Jeſus; *Qui interpellat pro nobis*, in Cœlis ſuper ſalute noſtra, cum Patre æterno loquatur? reſpondet S. Thomas, o nullam hic intercedere locutionem; ſed ipſam repræſentationem, per tot ora, quot vulnera, in humana natura, quam Cœlo intulit, quandam eſſe interpellationem. Chryſologus, Ravennas Antiſtes, de Lazaro mendico, ejuſque ulceribus agens, hæc ait: p *Ad aperiendum cor divitis, totum corpus pauperis vulneribus aperuit*,

d S. Thom. in Epiſt. ad Rom. cap. 8. verſ. 34. e Pineda in Eccl. cap. 11. f Ioann. 17. verſ. 20. g S. Thom. in 1. Ioan. 2. verſ. 1. h Heb. 9. verſ. 24. k 1. Ioan. 2. l S. Thom. cit.

m Cicero. orat. in Verrem. n S. Cyprian. Serm. 3. de jejunio. o S. Thom. 3. part. q. 57. à 6. p Chryſolog. Serm. 121.

ruit, ut in admonendo divites, tot eſſent pauperis ora, quot vulnera. Similem in modum, totum ſibi corpus aperiri voluit Chriſtus, ut in exorando pro nobis Patrem, *tot eſſent ora, quot vulnera.* Unde peccatores quamtumvis ſceleratos, & maximè flagitioſos, mortis æternæ reos, cauſæ ſuæ diffidentes, ſic animat, & excitat Auguſtinus, qui expendens illa verba Ioannis: q ADVOCATUM *habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum*, ita diſſerit: r *Ibi habes* ADVOCATUM, *noli timere ut perdas cauſam confeſſionis tuæ: Si enim in hac vitâ commiſit ſe homo diſertæ linguæ, & non timet; committis te* VERBO, *& periturus es? clama,* ADVOCATUM *habemus apud Patrem, qui tot ora habet, quot vulnera, quibus cauſæ tuæ patrocinetur.*

In cauſa quantumvis iniqua, criminali etiam, & capitali, qui Demoſthenem, Periclem, Tullium nacti fuerant, abſolvebantur, ut in Ligario, ſententiâ Cæſaris damnato, patuit, quem Cicero perorando abſolvit. Et quemquam veſtrûm reperire eſt, qui cauſæ animæ ſuæ, quamtumvis iniquæ diffidat, ubi Patronum ſibi obtigiſſe novit, qui cauſam peſſimam, optimam reddere; Judicem, in quam vult partem, flectere, & omni oratore potentior, per vulnera perorare conſuevit?

In cauſis forenſibus quandoque non ſine gravi clientis incommodo, & detrimento, accidere ſolet, ut ſi quem ſedulum, peritum, & cauſæ ſuæ gnarum nactus eſt Patronum, is, ut mortales ſumus, vivis eripiatur. At, qui Chriſtum nactus eſt Advocatum, non habet, quod extimeſcat. ſ *Mihi poſtulat*, clamat Bernardus, *qui meam ad hoc induit formam, ut ſuſcipiat cauſam.* Hic etenim teſte Apoſtolo: t *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*; idque, inquit S. Thomas, v *quaſi* ADVOCATUS *noſter exiſtens.*

Ex quibus conficitur, quanta ſit dignitas, & excellentia Juriſperitorum, & Advocatorum, quorum officio, & titulo ipſe Filius Altiſſimi gloriari non dedignatus eſt; ut ſcitè Theologorum Princeps obſervavit: x *multum dicere viſus eſt Paulus dum dixit. interpellat pro nobis: non alium ſuo loco ſubſtituit; quaſi* ADVOCATI *officium, & clientis patrocinium Filio Dei indignum.* Adeò ut qui Advocati munere funguntur, quidam hic in terris Chriſti, & Dii eſſe videantur, ut ſacer Vates diſertè innuit, dicens: y *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Per os juxta interpretes, facies deſignatur. Quod ſi, ut S. Gregorius ait, & experientiâ veriſſimum comprobatur: z *per faciem quiſque cognoſcitur*; evidens eſt, qui *ſeparaverit pretioſum à vili*, juſtum ab injuſto, falſum à vero, Dei faciem, & quaſi Deum in terris habendum eſſe. Quod unicum & ſolum Iuriſperitorum, & Advocatorum munus eſt, ut bene Chaſſanæus: a *Iuriſconſulti id præcipuum ſtudium eſt, juſtum ab injuſto, falſum à vero diſcernere.*

Quare patrocinari in cauſis, ac in juris humani ſubtilibus diſceptationibus verſari, ſemper laudabile, inſignéque exercitium

q 1. Ioan. 2. r S. Aug. hic.

ſ Bern. Serm. 28. in cant. t ad Heb. 7. v. 25. v S. Thom. ad Rom. 8. v. 34. x S. Tho. cit. y Ierem. 15 v. 19. z Greg. in Ezech. a Chaſſan in catalog. part. 7.

fuiſſe

fuiſſe, nemo ambigit. Ea enim officia, ut Saluſtius ait, honeſtiora apud omnes habita ſunt, quæ ingenio, quæ intellectu, quæ Juriſprudentiâ, ac dicendi facundiâ, plurimum valerent.

Hinc Plinius junior de Euphrate, Philoſopho ſapientiſſimo loquens, affirmat, b *eſſe hanc Philoſophiæ & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, proponere, & exercere juſtitiam.* Ita Gregorius Nazianzenus, cujus ore ipſa Juriſprudentia loqui videbatur, ait, c *eſſe pulcherrimum Philoſophandi genus, Juſtitiæ Patrocinium ſuſcipere.* Anaſtaſius vero † *Laudabile* ait, *vitæque hominum neceſſarium* ADVOCATIONIS *officium*; additque *principalibus præmiis munerari oportere.*

Sed præ his, Regium illud Theodorici apud Caſſiodorum occurrit elogium: *d* ADVOCATIONIS *officio ſi purè impendatur, nihil ornatius.* Huic accedit egregium duorum Imperatorum Theodoſii, & Valentiniani teſtimonium: e *Digni omnibus honoribus habentur; qui* ADVOCATI *eſſe meruerunt: cui enim honori,* ut rectè ſubditur, *impares eſſe credamus eos, qui vita, & eloquentia, Reipublicæ, & privatorum,* viduarum & pupillorum, *commodis ſervierunt?*

Unde exiſtimatis Juris Doctores clariſſimos, purpurâ inſigniri? niſi quia hæc ſcientia Regia, & Regum eſt propria. Quam ob cauſam quibuſdam in univerſitatibus, ut in Herbipolenſi, in actibus ſolennibus, Doctores purpureis inſignibus, qui color eſt Regius, condecorantur. Hinc Juriſperiti Regibus ut in pretio, ita & in deliciis ſemper fuerunt. Auguſtum ſcimus Trebatio Juriſconſulto uſum fuiſſe, Craſſo Veſpaſianum, Neratio Trajanum, Ulpiano Alexandrum, Papiniano Severum ſeptimum: qui quidem omnes, ut Juriſprudentiæ Laude floruerunt, ita Principibus viris, decori, ornamento; Rei verò publicæ præſidio ſummo fuerunt.

Plus dico, non minus Imperatores ad Juriſprudentum togam, quam ad purpuram erubuerunt. Sic *f* Germanicus Cæſar, & Veſpaſianus devictis Hoſtibus triumphantes, & ipſe Titus Filius confecto feliciter bello, cauſas reorum ſuſceperunt.

Quo in genere hoc præclarum eſt: *g* cum veteranus miles de capite periclitatus, ad Auguſtum confugiſſet, iſque illi, tuendæ cauſæ ſuæ Patronum conſtituiſſet, liberè reſpondit: in prælio Actiaco, cum Cæſar periclitaretur, non alium ſe ſuo loco ſubſtituiſſe, qui illum defenderet; ſed ſuo corpore interjecto, & aperto pectore vulnerum cicatrices, quæ pro illo exceperat oſtentans, ſervâſſe. Quo audito, *Cæſar ipſe deſcendit in Advocationem, veritus ne non modò ſuperbus, verum etiam ingratus videretur*; non alienum à ſe ratus, reo patrocinari.

Et ne longius abeamus, *h* Ludovicus XII. Galliarum Rex, cum ſententiæ in Tribunali dicendæ, aut cauſæ decidendæ eſſent, ſemper eis adeſſe ſtudebat,

b Plin. l. 1. Ep. 10. c S. Greg Naz. Epiſt. 14. † L. Laudabile, c. de Advoc. diverſor. judic. d Caſſiod. l. 2. Variar. ep. 12. e In novell. de poſtul.

f Perard. Tapiſſeriæ p. 511. g Plut. Areſius. lib. 6. impreſa 162. h Annales Galliæ.

& Patrono deſertos, ſuo fovebat patrocinio. Quod ſi eo Advocati apud Reges, & Imperatores loco ſunt, quis mirabitur, ſi teſte Lipſio, i *Caroli Magni Ævo, etiam Comites, & Graviores communiter jus dicebant?*

Quis mirabitur, ſi, ut Tiraquellus loquitur, k ADVOCATI *etiam depoſito officio, in clariſſima dignitate conſtituti ſunt?* Quis mirabitur, ſi ad Senatorum ſubſellia, ad equeſtrem dignitatem, ad Conſulares faſces evehantur? Quod nemo genere, & militiâ clarus inficiabitur, qui Sidonium Apollinarem loquentem, & ſic fieri conſueviſſe aſſerentem audierit; cujus hoc effatum eſt: l *Romæ tam facile dignitates lingua & calamo, quam ferro, & armis acquirebant.*

Tam facilè quis inter Nobiles, inter Quirites, Ordinem Equeſtrem, & ut more noſtro loquar, & Comitum & Baronum titulos adipiſci poterat, qui lingua ſtrenue clientis partem in foro peroraſſet, quam qui ferro in acie pro Rege fortiter decertaſſet. Nec immeritò, cum plus Reipublicæ paci, & incolumitati, Juriſconſulti conferant, dum privata odia, & ficas inter latera verſantes, compoſitis inter ſe partibus, conquieſcere facerent, quam ſi aperto campo ingentem hoſtium ſtragem edidiſſent; juxta illud Caroli V. quod à Romanis hauſit: *Melius eſt civem unum* (innocenter oppreſſum) *ſervare, quam centum barbaros perdere.* Libet id contra leviculos quoſdam gladiolo accinctos, & de proavorum titulis militia partis gloriantes, Theodoſiano confirmare pronuntiato: m *Non ſolos Imperio noſtro militare credimus, qui gladiis & clypeis, & thoracibus nituntur; ſed* CAUSARUM PATRONOS, *qui Glorioſæ vocis munimine* (ut in variis curiis etiamnum fit; noſtris autem ſcripto) *Vitam, & fortunam hominum defendunt.* Tales Regius Theodorici animus fovebat, & extollebat, cujus hæ voces: n *Inter Glorioſas Reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante, revolvimus, cordi noſtro eſt levamen humilium: vel contra potentiam ſuperborum, noſtræ pietatis erigamus obſtaculum, nec liceat quidquam apud nos audaciæ, cujus eſt propoſiti ſuperba calcare.*

Qua in palęſtra, nemo unquam in ſago, quam Ivo in toga; nemo in Campo, quam ille in foro glorioſior exſtitit; nemo potentius machæra, quam ille lingua dimicavit. Nemo æquius, ſolis inſtar Juſtitiæ, omnibus ſe impendit: nam ut Sol in horologio omnes horas æqualiter ſignat, nec ſe plus aut longius horę 10 aut 12, quam primæ vel ſecundæ impendit, aut lucido ſuo vultù colluſtrat; ita Ivo p *Sol Juſtitiæ*, non potentibus ac divitibus prolixiorem favorem, vultum benigniorem, ſed *omnibus idem* primis & imis ſeſe impendit, ut in præfixo Symbolo videre eſt.

Tales ſe præbent cauſarum Patroni, litium diribitores, qui non prius à circo æquitatis, quam Sol ab ecliptica ſua recedunt: quibus unus ille Juſtitiæ ſcopus, & finis eſt, indignè ac perfide à potentibus oppreſſos, ingenio, calamo lin-

i Lipſius. monita & Exempla polit. l. 2. c. 9. k Tiraquell. de nobilit. c. 29. leg. 1. c. de Advo. diverſ. l Sidon. Apoll. l. 1. ep. 11.

m In inſtit. n Caſſiodor. l. 3. Variar c. 20. p Malach. 4.

lingua, ſolertia omni tutari, ac defendere; ut jure Patres orphanorum, & Patroni viduarum cenſeantur: quique huic tam preclaro muneri, tuendæ juſtitiæ præficiuntur, ſingulari dono à ſummo Numine orbi conceſſi, ad ſalutem hominum, ad nationum, & Rerumpublicarum tranquillitatem videntur, cum nihil in terris æquitate, & Juſtitia divinius, nihil admirabilius.

Unde Juſtinianus Juriſprudentiam omni ex parte ſacram eſſe voluit, cum Juris corpus q *templum Juſtitiæ*, ipſas verò conſtitutiones *Sacratiſſimas*, & juri ipſi Religionem tribuere, & affirmare non dubitarit, Imperatorem eſſe debere *Juris Religioſiſſimum.*

Hinc Ulpianus Juriſconſultos, r *Juris ſacerdotes* nuncupavit, & Symmachus Imperatores, ſ *Juſtitiæ ſacerdotes*; nec minus præclarè Theodoricus Rex ad Eugenium: t *Eſto innocentiæ templum, temperantiæ Sacrarium, ara Juſtitiæ, abſit à judiciariis mentibus aliquid profanum.*

Imò divinitatem iis quandam, majores noſtri ineſſe putaverunt, qui jus defenderent, & adminiſtrarent. Ita v Enos, ut loquitur Cyrillus Alexandrinus, ſuis temporibus, magnis virtutibus admirandus, nominatus fuit DEUS, *ob juſtitiæ magnitudinem*: quod, opinor, illa foret communis omnium gentium opinio, nihil ea ſanctius, nihil juſtitiæ Patronis divinius reperiri.

Infinita ſunt hujuſmodi quæ declarent, Juriſconſultorum profeſſionem eſſe maximè honoratam, ſcientiam ipſam in humanis rebus eximiam, ipſos legum & judiciorum adminiſtros, pulcherrimis & fructuoſiſſimis ſuis laboribus, omne genus humanum obſtringere, nec quorundam ſcelus & fraudes, impunitamque fori licentiam, clariſſimorum Virorum lumen inobſcurare poſſe.

Hæc & alia, cum apud ſe reputarent docti quidam, neque leviter diſciplinis imbuti, exiſtimaverunt Juris ſcientiam, cui templum, ara, ſacerdotium, & divinitas etiam quædam attribuitur, adeò neceſſariam, ut abſque ea orbem ruiturum affirmarent.

Veriſſimè & ſapientiſſimè Illuſtriſſimus Antiſtes Philippus Rovenius: x *Neceſſe fuit humano generi Legiſperitos dari, qui quæſtiones deciderent, quas avaritia intulit, & per ſuæ ſcientiæ Regulas, quid verum, quid juſtum ſit, explicarent, ad Reipublicæ quietem, & multorum commoditatem. Boni itaque* ADVOCATI *multum ſunt commendandi.*

Abſque Juriſconſultis, quis diſſidentes componeret? quis litigantes compeſceret? quis oppreſſos erigeret? Innocentes diſcerneret? dum quiſque aliena invadere, ſuo jure tueri, ſuo judicio ſtare, evincere voluerit; quid aliud formidandum, quam ut mutuis odiis, ac cruentis cædibus Reſpublica omnis fœdè dilanietur? Cui malo ut occurreret ſupremus rerum omnium arbiter Deus, populo ſuo duos Patronos præfecit, Exodi 24. y *Habetis Aaron, & Hur vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos.*

q Præfat inſtit. r Vlpian. de juſt. & jure ſ Symmach. in relat. t Caſſiodor. lib. 1. epiſt. 12. v Cyrill. Alexan. l. 2. glaphyr.

x L. 2. de Reg. c. 10 n. 1. Lib. 2. de Repub. c. 10 n 1. y Exod. 24. v. 14.

z Hebraicè, inquit Cornelius, *vir verborum*, id eſt cauſarum, vel litium; qui videlicet cauſam aliquam vel litem habet, *hic accedet coram eis.*

Habuerunt ſuo tempore miſeri, & inopes, pupilli & orphani, viduæ, & pauperculæ D. Jvonem, ad quem recurrerent, & *ſi quid natum quæſtionis*, & oppreſſionis, ab iniquis oppreſſoribus, referebant ad eum: amicè excipiebantur, benevolè audiebantur, & inſuper optimè habebantur.

Quod ſi *jus*, ut Galeolus Mattius obſervat, à *juvando* dictum eſt, *a* meritò ille Juriſconſultorum Phœnix *Juo*, *à juvo*, nomen ſibi deſumpſiſſe, à quibuſdam piè creditus eſt; ſed erunt fortè, dum *Ivonem* nomino, & Phœnicem compello, qui unam dumtaxat ex hac claſſe conſimilem avem reperiri, & veterem illam calumniam declamitent:

Scalas Ivo retraxit.

Quaſi verò ante ipſum, & ex ipſius cineribus non plures pullulâſſent; de quo in Cœlos conſcenſuro illud Maronis verius accinuiſſent:

b *Extrema per ipſum*
Iuſtitia excedens terris veſtigia fecit.

Unum enim Ivonem ex omni Juriſconſultorum numero ſanctum deprædicare, hominis eſt aut in divos impii, aut in ſacris annalibus imperiti. Quare contra cavillum hunc:

Cauſidicum in Cœlis unum, inquit Paulus, habemus:
Præter eum num alii, ſunt ibi cauſidici?

Plurimos officio Juriſprudentiæ rectè functos, in Cœlis eſſe, & ſanctis adſcriptos, atque ad ſuperos non gradibus aut ſcalis conſcendiſſe, ſed piis, & eruditis ſuis pennis evolâſſe, demonſtrabo.

z Cornel. hic. a Roberti Elogia 50. 55. Iuriſperit. b Virg. l. 2. Georg.

§. II.

Sancti, qui munere Advocati *rectè functi, cœlitibus aſſerti.*

Theologiæ, ac Juriſprudentiæ Laureâ clarus, Joannes Baptiſta Fragoſus aſſerit, c *plures probatæ ſanctitatis viros* officio Advocati rectè ac ritè perfunctos fuiſſe; Quos inter *Moyſem famulum Dei vivi, Dei veri, in regendo populo vigilantem, in amando ardentem jure* numerandum audio: qui pro populo in causâ peſſima, apud ſupremum Judicem, Patrocinium ſuſcepit, & Advocatum egit. Dum non ſemel tantum ad Deum peroravit; ſed, ut Auguſtinus loquitur: *Pro eis quibus præfuit, Deo ſe interpoſuit, oppoſuit iraſcenti,* dicens: aut *dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*; idque non ſalario, aut munere aliquo expectato; unde Doctor Mellifluus: d *Moyſes* Fidelis Advocatus, *qui quoniam quæ ſua ſunt non quærit, facilè id omne obtinet, quod petit.*

Habent quo glorientur Juriſperiti, & alterum ſanctiſſimum Patronum Danielem, qui innocuam Suſannam inter Lenones, non minori in diſcrimine, quam inter

c Fragoſus. regimen. Reip. Chriſtianæ part. 1. lib. 5. diſp. 13. n. 235. Aug. tom 6. lib. 22. contra fauſtum. c. 69. d Bern. ep. 78. Perard tapiſſerie. aux Advocati.

inter Leones verſantem, tutatus eſt, Advocatum egit, fraudes partium detexit, dixit, & abſolvit.

Hunc talem ac tantum virum amamus, & admiramur.

Sed præ his Conſtantinopoleos Antiſtes Chryſoſtomus, (de quo Theodoretus: e *magnum orbis lumen, qui primum Antiochenam cum laude irrigavit Eccleſiam; deinde Regiam Urbem ſapienter coluit, admiratione digniſſimum Doctorem exiſtimo*) hic Huſſæum vatem, egentibus, viduis, & pupillis patrocinantem laudaturus, ſic exorſus eſt: f *Magnus vir, magnis dignus Coronis, in Orbe à Deo oſtenſus eſt*, ad vivum omnibus Advocatis exemplar, & abſolutiſſimum juſtitiæ adminiſtris prototypon, veris coloribus in ſacris tabulis nobis depictum. Job. c. 29. v. 7. g *Quando procedebam ad portam civitatis, & in plateâ parabant cathedram mihi.* Ubi notat D. Hieronymus cum aliis, *h* judicia ad portas urbium inſtitui conſue„viſſe. *i* Procedebat igitur, inquit „Corderius, ad fores civitatis „Job inclytus, ut litium arbiter fieret altercantibus, componeretque diſcordes. & v. 11. *Auris audiens beatificabat me, &c. eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adjutor;*

Quod charitatis officium, & juſtitiæ patrocinium, *k* an teneantur Advocati pupillo, & cuivis egenti, ab omnibus deſerto, gratis impendere, è Theologorum pla„citis, & Juriſtarum pandectis „eruendum eſt. Scriptor gra„viſſimus, eruditiſſimus, *i* illu„ſtriſſimus, ſplendiſſimum moralis Theologiæ lumen *l*, Tho„mas Sanchez diſertè docet, &„aſtruit: *m* Advocatum non ſo„lum in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate pauperis, teneri ſub mortali, gratis patrocinium præſtare: ut ſi citra periculum vitæ, periclitaretur honor, aut alia calamitas inopi ingrueret, & non eſſet alius illi adjutor, aut qui patrocinari vellet; ut efficaciter probat S. Thomas: n *Non minor neceſſitas eſt indigentis cibo, quam indigentis* Advocato: *Sed ſi aliquis tantam neceſſitatem patiatur, ut non in promptu appareat, quomodo ei poſſit aliter ſubveniri, in tali caſu tenetur ei opus miſericordiæ impendere; præſtare verò patrocinium cauſæ pauperum, ad opus miſericordiæ pertinet: ergo idem dicendum eſt.* Ita Cajetan. Navarr. Sotus. Silv. Baldus L. ſi furioſi. Covarr. l pract. c. 6. n. 4. Idem ſentiunt de Medicis.

Quare cum patrocinium ſuccedat loco Eleemoſynæ, eadem eſt ratio ferendi patrocinium in neceſſitate pauperis, ac ratio dandi Eleemoſynam; ſi cum levi tuo incommodo, & damno fieri queat. Unde D. Gregorius hom. 15. in Matt. docet Advocatum renuentem patrocinium pauperi gratis præſtare, ſalvari non poſſe, cum ad id ſtricto jure teneatur, ut apud Fragoſum videre eſt. *o*

Hoc charitatis officium, hoc juſtitiæ patrocinium, liberaliter, & libenter Jobus egentibus, & pupillis impendit; quo factum ut plus ei laudis, & honoris etiam apud homines accederet, quam

e Theodoret. dialog. 1. f Chryſoſt. in Iob hom. 1. g Iob. 29. v. 7. h Hier. Hugo. hic. i Corderius hic. k An teneatur Advoc. patrocinium præſtare pauperi.

l Alegambe in Bibliot. ſcrip. ſoc. Jeſu. m Sanchez. conſilia l. 6 c. 7. dub 1. n S. Thom. 22. q 71. art. 1. o V Fragoſ. Regimē. Reip. Chriſt. par. 1. l. 5. diſp 13. n. 237.

aliis cauſidicis lucri, & emolumenti, non ſine gravi nota, & noxa pauperum ſanguine extorto Quod magnificè de eo extollit purpuratus Doctor; p *Auris audiens, id eſt intelligens, beatificabat me, commendando verba mea: Et oculus videns opera mea, teſtimonium reddebat mihi, eò quod liberaſſem pauperem vociferantem à potente per injuriam opprimente.* Probationi ſervit quod ſequitur:

Benedictio perituri ſuper me veniebat.

„ q Qui, ut Pineda exponit, in „ ſummo vitæ, rerúmque diſcri„ mine verſabatur, & quem falſa „ & iniqua delatura, vel calum„ nia potentiorum agebant capi„ tis reum, atque certò periturus „ credebatur, niſi illi hic fidus „ Patronus adfuiſſet: *Et cor*, in„ quit, *viduæ conſolatus ſum.* r In „ Hebræo, exultare feci præ gau„ dio, vel cantare feci Tigurina: „ *Cor viduæ commovebam ad jubi„ lum*: quod cor mœrens, & do„ lorem premens, & ne hiſcere „ quidem audens, jam tandem „ ope allatâ, vix ſe poterat conti„ nere, quin cantu & jubilo pro„ deret incredibilem cordis læti„ tiam.

Hæc profectò qui æmulantur, longè excellentius opus præſtant, quam qui prolixis orationibus, jejuniis, aliíſque corporis afflictationibus vacantes, eximiæ nomen ſanctitatis apud Deum, & homines meruêre. Jure igitur gloriatur ſanctiſſimus hic pauperum, & pupillorum Patronus: ſ *Juſtitia indutus ſum* (undique) *ſicut veſtimento.* Id eſt, ut Hugo interpretatur, t *operibus juſtitiæ, ſicut veſtimento, ut nuſquam ſit aditus hoſti*, aut corruptelæ Quod reipſa comprobat, dicens: v *Oculus fui cæco, & pes claudo*; x non dicit „ cæco ſe ducem præbuiſſe, qui „ illum duceret: nec claudo ba„ culum miniſtrâſſe, cui adhære„ ſcens incederet; ſed cæco ſe „ fuiſſe oculum, & claudo pe„ dem. Hinc iis qui vel ignoran„ tiâ, vel imbecillitate judicii (ut „ pauperes oppidani, viduæ, or„ phani) quaſi mentis oculis ca„ pti, ſibi ipſis conſulere non va„ lebant, aderat ſapienti & fideli „ conſilio: & qui propter ino„ piam facultatum, vel amico„ rum penuriam, claudorum in„ ſtar progredi, & expedire ſua „ non poterant, eorum ipſe ne„ gotia promovebat, & confecta „ dabat.

Quot hodierno die lites, & cauſæ ceſſant, ſupprimuntur, ad uncum affiguntur, aut abjudicantur propter inopiam facultatum, vel amicorum penuriam? egenis clientibus miſerè tabeſcentibus, & immorientibus, quod hominem non habeant, qui Jobi exemplo, gratis auxilio, conſilio, & patrocinio ſit. Conſimili ſenſu „ Pineda: y cum quis ignorantes, „ ſimplicéſque homines, atque „ ſuæ cauſæ vix bene conſcios „ admonet, inſtruítque: videtur „ ille ipſe *cæcorum oculus*. Et cum „ imbecillibus, júſque ſuum non „ potentibus proſequi, animos fa„ cit, favétque: videtur profectò „ eſſe ille ipſe *claudorum pes*. Ergo, „ inquit Job: *Nemo in meo tribu„ na i ſua cauſa cecidit, quod illi* Patronus et Advocatus, „

p Hugo Card in Iob. c. 29 v 11. ſeqq. q Pineda hic. r Idem ibid. ſ V. 14. t Hugo hic. v V. 15. x Corderius hîc, y Pineda hic.

DEES-

„ DEESSET: *vel ſi opus eſſet,ipſe Jo-*
„ *l us pro ſalute miſerorum diſcur-*
„ *rebat.* Hoc qui nunc faciat,

z Is corvo quoque rarior albo.

Omnibus denique,quæ in divino quodam Advocato requiri poſſent,officiis perfunctus, concludit: a *Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam.* In quæ verba *D. Hieronymus*, qui teſte Caſſiodoro; b *Doctor Doctorum* denominatur; *negotia*, inquit, *cauſáſque pauperum,contra potentes ſuſcipiendo, defenſor eorum factus erat. Et idcirco ne aliqua adverſantium parte opprimerentur, retectis eorum fraudibus, eas inveſtigare dicebat*; idque affectu,curâ, & ſolertiâ non minori, quàm paternâ.

Huc ſpectat Sapientis monitum, ſapienter & diligenter Juriſconſultis inculcandum,ne potentes cõtra egentes prævaleant: c *Vidi*, inquit, *lacrymas innocentium,& neminem conſolatorem* (*Patronum adjutorémque*,inquit Pineda *d*) *nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos.* At quis eſt hic, & laudabimus eum,qui *cunctorũ auxilio deſtitutos*, miſeros & pauperculos, contra potentum violentiam defendat, cauſam ſuſcipiat,& evincat? quis eſt hic, qui ejuſmodi diligenter inquirat,& ſuum ultro patrocinium,quod in JoboChryſoſtom. aureo eloquio deprædicat. e *Neque enim exſpectabat, dum ad eum ii,quibus facta erat injuria, accederent; verum ipſe prævertens, luſtrabat omnia,eos quærens, qui læſi eſſent injuriâ: nec quoque modo quærebat; ſed multa adhibitâ vigilantiâ. Nec enim dixit,quæſivi; verum cauſam quam ignorabam,inveſtigavi, ſcrutatus ſum,ſtudioſè diſquiſivi, omnia movi, ut calamitoſos reperirem, nēve quiſpiam violatus injuria uſpiam lateret.*

Has,quas hactenus probi,& juſti Advocati virtutes,in Iobo adumbravi,plures in lege nova viri ſanctitate eximii expreſſêre. D. Cyprianus (qui preclaro Lactantii teſtimonio,f *unus & præcipuus exſtitit, quoniam magnam ſibi gloriam ex artis oratoriæ profeſſione quæſierat,*) Principem Apoſtolorum, non Neophytis dumtaxat;ſed viduis potiſſimum, ac egentibus patrocinantem, inſigni elogio, primum novæ Eccleſiæ Advocatum indigitavit: g *D.Petrus*, inquit, *fuit viduarum, & pauperum* ADVOCATUS. Idem de Paulo prædicari poſſe,evincunt actiones,& orationes pro iis, qui in preſſura erant, ut de illo rectè pronuntiaro,quod de Moyſe D. Bernardus, *Advocatus fidelis*, qui quæ ſua ſunt,non quæſivit, & ut afflictis patrocinaretur, etiam *anathema eſſe voluit.*

Philogonius ex cauſidico Epiſcopus, non meâ ut præfatus ſum; ſed Chryſoſtomi *lingua*,h *quæ cœlis ipſis altior*, his verbis in cœlum extollitur: i *quod elegerit illum Deus, vel ex ipſa morum integritate perſpicuum eſt: quippe quem ex medio abreptum foro, ad thronum hunc evexit. Adeò caſtam,& inſignē prius egit vitam,cùm in forenſibus negotiis verſaretur,adeò ſolem ipſum ſplendore vicit, ut protinus à judiciorum*

z Iuvenal.Sat 7. a V.16. b Caſſiodor.lib.7.de incarnat.c.26. c Eccleſ.4.v.1. d Pineda in Iob.c.22.v.12. e Chryſoſt.in catena.Corderius cit.

f Lactant. lib. 5. c. 1. g Cyprianus. Perard.tapiſſerie, cit. h D. Proclus in encomio Chryſoſt. i S. Chryſoſtom. hom 31.ad pop.de S.Philogonio.

tribu-

tribunali,ad ſacrum tribunal evectus ſit. Ac tum quidem hominibus PATROCINABATUR, *adverſus homines,qui ſtruebant inſidias : eos qui afficiebantur injuria , ſuperiores reddens iis, qui injuriam inferebant.* Quis nunc virtuti,omníque ſanctitati , Juriſperitorum munus adverſari dictitârit, ubi Philogonius tam integram , ac ſingularis perfectionis abſolutiſſimam in eo vitam traduxit ? cujus breve elogium, maſcûlo ſtylo exaratum , hic attexere placuit.

k Factus es Philogoni ex cauſidico Præſul :
Patronus fuiſti,ut diſceres eſſe Pater :
Quos habuiſti clientes,adoptaſti in filios.
Voluiſti prius aliis prodeſſe, quam præeſſe :
Faveras innocentiæ verbo , foviſti facto ;
Pontificatu illuſtrior , quam clientela,
Non jam clamoſus in foro,ſed ſuaſor in templo.
Fuit oratio melle dulcior , vita ſole clarior ;
Expuliſti Arium non ex urbe, ſed ex orbe.
Patriæ pater tu potius dicendus,an gentium ?

Videtis jam tum , non ſolum conſulares faſces, Regiáſque dignitates,ut ſupra diximus ; ſed & ſacras infulas Advocatis deberi, & conferri. D.Ambroſius l *violenta perſuaſione dulciſſimus , cui fuit*,ſi Caſſiodoro credimus,*æqualis doctrina cum vita*,Mediolanenſi in curia , per annos omnino undecim, ſumma cum laude peroravit : nec deſtitit pupillos tutari pedo , quos antea linguâ & calamo.

Non hic ſiſto ; in album ſanctorum Advocatorum meritò recenſetur Carolus,Romanorum Imperator,qui virtute & patrocinio pauperum , & Eccleſiæ tutelâ , nomen ſibi *Caroli Magni* comparavit: *m* hunc *Romani elegerunt* ADVOCATUM ſancti Petri, contra *Reges Longobardos.*

Cúmque inter aulicos verſemur , en alterum Advocatum, ſanctimoniâ vitæ celeberrimum, Elzearium Comitem , *n* qui Duci Carolo , filio Roberti Regis Neapolitani,ultro, & gratis obſequium ſuum obtulit, ut liceret ſibi agere ADVOCATUM PAUPERUM ; quorum cauſas libenter ſuſcipiebat, & diligenter peragebat.Et ne hujus S. Juriſconſulti omnes partes,& munia ad libellam juſtitiæ inſtituta , & miſericordiæ ejus viſcera perſcrutemur, unum admiratione & imitatione dignū facinus adduxiſſe ſufficiat. Offerebantur illi quotidie à mendicabulis libelliſupplices,Principi porrigēdi,aut obtrudebantur potius opportunè , importunè; eos ille, quo diligentius aſſervaret,ordine quo offerebantur , ſtudioſè compoſitos,in prægrandi perâ è ſerico, circumferebat Acceſſit aliquando, qui pranſurum,& manus abluentem Comitem (ut importuna eſt egeſtas) opprimeret : & tu quidem , inquit,menſam & delicias cogitas ; at ubi interea libellus meus ſupplex ? atqui hodie te patrocinaturum,acturum,& expediendum ad-

k Ioan.Bapt.Maſculus.encomia cœlitum, 20.Decemb. l Caſſiodor.c. 20. variar.lect. Fragoſus cit.

m Engoliſmenſis in hiſt. Caroli Magni. n Binet. in vita.

addixeras? indignatus alius quilibet fuiſſet; at Elzearius comiter, rectè mones, inquit, ô amice: neque hic mihi abierit dies, quin pollicitationi meæ fecerim ſatis. Itaque non in veſperam negotio ſuſpenſo; ſed è veſtigio, prandio, ac ſociis relictis (admirentur & æmulentur Juriſconſulti) feſtinus Palatium adiit: negotium miſelli confici petit, offert, obtinet, ac tum demum, ad propria rediit, *potuítque paratæ accumbere menſæ*; eáque frugali ubi attenuatum corpus refecit, addebat ſe numquam ſuavius epulatum.

Quod ſi omnes ſanctos Cauſidicos, Boëtios, Symmachos, Theophilos, Sulpitios, Severos, Germanos, Antiſſidorenſes, Moros, Superûm ſaſtis inſcriptos, aut inſcribendos, enarrare voluero, prolixæ ſatis Litaniæ contexendæ forent. Omnium unus, & præ omnibus excelluit, conſultiſſimi Domini, tutelaris veſter, & omnium Cauſidicorum Patronus, pauperum, viduarum, & pupillorum Pater, & Advocatus, *divus Ivo*, quem dum nomino, omnis Juriſprudentiæ, & Juſtitiæ non fallax, ſed verum, & æquum ſpeculum propono. Hic ad advocationis munus adlectus, *memor illius Prophetæ*: p BEATI QUI CUSTODIUNT JUDICIUM, ET FACIUNT JUSTITIAM IN OMNI TEMPORE, *eam functionem gratis in ſe recepit*: *& quæ facienda erant*, *benignè, amanter, &* ABSQUE DILATIONE *exequi conatus eſt*. Præclarum hoc apud Deum, *gratis*, & rarum illud apud homines *abſque dilatione*; quibus duobus terminis, aſſerere poſſum, quod ſpiritualis plus ſucci, & ſanctitatis ſibi conquiſivit, quam cæteris omnibus miſericordiæ corporalis, virtutum operibus. Hic quotidie hoſpitio pauperes ſuſcipere, pedibus aquam affundere, menſæ ſuæ convivas adhibere, ex eodem calice propinare: de victu & veſtitu, quo illis adderet, ſibi demere: & ne deeſſent qui Patrem vocarent, binos conjuges, una cum quatuor liberis, domi ſuæ in nonum annum alere: ut planè penum Ivonis, pauperum poſſes ſinum appellare.

Ipſe interim tam in ſe durus, quàm in alios benignus, corpus cilicio affligere, ſomnum humi capere, inter preces, ſeptem ipſos dies ſine cibo perſiſtere, non imitanda cenſentur ſanctimoniæ veſtigia; at linguam & operam ſuam non vendere; ſed pauperum & viduarum cauſam beneficiis ſibi emere: q *Orphanos afflictos, calamitoſos homines fovere humanitate, & patrociniis, ſeque totum in ſpiritualia miſericordiæ opera impendere*, dubitantibus rectè conſulere, ignorantibus pro jure, & æquitate cauſæ ſuæ, lumen affundere, innocentibus cõtra potentes auxilio, & patrocinio eſſe, longè ſublimius, multóque divinius.

Hæc porrò Angelica divi Aquinatis doctrina eſt: r *Spirituales eleemoſynæ, ſunt corporalibus præferendæ*; idque probat triplici ratione: *Primò quidem, quia id quod exhibetur nobilius eſt, ſcilicet donum ſpirituale, quod præeminet corporali. Secundò, ratione ejus, cui ſubvenitur: quia ſpiritus nobilior eſt corpore. Tertiò, quantum ad ipſos actus, quibus ſubvenitur proximo: quia ſpirituales actus ſunt nobiliores corporalibus, qui ſunt aliquo modo ſerviles.*

p Surius 19. Maji. Pſalm. 105. v. 3.

q Surius. r S. Thom. 22. qu. 32. art. 3.

Ex

Ex quibus conficitur D. Ivonem, omnéſque ejus ſectatores, Advocati munere prçcellere poſſe, etiam viros Religioſos, & priſcos illos anachoretas.

Veſtigiis D. Ivonis proximè inſiſtere mihi viſus eſt Petrus Saavedra Toletanus, ſ qui à Carolo V. Imperatore, unus è conſilio Quatuor-virum, in novæ Granatæ Regnum deſtinatus, exercitiis ſpiritualibus à P. Franciſco Villanovâ, Rectore Complutenſi, dum ad iter ſe parat, ſuſceptis, ſententiam mutavit, maximè charitate ſuorum retentus. Ergo quæſtuoſum tribunal remiſit, idque majori compendio, quam collegæ adiverunt: nam duo ex his, cùm aliquot poſt annis redirent bene nummati; non longè ab Hiſpania, cum univerſa pecunia, tótque laborum præmiis, obruti perierunt. Saavedra exinde *publicus Advocatus*, cauſas magnâ prudentiâ, non niſi æquas ſuſcipiebat: magna ingenuitate repudiabat, quas iniquas rebatur: magna ſuſceptas fide, curáque tractabat.

Sed tribus maximè præſidiis ad profectum, & officium ſanctè obeundum, utebatur: t *Memoria mortis*: *benignitate in pauperes*: *crebritate ſacramentorum.* Parvulam filiam, fermè quadrimulam ita inſtituerat, ut ad ſe identidem in conclave adiret, ac diceret: *Pater, memineris tibi eſſe moriendum*; quod puella ſimpliciter interdum in magna etiam conſulentium coronâ factitabat: & Saavedra eam, quo lubentius ſalubre carmen occineret, munuſculis allectabat. Eandem juſſerat pauperibus, quotquot ad fores rogarent, ſedulò ferre ſtipem, eáque porrecta non abſiſtere, quoad manum eiſdem oſcularetur: ut in ſua Chriſtum Deum imagine aſſueſceret venerari. Homologeſim, ac ſynaxim frequens inſtaurabat, nec ferè unquam ſine uberi fletu. Colebat inter cœlites, veneratione prçcipua v B. Didacum Complutenſem è S. Franciſci Ordine, ſingulíſque diebus in dedicato ei ſacello, ſacrificium præſente ſe fieri curabat. Hic verò memorabile dictu narratur, & ipſemet in actis, quæ ad ritè cognoſçendum de Beati ſanctitate fiebant, juratus affirmavit: *Singulis diebus cum divina hoſtia attolleretur, audiebat ſanctũ cadaver intra loculum commoveri, tanquam ad præſentem Dominum adorandum aſſurgeret:* ſimúlque ſuaviſſimum afflari odorem ſentiebat. Interim uxor occumbit. Ille continuò demiſſus ante crucem in genua, perpetuam ex eo tempore caſtitatem vovit: pollicitus inſuper ſacerdotium ſe ſuſcepturum, & quam primam immolaret victimam, pro ea facturum. Quæ cumulatè præſtitit: nam brevi ſuccenſus eſt amore vitæ perfectæ. Verum cum anceps hæreret, utrum Societati, an S. Franciſci Ordini daret ſeſe; non alium quam ipſummet S. Didacum, cujus promptam quocumque loco, atque uſu, experiebatur benignitatem, legendum ſibi arbitrum duxit. Ergo dum enixiſſimè in ejus ſacello, ad internoſcendam Dei voluntatem Cœleſte precatur lumen; audito ex urna ſtrepitu venerandi corporis, quaſi ſe ſe agitantis, ſimul vocem accepit

ſ Hiſt. Societ. part. 3. lib. 8. num. 250.

t Tria bonis Advocatis adminicula ſanctitatis.

v Devotio in S. Didacum.

quæ

quæ planè denuntiabat in majore Deum habituturum obſequio, ſi ad Societatem adſcriptus eſſet. Quo ab oraculo domum reverſus, è parvulis filiabus, quas habebat quatuor, & natu maximam decennem, idem interrogat, & idem conſenſu omnes affirmâſſe dicuntur. Rebus itaque familiæ compoſitis, & quæ neceſſitudinibus naturæ debebat perſolutis, in Societatem adlectus eſt. Ubi qua ſanctimoniæ fama vixerit, argumēto eſt, quod apud *Chriſtum*, quē habebat *Advocatum*, tam potenter nôſſet perorare, *ut diceret, nihil ſe petiiſſe unquam, quin impetraſſet*; adhibebatque ad impetrandum, ingentem fiduciam, & vim uberrimam lacrymarum, quibus totus in oratione, & ſacrificio, jugi flumine perfundebatur. Inter cætera ferunt, filiæ natu maximæ, quam prorſus medici deſperârant, ſanitatem impetraſſe: & uxoris de ſtatu ſolicito, ipſammet viſam clariſſima in luce gratias agentem, quod & nomen Societati dediſſet, & pro ipſa, quod promiſerat, primum ſacrificium immolaſſet: affirmantemque jam beata vita ſe frui. Accedit, ne longior ſim, Religioſi hujus viri venerandum corpus poſt decimum Annum integrum in ſepulchro, nulloque corruptum vitio inventum eſſe. Tanta eſt Benigniſſimi Numinis indulgentia, erga ſervorum ſuorum non animas modò Cœlo receptas; ſed etiam adverſus frigida, abditaque humo cadavera, quibus vel in ſinu mortis, quandam tribuit immortalitatem. Hi omnes ad curiam illam Cœleſtem, curis vacuam; ſed dignitate conſpicuam evocati ſunt; *quorum*, ut cum Sidonio Apollinari concludam: x *cum finiuntur actiones; incipiunt dignitates* in Cœlis.

Sanctorum Juriſperitorum catalogo, ſi quis veſtrum adſcribi, & numerum augere voluerit, eorum quos propoſui virtutes æmuletur: y *liberet pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adjutor. Sit oculus cæco, & pes claudo. Sit Pater pauperum* cum Jobo. Aſſurgat à menſa cum Elzeario, patrocinetur gratis egentium cauſis cum Ivone; memoria mortis, uſu Sacramentorum, cultu cœlitum, Chriſtum ſibi cum Saavedra Advocatum habere nitatur.

Audîſtis hactenus præclara laudum encomia, quæ Juriſconſultis, viris æquitate, & probitate præſtantibus, jure debentur; unde ut Perſius canit:

> z *Illa prius creta*; at quæ ſequuntur
> *Mox hæc carbone notanda:*

§. III.

Iniquorum nempe Cauſidicorum vitia, fraudes, nequitiæ, injuſtitiæ deteguntur.

OCeanus Juris, a *mare magnum, & ſpatioſum manibus*, tot ſinus, & anfractus habet, ut enavigari vix poſſit. Vir erudiſſimus Vernuleius, Regius Hiſtoriograhus, ad calculum reduxit in ſolis pandectis, 9198. leges cenſeri; in codice. 4554, atque in Novellis, 168. præter gloſſas, commentarios, conſuetudines, ſtatuta,

x Sidon. l. 5. epiſt. 11. y Iob. 29.
z Perſius. ſat. 5. a Pſal. 103. v. 26.

decre-

decreta, oppidatim, pagatim, populatim, ſine numero congeſta. *Hoc mare magnum*, & vaſtum *Juris oceanum*, Leguleji, ingenioli ſui cochlea ſe complexos arbitrantur, *b* ubi è limine Bartholum, & Baldum ſalutarunt; ſcientiæ nomine famam aucupantur, & vix nôrunt titulos Juris, qui nec indicem Juſtiniani legerunt. Sufficit quod nôrunt, pro cauſæ quam tuentur æquitate, citare pandectas, effari aliquot juris canones, pronuntiare arcana aliqua verba, vulgò ignota, qualia in Jure ſunt: *Bannimenta, cridæ, acceptilatio, ambuſciatores, certioratio*; dum nôrunt diſtinguere, quid operetur clauſula, *junctim, vel diviſim*; *clauſula cum annexis & connexis*, & id genus alia, videntur totum Juris Oceanum, ad columnas uſque, & ultra enavigaſſe. Stupent hos gryphos, & ænigmata imperiti; rident qui intelligunt periti.

In hac claſſe cenſendus ille, de quo memini: *c* Dieſtemii in oppido Brabantiȩ, ubi parens filium bardum, & blennum, litteris humanioribus excolendum tradidit. Iamque ſexennium ſcamna triverat, dum dubius pater, cui potiſſimum ſcientiæ illum applicaret, ſic ſecum ſtatuit *Si ſtudio Theologico ſe tradat, multorum animas interficiet: Si medicinæ ſe dedat, multorum corpora occidet: ſi juri ſtudeat, multorum opes perdet: è tribus malis eligendum eſt minimum.* Itaque cum pecunia mittit in Galliam, & poſt frigidum examen, ſub camino promotus, rediit aſinus in Patriam. Qui jure ſciſcitari poterat, quod alius, *d* an non etiam equum ſuum ad eundem gradum promovere poſſent? Reſponſum tulit, non difficile videri: nam *cum creaverimus Doctorem aſinum, cur non & equum*? Miſeri profectò cauſidici; miſeriores, & miſeratione digni clientes, qui in eos incidunt.

Qualem Otto Melander, Juriſconſultus Lutheranus, refert *e* Wittenbergæ fuiſſe quendam, qui ſupplicabat Philippum Melanchtonem, ut poſſet promoveri Magiſter; cumque ob nimiam inſcitiam, & ruditatem rejiceretur à promotione, ille admodum dolenter id tulit; atque ad pedes Melanchtonis ſupplex affuſus: obſecro te, inquit, per miſericordiam Dei, ut me Magiſtrum crees: ſemel atque iterum, ac ſæpius, multis cum lacrymis hæc ſua vota ingeminans; quibus tandem flexus Melanchton, ſupplicem erexit, dicens: agedum, cum per miſericordiam Dei roges fieri Magiſter, creo te *Magiſtrum miſericordiæ*; quod nomen exinde ſemper retinuit, & vulgò *Magiſter miſericordiæ* appellatus eſt.

Ejuſmodi hodie plures in jure Licentiati, & Doctores miſericordiæ, quia ex gratiâ, & non ex merito ſunt promoti. Quod quam ineptum, inſulſum, & reipublicæ nocivum ſit, Romanæ Princeps Eloquentiæ, etſi gentilis, divinè exaggerat: f *Quid eſt turpius, quam legitimarum, & civilium controverſiarum patrocinia ſuſcipere;*

b Advocati imperitia. c Beyerlinck apophtheg.

d Bauvvens de uſu & abuſu juris. pag. 348. e in jocis. c. 687. f Cicero de orat. ad Brutum. c. 34.

tum ſis legum, & civilis juris ignarus? Tum ſic proſequitur: g *volitare in foro, hærere in Jure, ac prætoriis Tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate, ac jure certetur: jactare ſe in cauſis centumviralibus, in quibus uſucapionum, circumvolutionum, nexorum, mancupiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium jura verſentur: cum omnino quid ſuum, quid alienum: quare denique, civis an peregrinus: ſervus an liber quiſpiam ſit,* IGNORET, INSIGNIS EST IMPUDENTIÆ.

Hinc lege cautum eſt, *h* nullos advocationis munere fungi poſſe, niſi laureâ inſignitos, à ſummo Præſide, & Regiis auditoribus examinatos, & approbatos. Eſtque Caroli Magni decretum, & commune omnium Theologorum effatum: *i* qui abſque ſcientia Juris, negotiorumque experientia (iſti muneri neceſſaria) ingerit ſe, ut Advocatus exiſtat, à culpa mortali immunis eſſe non poteſt, cum ille defectus plurimum obſtet fini ipſius officii: efficiatque ut cauſæ ſibi concreditæ periclitentur; imò qui propter imperitiam, cauſam perdit, ad reſtitutionem tenetur damnorum, quę inde ſubſequuntur. Ut docet Silveſter, Navarr. Tolet. Salon. &c.

Nec ſufficit, Licentiatus, aut Doctoratus Lauream adeptum eſſe; ſed & cauſis diſcutiendis aſſiduò ſtudere, & libris impalleſcere debet, ne in ſe locum habeat, quod de Eccleſiaſtico refertur, qui de ſcripturarum explicatione interrogatus, neſcire ſe faſſus, illud Pauli in medium protulit: k *littera occidit*: cui alter facetè reſpondit: *bene caviſti mi Domine, ne te littera occideret, quia nullam calles.* De quo ſic luſit Thomas Morus:

l *Magne Pater clamas occidit littera: in ore*
Hoc unum, occidit littera, ſemper habes.
Caviſti bene tu, ne te ulla occidere poſſet
Littera: nam nulla eſt littera nota tibi.

Indigni ſanè Advocati nomine, & munere, qui ſcientia inſtructi non ſunt, qui tam paucos libros habent, & tam rarò volvunt, ut ſe à littera occidendos cenſeri poſſent. Debet ergo Advocatus, ut Quintilianus ait, m *vir bonus*, Juris, & dicendi peritus eſſe: cui incumbit primum diſquirere, an cauſa juſta ſit, ut D. Thomas, cum ſchola Theologorum ſenſit: n *dicendum, quod* ADVOCATUS, *ſi in principio credidit cauſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eſſe injuſtam, debet cauſam deſerere, vel eum, cujus cauſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum, ſine adverſarii damno.* Hoc qui fecerit hactenus, novi neminem; plures verò inveniuntur, qui luce ab adverſaria parte acce-

g Idem de orat. c. 38. & orat. pro Rabirio. h Perez. in d. l. 1. q. 12. L. 1. & 2. tit. 16. l. 2. i Recapit. Carol. M. in capitul. de pace c. 12. Pet. Aragon. de Iure. & juſt. V. Fragoſum de regimine. Reip. Chriſt. part. 1. l. 5. diſp. 13. n. 233.

k Ioan. ab Heumen. Ioſeph Somnians 2. cor. 3. 6. l Morus in Epigr. m Advocatus non poteſt cauſæ injuſtæ patrocinari. Quintil. l. 12. n S. Thom. 22. q. 71. art. 3. ad 2.

pta, injuſtam quam in manibus habent cauſam, eò animoſius tuentur, leges torquent, litem trahunt, & clientem ad incitas redigunt.

o *Qui verò ſcienter injuſtam cauſam defendit, abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium altera pars* incurrit. Libet id authentico Cardinalis Bellarmini confirmare teſtimonio. *p* Vir quidam apprimè doctus, cum mecum ageret, & merita cauſæ cujuſdam exponeret, ego ſermonem ejus interrumpens, ajo: videris mihi cauſam injuſtam fovere: ille aſſentiens reſpondit, ego non ſum advocatus veritatis, aut juſtitiæ; ſed clientis mei. Meum eſt exponere merita cauſæ, quam defendendam ſuſcepi, Judex viderit pro qua parte ſententiam ferat. At ego, nolo inquam, mihi fidem habeas; ſed S. Thomę Aquinati, Doctori ſummo, & Sanctiſſimo: is enim 22. q. 71. a. 3. ſic loquitur: q *Reſpondeo dicendum, quod illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciendum, ſive conſulendo, ſive adjuvando, ſive qualitercumque conſentiendo: Quia conſilians, & coadjuvans, quodammodo eſt faciens: & Apoſtolus dicit, ad Romanos ſcribens, quod digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt peccatum, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Unde ut ſupra dictum eſt, omnes tales ad reſtitutionem tenentur. Manifeſtum eſt autem, quod* Advocatus *auxilium, & conſilium præſtat ei, cujus cauſæ patrocinatur; unde ſi ſcienter injuſtam cauſam defendit, abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur, ejus damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium altera pars incurrit; ſi autem ignoranter injuſtam cauſam defendit, putans eſſe juſtam, excuſatur ſecundum modum, quo ignorantia excuſari poteſt.* Hæc S. Thomas. Explicat autem Cajetanus Cardinalis ultima verba Divi Thomæ, dicens: r *qui omnino defendiſſet ſive juſtam, ſive injuſtam cauſam, quamvis neſciat injuſtam eſſe, non ex ignorantia; ſed cum ignorantia, quæ non excuſat, patrocinatur injuſtè: qui etiam non curant diſcernere, & penetrare an juſtam, vel injuſtam cauſam ſuſcipiant, manifeſtè negligunt ſcire id, quod tenerentur.*

Hinc non prius cauſam quis clientis ſuſcipere, aut patrocinium, operamque addicere debet, quàm re diſcuſſa, & ſtatu quæſtionis intellecto, æquam & juſtam comprobaverit; *aliàs ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium, altera pars aut ipſe etiam Cliens incurrit*; cujus cauſam injuſtam, nec ullo jure nixam, ſuſcepit.

Verum enimverò exclamandum hic mihi cum Hipponenſi Præſule: ſ *juſtè dicitur* Advocato *redde quod accepiſti, quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, judicem fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti.* Tum ſubdit, hæc non à triviariis fieri *Sed vides multos honeſtiſſimos, & diſertiſſimos viros, non ſolum impune verum etiam glorioſè videri ſibi hoc committere.* Interim t *quis tandem* Advocatus, *aut ex* Advocato *ita vir optimus facile reperitur, qui ſuſcepto ſuo dicat: recipe quod mihi, cum tibi malè adeſſem, dediſti; & redde*

o Ibid. in corp. p Bellarminus de arte bene moriendi. l. 2. c. 11. q S. Th. cit.

r Cajetan. ſ Aug. ep. 54. ad Macedonium. t Aug. ibid.

adver

adverſario tuo, quod me agente inique abſtuliſti. Quod faciendum, hoc evincit argumento: *niſi forte reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clanculo aufertur, & reſtituendum non eſt alienum, quod in ipſo foro ubi peccata puniuntur, decepto Judice, & circumventis legibus obtinetur.*

Nôrint hi, ſe in Cœlis habere v ADVOCATUM *Jeſum Chriſtum* JUSTUM, quem ſibi adverſantem experientur; nam ut ait D. Thomas, x JUSTUM *dixit, ad differentiam aliorum* ADVOCATORUM: *ut oſtendatur, quod cum ſit* JUSTUS, *injuſtas cauſas non ſuſcipit, quod faciunt alii* ADVOCATI *è converſo* Detonat in illos graviſſimè ſacer vates: y *Quieſcite agere perversè, quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam*; ubi ſic Oleaſter. z *Quærite quod juſtum eſt in operibus veſtris: aut diſquirite cujus ſit litigantium juſta cauſa aut inveſtigate quæ juſta cauſa, quæ injuſta quia inferius dicitur, quærebant munera potius, quam judicium* JUSTUM *Præcipit Dominus Juſtitiam quærere.* Conſimili ſenſu Cornelius, a hæc de Advocatis, & Procuratoribus exponit.

In alia cauſidicorum vitia, congeſtim, & plenis plauſtris convitia Romanus Philoſophus effundit, attonitus cauſidicorũ b *tot millia ad forum prima luce properantia*; de quibus hoc judicium tulit *quam turpes lites, quantò turpiores* ADVOCATOS *habent*; *alius judicia Patris accuſat* (id eſt, ut Lipſius notavit c, de teſtamento inofficioſo, jure contendit) *quæ mereri ſatius fuit*: *alius cũ matre conſiſtit* (nempe in judicio) *alius delator venit ejus criminis, cujus manifeſtior reus eſt Et judex, damnaturus quæ fecit, eligitur: Et Corona audientium pro mala cauſa, bona Patroni voce corrupta Quid ſingula perſequor? cum videris forum multitudine refertum, & ſepta concurſu omnis frequentiæ plena, hoc ſcito, iſtic tantundem eſſe vitiorum, quantum hominũ. Inter iſtos quos togatos vides, nulli niſi ex alterius damno quæſtus eſt*: Idem alibi, omnia paucis complexus d *forum* dixit *locum exercendis in publico vitiis deſtinatum* Eoſdem inſectatur ſaniori judicio, & ſanctiori calamo S. Gregorius, Antiſtes Nyſſenus: e *Vides iſtos acres, & in hac vita verſutos, ac verſatiles, quos nos vocamus* JURISPERITOS. *Quàm facile efficiant, ut liceat facere injuriam, teſtibus, patronis, libellis, judicum obſervantia.*

Nos ne omnia ſimul perſtringamus, ad alteram Cauſidicorum, f qua iniqui nomini ſuo maculam inurunt, corruptelam, ordine procedemus. De his valet illud Auguſtini g *peccatis peccata congeminantes, fraudes ſuas, ac rapinas, commodum vocant. Quibus quaſi ex conſuetudine venduntur leges, corrumpuntur jura, ſententia ipſa venalis eſt. Et nulla jam cauſa poteſt eſſe, ſine cauſa.* Axioma apud omnes Theologos, & Juriſperitos receptum eſt illud D. Thomæ. h ADVOCATUS *licite vendit juſtum patrocinium, & Juriſperitus verum conſilium.* Probat idipſum irrefragabili D. Auguſtini ſuffragio, i ſalarium laboris illi jure deberi, perſolvi, & acceptari. Sed

v 1. Ioan. 2. x S. Tho. hic. y Iſa. 1. v. 17. z Oleaſter. hic. a Corn. hic. b Sen. l. 2. de ira, c. 7. c Lipſii notæ.

d Sen. l. de conſt. c. 6. e Nyſſen. hom. 5. in Eccl. Sapientis oculi in capite ejus. f Cauſidici corruptela. g Aug. Serm. 19. de verbis Dom. h S. Thom. 22. q. 71. art. 4. i Aug. ep. 54. ad Macedonium.

hoc

hoc minimè contenti, nullius cauſam expediunt, niſi à quo aſſiduò munera offeruntur, illam cordi, & curæ habent. k *Cum judicia & teſtimonia, quæ nec juſta, nec vera, vendenda ſunt, iniqua & falſa venduntur: multò ſceleratius utique pecunia ſumitur, quia ſceleratè etiam, quamvis à volentibus datur*: non enim aliter cauſam expediri, dolos & fraudes amoliri ſe poſſe vident: l *Quis inter hæc*, inquit Cyprianus, *vero ſubveniat? Patronus? ſed prævaricatur, & decipit. Inimicus inſimulat, calumniator impugnat, hoſtis infamat. Utrobique graſſatur mendacium criminum proſtitutæ vocis venalis audacia.*

Geneſis cap. 38. m *Thamar uterum gerebat: inſtante autem partu, apparuerunt gemini in utero.* n Hi duo certarunt, uter prior egrederetur, quaſi præſcii, primogenituræ hæreditatem deberi. Zara manum extendit, quæ ab obſtetrice fuit ſignata; quam cum retraheret, Phares primò in lucem prodiit. Cui exiſtimatis jus primogenituræ obtigiſſe? Quis ambigat de primogenito Phares? Fallimini, illam obtinuit Zara: nec aliam ob cauſam, niſi quod prior extenderit manum. Ita indies uſuvenire ſolet: ſi inter duos litigantes, & luctantes in eadem cauſa, de hæreditate, de jure primogeniti, de feudis, aut alia quavis prætenſione, lis inſtituitur, quem putatis favorabilem ſententiam obtenturum? qui manum extenderit, id eſt, majora munera obtulerit: Zara vincet. Unde amœnus ille inter ruſticum, & cauſidicum dialogus, verſu unico expreſſus:

Fers aliquid? nihil. Eſto foris. Fero. Quid? ſatis. Intra.

Si fers, & ſatis feras, intras: cauſa tua expeditur, in curiam intrat, conficitur. Aliorum latet, & latebit. Quod ſi Benedictionem à Domino, & æternam hæreditatem adire velitis, manum cum Zara retrahite & non cum iniquis Cauſſidicis ad munera extendite. Hugo Cardinalis inter cætera maximè terrifica irati Judicis adventientis ſigna, expendens illud Lucæ 21. o *Erit in terris preſſura gentium*, ait, *id eſt, varietas, & dolus* Advocatorum, à quibus litigantium inter ſe crumenæ, velut à torculari premuntur, & exprimuntur, quemadmodum vini lotricum Emblemate illos adumbravi, quarum dum una in hanc, altera in aliam partem linum torquet, omnem ſuccum exprimunt; haud aliter dum cauſidicis unus *pro*, & alter *contra*, p *Studia in contraria* torquent, pecuniam & ſanguinem extorquent. Hinc perappoſitè Terentius illos vocat q *bonorum extortores, & legum contortores*; Conſimili ſenſu Ammianus: r *Cum recta procedunt judicia, delubra ſunt æquitatis; cum depravata, foveæ fallaces, & cæcæ, in quas ſi captus ceciderit quiſpiam, non niſi poſt multa exiliet luſtra, ad uſque ipſas medullas exſuctus.*

Notum vobis litigium in-

k Aug. cit. l Cyprian. ep. 2. ad Donatum. m Gen. 38. n Bened. Fidelis. Dom. 22. poſt pent.

o Lucæ 21. Hugo Card. hic. p Virg. 2. æneid. q Terent. in phormione. act. ſcen. 3. r Ammianus. l. 30.

cœcum & claudum, ſ de oſtreo n littore à cœco capto, à claudo oſtenſo: quod cauſidicus ex æquo diviſit, oſtreum exſugendo, & conchilia partibus diſtribuendo.

Hac ſuper re iterum virum aureum attendite, qui ſæculo ferreo e natum queſtus eſt, *t* quod jus auro corrumperetur, & ſuo ſibi lucro Juriſperiti intenti eſſent. Quidam, inquit, Dominus agrum n quo ſe clam theſaurus latebat, communi pretio vendidit. Emptor dum foderet, ut arborem plantaret, eum invenit: quod ut lteri innotuit, ambo, cujus competeret, cauſidicum adière: hic auditis utrimque partibus: *dixit ſe quæſtionem ſoluturum, & ſe poſſeſſorem futurum*: neutri jus competere, obſervans illud: *tertius gaudebit.*

Hæc ſi ita fiant, quis mirabitur, ſi Apulejus cauſidicos, v *togatos vultures* nuncuparit? Seneca non uno loco canibus confert, qui objecta offa, ab adverſaria parte corrupti, oblatrare non ceſſant, niſi pinguiori bolo objecto: x *iratum*, inquit, *vidiſti amicum tuum oſtiario cauſidici, quod intrantem ſubmoverat. Iraſceris ergo* CANI: *Et hic cum multum latravit, objecto cibo manſueſcit. Et cur diſſimulem*, jure exclamat Lipſius: *peſtis Europæ* CANINUM HOC *ſtudium, quod haud temere quiſpiam inceſſum Latrocinium dixit.* Hugo Cardinalis exponens illud Lucæ 10: z *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones*, ſolerter, ut ſolet, quinam hi latrones ſint exponit, dicens: a *incidit in latrones, id eſt, in manus* ADVOCATORUM. Hi latronibus nequiores, qui lucem exoſi: illi pleno die, & lateri tuo aſſiſtentes inſidiantur, & ſicas ac tricas, quibus te jugulent, abſcondunt.

Sidonius Apollinaris, illos rapaciores Sphingibus deſcribit: b *Hi ſunt* inquit, *quos hæc peculiariter Provincia manet; inferre calumnias, deferre perſonas, afferre minas, auferre ſubſtantias: quorum ſi nares afflaverit uſpiam rubiginoſi aura marſupii, confeſtim videbis illic & oculos Argi, & manus Briarei, & Sphingum ungues, & perjuria Laomedontis, & Vlyſsis argutias, & Sinonis fallacias adhiberi. His moribus obruunt virum* (& potentius viduam) *non minus pietate quam poteſtate præſtantem. Ad quorum conſilia, Phalaris cruentior, Midas cupidior, Tarquinius ſuperbior, Nero impurior, Domitianus truculentior redderetur.* Hieronymus in c. 2. Sophoniæ, lupis Arabiæ componit, & alibi lyncibus, ac leonibus crudeliores dicit. Quæ omnia Francus ſcriptor, his paucis, ſarcaſticè complexus eſt:

Un grand mouton, entre deux loups:
Un gras chapon, entre deux renards:
Une ſourie entre deux chats,
C'eſt un ſimple homme, entre deux ADVOCATS.

Mitius ille, qui nec canes, nec lupos, nec harpyias, nec latrones, aut extortores, ſed tonſores illos

ſ V. Luc. Evang. p. 1. dom. 18. t Chryſ. hom. 30. ad pop. Areſius. l. 6. part. 1. de judice iniquo. Empreſa. 161. v Apuleius. l. 10. miles. x Seneca. lib. 3. de ira. c. 37. y Lipſius. civil. doct. l. 2. c. 11. z Lucæ 10. v. 30.

a Hugo. hic. b Sidon. Apollin. lib. 5. epiſt. 7.

com-

compellandos dictitavit, alludens ad illud Pſaltis c *Sicut novacula acuta feciſti dolum*. E cauſidicina, velut è tonſtrina, ſpe plenus, bonis verbis, & aureis promiſſis bene tonſus egrederis; ſed probe depilatus: multum è lana tua ad cutem raſus, illic reliquiſti. Aliam non incongruam ſimilitudinem inducit Pepinus, celebris Galliæ Concionator: *d* pauperibus, inquit, cauſas ſuas agentibus in judicio per Advocatos, idem accidit, quod ovibus, quæ cum imbrium, grandinúmque denſa in illas tempeſtas incumbit, ſeſe ad virgulta, & ſenticeta recipiunt. Numquam autem illæ ſemel iſtic receptæ, omnem è vepretis illis lanam ſic ſecum exportant, quin illius jacturam aliquam faciant, hærentibus ſparſim lanæ pilis, ac glomis, velut pretio acceptæ exinde protectionis, contra grandinantes cœli injurias.

Hinc ad cautelam omnium veſtrum conducit pulcherrimum & ſaluberrimum Sapientis monitum: e *Abſtine te à lite*; devita togatos illos vultures potius partem ſubſtantiæ, parti cede, quam ut ab his totus emungaris; ſic etenim ſanctiſſimus Pontifex: f *Sæpe cauſas tantum differunt, quod litigantibus pluſquam totum auferunt: quia major eſt expenſarum ſumptus, quam ſententiæ fructus: nec terminantur negotia pauperum cœpta, quouſque eorum marſupia ſint evacuata. Quare:*

Te precor, evites ſemper ſuper omnia lites:
Cauſidici ſolos diſce cavere dolos:
Hic ſpectat plenam nummis mulgere crumenam;
Sed malè parta fluunt, ut malè ſtructa ruunt.

Quod Ocellus Belgii ſic propè vertit:

Mijn Heer, maeckt my een kort Proces,
Want dat taſt diep in mijne tes:
Het ſnootſte diefken dat ick ken,
Is een quaey Advocaten pen.

Ultimum nec minimum nequam cauſidicorum vitium (nam illos ſemper excipio, qui juſtitiæ nomen venerantur, & Numen verentur) qui non tonſorum modò, ſed & *g* reſtionum numero adſcribendi ſunt: nam quo prolixius hi contentioſum funem trahunt, hoc plus lucri faciunt. Depingit illos Ammianus Marcellinus, dicens: h *Populi accipitres, qui ut in profeſſione turbulentâ clareſcant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria producentes, per proſtitutas frontes, viléſque latratus, quo velint aditus ſibi patefaciunt; qui inter ſolicitudines judicum per multa diſtentas,* IRRESOLUBILI NEXU *vincientes negotium, laborant ut omnis quies* LITIBUS IMPLICETUR. Nefario, ac inceſto contrectatu juſtitiam corrumpunt, perpetuis vaframentis, & ſutelis Sycophantiarum, captiunculis formularum factitiis fabricis, & technis conc centuriatis, fortunarum ac etiam vitæ exitium innoxiis viduis & pupillis advocant: dum te

c Pſalm. 51. v. 4.
d Pepinus tract. 2. part. 3. c. 7. ſuper conf.
e Eccl. 28. f Innocent. III. de vilitat. condit. hum.

g Advocati qui lites torquent, & trahunt. h Ammian. lib. 30.

tot in litibus quærunt diverticula, tot dilationes, tot provocationes: ita in immenſum funem extrahunt, amántque proceſſus in infinitum, ut in labyrinthum, & anfractus inextricabiles induxiſſe videantur.

Inſignem ex hoc numero reſtionum, Galeacius Dux Mediolanenſium in reſtem egit: *i* hic enim cùm aliquoties audiſſet vafro ingenio Cauſidicum eſſe, qui lites ſerere, & ſatas producere, atque alere, etiam in liquido jure poſſet: hominem ad ſe accitum affatur: *Debeo*, inquit, *piſtori meo centum aureos. Non lubet ſolvere: tu ecquid tueri me in jure, & rem protollere potes?* annuit largiter, & Principi promptè ſe dedit; ſed iſte ei malum: nam fraudis ſic confeſſum, verbis prius increpitum, laqueo publicè necari juſſit. Percutiunt hæc aures rabularum; ſed utinam & mentes.

Hauſerat id fortè Galeatius ab Imperatore Claudio, *k* qui & inſigni animadverſione, Advocatorum licentiam coërcuit, cùm unum ex iſtis Julium Gallicum, in Tiberim præcipitari juſſit. Unde cum quidam jam Gallico ſublato, Domitium Afrum, Cauſidicum præſtantiſſimum ut ſibi patrocinari vellet rogaſſet, acutè & argutè reſpondit: *Quis tibi indicavit me natatorem Gallico meliorem eſſe?* quaſi vellet dicere, nemini injuſtæ cauſæ patrocinium ſuſcipiendum, niſi natando ſe confideret Claudii Imperatoris ſeveritatem evaſurum.

l Innocentius III. hoc aureum non è tripode, ſed ex cathedra veritatis tulit oraculum: *E Republica Chriſtiana fore, ſi propè infinitus Cauſidicorum, & pragmaticorum numerus recideretur: qui ut forenſi lucro ſe ſuſtentare valeant, lites per ſe claras, & expeditas, repetitis ambagibus, ſinuoſas reddunt, & uſque ad mortem* (partis) *protrahunt.* Huc, credo, ſpectavit Matthias Corvinus, *m* qui ut ejuſmodi monſtra ex oculis tolleret *univerſa Hungaria expulit: ubi ſine* JURISPERITIS *vivebant, non tamen ſine jure.*

Quid, quod detecta recens America, *n* libellus ſupplex Regi Luſitaniæ oblatus eſt, ut decem millia Advocatorum in novum Orbem ablegaret. Cúmque Rex perquireret, quid tanta cauſidicorum copia illic ageret; reſponſum fuit, quod numerus ſuperſtes, adhuc ſufficeret ad devorandam Luſitaniam: nam ut Tertullianus: *o Plus togæ læſerunt Rempublicam, quàm loricæ.*

Deſino, ſi Mahumetanum, ſive Turcicum judiciorum morem, & in iis brevitatem explicaro. Qui alium in jus vocat, ne publicum quidem apparitorem adhibet ad vadandum; ſed ipſe adverſarium adit, & coram teſtibus *ad Dei juſtitiam* (ſic loquuntur) *vocat.* Hic nec verbo refragari auſit; ſed ſtatim unà ad Judicem, ſive *Cadmum* ſuum eunt; ille autem ſemper paratus, totum diem ante ædes ſub tecto aliquo ſedet, & copiam ſui facit. Iſti *nullo Advocato, aut Cauſidico*, quiſque rem ſuam narrat, voce, non ſcripto: teſtes ſi eos habent, adhibent: Judex, ibidem re penſitata, in hanc, vel illam partem decidit.

i Lipſius monita & exempl. polit. l. 2. c. 10. k Zonaras Cauſin. pararella eloq. l. 12. c. 19. l Innocent. III. de vilitat. condit. hum.

m Vernuleus cit. n Marchant. Hortus paſtor. Tom. 2. tract. 4. lect. 14.
o Tertull. lib. de pallio, c. 5. Lipſius cit.

Quod poſtea aliud alleges, aut approbes, nihil eſt; arbor ea cecidit, relevari, aut erigi ultra non poteſt. Si qui falsò depoſuiſſe, aut egiſſe deprehenſi, vivi impalantur. Magno certè compendio, & minori quam apud nos, per pravos Cauſidicos, partium diſpendio.

Quæ ſi ita ſint, quis non videat jure illud horrendum væ *p* divinum Vindicem illis interminari: *Væ*, inquit per Iſaiam, *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* In quem locum Hugo Cardinalis: q *Væ temporale, & væ æternum.* O Cauſidici, væ fundis, & prædiis, & domibus veſtris, quas adjungitis alias ad alias: væ pecuniis, & divitiis veſtris, quas è ſubſtantiâ, & ſanguine pauperum, viduarum, & pupillorum extorſiſtis: væ uxoribus, & liberis veſtris, quos inde ſplendidè educatis, & regiè induitis. Væ illud temporale; ſed terribilius illud, *væ æternum.* Quid enim prodeſt Cauſidico, ſi *totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Væ igitur qui trahitis iniquitatem in funiculis, id eſt, r *iniquitatem quaſi funiculo connectitis, & ſic trahitis longam reſtem.* Væ vobis legiſperiti, & Cauſſidici iniqui, qui iram non modò hominum, ſed & Dei provocatis. Quod hac infallibili ratiocinatione probat Doctor Angelicus, dum ſic docet: 2. paral. 19. dicitur: ſ *Impio præbes auxilium, & idcirco iram Domini merebaris, ſed* ADVOCATUS *defendens cauſam injuſtam impio præbet auxilium, ergo peccando, iram Domini meretur.* Unde paſquillus ille, vel cavillus: *multi ſunt* ADVOCATI, *pauci vero electi.*

Et Flandricâ parœmiâ ventilatur:

Procureurs ende Advocaten,
Konnen quaelijck in den Hemel geraecken

Aquila illa Apocalyptica Joannes, irretortis oculis atria Cœlorum, ac Beatorum agmina contemplatus: t *Vidi*, inquit, *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*; & ex qualibet tribu Jſraelis, cenſet duodecim millia: *Ex tribu Iuda duodecim millia ſignati* &c. ſola tribus *Dan* fuit excluſa. Sed cur? *Dan* interpretatur *judicans*, vel *judicium.* Sic prædixit moribundus Jacob. Audite è ſenatu purpuratorum Doctorem Eminentiſſimum: v *Tribus Dan, id eſt* ADVOCATI, *non numerantur in Catalogo Sanctorum.* DAN *interpretatur cauſa, vel judicium, & ſignificat* ADVOCATOS, *& contentioſos, quibus timendum eſt, ne à numero ſervorum Dei excludantur.*

Nota eſt Hiſtoria è Chronicis Minorum, x Joannem Barojum Juriſconſultum, cum procul Florentiam obambularet; vidiſſe ſubulcum porcos in haram cogentem: quibus renitentibus, ac aliò evagantibus, tandem devoviſſe ingrederentur haram, ut iniqui Cauſidici gehennam; ſtatimque omnes gregatim involâſſe. Quo ſpectaculo, quamvis ludicro, ille seriò reſipuit, & cauſis valere juſſis, Florentiæ in S. Franciſci familiam ſe recepit, in qua primum Generalis ordinis dein extitit. Æmulentur hunc, & tempori foro renuntient, quicumque i[...]

p Perfidi Cauſidici non ſalvantur. q Hugo in Iſaiam. c. 5. r Hugo cit. ſ S. Thom. 22. q. 71. art. 3.

t Apoc. 7. v Hugo Card. in Gen. 49. x Wadingus in annal. Min. tom. 1. pag. 8[...]

ha

hac impiorum claſſe cenſentur, dicantque cum Philogonio: y *Valeat forum, valeat curia, faceſſant mundanæ curæ, cum pactis & contractibus. Animam meam ſervare volo*; iniquis cauſis renuntiare, reſtitutionem facere, *& animam meam ſervare volo.*

Aliàs timendum, ne iſtiuſmodi accidat, quod illis de quibus Bellarminus: z ſunt quidam alii, qui quamvis malefici, vel magi proprii non ſint; tamen ſic ab avaratia excæcati ſunt, ut parum omnino ab infidelibus abſint: neque enim ſine causâ Beatus Apoſtolus, avaritiam appellavit a idolorum ſervitutem. Terrificam rem adfert, quam oculis ſpectavit: Ego ipſe, inquit, inviſens aliquando ægrotum, morti propinquum, cum inciperem loqui de præparatione ad exitum de præſenti vita: reſpondit conſtanti animo, & ſine ullo metu, ac dixit: *Ego Domine cupivi alloqui te, non pro me, ſed pro conjuge mea, & filiis meis: Ego enim propero ad inferos, neque eſt quod aliquid pro me agas.* Hæc verò protulit animo tranquillo, ac ſi de itinere ad villam, vel oppidum aliquod loqueretur. Ita nimirum diabolus animam ejus ſibi ſubjecerat, ut non cuperet, nec vellet ab eo divelli. Nec tamen magus, aut necromanticus erat; ſed artem exercebat valde periculoſam: & intentus lucro per fas & nefas, oblitus videbatur non ſolum Dei, ſed etiam animæ ſuæ. Summa eſt, cum multis verbis illum ad meliorem mentem revocare tentâſſem, nihil efficere potui. Cupiet fortâſſe aliquis nôſſe, quam ille artem exerceret; dicam, ut ejus interitus aliis hominibus ejuſdem artis, ſi qui ſunt ei ſimiles, proſit, ut reſipiſcant. Procurator cauſarum erat, ex illorum numero, qui non multum laborant, utrum cauſam juſtam, an injuſtam defendendam ſuſcipiant. Atque interim utrique parti injuriam faciunt, modò ipſi marſupium impleant. De ejuſmodi celeberrimus Eccleſiaſtes Benedictus Fidelis dicere non dubitavit: b *ad me quod attinet, exiguam ſpem habeo de aliquo iſtorum ad ſalutem æternam perducendo*; niſi vitam, & linguam mutet.

Quo ſpectat illud Pſaltis Regii vaticinium: c *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini.* Quid hoc? an omnes viri docti, & litterati, Theologi, Sacrarum litterarum commentatores, divini verbi præcones, cœlo excludendi? minimè; at illos ſolum inſectari videtur, qui forenſem ſcientiam malignè ſectantur, ut diſertè exponit Hugo Cardinalis dicens: d *Hoc intelligitur de litteratura* ADVOCATORUM, *quæ multos retrahit ne ſalventur: ipſa enim præcipuè dicitur, litteratura: litteratura enim eſt congeries litterarum, id eſt decretalium* &c.

Quare ſi quis ex hac infelici turba Cauſidicus ſit, qui iniquitatem defendit, innocentem oppreſſit, linguam venalem habuit, exitus eorum perhorreſcat, quibus juſtus Judex graviſſime interminatur: e *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum. Væ qui*

y Chryſoſt. hom 31. de S. Philogonio. z Bellarmin. de arte bene morienди, l. 2. c. 11. a Epheſ. 5. coloſſ. 3.

b Ben. Fidelis dom. 1. advent. Serm. 3. c Pſal. 70. v. 15. d Hugo in Pſal. 70. v. 15. e Iſa. 5. v. 20. & 23.

juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.

Ex his unum ad terrorem omnium inducere placuit: *f* Harum artium peritus quidam, cum diu ad diſceptandas juris lites, inſolitam eloquentiam attuliſſet: illud glorioſi nominis in publicum occupavit, ut diceretur linguam in ore ferre auream: novus non in templo, ſed in foro Chryſoſtomus. Audierat ſæpius iſtud inſoliti elogii vulgatum proverbium, homo rudis & obeſæ mentis. Hic ut mortuum Cauſidicum hunc intellexit, & à ſepulcro digreſſos vidit omnes, ocyus ejus ſepulcrum egeſta operosè terrâ, ſubiit: non alio conſilio, niſi, ut theſaurum inde ſibi erueret, quo res ſuas locupletaret. Jam conſpicuum illi erat cadaver, nec (quod multorum eſſe ſolet) illius aſpectu cohorruit, metum ex animo excutiente illi habendi libidine. Ubi os ſepulti corporis latè diduxit, ut quam inibi habuiſſe audierat linguam auream, occultus ipſe, at fatuus ſimul, prædo extraheret, nihil jam elingui, ſub tumulo, profuturam. Jam ſtabat repandum os, late hians: inſpicit, ſcrutatur, quam uni ſibi, crediderat, obtigiſſe, aurifodinam. Ecquid tu putas auri inde erutum à novo aurifoſſore fuiſſe? Venas inibi reperit quidem, at auri nullam. Quid deinde; nulla in ore cadaveris lingua fuit, & quæ inibi prius fuerat, hæc ipſa ultrice Dei manu erat erepta. Et audi inſuper quidnam prodigii, linguæ loco, in recentis cadaveris ore ſit repertum, ac viſum.

Spectaculum inviſum, horrendum! Turgens veneno, grandis, ac virulentus bufo, mediis in faucibus, velut judex in ſuo tribunali, linguæ loco conſederat. Quo horrore contuentis incertum; illud indubitatum, Advocatos eo ſpectaculi genere graviter commoneri, ne auro corrupti, naturæ leges, divina humanaque jura eatenus pervertant, ut perinde habeant, æqua, iniqua, ſive iniqua æqua reddant. Meminerint aliquando adfore diem, quo eorum cauſæ judicabuntur; quando non Juſtiniani, ſed Juſtitiæ codex, hoc eſt, *liber* ille *ſcriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur.*

Hæc de iniquis Cauſidicis dicta ſatis, & multis credo plus quam ſatis.

At vos Conſultiſſimi Domini Juris obſervantiſſimi, orphani adjutores eſtis, qui ut cum Caſſiodoro loquar, *g in* ADVOCATIONIS OFFICIO, *Juſtitiæ claritate fulgetis*, Advocatum habetis Divum Ivonem, Juriſperitorum tutelarem Patronum, qui juſto Judici labores veſtros, lucubrationes, ſtudia, ad cujuſque jus tuendum impenſa, potenter perorando exponet. Plus dico, confidenter uſurpare poteſtis illud Joannis: *h* ADVOCATUM *habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum Juſtum*, qui imponet vobis coronam Juſtitiæ.

f Pepinus ſuper conf. tract. 2. part. 3. c. 7. Mancinus, de paſſione Chriſti pagina 488.

g Caſſiod. l. 41. epiſt. 4.
h 1. Ioan. 2.

FESTUM ADMIRABILIS ASCENSIONIS DOMINI.

Videntibus illis elevatus eſt. Act. c. 1.



Ardens evexit ad æthera virtus. lib. 6. Æn.

ARGUMENTUM.

OMni homini naturaliter, non tam ſciendi, quam aſcendendi innatum eſt deſiderium, quod me ta-

 cente

cente Hiſtoricus Romanus loquetur Tacitus: i *Optimos mortalium altiſſima petere*, ac ſuopte ingenio, ac genio, ignis inſtar, ad ſublime tendere: k *quemadmodum enim flamma ſurgit in rectum; jacere, ac deprimi non poteſt, non magis quàm quieſcere, ita noſter animus*, inquit Seneca. Quid, quod vel ipſa, præ cæteris animantibus, erecta hominis forma, & ſublatus in cœlum vultus, ad excelſiora nos natos admonet. Quare ſecum quiſque reputet, quam natura indignum ſit, pecudum more in terra repere. *Quæ ſurſum ſunt*, clamat Apoſtolus, *quærite, quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram.* Viam in Cœlum hodie nobis Redemptor ſignavit: aDMIrabILIs VIſa eſt AſCensIo IesV, l *ut nos aſcendere doceret*; non alis, aut ſcalis opus eſt, ſed elevatione mentis, & ardentibus deſideriis, brevibuſque orationibus jaculatoriis, quas velut ignes miſſiles in Cœlum vibramus.

§. I. *Oportebat Chriſtum* ASCENDERE, *ut nos* ASCENDERE *doceret*. Bern. Serm. 4. in Aſcenſ.

§ II. *Chriſtus inſtar Aquilæ in Cœlos aſcendens, nos ut pullos ſuos* PROVOCAT AD VOLANDUM.

§. III. m ASCENSIONES IN CORDE DISPONERE *quiſque poteſt, per frequentes Orationes jaculatorias, veluti miſſiles in Cœlum ignes.*

i Tacitus lib. 4. Annal. k Seneca. ep. 104. l Bern. Serm. 4. de aſcenſ. m Pſal. 8[…]

FESTU[…]

FESTUM ADMIRABILIS ASCENSIONIS DOMINI.

Videntibus illis elevatus eſt. Act.c.1.

PHiloſophorum facilè Princeps Ariſtoteles, *vir*, ut loquitur Auguſtinus, n *excellentis ingenii*, illud olim effatum, velut aureum ex tripode Oraculum pronuntiavit: p *Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat.* Quod infusâ ſibi cœlitus, Doctor Angelicus proſecutus ſcientiâ, ait: q *Omnibus naturaliter deſiderium ineſt ad ſciendum. Cujus ratio prima: quia unaquæque res naturaliter appetit perfectionem ſui. Cum igitur intellectus, quo homo eſt id, quod eſt, in ſe conſideratus, ſit in potentia ad omnia, nec in actum eorum reducatur niſi per ſcientiam, ſic naturaliter unuſquiſque deſiderat ſcientiam, ſicut materia formam, ut ſe perficiat.*

Altera ratio eſt, *quia quælibet res, naturalem inclinationem habet ad ſuam propriam operationem. Sicut calidum ad calefaciendum* &c. *propria autem operatio hominis, in quantum homo, eſt intelligere: per hoc enim ab omnibus aliis differt. Unde naturaliter deſiderium hominis inclinatur ad intelligendum, & per conſequens ad ſciendum.*

Hoc tironum ſub ferulâ ſcholaſticâ docent gymnaſia: Hoc Philoſophorum in aſſiduis exercitationibus, & nocturnis lucubrationibus docent Lycea: Hoc Juriſperitorum, Pandectis, Bartholo ſuo, & Baldo inſudantium Dicaſteria: Hoc Medicorum Iatria, Mathematicorum per mille demonſtrationes docent Scholæ: Hoc Theologorum per implexas ſubtilitates, & infinitas difficultatas docent Academiæ; in quibus per catenatos labores, tædia, faſtidia, unum omnium ſtudium, flagrans omnium *deſiderium ad ſciendum.* Quem non oblectet hiſtoriarum ſcientia? Quis non ab ore unius Columbi Magellani, qui orbem præternavigavit, pependit? quis non r *qui multorum hominum mores ſpectavit, & urbes*, narrantem ſumma animi voluptate audit, ſeque inflammari deſiderio ſentit,

ſ *Ut legat hiſtorias, Auctores noverit omnes,*
Tanquam ungues, digitoſque ſuos?

n Auguſtin. lib. 8. de Civitate Dei c.12. p Ariſt. lib. 1. Metaphy. c. 1. q S. Thom. in metaph. lib. 1. lect. 1.

r Horat. de arte. ſ Iuvenal. Sat. 7.

Quis non amabili ſtupore defixus hæreat, ſi Oratorem Græcè, Hebraicè, Latinè, Gallicè, Germanicè, diſertiſſime perorantem: Citharœdum voce, fidibus argutiſſime modulantem audiat, & hujus, ac illius peritiam, ſibi quovis operæ, ac opum impendio comparare non exardeſcat?

Cui non *naturaliter deſiderium ineſt*, abſtruſa quæque, & arcana naturæ cognoſcendi, virtutes herbarum, plantarum, t *à cedro quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete?* Mineralium quoque, ac animalium, *formicæ ſtabula, araneæ retia, bombycis ſtamina, apis ædificia?* ad quæ cognoſcenda, Philoſophus, cum vitreo alueari in deſertum ſeceſſit, ac per 30. annos moratus eſt, ut diſceret quemadmodum apes mella conficiant, & favos ſtruant; quo in genere nihil illuſtrius, quam quod Plinius narrat: „ v *Alexandro Magno inflammato* „ *cupidine animalium naturas noſcendi, delegataque hac commentatione Ariſtoteli, ſummo in omni* „ *ſcientia viro, aliquot millia hominum in totius Aſiæ, Græciæque tractu parere juſſa, omnium quos venatus, aucupia, piſcatuſque alebant, quibuſque vivaria, armenta,* „ *alvearia, piſcinæ, aviaria in cura* „ *erant, nequid uſquam gentium* „ *ignoraretur ab eo; quos perconctando quinquaginta ferme Volumina* „ *illa præclara de animalibus condidit*. Reipſa dictum illud ſuum: *Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat*, confirmans.

Ecquis porrò eſt, qui ſi ampliſſimas illas Bibliothecas, Conſtantinianam, Vaticanam, aliaſque vel animo luſtrârit, non illico quæ hiſce tam variis Claſſibus, & codicibus, ſcientiæ continentur, ad mentem ſuam transferri poſſe, mille votis exoptaret? Divus Hieronymus hoc ſuum ſciendi de ſe inflammatum teſtatur deſiderium: x *Utinam omnium tractatorum haberem volumina, ut tarditatem ingenii, diligentia compenſarem, multa in manus recipio, ut à multis multa cognoſcam.* Quis non ſe ſummum Philoſophum, Hiſtoricum, Juriſperitum, Theologum, atque omnem litteratorum Virorum doctrinam, in ſe, ſi teſtamento legari poſſet, efflagitet: tantus amor, ardorque ſciendi eſt; qui ut infinitos alios omittam, in Auguſtino Eugubino ad ſtuporem eluxit. y Tenuis hic erat fortunæ, quæ hominem ad magna deſtinatum, viliſſimo loco, & corpore deformi naſci voluit. Appulit ſe ad Religionem, ac multis precibus in Canonicorum Regularium familiam aditu impetrato, cum litteris dare operam vellet, riſu exceptus, & lumine omni ad lucubrandum privatus eſt.

Hac ille rerum iniquitate conflictatus, nequaquam ſciendi ardorem remiſit; verum noctu ſtragula obvolutus in templum deſcendens, ſeptem totos annos ad penſilem ante aram lychnulum, conſtantia inaudita pervigilans, nullam facultatem, linguam nobiliorem nullam, ſcientiam nullam reliquam fecit, quam animo nec conciperet, at-

t 3. Reg. 4. v. 33. Tertullian. adverſ. Marcion. l. 1. S. Thom. quem cit. Sanchez. Royaume de Dieu l. 5. c. 4. §. 1. u Plinius. lib. 8. c. 16.

x Hieronym. Epiſt. 40. y Ioan. Rh. variæ Virtutis Hiſtoriæ l. 7. c. 12. §. 1.

qu

que informaret, ut illis è tenebris, magna nominis claritate prodierit. Idem ardor, & deſiderium impulit Adrianum VI. Pontificem maximum, qui in Lovanienſi univerſitate ad lucernam publicò expoſitam pernoctare, & ſua lucubrare ſolebat.

Sed quorſum hæc? omnibus vobis, longius evagari, & velificari videor. Vela contraho, & in portum me deducit z Sacri Collegii Cardinalium ſingulare lumen, ipſius Urbani VIII. oraculo S. Carolo Borromæo geminus, Robertus Bellarminus, qui hac celeberrima *admirabilis aſcenſionis Chriſti* ſolemnitate, Sermone 35. Axioma Ariſtotelis ſic illudit, & illidit: a OMNIS HOMO NATURALITER SCIRE DESIDERAT. *Cum plerique ad litteras perdiſcendas, fuſtibus, & verberibus adigantur, quantò nos veriùs dicemus*: OMNIS HOMO NATURALITFR ASCENDERE, ET SURSUM FERRI DESIDERAT; Hoc non ſuo, ſed Angelici Doctoris ſenſu, & ſententiâ pronuntiavit; quo Doctore corruit primum in Metaphyſica Ariſtotelis principium, ſic enim ait: b *Aliqui homines ſcientiæ ſtudium non impendunt; ſed retrahuntur propter difficultatem perveniendi: vel propter alias occupationes.* Tum enucleatius ſubdit: *non omnes ſcientiæ ſtudium impendunt. Quia ab aliis detinentur, vel à voluptatibus, vel à neceſſitatibus vitæ præſentis, vel etiam propter pigritiam vitant laborem addiſcendi.* Quod veriſſimum experientiâ combrobatur: quot enim nobilium, ac locupletum virorum filii, *ſcientiæ ſtudium non impendunt*, à voluptatibus, vel occupationibus detenti? c Michael Balbus Imperator, litteras adeò averſatus eſt, ut ne pueros quidem iis permiſerit erudiri, ne quis ex illis imperitiam ſuam arguere, aut diſſerendo, linguæ velocitate ſibi laudes præripere valeret.

Talis inter tot Reges Galliarum prudentiæ, & omnis ſcientiæ patronos, ac mecænates, extitit Ludovicus XI. d qui noluit Filium ſuum Carolum VIII. litteris erudiri, duplici de cauſa, altera ne dum litterarum ſectatu otium, regni negotia negligeret. Altera, ne hiſtoriarum cognitione, ad res agendas timidus redderetur. Illud unicum, ſi nôſſet, ſufficere filio dictitabat: *qui non novit diſſimulare, non novit regnare.*

Quot tenuioris fortunæ, neceſſitatibus vitæ præſentis preſſi, nec cogitatum, nec animum habent, quem ad ſtudia perdiſcenda adjiciant? innumeri *propter pigritiam vitant laborem addiſcendi*, alii etiam ſeipſos damnant,

e *Studium quod inutile tractent*;

Ex quo nullum, ad ſe ſuſtentandum, proſpiciunt emolumentum, ſic olim Poëta Aquinas cecinit:

f *Pœnituit multos vanæ, ſterilisque Cathedræ.*

Qui verò Auguſtinum Eugubinum, Adrianum VI & ſimiles, ſcientiæ amore inflammatos æmuletur,

z Alegambe in Biblioth. ſcrip. Societ. a Bellarm. feſto Aſcenſ. Serm. 35. b S. Thomas in metaph. l. 1, ſect. 1.

c Sigonius lib. 4. de rebus Italicis. d Ægidius Carrozetus de dictis & factis memorab. Beyerlinck Theat. litt I pag. 184. & 336. e Ovid. f Iuvenalis. Sat. 7.

g *Rara avis in terris, nigroque ſimillima cygno,*
——*Et corvo quoque rarior albo.*

At Divinum illud Pronuntiatum: *omnis homo aſcendere deſiderat*, irrefragabile eſt, ſanctorum Patrum ſuffragio confirmatum, & experientia quotidiana comprobatum, Doctor mellifluus, de quo diſcipulus: h *Magiſter noſter interpres Spiritus Sancti*. Serm. 4. de aſcenſione Domini, ſic ait: *Cupidi ſumus aſcenſionis, exaltationem concupiſcimus omnes: nobiles enim Creaturæ ſumus*, & magni cujuſdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus deſiderio. Quod vel ipſi gentiles, à natura nobis inditum, tradidêre. Ubi illud Taciti, omnino tacitè præterire non poſſum: i *Optimos mortalium, altiſſima petere*. Suopte ingenio mortales ſublimitatis avidos, atque ut aſcendant, claviculis laudum, quaſi manibus & per honorum gradus, ad ſumma conniti. Id enimverò ſolertiſſimus morum magiſter Seneca ſenſit, & cenſuit: k *Magnanimos nos natura produxit, & ut quibuſdam animantibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pavidum; ita nobis glorioſum, & excelſum ſpiritum; quemadmodum enim flamma ſurgit in rectum; jacere ac deprimi non poteſt, non magis quam quieſcere, ita noſter animus*. Quo fit ut à pueris, nativo quaſi fomite, igniculi, ac ſcintillæ ad alta impellant: *cur*, inquit l *Spiritus ſancti Interpres*, Cardinalis Bellarminus, m *noſtri Adoleſcentes in litterarum politiorum gymnaſiis tam diligenter incumbunt in ſtudia? ut* ASCENDANT: ut ex imis ſubſelliis, ad altiora *aſcendant*; ut de claſſe, in claſſem gradum faciant, & inter primos *aſcendant*. Idem ardor fervet in publicis univerſitatibus, ut Baccalaurei, Licentiati, ad Doctoratum, inde ad Epiſcopales infulas *aſcendant*. *Cur alii tam læti proficiſcuntur ad bella, & eligunt potius in caſtris vitam miſerrimam ducere, quam domi ſuæ commodè & quietè vivere? ut* ASCENDANT, ut è gregario milite, Vexilliferi, inde Centuriones, poſtea Chiliarcha evadant, & ad ſummum dignitatis apicem *aſcendant*. *Cur etiam*, ſubdit idem purpuratus pater, *interdum aliqui monachi fiunt, & humilitatem profitentur? nonne ut Abbates fiant, &* ASCENDANT? vel ut eo animo non venerint, connituntur, ut ad Prioris, Præpoſiti, Prælaturæ dignitatem *aſcendant*: *tanta eſt in hoc nobiliſſimo animante, quamvis ſæpe perverſa* ASCENDENDI CUPIDO.

Dic amabo, quiſquis omni niſu, & conatu ad alta conſcendis, ubi ſummum votorum apicem attigeris; nonne te fortunatum ac verè beatum fore autumas, & dictitas? puerili falleris, & luderis ludibrio.

n Aſpiciunt aliquando pueri vertices montium, quibus cœlum ex quadam oculorum deceptione, non amplius uno palmo abeſſe videtur. Illi igitur quia nondum ratione, ſenſuum errorem corrigere didicerunt, verè cœlum non amplius uno palmo abeſſe à montium ver-

g Iuvenalis Sat 6. 7. h Guarricus Serm. 3. feſto SS. Petri & Pauli.
i Tacitus lib 4. annal. k Seneca ep. 104.
l Alegambe in Bibliot. ſcript. ſoc.
m Bellarm. Serm. de Aſcenſ. Dom.

n Bellarminus cit.

ticibus arbitrantur,atq; ajunt: „ ô ſi montem illum conſcende- „ rem, profectò cœlum manibus „ attingerem. Sic etiam cum in- „ terdum pueri illi, qui in valli- „ bus habitant, ſolem oriri ex „ montibus vident, putant illi, ſi „ in montibus illis fuiſſent, ſe „ omnino ſolem attingere po- „ tuiſſe, at cum poſtea, data ali- „ qua opportunitate, montes il- „ los ſuperant, tum demum in „ quanto errore verſentur, intelligunt.

Quam ſimilitudinem, per varios ad alta hujus mundi faſtigia aſcendentium, ac auream fortunam, atque ipſum cœlum quaſi manu prenſantium, turpiter deluſos,pulchre ad mores proſequitur.

Altius, altius ſuper terrena, & humana, & creata omnia, Duce Chriſto præeunte, aſcendendum eſt, ſedes & quaſi elementum mentium noſtrarum,ſurſum eſt: huc dum homo ſcandit, o *in originem redit, & hoc habet argumentum divinitatis ſuæ, quod illum divina delectant.* Huc animo conſcende, huc ſuſpice, ac ſuſpira, ad quòd conditus es, vel ipſa erecti hominis forma,gentili teſte Poëta, huc vocat, & invitat.

Cum ſupremus rerum omnium molitor Deus, feras,piſces, volucres, mento ac roſtro in terram prono condidiſſet, perfectiſſimum opus, hominem artifice manu molitus eſt, cumque rectum,& vultu ad Cœlos erectum procreavit, ut ille:

p *Pronaque cum ſpectent animalia cætera terras;*
Os homini ſublime dedit,cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Cujus rei varias Doctor Angelicus cauſas adfert, dicens: r *quod haberet rectam ſtaturam, conveniens fuit homini.* Primo quia ſenſus ſunt dati homini, non ſolum ad „ vitæ neceſſaria procuranda,ſic- „ ut aliis animalibus, ſed etiam „ ad cognoſcendum.

„ Unde cum cætera animalia „ non delectentur in ſenſibili- „ bus, niſi per ordinem ad cibos, „ & venerea, ſolus homo dele- „ ctatur in pulchritudine ſenſi- „ bilium, ſecundum ſeipſam. Et „ ideò quia ſenſus præcipue vi- „ gent in facie, alia animalia ha- „ bent faciem pronamad terram, „ quaſi ad cibum quærendum, & „ providendum ſibi de victu;ho- „ mo verò habet faciem erectam, „ ut per ſenſus, & præcipue per „ viſum, qui eſt ſubtilior, libere „ poſſit ex omni parte ſenſibilia „ cognoſcere, & cœleſtia, & ter- „ rena, ut *ex omnibus intelligibilem* „ *colligat veritatem.*

„ Secundò, ſi homo haberet „ pronam ſtaturam,uteretur ma- „ nibus,loco anteriorum pedum, „ & ſic utilitas manuum, ad di- „ verſa opera perficienda, ceſ- „ ſaret.

„ Tertiò,oporteret quod cibum „ caperet ore, & ita haberet os „ oblongum, & labia dura & „ groſſa, & linguam etiam du- „ ram,ne ab exterioribus lædere- „ tur; ſicut patet in aliis animan- „ tibus, & talis diſpoſitio omni- „ no impediret locutionem, quæ „ eſt proprium opus rationis.

o Seneca præfat. in naturalib. quæſt.
p Ovid. lib. 1. metam.
r S. Thom. 1. part. quæſt. 91. art. 3. ad 3.

Erecta hominis forma, ac ſublatus in cœlum vultus, ad majora & celſiora nos natos admonet, ne in paſtum, in ventrem, & venerem proni, ipſis brutis turpiores, ac multò nequiores evadamus. Hinc Apis illa Claravallenſis, in quendam ad caduca depreſſum, ſic aculeum exerit: ſ *An non confunderis* RECTUS *ſtare, qui corde repis in terra?* Non pudet te temulente, cui muſtum illud Divinum è cœleſti cellâ vinariâ, & torrentes voluptatis ſurſum ſcaturiunt, dejectâ mente, bruti inſtar, animo & pedibus captum *in terra repere?* Non pudet te guloſe, qui ad ſummum illud bonum guſtandum, quam ſuavis ſit Dominus, conditus es, dejectâ mente in paſtum, in eſcam, cum brutis verſari? Non pudet te avare, cui theſauri non deficientes, & divitiæ, quò fur non appropiat, in domo Dei repoſiti ſunt, *dejecta mente, & corde, talpæque* inſtar, *in terra repere?*

Non pudet te libidinoſe, cujus mens divinæ particula auræ, centrum ſuum habet, ubi non nubent, neque nubentur; ſed puriſſimis, ab omnis carnis putredine, ſpiritus deliciis perfruetur, dejecta mente, porcorum inſtar, in libidinum cœno volutari?

t *O curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes?*

Nemo non vel externam ſui cum brutis ſpeciem execraretur, v quâ juxta D. Thomam, uteretur manibus loco anteriorum pedum, cibum ore capere deberet, & cum cæteris animantibus loquela deſtitueretur. At longè terrior, ac horribilior ſpecies eſt, *erecto vultu cœlum ſuſpicere, & dejecta mente in terra repere.* Hoc in gentilitatis nocte vidit Seneca, qui ſic olim ad ruborem noſtrum exclamavit: x *O quam contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit.*

Quæ altiori, & diviniori ſtylo Africanus Doctor Auguſtinus: y *Bonum tuum quære, ô anima; quære tuum bonum. Sunt enim & inferiora bona, quæ aliis, & aliis bona ſunt. Pecori quid bonum eſt, niſi implere ventrem, carere indigentia, dormire, geſtire, vivere, ſanum eſſe, generare?*

Tale tu bonum quæris cohæres Chriſti? quid gaudes, quia ſocius es pecori? Erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium.

Erige ſpem tuam ad ea quæ ſurſum ſunt: corde, animo, cogitatione, deſiderio ad excelſa conſcende, & omnia humana deſpicies, omnia Regum palatia, ut formicarum horrea; quantumvis ampla; Principum ædificia, ut nidos hirundinum: penſiles hortos, viridaria, ut puerorum crepundia ex alto deſpicies. z *Iuvat inter ſidera vagantem, divitum pavimenta ridere, & totam cum auro ſuo terram. Et contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonſiles ſilvas, & derivata in domos flumina: etiam terrarum orbem ſupernè deſpiciens, ſibi ipſe ait: hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni dividitur. O quam ridiculi ſunt mortalium termini.* Nec per auxeſim hæc, aut hyperbolen exaggeratius dicta ſunt, cum no-

ſ Bern. Serm. de primordiis, mediis & noviſſimis noſtris. t Perſius. Sat. 2. v Divus Thom. cit.

x Seneca. præfatio quæſt. natur. y Auguſt. in Pſal. 102. z Seneca præfat. nat. quæſt.

bi-

bis ex editiori monte, aut ſublimiori ſpecula deſpicientibus, mortalium concurſus, myrmidonum, aut formicarum agmen appareat. Unde ſic pergit: *cum te in illa verè magna ſuſtuleris, quoties videbis exercitus ſubrectis ire Vexillis, & quaſi magnum* aliquid agatur, libebit dicere:

It nigrum campis agmen.

Formicarum iſte diſcurſus eſt, in anguſto laborantium; quid illis & nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi? punctum eſt illud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo Regna diſponitis. SURSUM INGENTIA SUNT SPATIA, IN QUORUM POSSESSIONEM ANIMUS ADMITITTUR. O miſeri, ô homunciones, ô terræ filii, quos

a *Tædet cœli convexa tueri*;

Qui dum ne oculo dignantur ingentia illa, quæ ſurſum ſunt ſpatia; pro terræ glebula digladiari magnificum putant; cum univerſa terra punctum ſit; frater fratrem ob exiguam jugeri portionem, ob pedem fundi, in jus ambulare cogit, ad necem uſque perſequitur. Purpuratus Martyr Severinus Boëtius, de quo vel hoſtis Theodoricus Rex teſtimonium hoc dedit: b *omnes omnino ſcientias complexum fuiſſe*, hic Seneca ſublimius incedens *Omnem*, inquit, *terræ ambitum, ſicut Aſtrologicis demonſtrationibus accepiſti, ad cœli ſpatium, puncti conſtat continere rationem. Huic tam exiguæ terrarum portioni, ſi quantum maria, paludes, loca inhoſpita, beſtiarum regna occupant, cogitatione ſubtraxeris, vix anguſtiſſima inhabitandi hominibus arca relinquitur. In hoc igitur minimo puncti quodam puncto circumſepti, atque concluſi, de promulganda fama, de proferendo nomine*, de puncto honoris, *cogitatis.* Ipſi noſtis, quæ & quanta pro indiviſibili honoris puncto, mortalium ſtudia, quam gravia pro eo tuendo diſſidia, & duella; illud puncto gladii, & vitæ, & animæ jactura vindicandum. Vaſtiſſima verò quæ ſurſum ſunt ſpatia ac æternos honores, & immenſum gloriæ pondus non attendunt.

Influit in calamum, de quo excidit, an aliàs meminerim, Philippum II. Hiſpaniarum Regem Alvarum Baſſanum, Marchionem de ſancta cruce, in Claſſe Ulyſſiponæ adornanda, nonnihil moras nectentem, his verbis leviter perſtrinxiſſe: c *malè tu pro benevolentia in te mea, mihi gratiam rependis.* Nec pluribus opus fuit, ut inde domum abiens, ex mœrore de vita decederet. Cui Epiphonematis loco Strada ſubnectit, adeò ſæpenumero ho- „ mines inter vulnera invictos, „ erectoſque, unius verbi puncti- „ uncula facilè proſternit, qua- „ ſi iſtis pro corde ſit honor, quo „ læſo vivere non ſuſtentant. „

Viles ac exiles animæ, quæ in terræ puncto de divitiarum atomo, & honoris puncto digladiantur.

Excelſæ, ac ſublimes mentes altius ſeſe efferunt, illud Pauli monitum ſectantes: d *quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram* Eo nos præit, & provocat hodierna die Deus triumphator; impreſſa reliquit veſtigia, ut ſequamur, nã ut ſcitè

a Virg. 4. æneid. b Boet. lib. 2. de contempla. philoſop. metro. 6. proſa. 7.

c Strada de bello belg. deca. 2. lib. 9. a. 1588. d Coloſſ. 3.

S. Leo,

S. Leo, e *jure magnus appellatus*: Serm. 1. de aſcenſ. Dom. *Chriſti* ASCENSIO, *noſtra provectio eſt: & quò præceſſit gloria capitis, eo ſpes vocatur & corporis*; hanc porrò inter cæteras rationes aſſignat Bernardus.

§. I.

OPORTEBAT CHRISTUM ASCENDERE, UT NOS ASCENDERE DOCERET. *f*

AT qua ratione, quo modo, aut methodo, quibus ſcalis, aut alis, miſeri mortales, gravi corporis mole gravati, cum Chriſto in Cœlos ſcandere poterimus? video profectò in triumphali Ducis noſtri aſcenſu, tot divina prodigia, ac ſtupenda miracula, ut in cœlum volare, non humanæ, ſed ſolius divinæ virtutis ſit, ac infinitæ poteſtatis; unde non ſine amabili ſtupore defixos mortales, cœleſtes genii percunctantur: *quid admiramini aſpicientes in cœlum*? ſpectaculum certè erat omni admiratione dignum. Nulla feſtivitas Servatoris ſine miraculo eſt: Incarnatio matrem Virginem, Deum hominem, quale prodigium habet? In Ephiphania, mirabilis ſtella effulſit. In Chriſti Baptiſmo, panduntur cœli, & vox Patris inſonuit: g *Hic eſt filius meus dilectus*, &c.

Si transfigurationem ſpectes, totus mons miraculum eſt; dum Euchariſticum epulum inſtituit, h *memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator Dominus*. Plurima in reſurrectione ejus coruſcarunt miracula; ſed neſcio quid præ cæteris admirabilitatis continet hoc myſterium, ut per univerſum orbem decantet, ac celebret eccleſia ADMIRABILEM ASCENSIONEM *ejus*, clamet, & oret, *per* ADMIRABILEM ASCENSIONEM *tuam*.

i *Admirabile* enimverò, Chriſtum è loco, ſive Sion fuit, ſeu ut alii, Jeruſalem, in quo pranſi fuerant, diſcipulos centum quinquaginta, ſeu k plus quam quingentos eduxiſſe per mediam civitatem Jeruſalem plena die, nullo vel obſtrepente ex habitatoribus, vel divino quodam ſtupore defixis, aut ne cernentibus, ut placet D. Bernardino *l*, in montem olivarum.

Admirabile, Patres è limbo eductos, cum corpore in cœlum Chriſti comites commigraſſe. Ut Arator, & S. Bernardinus, *m* aliique.

Admirabile, Chriſtum nullo arbitro, aut teſte reſurrexiſſe, innumeros verò in aſcenſione ſua teſtes adhibuiſſe; Unde non ſic raptus eſt, quemadmodum Elias, qui unum, non ſicut Paulus qui nullum, imò vix vel ſe ipſum, ut ita dicam, teſtem habere potuit, ipſo perhibente, n *neſcio; Deus ſcit*.

Admirabile profectò, relictis cœleſtis aulæ ſedibus, obviam Regi glorię occurriſſe omnes angelorum choros, ut Auguſtinus, Cyprianus, Nyſſenus, Epiphanius apud Lorinum *o*; ipſos quoq; ad hoc

e Bellarm de ſcript. Eccl. f Ber. Serm. 4. de aſcenſione. g Matt. 17. v. 5. h Pſ. 110. v. 4.

i Lorin. in acta. c. 1. v. 9. k 1. Cor. 15. v. 6. viſus eſt plus quam 500 fratribus ſimul. l Bern. ſerm. 1 art. 1 c. 3. m Arator in carmine. Bern. ibid. n 2. Cor. 12. o Lorin. cit.

hoc ſpectaculum attonitos hæſiſſe, Hipponenſis Doctor aſſerit, dicens p *aſcendiſſe Deū in jubilatione, id eſt in admiratione gaudii Angelorū, quæ verbis non poteſt explicari.*

Admirabile & illud, q *miraculum repentinæ nubis quæ in ſereno cœlo apparuit, ut miraculo Aſcenſionis adjuncta, ejus prodigioſam efficaciam duplicaret*; vultque Abulenſis r *in modum throni* effictam.

ſ *Admirabilis* quam maximè & modus, quo aſcendit: *non ſubito raptus*, inquit Bernardus, ut Elias & Henoch, *non furtim ſublatus*; *ſed videntibus illis elevatus eſt*, ad ſolatium, & oblectamentum ſuorum; ſed quia ſunt qui à terra ad octavam ſphæram, ſeu firmamentum, *t* ſpatium perfici poſſe negant, juſtis etiam itineribus, niſi minimum per octo annorum millia, ſcite obſervat D. Bernardinus, v *Chriſtum à principio ſui aſcenſus, uſq; ad communem aëris regionem, paulatim & modeſtè aſcendiſſe; tamen poſtquam nubes ſuſcepit eum, ab oculis eorum, volavit ſuper pennas ventorum, id eſt, citius quam venti; quod neceſſariū fuit propter diſtantiam empyrei cœli*; quod Auguſtinus *x* ea celeritate fieri contendit, qua radii ſolis in lõgiſſima ſpatia, momento vibrantur.

Ad hæc autem *neque manufacto vehiculo, aut auxiliaribus carpentis eguit, y* inquit Cyprianus, *ſed propria virtute triumphator aſcendit*. Ut Angelice Doctor Aquinas: z *Notandum, eſt*, inquit, *quod Elias in curru legitur aſcendiſſe, ut videlicet apertè demonſtraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Redemptor autem noſter non curru, non Angelis ſublevatus legitur: quia qui fecerat omnia, ſuper omnia ſua virtute ferebatur*; Non gradus, non ſcalas, non funes hic ullos adhiberi cernimus: a *Viderunt eum* Apoſtoli *à ſe tolli, & attolli, in aera, non ſcalis adjutum, non ſublevatum funibus etſi angelico comitatum obſequio, non tam fultum auxilio, ſed gradientem in multitudine fortitudinis ſuæ.*

Magna hæc mirabilia, ſed vel hoc ipſo terribilia: b *quis ſimilis tui in fortibus Domine, quis ſimilis tui? terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia.* Sanctus Proſper in Pſal. 105. c *quæ ſunt mirabilia eadem & terribilia*: nulla quippe eſt admiratio ſine quadam formidine. Mirabilia Aſcenſionis tuæ Domine, nobis terribilia ſunt, & admiratio ejus, non eſt ſine formidine; quis etenim noſtrum non deſperet, ſe omni adminiculo deſtitutum, in cælos ſcandere, aut evolare poſſe? d *quantis conatibus*, inquit Bernardus, *corda levare neceſſe eſt, quæ quidem non ſolum in libro ſapientiæ*, e *ſed miſerabiliter ſatis in libro propriæ experientiæ legimus, & corruptio corporis aggravat, &* f *terrena inhabitatio deprimit.*

In cœlum gradibus conſcendere cum Babyloniis; aut cum gigantibus montes montibus imponere, inſanum eſt; volare verò, aut poëtarum, ut in Icaro patet, commentum eſt: aut diabolicum, ut Simone Mago patuit, præſtigium.

p Aug. in Pſ. 46. q S. Bern. Serm. 3. de aſcenſ. r Abulen. Parad. 5. c. 8. ſ Bernard. de gradib. humil. c. 1. t Apharabius Aſtrologus. Lorin cit. com. in acta hic. v S. Bern. Serm. 3. in aſcenſione Domini. x Aug. in quæſt. de Reſurrect. S. Bern. cit. y Cyprian Serm. de aſcen. z S. Thom. 3. part. quſt. 57. a 3.

a Bern. Serm. 2. de aſcenſ. b Exodi. 15. v. 11. c S. Proſper. in Pſalm. 105. d Bern. Serm. 6. de Aſcenſ. Dom. e Sap. 9. v. 15. f 1. Cor. 2.

g *Unde ergo, inquis, aſcendere poſſum? qui funes, quæ machinæ, quæ ſcalæ?* nemo diffidat, & machinæ, & ſcalæ, & alæ ad manum ſunt, nec modo id impoſſibile, aut difficile eſſe; ſed facilē; & ſecurum in cœlū aſcenſum commonſtrabo.

Hieronymus Cardanus vir rari, & præclari ingenii, machinam ſingularis artificii, qua quis ſeipſum non difficili niſu ſurſum trahat, ſolerter excogitavit, qualis ad fornices templorum dealbandos in uſu eſt. Si res corporis, ad animum referamus, *h* deſiderium beatitudinis, contemplatio cœleſtium, amor in Deum, in ſummum bonum, ipſiſſima hæc machina eſt, qua quis ſe ipſum quotidie, & ſæpius ad immenſam attrahit altitudinem. Sic ſentit Patriarcha Venetus:

i *Machina mentis, eſt vis amoris, quæ eam dum à mundo abſtrahit, in alta ſuſtollit.* In cœlum vis evehi? te ipſum ſæpius cum Paulo in cœlum attrahe deſideriis, *& amoris machinâ*: pondus ſui corporis ille moleſtiſſimum ſentit, dicens: k *ſupra modum gravati ſumus, ſupra modum ingemiſcimus gravati*; nihilominus hac machinâ ſe ipſum in ſublime, ad tertium cœlum attraxit, ut diceret: *converſatio noſtra in cœlis eſt.*

Magno catenarum pondere gravatus, obſcuro detruſus carcere Paulus latebat; *tunc*, inquit magnus Gregorius, l *Paulus fortè in carcere tenebatur, cum ſe conſidere Chriſto in cœleſtibus teſtaretur; ſed ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic, ubi illum neceſſariò pigra adhuc caro retinebat.*

Quo ſpiritu imbutus Tertullianus, vinctos demulcebat: m *Auferamus*, inquit, *carceris nomen, ſeceſſum vocemus: etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent: Vagare ſpiritu, ſpatiare ſpiritu, & non ſtadia, opaca, aut porticus propone tibi, ſed illam viam, quæ ad Deum ducit; quoties eam ſpiritu deambulaveris, toties in carcere non eris. Nihil crus ſentit in nervo* (nec æger in lecto) *cum animus eſt in cœlo. Totum hominem animus circumfert, & quo velit, transfert.* E carcere etiam in cœlum ſeſe animus attollere valet; quod ille cecinit:

n *Omnia poſſideat, non poſſidet æthera Minos:*
Gratia dis; animo, quo libet ire, licet.

Religioſæ animæ, cellæ parietibus, & clauſtri monaſtici ſeris ſanctimoniales concluſæ, liberè ſe in cœlum efferre ſolent: p *Machina cordis, vis amoris eſt*, qua animus ad ſuperna raptatur, quod Hieronymus de S. Aſella Romana teſtatur: q *unius cellulæ clauſa anguſtiis, latitudine paradiſi fruebatur.* Ita nullus nobis locus cœlum eripit. Huc, etiam lecto affixus, qui pedem cubili efferre nequit, ſine plumis valet evolare, r *amando aſcendit.*

In omni tribulatione, in omni paupertatis, adverſitatis tempeſtate, animus *amoris machinâ*, deſiderio cœleſtium, deſerit ergaſtulum ſuum, & in conſpicuum va-

g Aug. in Pſ. 85. h Primus aſcendendi modus, machina amoris. i S. Greg. l. 6. mor. c. 37. Lauren. Iuſtinian. c. 8. de charitate. k 2. Cor. 3. & 5. Philippen. 2. l Greg. l. 31. moral. c. 34.

m Tertul. l. ad Mart. c. 2. n Ovid. de arte. p S Greg apud Hug. in Pſ. 24. q Hieron. epiſt. ad Marcellam. r Auguſt. in Pſal. 85.

dit:

dit, etenim fluctuante hic frivolo noſtro corpuſculo doloribus, cruciatibus, ac variis mortalitatis fluctibus jactato; jam pæne domum ingreſſis, velut in illuvie poſt magnos imbres, cum pavimenta unda veſtivit, refugit habitator ad ſuperiora domus, ubi naufragante ſolo, clementiori ac minus ſevero utitur dio. Sic ubi fluctus irruunt, ut exclamare cogaris: ſ *intraverunt aquæ uſque ad animam meam*, ſuper tecta te collige, ad ſuperiora conſcende, & ima corporis, velut ſola deſerens, dic cum pſalmiſta: t *Ad te Domine levavi animam meam* quò non aſcendit labor, nec dolor.

Graviſſimo pedum dolore vexatus Ageſilaus, inviſentem ſe Carneadem, mœſtumque exire ſtatuentem, neſcio cujus inſolentiæ impatientem accivit: *mane*, inquit, *Carneades: nihil enim illinc huc pervenit*: indicatis pedibus, & pectore. Oſtendit itaque, licet pedes doluiſſent, immunem animum; nec ab imo, cruciatum aſcendiſſe illuc, quo ſe receperat in ſublime.

Potentius hortatur D. Chryſoſtomus, x ut in hoc turbulento rerum mundanarum oceano, dum fluctibus, ac procellis tantum non hauriendi ſumus, caput & mentem altius in cœlum attollamus, ipſum audite; *In hoc mari magno, ubi morbi, ubi inſectationes, ubi prematuræ mortes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi perturbationes, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles inſidiæ, ubi quotidianæ ſolicitudines, ex omni parte dolores afferentia, Paulus dixit, fieri poſſe, ut ſemper gaudeamus.* (at quomodo?) *ſi quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus* ERExERIT CAPUT. *E cruentis* perſecutionum fluctibus Symphoriani mater efferens Caput, his eum verbis ad altiora impellit: *nate, nate; memento æternæ vitæ, cœlum ſuſpice, & ibi regnantem intuere.*

Oleaſter in Cap. 6. Geneſeos, tradit arcam habuiſſe feneſtram vitream in ſummitate, cùm aliæ naves ad latus; idque ut inter fluctus, & tempeſtates, liberè oculis & animis in cœlum conſcenderent. Hoc & tu, collo tenus immerſa anima æmulare, & è fluctibus paupertatis, è fluctibus tentationis, calumniæ, caput erige, animam ad ſuperna attolle, & illud Pſaltis Regii ex ſpiritu ingemina: y *Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi*; quę Divus Auguſtinus ſubtiliter, ac utiliter ad mores exponit: z *jucunda eam, quia ad te levavi eam: in terra enim erat, & in terra amaritudinem ſentiebat: ne in amaritudine contabeſceret, ne omnem tuæ gloriæ ſuavitatem amitteret, levavi eam ad te, jucunda eam apud te: ſolus enim tu es jucunditas; amaritudine plenus eſt mundus. Certe rectè admonet membra ſua, ut ſurſum corda habeant. Audiant ergo, & faciant: levent ad illum, quod male eſt in terra; ibi enim non putreſcit cor, ſi levetur ad Deum.* Quod obvia perſuadere nititur ſimilitudine *frumentum ſi haberes in inferioribus, ne putreſceret, levares ad ſuperiora. Frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putreſcere*: quæ tamen ex naturæ inclinatione, & gratiæ genio, non eſt opportunus hu-

ſ Pſal. 68. v. 2. t Pſal. 24. v 1. x S. Chryſ. orat. de S. Philogonio.

y Pſal. 85. z Aug. in Pſal. 85. Ad te Levavi animam meam.

humano cordi locus; quippe quod terram deſpicit,& ſphæram ſuam ſurſum habet. a *Levemus* igitur, inquit Bernardus, *levemus corda cum manibus, & aſcendentem Dominum ſequi, velut quibuſdam paſſibus devotionis, & fidei contendamus, erit cum ſine morâ, ſine difficultate obviam illi in nubibus reſurgemus.*

Hoc indies per ſacros myſtas populo inculcatur: *ſurſum Corda*; at videant qui ſacrificio interſunt, quam ex vero adjiciant: *habemus ad Dominum.* Quod ſi omni hora, locoque, jubemur ſurſum erigere corda, juxta illud Pauli: b *quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite*; quanto magis eo loci, ac temporis, cum ſuperûm regia panditur? tum tamen reperire eſt, qui ut ſevera eloquentia ait Chryſoſtomus: c *ſub horam terribilis myſticæ menſæ, in vaniloquentiæ* CONVENTICULIS *occupati ſint.* Quos idem ſanctiſſimus Antiſtes ita perſtringit: *quid facis ô homo! non promiſiſti ſacerdoti, qui dixit: ſurſum corda, & dixiſti: habemus ad Dominum? non erubeſcis ea hora mendax inveniri?* quod inſolens, & pudendum crimen ut eluas, age, fac ori cor conſonet, conſpiretque lingua cum animo: & hic, & ille tollatur ſurſum, d *& clamanti*, SURSUM CORDA, *pontifici magno qui hodie introivit in ſancta, æterna redemptione inventa, reſponde fideliter*, HABEMUS AD DOMINUM. *Et ſi aliquando quæſiviſti non quæ ſurſum ſunt, ſed quæ ſuper terram: jam te ipſum increpa, & dic Domino cum Propheta: quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? heu quàm miſerè errabam? tam magnum eſt illud in cœlo repoſitum, quod contemnebam: tam nihil hoc ſuper terram, quod tantopere expetebam. Chriſtus theſaurus tuus aſcendit in cœlum, ibi ſit & cor tuum: inde ducis originem, ibi habes Patrem, & hæreditatem.* In cælos conſcende, e *& unde, inquis, poſſum? amando aſcendis. Stans in terra, in cœlo es, ſi diligas Deum: non enim ſic levatur cor, quomodo levatur corpus; corpus ut levetur, locum mutat; cor ut elevetur, voluntatem mutat: quoniam ad te Domine animam meam levavi.*

Sic purpuratus Vates inter graviſſimas regni curas,& belli moleſtias, *ſtans in terra*, à turbis omnibus in ſublime animam levabat, & in cœlo erat; ſic Paulus *ſtans in terra* mente & animo *in cœlo erat*; ſic ſeraphicus Franciſcus in monte Alverniæ, S. Ignatius in octiduano raptu, Catharina Senenſis, Bononienſis, Thereſia, Maria Ogniacenſis, f quæ corpore in terris, animo verſabatur cum Angelis & Sanctis in cœlo, ut eos inter ſe diſtinguere poſſet; quin & realiter ipſos Sanctos audiret, cum iis familiariter colloqueretur. Hos omnes in cœlum raptos video, ſed ad ſequendum ubi ſcalæ: g *Ecce terra deorſum, quam calcamus pedibus noſtris. Ecce cœlum ſurſum, quod videmus oculis noſtris, & aſcendendo cantamus: ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlo: ubi ſunt ergo ſcalæ? tanta enim intervalla conſpicimus, inter cœlum & ter-*

a Bernardus Serm. 4. de aſcen. Dom. b Coloſſ. 3. v. 1. c Chryſoſt. hom. de Euchariſt. in Encæniis. d Guarricus ſermon. de aſcenſ.

e Aug. in Pſ. 85. f Iacob. de Vitriaco in vita, c. 8. Cornel. in Acta, c. 1. v. 11. g Aug. in Pſ. 121. Secundus aſcendendi modus, ſcalis.

& terram, tanta ſpatia locorum, illuc volumus aſcendere, ſcalas non videmus.

Joſephus Scaliger de Veronenſium Scaligerorum ſanguine ſe jactitans, in ſymbolum gentilitatis ubi delegit ſcalas alatas, hoc lemmate ſubjecto: *Scalis & alis.* quos altos ſpiritus hominis heterodoxi, ut alter reprimeret, ad inferos cum ſui ſectatoribus ruentis, ſubjecit: h *Ibi non opus eſt ſcalis, nec alis*: quia i *facilis deſcenſus averni.*

Verum enim verò ut ſurſum ad virtutis ardua nitaris, ut ad cœleſtia, ſuper omnia humana conſcendas; *ſcalis & alis* opus eſt. Narrat Polyænus lib. 7. ſtrategemat. apud Thracas, Junonis ſacerdotem, Coſingam nomine, ac de gentis more belli ducem, detrectantibus imperium Thracibus, ligneas ſcalas quampluri-mas, ingentéſque conſtrui, & alias aliis imponi curâſſe, quibus in cœlum ad Junonem de contumelia expoſtulaturus aſcenderet. Stropha ceſſit ex ſententia. Eo facto ſtupidam plebem ita perculit Paganus iſte, ut ſe inpoſterum dicto audientem, ritéque ſubjectam fore, interpoſita ſacramenti religione firmaret. Eſt quod in veteratorio artificio cum fructu æmulemur; nimirum quem ille ementiri dumtaxat, non etiam perficere potuit aſcenſum ad numen, ſcalas ſcalis imponendo, nos animorum ad verum numen conſcenſione exprimamus. Cujus aſcenſus utilitatem, ſimul ac dignitatem, quis, ſi homo ſit, non videat? quanti enim eſt humanam mentem, divinæ particulam auræ humi non affigi, ac jacere in luto; ſed ſurſum ex paludoſa hac caligine, & rerum corporearum fæcibus efferri ad Deum. Hoc Chriſtianæ Philoſophiæ proceres, ut eſt notiſſimum, hoc inter Ethnicos præſtantiſſimi quique, ut in illis tenebris ſapientes, uno ore, eadémque ſententiâ conteſtantur. Indeque apud eos crebra mentio ſcalarum, alarum, pennarum, quibus ad numen aſcenditur.

h Doutermans amor increatus, pag. 505. i Virgil. 6. Æneid.

Sed piget, pudétque è cœnoſis hiſce lacunis haurire, quod in pellucidis fontibus reperire eſt. S. Ambroſius vigilanti ſolertiâ, ſomnium illud Patriarchæ Jacob expendens, in quo k *vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum*, ſuaviſſimo flumine diſcurrit, & miras nobis, ac myſticas ſcalas exhibet, quibus l gradatim in cœlum, citra ullum Corporis diſcrimen, aut capitis vertiginem conſcendere, & juvenes, & puellæ; & viri & fœminæ cujuſque ſtatus ac conditionis valemus: m *Hic ordo eſt diſciplinæ*, inquit, *ut ab inferioribus ad perfectiora* CONSCENDAS: SCALARUM ENIM *ſimilem eſſe, Scriptura nos docet pietatis aſcenſum; per quas vidit Angelos Domini aſcendentes, & deſcendentes, ſanctus Jacob, vir exercitationis: qui nobis propoſitus eſt, ut per illum cognoſceremus* GRADUS VIRTUTIS, *paulatim nos proficere debere; & ita poſſe ab imis,* AD SUMMA CONSCENDERE. HAS TIBI SCALAS *ſemper habeto* PROPOSITAS. *Ne timeas, ô homo* GRADUS *hos aſcendere diſciplinæ. Primus* GRADUS *vicinus eſt terræ: ſequens*

k Gen. 28. v. 12. l Gradatim de virtute in virtutem aſcendendum. m S. Ambroſ. in Pſalm. 1.

quens ſimilis eſt priori, ſic per æquales GRADUS, *ad ſumma* CONSCENDITUR.

Scientia per gradus acquiritur, gradatim de ſchola in ſcholam aſcenditur. Nemo mercaturæ, ac agriculturæ ſeſe applicans, repente ſumme dives, & opulentus evadit. Senſim & gradatim ædificium conſurgit. n *Nemo*, inquit Doctor mellifluus, *repente fit ſummus, aſcendendo, non volando apprehenditur ſummitas ſcalæ.* Stultum ac ſtolidum, repente velle quempiam apicem perfectionis, & ſanctitatis verticem conſcendere, ut rectè Climacus gradu 14. *Inſipientiſſimum vocat, qui puero præciperet, ut ſcalarum gradus omnes, uno paſſu repente conſcenderet.* De quibus fuſè ſuprà diximus. o Sed gradatim eundum eſt p *de virtute in virtutem.* Quemadmodum ivit q *divus Furſeus*, qui quodam mentis exceſſu de ſe, ſuíque ſimilibus, hoc ipſó Pſaltis verſiculo gratulantes Angelos audivit, atque ita ad tantum ſanctitatis culmen pervenit, ut corpore velut vagina, non raró humi relicto, inter cœlites paſſim viveret. Sic & nos, inquit Chryſoſtomus, r *tanquam per gradus quoſdam aſcendentes per ſcalam Jacob, ad cœlum perveniamus: etenim ſcala illa paulatim per virtutes aſcenſum ſignificare videtur, per quam à terra in cœlum aſcendere licet, non gradibus ſenſibilibus, ſed morum incremento.*

ſ Quod Pittacus inter ſapientiæ Græciæ ſeptemviros nobilis, Mitylenæo quondam templo donarium appendit, viſum eſt antiquis non immeritò novitate ſua mirabile: ubi enim alii votivas è tholo tabulas ſuſpendebant, viventes in pario marmore ſtatuas offerebant, impreſſas variis emblematis urnulas, aureas in ſacrorum uſum pateras, delicatas capedines, hermas, ſigna Megarica, Corinthiaca vaſa, & hujuſmodi alia naturæ vel artis miracula conſecrabant: *ſcalas* ipſe, non opere magnificas admodum, nec inſignes materia, ſed myſterii tantum ſignificatione memorabiles dedicavit. Idque quia nullam ad Deorum aras, & ſacra pulvinaria, religioſiorem poſſe mortalibus obverſari cogitationem ſentiebat, quam de virtutum gradibus ſibi ſcalam conſtruere, quibus piorum mentes ad numen ſuum aſcendere niterentur. Quod ſymbolicum juvat à gentili documentum mutuare, ut ad divinum, & increatum Numen aſcendamus: t *Fit enim hæc aſcenſio,* ut pulcherrimè monuit Auguſtinus, *non pedibus, non* SCALIS, *non pennis, & tamen ſi interiorem hominem attendas, & pedibus, &* SCALIS, *& pennis; in rebus corporalibus, aliud ſunt pedes, aliud ſcalæ, aliud pennæ; intus autem & pedes, & ſcalæ, & pennæ, affectus ſunt, & bonæ voluntates; his aſcendamus, his volemus.*

De hoc ſcalarum aſcenſu per virtutum gradus vide Lancicium v, alióſque in illud: *Ibunt de virtute in virtutem.* Quid, quod non virtutes dumtaxat, ac pii affectus nobis gradus, & ſcalę ſunt, ſed & ipſa vitia, atque ea omnia quæ in rebus humanis ſolent eſſe pro-

n Ber. Serm. 1. de S. Andrea. o 5. Kalend. Ianuar. p Pſ. 83. q 16. Ian. in vita. r Chryſ. hom. 82. in Ioan. ſ Raynaudi ſcala in dedicat.

t Auguſt. in Pſalm. 38. v Lancic opuſc. 5. c. 3. nu. 28.

profectus impedimenta, & aſcenſus in cœlum retinacula.

Ubi illud obſervandum eſt, eò quemque altius aſſurgere quò plura & excelſiora habuerit ſub pedibus; excelſo ille gradu ſtat, qui divitiarum acervos, terræ fundos, arcas omnibus cimeliis, ac mundo muliebri oppletas, Chriſtianæ paupertatis amore, ſub ſe habet, & pedibus calcat. Quin & altius conſurgit, ſi & titulos, & honores, & dignitates, & ſæculares præfecturas, & ſacras infulas, generoſâ mente deſpicit, atque ex iis ſibi ſubjectis, gradum ad cœleſtes honores ſternit.

Tam excelſo animo, & loco ſtetere Gregorius, Eugenius, Laynius, aliique, qui tricoronidas mitras ſub pedibus habuerunt. Bernardus, Bruno, Aquinas, & qui Epiſcopale pedum, pede preſſerunt. Tot Imperatores ac Reges, qui Regna, & diademata calcarunt, ac caputio commutarunt, quos prolixo ſatis elencho Platus recenſet, in quos aptè convenit illud Richardi Victorini: x *Felices, quibus vertitur in* SCALAM, *quod aliis ſolet eſſe in ruinam.*

Plus dico, y effrenes concupiſcentiæ motus, gulæ, intemperantiæ, iracundiæ impetus. divitiarum ac honorum appetitus, carnis ſtimulos qui ſenſim ſua mole hominem ad ima deprimunt, nos in altum attollere, & in ſcalas ad cœleſtem beatitudinem converti poſſe, ab Auguſtino, ſapientiſſimæ ſanctitatis viro traditum reperio: z *Elaboremus*, inquit, *chariſſimi, ut quemadmodum Dominus in hac die, noſtro cum corpore ad ſuperna conſcendit, ita nos poſt illum, quomodo poſſumus ſpe aſcendamus, & corde ſequamur. Ipſo affectu pariter & profectu aſcendamus poſt illum, & jam per vitia ac paſſiones noſtras, ſi utique unuſquiſque noſtrûm ſubdere eas ſibi ſtudeat, ac ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtruit, quo poſſit ad ſuperiora conſcendere.* Tum dignam tanto Pręſule profert ſententiam: *Elevabunt nos, ſi fuerint infra nos. De vitiis noſtris* SCALAM *nobis facimus, ſi vitia iſta calcamus.*

Eadem legere eſt apud Euſebium Emiſſenum.

Hoc verbo indicaſſe ſufficiat, uberius alias tractata. a

Supereſt tertius aſcendendi modus, non per gradus & ſcalam; ſic enim *aſcendere difficile* eſt, ſed facillimus, pennarum ac alarum remigio, in cœlum evolandi, b ut aquilam illam magnarum alarum, quæ nos quaſi pullos ſuos provocat ad volandum, ſubſequi poſſimus.

Abbas Igniacenſis c *eloquio dulcis, & ſcientia Scripturarum inſignis*, hac aſcendentis Domini ſolemnitate: d *quid facilius rogo, quàm portare pennas, quæ portent portantem ſe? quid ſublimius, quàm ſupra omnem cœlorum altitudinem, quo Chriſtus aſcendit,* EVOLARE?

x Platus de bono ſtatu Relig. l. 2. c. 26. y Richard. Victorin. part. 1. c. 18. z Aug. in Appendice Serm. 58. Emiſſenus Serm. 2. in Aſcenſ. Domini.

a Vide Lux Evang. part. 2. Domin. 15. poſt Pent. b Bernard. Serm. de Aſcenſ. c Trithemius. d Guarricus Serm. de Aſcenſ. Domini.

§. II CHRI-

§. II.

CHRISTUS INSTAR *e* AQUILÆ IN COELOS ASCENDENS, NOS UT PULLOS SUOS PROVOCAT AD VOLANDUM.

RAderus noſter f *humanioribus, & ſeverioribus litteris, non minus quàm religione excultus*, commentariis in Martialem, agens de Ganymede quem præceps ab Idâ,

Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis,

Hiſtoriam adducit, & *credita res Auctore ſuo eſt*, eóque maximo. g Nectenabo Rex Ægypti cùm falsò accepiſſet Æſopum eſſe extinctum, mittit Lycero Regi Babyloniorum ſtatim epiſtolam, qua architectos petebat, qui turrim ædificarent, neque cœlum, neque terram attingentem. Lycerus cum Æſopo quaſi redivivo (nam occidi juſſerat, quem ſervus Lyceri clam ſervârat) Nectenabonis Epiſtolam oſtendiſſet, Æſopus omnes aucupes accerſivit, atque aquilarum pullos quatuor ut caperent juſſit, captos nutrivit, ac inſtruxit, ut pueros in ſportis, unguibus Aquilarum affixis, geſtando in altum tollerent; exacta hyeme Æſopus cum aquilis, & pueris, profectus ad Regem, ſpectaculum illud tota admirante Ægypto exhibuit; Rex viſo Æſopo perculſus, attuliſ[ti] inquit, qui turrim ædificent? cu[i] Æſopus, parati ſunt, ſi modo o[ſ]ſtendas locum. Poſtea egreſſu[s] urbem Rex, in planitie demon[-]ſtrat diverſum locum. Adduct[is] ergo Æſopus ad demonſtrat[i] loci angulos aquilis, quatuo[r] cum pueris per ſacculos appen[-]ſis, ac puerorum manibus fabro[-]rum datis inſtrumentis, juſſit e[as] volare; illi verò ſublimes: da[te] nobis, clamabant, lapides, da[te] calcem, & aliam ad ædificatio[-]nem materiam. Quo miracul[o] attonitus Nectenabo: unde, in[-]quit, mihi volucres homines? Æ[-]ſope victus ſum. Commentu[m] hoc, aut figmentum Æſopi vid[e]ri poſſet; unde nempe *volucres ho[-]mines*, ad volandum ab aquilis [e]docti? ſed & figmentum hoc, ve[-]riſſimum documentum cenſe[ri] debet, non paucos *volucres homi[-]nes* reperiri, qui ſubvolare nitun[-]tur, ut caſtra metiantur in aër[e] aut concavo lunæ, qui magna [&] alta ſibi fingentes, & ſpe ſin[e] fundamento promittentes, om[-]nibus paſſim ludibrio ſunt. Quo[d] ne & nobis contingat, qui n[ec] modum, nec artem volandi h[a]bemus, ſciſcitari quis meritò po[teſt] eſt cum dilecto D. Bernardi d[i]ſcipulo: h *Quomodo repente de te[r]ris ad cœlos evolare poterit, qui nu[llo] exercitio, & uſu quotidiano volita[re] non didicerit?* qui humi reper[e] in cœno volutari conſuevit, q[ui] pennis, & alis deſtitutus volita[re] non didicerit. Quomodo repe[n]te de terris, in cœlos evolare po[t]erit? k *Si quæris quo doctore, q[uo] duce? nunquid non Chriſtus, ſi[cut]* AQUILA *provocabat hodie ad* v[olandum]

e Tertius aſcendendi modus, alis.
f Alegambe in Bibioth. ſcript. Soc.
g Raderus in Martialem, lib. 1. epig. 6. Maximus Planudes in vita Æſopi.

h Guarricus Serm. de Aſcenſ. Dom[ini]
k Ibid.

LANDUM *pullos ſuos, quando ſuper eos volitabat? cùm ſcilicet videntibus illis elevaretur, diúque ſequerentur oculi euntem in cœlum?* atque ut volare ipſi diſcerent, & ipſe doceret, ſubdit: *Poterat utique repente in ictu oculi, ex oculis eorum rapi, & ubi vellet conſtitui; ſed planè ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans: & corda ſurſum levare poſt ſe nitebatur amore ſui, & corpora ſimiliter poſſe ſublevari pollicebatur exemplo corporis ſui: ſicut Apoſtolus ait, æterni conſcius myſterii, quia & nos bajulis nubibus rapiemur obviam Chriſto redeunti.*

Sed quotus quiſque mortalium[l] *regiam illam aquilam* ut Gregorius Chriſtum compellat, volando ſubſequi nititur? quam multi, ut implumes pulli, alis deſtituti, nidis ſuis adhærent, ille nido avaritiæ, alter temulentiæ, alius luxuriæ, plerique nido pravæ converſationis, & conſuetudinis? de hujuſmodi veriſſimè Huſſæus vates: [m] *ſemitam ignoravit avis*, non tantum Judæa, ut exponit Hugo Cardinal. [n] *quando in carne aſſumptâ Chriſtus volavit ad cœlum. De hac ſemita Salomon Proverb.* 30. *inter* [o] *tria difficilia intellectu, ponit viam aquilæ* in cœlo, quam hi cœleſtium inanes, & ignari, prorſus ignorant.

Alii alas habent non Aquilæ ad volandum, ſed ſtruthionis, ut eleganter D. Hieronymus in illud Job: [p] *penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodii & accipitris*, tradit pennas habere, ut velociſſimæ volucres, ſed corporis mole gravatum volare non poſſe. [q] *Quis herodium*, inquit, *& accipitrem neſciat, aves reliquas quanta volatus ſui velocitate tranſcendant? Struthio verò pennæ eorum ſimilitudinem habet; ſed volatus eorum celeritatem non habet: à terra quippe elevari non valet, & alas quaſi ad volatum ſpecie tenus erigit*, ut perſonatos angelos cum alis in ſcenam damus; *ſed tamen numquam ſe à terra volando ſuſpendit. Ita ſunt nimirùm omnes hypocritæ, qui dum bonorum vitam ſimulant, imitationem ſanctæ converſationis habent: Sed veritatem ſanctæ actionis non habent. Habent quippe volandi pennas per ſpeciem: ſed in terra repunt per actionem.*

Tales ſub ſpecie ſanctitatis, & ſublimis contemplationis non paucæ mulierculæ, per raptus, & ecſtaſes in cœlum volare compertæ ſunt, etiam corpore à terra, diabolicis præſtigiis aliquantum in aëra ſublato, [r] *quæ volandi pennas per ſpeciem habebant:* uti & Simon magus, qui cum ſe Chri- „ ſtum diceret, & tamquam fi- „ lium ad Patrem aſſereret vo- „ lando ſe poſſe conſcendere, at- „ que elatus ſubitò, magicis arti- „ bus volare cœpiſſet, Petrus fi- „ xis genibus precatus eſt Domi- „ num, & precatione ſancta vicit „ magicam levitatem, *ut qui antè* „ VOLARE *tentaverat, ſubito ambulare non poſſet: & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret.* In eadem claſſe ſunt nonnullæ filiæ devotæ, ſanctimoniales ſuis phantaſiis ecſtaticis, aut ecſtaſibus phantaſticis abreptæ, & viri contemplativi, peregrino ſpiritu ducti, qualem S. Ignatius, in meditandi diſciplinâ magiſter eximius, amœ-

l Greg. 3. mor. c. 19. m Iob. 28. ver. 7. n Hugo hic. o Proverb. 30. v. 13. p Iob. 39. q S. Greg. l. 31. mor. c. 8.

r S. Ambr. Serm. 66. Feſto SS. Petri & Pauli.

nè

nè diluſit. ſ Erat Pater Sodevilla Theologus, pro viro ſpirituali inter primos habitus, ſed dictamina fovens ſpiritus, aliena à noſtro procedendi modo, & methodo, quam S. Ignatius ſuis præſcribit. Adeò ut Patrem Silvium (poſtea magnum in Societate Theologum) eò adduxerit ſuis devotiunculis, & in cœlum raptibus, ut linguæ uſu, & pænè mentis, diu caruerit; quod ubi intellexit S. Pater, juſſit conquiri alas, quibus Angeli ſcenici adornantur in comœdiis; iis paratis juſſit patrem Sodevillam nudo tergori alligatas circumferre, & ſe flagello cædere, hæc verba ingeminando: *noli volare ſine alis, noli volare ſine alis.* Quod ubi perfecit, è Societate dimiſit; ad quam ut erat vir pius, cùm iterum ardenter admitti petiit, miſſus eſt per quatuor, aut quinque menſes in noſocomium, pauperibus inſervire: & tum rurſus noſtris aſcriptus eſt.

Sed cum hæc ad vos minimè ſpectare videantur, ſuperſedeo, atque eas animas ſtruthioni ſimiles in medium produxiſſe ſufficiat, quæ alas habent *ſpecie tenus: ſed volatum non habent*: habent alas orationis, meditationis, aſpirationis, contemplationis; at ſenſualitati, gulæ, abdomini impenſius dediti, obeſâ carnis mole aggravati, ſublevare ſe non poſſunt, ſic t *Papa Sanctiſſimus & Doctor eximius*, Gregorius pronuntiavit: v *Struthio immani Corpore gravatur, ut etſi volare appetat, ipſa pennarum paucitas, molem tanti Corporis in aëre non ſuſpendat.* Ut volucres illæ altiles, cortales aves, ſaginati anſeres, præpingues capones, ſua mole, & pondere humi reſident, nec valent in altum conſcendere: haud ſecus accidit iis, qui ſe hic gulâ, & crapulâ, alióve peccati pondere aggravantes, velut viſco quodam, aut limo pennas infectas habent, ut ſubvolare non queant: x *pennæ enim Corpus ſtruthionis non ſublevant, quia multitudo pravæ actionis gravat.* Quò ſpectat illud Oſea 4. *ligavit eum ſpiritus in alis ſuis* ubi Hieronymus ait: y *immundus ſpiritus ligavit Iſraelem, & eum libere volitare non patitur.*

Excutiat quiſque alas ſuas, & quid aggravet, ac humi detinea expendat: & tu libidinoſe, ma gnum illum Africæ præſulen monentem audi: y *Cupiditas vi ſcum facta eſt pennarum noſtrarum eliſit nos de libertate aeris noſtri, i eſt aurarum illarum liberarum Spi ritus Dei.* Hieronymus, quem *Doctorem maximum* eccleſia celebra his verbis hortatur: z *levis a cælum evola, ne alas virtutum tuarum, auri deprimant pondera.* Atqu ita de cæteris vitiis ſentit Ambro ſius dicens: a *Volare non poteſt, ni quod purum, leve, aut ſubtile eſt, cu jus nec ſinceritas intemperantiâ r tardatur, nec velocitas mole grava tur. Gravari autem volatum dic non tam mole membrorum, qua delictorum. Unde puto etiam in ip avibus, ideo velocius columbam pæ præ omnibus volitare, quod alacrita tem innocentia comitetur.*

Sublatis igitur hiſce in altu ſubvolandi impedimentis, cl memus cum Regio Pſalte: b *q mihi dabit* PENNAS *ſicut columl*

ſ Lancicius opuſc. 1. c. 4. pag. 634.
t Bellarm. de ſcrip. eccl. v S. Greg. cit.

x Greg. cit. v Hieron. in Oſeam. c
y Aug. in Pſal. 138. z Hieron. Epiſt.
Excuperantium. a Amb. Ser. 70. b Pſ

& V

& VOLABO? has verò pennas, ſeu geminas alas, varii varias aſſignant, è quibus ſibi quiſque aptet, quas convenire judicarit, ſunt qui duas alas ſuggerunt jejunium, & orationem, quæ eſt aſcenſio mentis in Deum; quarum una ſine altera non juvat: nam ut inquit Bérnard. c *ſuperbus ille Phariſæus jejunium habuit, qui nimirum jejunabat bis in Sabbatho*; ſed oratio non valebat: *non ſum ſicut cæteri hominum*; idéoque ala una nitens, jejunium ejus non pervenit ad cœlum. Ad volandũ utique geminæ neceſſariæ ſunt.

Has ſi forte dixerit quis alas, viris religioſis, ac ſanctimonialibus competere, alteras ex D. Auguſtino humeris etiam quorumcumque ſæcularium, & Eccleſiaſticorum, adapto, qui per pennas columbæ, non niſi duas alas, *duo præcepta charitatis* intelligit, d *in quibus duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Has alas, has pennas ſi recipiam, poſſum fugere à facie tua, ad faciem tuam: à facie irati, ad faciem placati.* Pennæ profectò deargentatæ, & alæ inauratæ, pallore auri, quibus pulcherrimus, & celerrimus fit volatus: ab Aquilone ad Auſtrum, à regione umbræ mortis, ad terram fluentem lacte & melle, *à facie irati*, ubi magnum Chaos interjacet, *ad faciem placati*: innuens quomodo peccatrix anima, pennis gratiarum adjuta, & alis amoris inſtructa, ſubito e *albam mutetur in alitem*, & è cœno in cœlum evolare poſſit: f *recipiamus inquit pennas per charitatem, quas amiſimus per cupiditatem.*

Denique omnia virtutum opera, pennæ, ac alæ ſunt, quibus magnam illam aquilam ſubſequi poſſimus. D. Bruno expendens illa verba Iſa. 6. g *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri.* Hæc ad rem noſtram inducit g *alæ virtutes ſunt, alæ bona opera intelliguntur, ſine quibus volare non poſſumus, ipſæ nos ferant, ipſæ ad cœleſtia elevent, habes humilatem? ala tibi eſt. Habes miſericordiam? ala tibi eſt, habes patientiam? ala tibi eſt. Quot virtutes habes, tot alas habes; ſi habes Charitatem ut Deum & proximum diligas, duas alas habes, quæ tibi ad volandum ſufficere poſſunt.*

His, aliiſque alis inſtructi Sancti, velut genuini Divinæ illius Aquilæ pulli, ſæpius per diem, & noctem, mente, & ſpiritu, in cœlum evolabant. B. Magdalena de Pazzis abrepta à ſenſibus, ſæpius in has voces erumpere audita eſt: h *quadraginta diebus mi Jeſu manſiſti in terra, poſtquam à morte reſurrexiſti, & ego deb[e]o intra diem & noctem quadrageſies* ELEVARE MENTEM MEAM AD TE. Mitto raptus Catharinæ Senenſis, Bononienſis, Genuenſis, Thereſiæ, aliorumque complurium ſanctorum.

Eo aſpirabat Pſaltes regius, dum clamabat: i *quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo?* eas ſibi pennas optabat, & aptabat S. Aug. dum ſpiritu in Deum abreptus, ait: k *nihil mihi tam dulce, quam cum Domino meo eſſe. Præbe mihi rogo* PENNAS, *quibus indutus ad te* VOLITEM *ſurſum; da quæſo toto deſiderio, & omni ſtudio tendere, quo te aſcendiſſe credimus.*

c Bern. ſerm. 4 de quadrag. d Aug. in Pſal. 138. e Horat. f Aug. ibid.

g S. Bruno in Iſa. c. 6. h In vita. c. 80. Lancicius. opuſc. XI. c. 25. i Pſal. 54. k Aug. medit. c, 37.

Aſſumat ſpiritus meus PENNAS *&* VOLITET, *& non deficiat* : VOLET, *& perveniat, uſque ad decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ* ; quò omnes electi, & dilecti tui, per frequentes mentis elevationes, & pios animi raptus, ſe ſupra omnia terrena, efferre nituntur.

l *Planè ſancti*, inquit Guarricus, *quorum ſicut aquilæ juventus renovabitur : aſſument pennas ſicut aquilæ, &* VOLABUNT : *quo volabunt ? ubicumque inquit fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ* ; quod ſi diffidas, te excelſas illas mentes, & ſublimes animas conſectari poſſe, ille m *qui volavit ſuper pennas ventorum, id eſt ſupergreſſus eſt virtutes angelorum, tuæ condeſcendens infirmitati, expandet alas ſuas, & aſſumet te, atque portabit in humeris ſuis* ; *ſi modò pullus degener non exiſtas, ut à terra levari, & aura puriore perfrui non extimeſcas. Alii* VOLANT *contemplando : tu ſaltem amando* : *quia* AMARE VOLARE *eſt, quantò amas ardentius, tanto volas altius.* n *Chriſtus theſaurus tuus aſcendit in cœlum, ibi ſit & cor tuum, huc* VOLAS AMANDO. Ut mirabili eventu docuit Bernardinus Senenſis, o qui totam *Italiam illuſtravit verbo, & exemplo.*

„ p Miles nobilis natura, ſed „ nobilior gratia, Sethbaldus no- „ mine, gente Burgundus, perre- „ xit in terram ſanctam, præ- „ miſſa humili confeſſione, & „ ſumpta devotiſſimè ſacra Com- „ munione, viſitare cœpit ſan- „ ctiſſima illa loca, in quolibet devotiſſimè contemplans my- „ ſterioſa opera Chriſti. Cœpit „ primò viſitare locum, in quo „ Chriſtus annunciatus eſt : ibi „ contemplabatur Dei profun- „ diſſimam humilitatem, patien- „ tiam, & benignitatem, devo- „ tioniſque dulcore, lacrymarum „ multitudinem effundebat. Ab- „ iit ad præſepium Chriſti. O quis „ exprimere poſſet, quanta lacry- „ marum effuſione terram illam „ oſculando, labia infigendo : in- „ ſuper & linguâ, ex magnitudi- „ ne fervoris, & devotionis illam „ lingendo? Viſitat Jordanem, at- „ que novo chariſmatum dono „ inundatur, baptizatur in illo : „ de illo potavit, lacrymis riga- „ vit: & contemplando, quaſi an- „ gelis præſentibus Chriſtum à „ Joanne baptizari conſpexit. „ Ingreditur deſertum ſolitudi- „ nis, ibique manens, conflictum „ hoſtis cum Domino, & Chriſti „ Victoriam cõtemplabatur. Aſ- „ cendit montem Thabor, & ibi „ præſentibus Apoſtolis, & Pro- „ phetis, transfiguratum Domi- „ num, & ſicut ſolem ejus rutila- „ re faciem, quaſi apertis oculis „ ſpeculatur : Veniensque ad „ montem ſanctum Sion, cœ- „ nantibus Apoſtolis cum Jeſu, „ videt ſuum Sanctiſſimum Sa- „ cramentum, Dominumque di- „ ſcipulorum ſuorum humilem „ pedes abluere. Ingreditur hor- „ tum trans torrentem Cedron : „ liqueſcit cor ejus in Dominico „ ſudore, & agoniâ : rapidaque „ crudelitate videt Dominum ca- „ pi, & in Jeruſalem catenatum „ immaniter duci, & hinc inde „ ductum, ligatum, & dirè affli- „ ctum, & flagellatum conſpicit „ ad columnam: Contemplatur- „ que

l Guarricus Serm. de aſcen. Dom. m Ibid. n Guarricus cit. o Molanus in martyrol. p S Bernardinus in aſcenſ. Dom. ſerm. 1. Ludolphus à Saxon. de aſcenſ. Dom.

„ que Dominum condemnatum,
„ & crucem duri ſupplicii baju-
„ lantem, compatiens & lacry-
„ mans itinere ſequebatur. Cal-
„ varium denique conſcendens
„ montem, Dominum crucifigi,
„ in cruce fluente ſacro ſanguine
„ elevari, Mariamque doloris
„ gladio vulneratam, quaſi cor-
„ poreis oculis cernere videba-
„ tur: replebatque lacrymis loca
„ Dominico ſanguine madefa-
„ cta: viſitat, amplexatur, oſcu-
„ latur, & lacrymis rigat Domi-
„ nicam ſepulturam: cunctis de-
„ nique Domini Jeſu Chriſti vi-
„ ſitatis locis, ultimò venit ad ſa-
„ crum oliveti montem, unde
„ Dominus aſcendit in cœlum,
„ *ibique totam mentem, omneſque*
„ *animæ vires*, ELEVANS AD SU-
„ PERNA, flexis genibus proſtra-
„ vit ſe ad veſtigia pedum Do-
„ mini Jeſu, quæ reliquit in cœ-
„ lum aſcendens: illa deoſculans,
„ illa profluvio lacrymarum irri-
„ gans, & corde amoris dulcedi-
„ ne liquefacto, brachiis & ma-
„ nibus elevatis, & ad cœlum
„ erecta facie, inquit: dulciſſime
„ mi Jeſu, neſcio ubi amplius
„ quæram te, concede mihi quæ-
„ ſo ex dulcedine miſericordiæ
„ tuæ, ut nunc veniam ad te: &
„ ſtatim his dictis anima ejus ex
„ amoris dulcedine expiravit,
„ cernentes autem conſocii ſui
„ & ſervi, illum eſſe defunctum,
„ dolentes, & lacrymantes,
„ quemdam peritum medicum
„ adduxerunt ut certâ experien-
„ tiâ diſcerent, an defunctus eſſet,
„ & quæ necis ſubitaneæ cauſa
„ extitiſſet. Quem cum medicus
„ verè mortuum reperiret, inter-
„ rogavit cujus naturæ & con-
„ ditionis, atque converſationis
„ hic vir nobilis extitiſſet? cui
„ reſponſum eſt, quod fuerat vir
„ jucundus, dulcis, amabilis, de-
„ votus, & fervidus in amore
„ Dei. Tunc medicus ait, propter
„ exceſſum amoris, atque dulco-
„ ris, & gaudii, cor ejus ſciſſum
„ eſt: apertoque latere ejus, cor
„ illius ſciſſum repertum fuit, at-
„ que in eo ſcriptum: AMOR ME-
„ us JESUS. Vides igitur exemplo
„ hujus devotiſſimi viri, quan-
„ tum ſit animæ *elevativa ſolenni-*
„ *tas* iſta, quam ut & nos ſolenniter celebremus, praxes quaſdam ſuggeram, quibus per creaturas, ad creatorem elevari, & juxta Prophetam:

§. III.

ASCENSIONES q IN CORDE SUO DISPONERE *quiſque poteſt, per frequentes Orationes jaculatorias, veluti miſſiles in Cœlum ignes.*

DOct. Angelicus: 22. q. 83. a. 14. r *an oratio debeat eſſe diuturna:* ſæpius per diem & noctem, emiſſa brevis precationis ignea jacula, priſcis Anachoretis uſitata, & nobis uſurpanda commendat, his Auguſtini verbis: ſ *dicuntur frates in Ægypto crebras. quidem habere orationes; ſed eas tantum breviſſimas, & raptim quodammodo* EJACULATAS. Quarum materiam Apoſtolus ubertim ſuppeditat, t *inviſibilia enim ipſius, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

q Pſal. 83. v. 6. Aſcendendum per orationes jaculatorias. r S. Thom. 22. q. 83. a. 14. & in Matt. c. 6. ſ Aug. epiſt. 121. t ad Rom. 1. v. 20.

Pulchrè ſanè Baſilius, Seleuciæ Epiſcop. v *per creaturam, ad creatorem Dominum aſcendamus*: Deus namque cum res creatas in morem ſcalæ adaptarit, per eas ſui amantibus aſcenſum per ſe extruxit. Hujus ſcalæ uſum commendat Bernardus nobis ad patriam feſtinantibus: expendens enim illud Pauli: *Inviſibilia Dei* &c. ſic ſcribit: x *Sane* HAC SCALA *cives non egent, ſed exules; quod vidit ipſe hujus ſententiæ auctor* (Paulus) *qui cum diceret, inviſibilia per viſibilia conſpici; ſignanter poſuit à creatura mundi* (id eſt ab homine) *& verè: quid opus* SCALIS *tenenti jam ſolium?* eadem Apis Claravallenſis, quæ ex omni ſcripturarum flore mel ſibi legit, epiſtola ad magiſtrum Henricum: y *experto* CREDE, *aliquid amplius invenies in ſilvis, quam in libris: ligna & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis. An non putas poſſe te ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo?* & ex creaturis, habere orationes breviſſimas, & *raptim quodammodo ejaculatas?*

S. Antonium Philoſophus interrogans, & quomodo, inquiens, mi ſenex fallis tempus, cum careas libris? hic Antonius promptè: meus codex, inquit, ſemper mihi ad manum eſt, rerum creatarum natura: hic liber quinque paginarum eſt: prima terram mihi explicat, tot germina, flores herbas, arbores, plantas. Altera mihi proponit mare, tot maris prodigia, & monſtra, conchas, rajas, ſoleas, murices, cetos; & tertia tres aëris regiones continet, & innumeram volatilium multitudinem. Quarta commonſtrat ignem adeò purum, ut oculis noſtris per illum tranſitus ad ipſas pateat ſtellas. Quinta oſtendit cœlum, in quo ſedes ſuperûm, humana excedens. Has ego paginas volvo, hæc mea ſtudia ſunt, & ex hoc naturæ velut ſpeculo, creatorem contemplor. Hieronymus cui eremus Bibliotheca erat, & arbores, codices, quarum folia volvebat, & ſuaviſſimos fructus colligebat, ut de ſe teſtatur in illud Pſaltis: *quia delectaſti me in factura tua*, ſic mente in Creatorem conſcendit: z *Video arborem, & conſidero quomodo cortex arboris, eſt quaſi tunica, quâ veſtitur. Et deinde video quomodo flos fit, quomodo flos cadat; & ipſe flos vertatur in pomum. Video paulatim, per ſingulos dies, in ſingula tempora, mihi naturam operari, & in meos cibos creſcere. Video quomodo* DEUS *in omnibus mihi laborat, ut mihi nihil deſit.* Tum raptim quodammodo, hoc igneum jaculum in creatorem emittit: *propterea exulto in te Domine.* Hoc quoque exercitio excelluit S. Malachias, quem D. Bernardus ex eo deprædicat; a quod dum iter ageret, & nemora & paſcua tranſiret. *raptim quodammodo, & veluti jaculum emittebat orationem* Talem Sanctiſſimus Antiſtes de Sales ſe cognoviſſe refert, qui arbores florentes contemplatus exclamabat: *ut quid ego ſolus in horto Eccleſiæ aridum lignum defloreo?* (a)

v Baſil. orat. 1. x Bern. lib. 5. de conſid. c. 1. y Bern. epiſt. 106. ad Mag. Henricum.

z Hieronym. in Pſalm. 91.
a Bern. in vita S. Malachiæ. (a) Sales. in praxi. ſpir. p. 1. c. 13.

E ne-

E nemore, ſi hortum inambules, & à plantis ad flores oculos intendas, quas non tulipæ, anemones, violæ, roſæ, è nivibus ſuis flammulas ſuppeditabunt?

b Abbas Pion indefeſſus horti cultor, Auctore Hieronymo, in eo mentem frequentiſſimè ad Deum jaculabatur: areolas irrigans, ſanguinis Dominici memoriam refricabat; floſculis verò Nazaræum, & florem illum qui de radice Jeſſe germinavit, cogitabat, atque ex ipſa florum varietate, virtutum diverſarum deſiderium in ſe excitabat. Habes etiam Chriſtiane, quod in hortis ab Ethnico diſcas: Iſocrates enim cum unum è diſcipulis adverteret horti colendi perſtudioſum, cæterum moribus incultum: *obſecro*, inquit, *ne hortum habeas cultiorem, quam animum.* Quod ipſum de cultura non ſcientiæ, ſed ſanctimoniæ ſublimiori ſtylo, & ſanctiori ſpiritu Seleucienſis Antiſtes, magnus Baſilius inculcat. c *cum obiter*, inquit, *in domum viri valde opulenti ingreſſus fuero, & videro illam omnigenis floribus illuſtratam: novi quod hic nihil pretioſius poſſidet, quam quæ videntur, ſed inanimata quidem magno ſtudio ornat; animam vero incultam habet*; quin & ex uno floſculo Sanctiſſimus hic præſul *has* d ASCENSIONES *in Corde ſuo diſpoſuit*: roſam enim inter ſpinas attentius intuitus, ait, quod gratiſſimum eſt in mundo, ô mortales, mixtum eſt triſtitiâ: ſemper triſtia lætis, viduitas matrimonio, ignominia gloriæ conjuncta. Roſa, pulcherrimus flos eſt; ſed ſummam mihi triſtitiam adfert, admonens me peccati mei, pro quo terra ad gignendas ſpinas damnata eſt.

Legi e Margaretam de Arbouſe in jaculis illis, ex creaturis ad Creatorem, ſolertem; viſo fortè in campis flore, *convolvolam*, ſeu *campanellam* vocant (Mateliefkens) colore niveo & purpureo, hoc in cœlum miſſile evibrâſſe: f *dilectus meus candidus & rubicundus.*

Omnia paucis mellifluus Bernardus: g *miraris in ſole ſplendorem, in flore pulchritudinem, in pane ſaporem, in terra fœcunditatem; ſed à Deo hæc univerſa donata ſunt; nec dubium quin amplius reſervaverit ſibi, quam dederit creaturis*, ut qui Deum tenet, omnia eminenter teneat neceſſe ſit.

Nunc ſi ad flumina, & fontes, quibus horti irrigui, animum advertamus, illico occurret illud: h *Benedicite fontes Domino, benedicite maria & flumina Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.* Suaviſſimas ex his aſpirationes varii elicuêre: anima devota, inquit præſul Genevenſis (*h*), intuens limpidum flumen, quod cœlum cum ſtellis nocte ſerenâ referebat: *O mi Deus*, exclamavit, *illæ ſcintillantes ſtellæ aliquando ſub pedibus meis erunt: & ſicut ſtellæ cœli in aquis relucent, ſic animæ in vivo fonte charitatis.*

b Camus Dom. 1. quadrag. c Baſil. Serm. ad divites. d Pſal. 83. v. 6.

e Barry. L. Anne ſaincte. part. 3. c. 12. l. e 10. Iour de Iulliet. f Cant. 5. g Bern. Serm. 1. de omnib. ſanct. h Danielis 3. v. 77. (h) Sales cit.

Alius cernens fluvium ſemper agitari, ſic ſecum tacitus: *anima mea numquam quieſcet, niſi immerſa mari divinitatis*, tamquam origini ſuæ.

S. Franciſca Romana orans in ripa fluminis, in ecſtaſim rapta, hæc è cordis pharetra jacula evibrabat: *tam ſuaviter & dulciter, mi Jeſu, gratiarum fons, in animas noſtras influis.* Quod ſi & ripas fluminis, & littora maris obambules, conſimiles & tu elevationes mentis excita, & cum Gregorio Nazianzeno in littore ambulanti, & contemplanti conchas, quas mare ejecerat, rurſus ab eo reſorberi, Davidicum illud uſurpa: i *ſalvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.*

Liquet profectò, nihil tam exiguum, ac minutum eſſe in creatis, quod non magnum ac mirandum vel tacitè clamat creatorem.

Tertullianus k *ſcriptorum omnium*, teſte Lirinenſi, *facile Princeps*, adverſus Marcionem lib. 1. c. 13. ſic docet: *ad humilia deficiam: unus opinor de ſepibus floſculus, non dico de pratis, una cujuſlibet maris concha, artificem pronuntiat creatorem.*

Ipſa etiam bruta animalia, & volucres cœli, nos conſiderare, & conſulere jubet Propheta: l *interroga jumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi.* Ubi Doctiſſimus Liranus: m *interrogare creaturas, eſt earum naturas conſiderare; & reſponſio earum eſt in hoc, quod ex tali conſideratione homo aſſurgit ad cognitionem Dei.* Ita & D. Thom. hic. Joannes Baptiſta Vitellius n cum aviculam voces humanas conantem audiſſet, in ea verba: *laudetur Deus*, exclamans, O *nos inquit ingratos; Alites laudant, homines injuriis afficiunt.* Quæ ad omnem cantum volucrum uſurpare poſſumus.

Beatus Franciſcus de Borgia videns falconem ad ſonum nolulæ promptè in manus Domini redire: *O Deus*, inquit, *quam promptè obediunt volucres homini, quam tardè nos tibi?*

Sed omnia complexus fuero, ubi ea, quæ Divus Bonaventura, de Franciſco Seraphico attulero: qui cum oves fortè inter hœdos conſpexiſſet: p *en*, ait ſocio, *ut ovicula manſueta eſt, ſic Salvator inter Phariſæos*; parum hoc, *ex omnibus excitabatur ad amorem Dei, comtemplabatur in pulchris pulcherrimum, & per impreſſa rebus veſtigia, proſequebatur ubique dilectum, de omnibus ſibi* SCALAM *faciens, per quam aſcenderet ad apprehendendum Deum, qui eſt deſiderabilis totus; inauditæ enim devotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis ſingulis, tanquam in rivulis deguſtabat.*

Tandem ut finem faciam, è terra, ad ea quæ ſurſum ſunt, oculos intendamus; ubi quot ſtellæ; tot oculos ardens anima ſibi optabat, quibus dilectum contemplaretur; ac tot nocturnæ faces ſunt, quæ animos noſtros accendant. q

Quid, quod minutiſſima animalcula, in quibus Deus non minus ſtupendus, quam in maximis,

i Pſal. 68. v. 2. k Vincent. Lirinenſis commonitorio. I. l Iob. c, 12. v. 7. m Liran. hic.

n Ioan. Rho variæ virt hiſt. l. 1. c. 1. § 3. p Bonavent. in vita. c. 9. q Plutarch. in antholog. Græca.

mis, ad Creatorem ſuum mentem elevare tradit Hieronymus: r *ut creatorem*, inquit, *non in cœlo tantum miramur, & terra, ſole, & oceano, elephantis, urſis, leonibus; ſed & in minutis quoque animantibus, formica, culice, muſcis, vermiculis, & iſtiuſmodi genere, quorum magis ſcimus corpora, quam nomina, eandemque in cunctis veneramur ſolertiam; ita mens Chriſto dedita, & in majoribus, & minoribus intenta eſt*, & ubique Deum ſuum miratur, contemplatur, laudat, ac veneratur.

His accenſus minimæ Societatis noſtræ, maximus parens Ignatius, de quo Ribadineira: ſ *Vidimus*, inquit, *frequenter illum ex tenuiſſimis rebus ad Deum, qui in minimis etiam maximus, aſcendentem ex plantulæ, frondis, fructus unius aſpectu, & vermiculi alicujus conſideratione, ſuper cœlos ſeſe attollentem.* Is cum per ampliſſima cœlorum ſpatia intempeſta nocte, oculis defixis, mentis aciem diſtenderet, ita ad cœleſtes illas tot aſtrorum faculas exardeſcebat, ut niſi lacrymarum imber ardorem temperaſſet, totus in flammas abiiſſet. Quos inter ſingultus, ac raptus mentis ecſtaticos, identidem illud ſecum ingeminabat: *quam ſordet mihi terra, dum cœlum aſpicio!* quas voces à Paulo, cœli incola edoctus, & regum palatia, & honorum inſignia, t *omnia* denique *arbitratus eſt ut ſtercora.* Ignitum illud quoque D. Auguſtini jaculum: v *pulchrum eſt cœlum; ſed pulchrior fabricator cœli.*

Huc nos, & ad auctorem, intento in cœlum digito deducit Seneca: x *mundus quoties per noctem ignes ſuos fudit, & tantum ſtellarum innumerabilium refulſit, quem non intentum in ſe tenet? quis ſibi illa, tunc cum miratur, prodeſſe cogitat?* aſpice iſta; quanta rerum turba, ſub hoc ſilentio evolvitur: iſta quæ tu non aliter quam in decorem ſparſa conſideras, ſingula *in opere ſunt*, pro te, in uſus tuos lucent. *Quid ergo? non caperis tantæ molis aſpectu?* dumque hunc cœli fornicem ſplendide belluatum, aut potius ſtellis ſuis, velut pyropis vermiculatum ſuſpexeris, veriſſimum illud Auguſtini decanta: y *pulchrum eſt cœlum; ſed pulchrior eſt fabricator cœli*: pulchrior eſt *à quo, per quem, & in quo*, eminentiſſimo ac perfectiſſimo exemplari, omnia pulchra, imò infinito intervallo pulchriora ſunt, quam ea quæ velut ab artificioſiſſimo & pretioſiſſimo ſigillo, in lapide, in aquâ, in gypſo, in cera, in vili quavis materiâ expreſſa, quales omnes creaturæ ſunt, reſpectu ideæ divinę; quam ipſi cælites in perfectiſſimo prototypo, ſeu principali contemplantes, viliſſimas creatarum rerum copias, ne aſpectu dignantur.

Hinc S. Bonaventura, ex iis quæ hic pulchra ſunt, ad eum, in quo omnia pulcherrima, aſcenſiones diſpoſuit: z *quid eſt, quod non videat ibi, qui videntem omnia videt? Ergo ſi delectat humanum affectum videre pulchritudinem florum: videre varietatem colorum: videre formoſitatem omnium picturarum:*

r Hier. epiſt. 3. ad Heliodorum. ſ Ribadin. in vita l. 5. c. 1. t Philippen. 2. v Aug. in Pſal. 85.

x Sen. l. 4. de benef. c 23. y Aug. in Pſal. 85. z Bonav. Serm. 7. de communi SS. Apoſtol.

rarum: videre pulchritudinem facierum. Quantum delectabit videre pulchritudinem omnium ſæculorum Creatoris? ſi ſic delectat pulchritudo creata limitata, temporalis, tranſitoria, quid faciet increata, immenſa, permanens, & æterna? ejus viſio tam jucunda eſt, ut ſi quis in inferno exiſteret, & DEUM videret, nullum omnino dolorem ſentiret, quia dolorem magnum major delectatio abſorberet. Plura non addo, ne, ſi ea attigero quæ in hanc materiam varii auctores *a* luculenter referunt, in volumen excreſcam.

Suffecerit, ut ad exercitium hoc tam pium ac religioſum vos inflammem, unum, aut alterum, planè eximium in exemplum adducere;

Is fuit P. Didacus Martinius, cujus virtutem, ac memoriam Peruanæ gentes, quaſi tutelarem habent; qui ſeptem millia amatoriarum jaculationum quotidie numerabat. Quod ille interdiu, hoc ferè qualibet nocte factitaſſe dicitur Pater Nicolaus Lancicius, qui à Deo, & angelo tutelari, id beneficii impetrarat, ut ad ſingulos quadrantes evigilaret, iretque totus in orationes jaculatorias; quibus peractis, ſomno iterum reddebatur, ut notarunt, qui cum illo aliquando peregrinati ſunt. Quod & P. Cottono, Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimi confeſſario, etiam domienti familiare fuit, ut ex ore ejus erumperent b *jaculatoriæ orationes, ſeu ſagittæ divini amoris, ſeu ſcintillæ charitatis, ſeu ardenter amantis voces.* Certè eæ voces ſæpius auditæ à vicinis, etſi cubiculo, etſi muro disjunctis, ac diviſis. Optandum ferventi Divæ Mechtildis monito, ut c *etiam dormiturus quiſque deſideret, ut ſingulæ reſpirationes, ea nocte ſint ad Deum aſpirationes.*

Quæ ſi in praxim redigamus, Redemptorem noſtrum in Cœlum aſcendentem, animo ſubſequemur, & admirandam hanc feſtivitatem, tot velut pyrobolis, ſeu ignibus miſſilibus condecorabimus.


a Balingem. de orationib. Iaculator. Sales praxes ſpiritual. Speranza de oratione Chreſolii. myſtagog. Raynaudi. Theologia naturalis. Drexelii Daniel. c. 7. & S. P. Ioan. Rho. variæ virt. hiſt. l. 1. de amore Dei, Lobetius. tract. aſcet. pag. 22.

b Lancicius. opuſc. 4. c. 4. pag. 301.
c In vita, Drexelius: tom. 1. pag. 661.

SOLEN-

SOLENNITAS PENTECOSTES.

In uno Spiritu omnes nos. 1. Corinth. 12. v. 13.



Aſſenſu conſpirant. Virg. lib. 7. Æneid.

ARGUMENTUM.

QUanta vis, quæ virtus, quis impetus *Spiritus*, videre eſt ubi mari incubuit: conturbat profundum maris; ingentia nullis machinis movenda navigia, ut

pilas habet. Ceſſet *Spiritus*, ponant venti, fruſtraneus eſt omnis apparatus nauticus, & myoparones quantumvis inſtructiſſimi; *Ita*, inquit Chryſoſtomus: d *Si deſit operatio Spiritus*, in nobis *fieri ſolet*. Nec myſterio vacat ſpiritum & ignem cœlo delapſum, ut hic vehementius accendatur; non tamen in fulmina aculeatus, ſed in linguas efformatus, quibus amat lambere, & blandiri: quódque igni proprium, unire, ut ſit omnium e *cor unum*, & *anima una*; non ſecus ac in organo, cujus omnes fiſtulæ maximè variæ, uno ſpiritu, velut una anima, inter ſe ſuaviſſimè conſpirant: vel ut Apoſtolus loquitur, velut unius corporis membra, uno charitatis, & dilectionis Spiritu animantur: ſine quo omnis communitas eſt, ſicut corpus ſine anima: quia *Spiritus eſt qui vivificat*:

ſpIrItVs VIres anIMat, & refICIt DoLores.

§. I. *Multitudinis autem credentium erat* COR UNUM, & ANIMA UNA. *Actor.4.v.32.*

§. II. *Concordia & unitas in exercitu, in privatis familiis, in Religioſorum cœtibus ſervanda*, PER SPIRITUM SANCTUM, QUI DATUS EST NOBIS. *Rom.5.*

§. III. SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT: *ſed non niſi membra vinculo pacis, & dilectionis conjuncta.* 2. Corinth. 3.

d Chryſoſt hom. de S. & adorando Spiritu. e Actor. 4.

SOLEN

SOLENNITAS PENTECOSTES.

In uno Spiritu omnes nos. 1. Corinth. 12. v. 13.

DEcem annorum decuriis, pluvium mundi naufragium, in aquarum eluvione, Deus in aëre ſuſpenderat; Sanctum Spiritum in ignearum linguarum pluvia, decem tantum dierum ſpatio ſuſpenſum, è cœlo depluit. Habet Deus, tardus ad vindictam, plumbeam manum; ad beneficia celer, igneos pedes. Aſcenderat in nube, deſcenſurus in pluvia, cum vento vehementi, & tonitruo ingenti, & fulmina amoris vehenti. Hanc cœleſtem, pacatámque tempeſtatem, cœtus ille in cœnaculo collectus excitavit: ſuſpiriis turbinem ſalubrem moventibus, lacrymis nimbum augentibus gratiarum, gemitibus tranquilla tonitrua provocantibus, votis fulmina innocentia accendentibus, precibus igneas linguas, ipſúmque *Sanctum Spiritum* trahentibus, ingeniarium amoris, incendiarium cordium.

In empyreo mundo, in eadem ſphæra ſunt ignis & aqua. Utrumque elementum fœcundum dicendi argumentum. Hinc quoſdam divini Verbi præcones, hodierna ſolennitate Spiritu Dei raptos, turbine vehementi impelli video, ut adductis anchoris, plenis velis, & remis, cum omni Auditorio ſuo velificentur: venit quippe in Spiritu; quia adventus ejus ventus, ut primi orbis Argonautæ, vaſta enavigaturi maria, velificari felicius poſſint. Sint inſtructiſſimi myoparones, *quibus*, ut Romanus Philoſophus loquitur, f *argenteum, aut aureum roſtrum, tutela ebore cælata*, malo, antennis, apluſtris, rudentibus, velis, gubernaculis, omníque nautico apparatu expediti, abſque ſpiritu, ſegnes & inertes jacent. Quod more ſuo, ore aureo pertractat Chryſoſtomus: g *Da mihi navim, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia diſpoſita: & nuſquam eſſe* SPIRITUM VENTI, *nónne tardat omnis, quantuſcumque ſit apparatus, ſi deſit operatio* SPIRITUS. *Ita*, inquit, *fieri ſolet*; da mihi hominem ingenio præſtantem, memoriâ valentem, ſcientiâ pollentem, linguâ eloquentem, *& non adſit* SPIRITUS SANCTUS, *otioſa ſunt omnia*: da mihi virum Religioſum cilicio adſtrictum, jejunio marcidum, orationi jugiter intentum; *ſi non adſit* SPI-

f Seneca Epiſt. 76. g Chryſoſt. hom. 3. in fine hom. de ſancto adorando Spiritu.

ritus Sanctus, *otioſa ſunt omnia.* Da mihi virum ſæcularem in eleemoſynas profuſum, pietati deditum, domi quietum, non vinolentum, non turpis lucri cupidum, *ſi non adſit* Spiritus Sanctus, *otioſa ſunt omnia.* Libet hic Ambroſiana facundia exclamare: h *O quàm mirabilis artifex eſt* iste Spiritus! hic Spiritus à patria, à cognatis, ab opibus, à mundi voluptatibus, à carne, & ſanguine vela facere, terráſque, urbéſque recedere fecit.

Hic Spiritus tot florentes juvenes, tot teneras virgunculas ab uberibus matris, ab amplexu patris, à parentum domo, ex deliciarum hortis, & veneris lenociniis, felici, ac pernice curſu, mundi hujus oceanum enavigare, & in Religionis, ac ſalutis portum evolare coëgit; ut Doctor ſeraphicus ſcitè annotavit ad illud Pſal.47. i In Spiritu *vehementi conteres naves Tharſis.* Quæ ſic exponit: k *Naves Tharſis in* Spiritu vehementi *conteruntur, quando temporalia inſtinctu* Spiritus Sancti *contemnuntur. O quàm mirabilis artifex eſt iſte* Spiritus.

Vides onerarias naves æneis machinis, mercibus, pondere ingenti onuſtas, per fluctus, & procellas vehementi Spiritu, alite velociores, ferri; ſic l *qui* Spiritu Dei *aguntur*, quamtumvis gravi difficultatum, & adverſitatum pondere preſſi, per omnes rerum humanarum fluctus, tentationum procellas, & tempeſtates, feliciter, pernicitérque velificantur. Quoſcumq; videris viam mandatorum Dei alacriter currentes, rectè dixeris: *Hi in* Spiritu Dei *aguntur.* Quoſcumque homines Religioſos videris, moleſtias, auſteritates, pœnitentias impetu quodam & curſu facillimo prætervolare, verè pronuntiâris: *Hi* Spiritu Dei *aguntur.*

Verum quid igni cum Spiritu? niſi ut *velit vehementius accendi.* Unde antiquus vates cecinit: n *Poſt Spiritum ignis*: Quare alios comperio ab ignis elemento, dicendi argumentum ſumere, eóſque in hac ignea linguarum pyromantia, in qua Divinitas ſpectanda eſt, divinationem facere. Qui enim magis divini homines eſſe, & divinare poſſunt, quam qui loquuntur divina? quàm qui Deum pro lingua habent? innocentes pyromātę, qui ab igne Propheta, oracula captant, qui magiſter eſt Veritatis. Sed Divinâ magiâ in ignem convertitur amor, qui ignis eſt cordium.

Aliter quam linguis igneis explicari Deus homini non poterat: nec ſatis videbatur æterno patri VERBUM miſiſſe, niſi linguas *Sancti Spiritus* addidiſſet, ut *verbo* & *linguis* diſerta tota Divinitas, nos omnes una lingua o *ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt*, per univerſam Eccleſiam, cujus membra ſumus, Deum loqueremur. Nec fas ſilere, ubi pro munere datur lingua, p *quæ linguas infantium facit eſſe diſertas.*

Nemo, credo, mihi ſuccenſebit, ſi hac Divini Spiritus feſtivitate, qui in igne apparuit, quemque percuncter, an libens vivus comburi velit? hoc q *beatus Felix*, à

h. Ambroſ. Serm.30. in Euang. i Pſal. 47. v. 8. k Bonavent. Serm. 5. in Pent. l in Ad Rom. 8. v. 14.

n Lib. 3. Reg. c. 19. v. 12. o Act. 4. v. 5. p Sap. 10. v. 21. q Barri de Ionſte tot Ieſu feſto Pent, devot. 1.

Phi-

Philippo Nerio, fortè obvio ſciſcitatus eſt: *An vivus cremari vellet*; igne videlicet Divini amoris, quo hodie Apoſtoli inflammati ſunt Hunc ignem omnes amemus, has faculas cœlo evocemus, & ardenti corde, & ore clamemus: *Veni Sancte Spiritus, & tui in nobis amoris ignem accende.* Hunc r *beata Sibyllina*, virgo Batavienſis, tertii Ordinis ſancti Dominici, impenſè Sancto Spiritui addicta, millies, & millies inflammatis ſuſpiriis invocabat; quo factum, ut hac feſtâ luce, ad feneſtellam cellulæ ſuæ pulſantem, & ſe compellantem diſertè audierit. SIBYLLINA *utinam hoc igne combureréris, qui hodie ſuper Apoſtolos deſcendit*? atque ut voti compos redderetur, unus è cœlitibus, ſeu ardentibus Seraphin, flammas ignis, in faciem ejus ſparſit, quibus tota Divino Spiritus Sancti amore exarſit; atque hic ignis eſt, de quo Luc. 12. ait: ſ *Ignem veni mittere in terras, & quid volo, niſi ut accendatur.*

Sed monet me rei novitas, ut exquiram, cur hodiernus non cadat è cœlo ignis de more aculeatus, in fulmina; ſed illabatur inſolitas obtuſus in linguas? dicam equidem, timidè tamen in re graviſſima, quod ſentio. An quia odit amor fulminare ac lædere: amat verò lambere, & blandiri? ut quot ille igneis in linguis apparuit, totidem amantiſſima hominibus pacis oſcula libâſſe videatur. An quia hoc proprium igni illi empyreo, ut ſicut ignis omnia metalla, ita omnia corda, ſint aurea, ſint ferrea, in unum faciat colliqueſcere? ut qui ſecundum divum Thomam, t *vinculum & nexus eſt Patris, & Filii*, nos omnes v *qui amor eſt Patris & prolis, amor ſuavis & dulcis, amor non volaticus, ſed æternus*, vinculo dilectionis, & charitatis nexu in æternum copulare contendat.

Hoc unum & unicum Divini hujus ignis, relictis cæteris ejus proprietatibus, prodigium probare contendam, juxta illud:

§ I.

Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una. Actor. 4. v. 32.

PRinceps Philoſophorum Ariſtoteles, concinnam illam humani corporis fabricam, velut organum, in eoque quot oſſa, quot venas, quot arterias, tot fiſtulas contemplatus, pronuntiare non dubitavit: *Animam eſſe actum corporis organici*, quod Doctor Angelicus confirmat in illud Pauli, 1. Cor. 12. *In uno Spiritu omnes nos*, ubi ait: x *Corpus hominis unum eſt, quia ejus perfectio integratur ex diverſis membris, ſicut ex diverſis animæ inſtrumentis, id eſt, ex diverſis* ORGANIS (fiſtulas intelligit) *conſtitutis* Quod de corpore Phyſico, idipſum de Politico, de Myſtico, de ſacro illo cœtu, & collegio Apoſtolorum ſentiendum eſt, quod nullo aptiori ſymbolo, quàm *organi* exprimendum cenſui. Ecquis porrò non in organo, fiſtularum inter ſe formam, craſſitiem, longitudinem maximè variam, ſonos maximè diſſonos, ſummos, imos, obtu-

r Barri ibidem. ſ Luc. 12. v. 49.
t S. Thom. 1. part. qu. 37. art. 1.

v Anſelmus lib. 4. de virtut. B. cap. 8.
x S. Thom. in 1. Cor. 12.

obtuſos, acutos, & plurimos, & maxime varios animadvertit. Una tamen anima, unus *Spiritus intus agens*, concordiam, concentúmque inducit ſuaviſſimum. Hic hodierna die, velut anima, Apoſtolos, & electum Neophytorum gregem, primævam Chriſtianorum Eccleſiam animavit. Unde divinus hiſtoricus S. Lucas, ad poſterorum memoriam, illuſtre de illis protulit encomium nihil præcellentioris virtutis ad æmulandum: nihil prodigioſi fervoris ad demirandum, non intempeſtivas vigilias, non prolixas preces, non profuſas eleemoſynas, non vitæ auſteritatem; ſed mutuam inter eos dilectionem, quanta inter unius corporis membra, unâ anima, & ſpiritu, omnia informante, eſſe conſuevit, in cœlum laudibus extollit, dicens: y *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Quam gratam membrorum inter ſe connexionem, ac mutuam dilectionem, D. Anſelmus perappoſite z *organo* aſſimilare non dubitavit. Cui hoc lemma ſuperne inſcribi placuit: a *In uno Spiritu omnes nos*; inferne verò illud Poëtæ: *conſpirat amice.* (a)

Hoc enimverò ſtupendum, tot diverſarum nationum, b *Parthos, & Medos, & Elamitas: Judæos quoque, & Proſelytos, Cretas & Arabes; denique ex omni natione quæ ſub cælo eſt*, ætate, ſexu, conditione, Religione, natura, maxime diſpares, multitudine innumerabiles, velut unius corporis membra, una anima; aut velut cœleſte organum uno ſpiritu animari, ac informari. Unde Ludolphus à Saxonia, Carthuſianæ familiæ decus; c *Sanctificus* SPIRITUS, *ut ſapiens adinventor, duodecim tibias fidei,* IN ORGANO *poſitas, novo flatu implevit: diverſiſque ſpiritualibus currens* IN FISTULIS *Apoſtolis, cunctis verba Divinæ virtutis ſparſit, omnes gentes delectabiliter invitavit ad ſonum.*

Hic ſonus, hic concentus mutuæ charitatis, ipſos gentiles adeò in ſui amorem, & admirationem traxit, ut in has voces, Tertulliano referente, proruperint d *Videte quomodo Chriſtiani ſe mutuò diligant, & alter pro altero mori ſint parati*, quaſi ex uno patre, & eadem matre nati; imò quaſi ejuſdem corporis membra, uno ſpiritu animata videantur: quos nec lingua, nec natio, nec patria, nec conditio, nec nativa loci diverſitas dividit. Additque Euſebius, plurimos baptiſmo luſtratos, ea propter ſeſe iis adjunxiſſe. Illo quippe unitatis, & dilectionis Spiritu, Chriſtiani ab aliis ſecernebantur, juxta Divinum illud Chriſti pronuntiatum: e *In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*; non ex dono linguarum, non ex gratia ſanitatum, quod ægros curetis, mortuos in vitam revocetis, aut quavis alia virtute; ſed ex ſolo unitatis, & dilectionis Spiritu, à gentibus diſcerni, & viva Chriſti membra cenſeri poteritis. Si dilectionem habueritis ad invicem, ſcitote quia *Spiritum Sanctum accepiſtis*, qui Spiritus eſt pacis, & dilectionis. Unde A-

y Act. 4. z D. Anſelm. lib. ſimilit. a 1. Cor. 12. (a) Horat. b Act. 4. v. 5.

c Ludolph. à Saxonia de vita Chriſt. feſto Pentecoſt. d Tertullianus Apolog. c. 39. e Joan. 13.

poſt.

poſt. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

Liceat hic me vos cives interrogare, quod Paulus olim Epheſios: f SI SPIRITUM SANCTUM *accepiſtis*? eſtis in hac ampliſſima civitate, ſexus, conditionis, complexionis, nationis variæ; ſunt Antwerpienſes, ſunt Angli, ſunt Hiſpani, ſunt Galli, ſunt Germani, ſunt Hollandi, ſi ſit cor unum, & anima una, ſcitote *quod* SPIRITUM SANCTUM *acceperitis.* Si in Collegio Canonicorum, in cœtu Eccleſiaſticorum, in cœnobiis Religioſorum, & Monialilium, ſit *cor unum*, *& anima una*, quæ omnes, ut membra unius corporis animet, ſcitote quia SPIRITUM SANCTUM accepiſtis. Hanc unitatem ſpiritus Claravallenſis Abbas in ſuis exoptavit, & invenit: g *Inveniat nos ſemper* SPIRITUS SANCTUS *omnes propter pœnitentiam corporalem, pariter propter cordium unitatem, in eodem loco propter promiſſam ſtabilitatem*; ubi hæc *unitas cordium*, ubi unus ſpiritus, illic amœnum, volupe, jucundum habitare. De ejuſmodi congregatis IN UNO SPIRITU, admirabundus Pſaltes exclamat: *O quàm bonum, & jucundum, habitare fratres in unum.* In quem locum ſolerter, ut aſſolet, diſcurrit S. Auguſtinus, Religioſos alloquens: h *Qui ſic vivunt in unum; ut unum hominem faciant; ut ſit illis verè, quod ſcriptum eſt, una anima, & unum cor; multa quidem corpora, ſed non multæ animæ; multa corpora, ſed non multa corda.*

Hanc unitatem, inter tria maximè eximia Societatis noſtræ encomia, ſummum orbis oraculum Gregor. XIII. deprædicavit: i *Hic tria potiſſimum, ut ajebat, in ſocietate mirabatur,* 1. *tantam, in tam varia, excellentique doctrinâ, demiſſionem animi.* 2. *Tantam, in tam viridi, vividáque juventute, continentiam.* 3. *Tantam, in nationum, ingeniorúmque diverſitate, unionem.* Doctor Angelicus cum ſuis tenet, ac tuetur, omnes cœleſtes intelligentias ſpecie differre; ſed charitate, ac conformitate cum Deo, omnes unanimes. Ita celeberrimus per Belgium, & Europam Doctor, & Antiſtes Caramuel, aliquando diſſeruit, & aſſeruit, in Religione, ſingulos velut cœleſtes intelligentias, ſingulis talentis, ac dotibus ingenii, & ſcientiæ, à ſe invicem differre; at charitatis vinculo, velut membra unius corporis, ſub uno capite, coagmentata eſſe. Quod quid aliud, quàm cœlum in terris, & Beatorum concordiam æmulari, ut Nazianzenus loquitur? qui mutuam dilectionem, & concordiam inter nos, ab ea, quæ inter beatas illas mentes eſt, commendat: k *Angelicis, & Cœleſtibus copiis, inquit, nihil tam proprium, quàm pax, & concordia. Proinde qui pacis bonum amplexantur, diſſenſionémque oderunt, ad Divinas mentes accedunt.* Ut poſtea fuſius de Religioſis deducemus.

Quod in Religioſa familia, hoc de ſeculari quapiam percunctari licet: l *Si* SPIRITUM SANCTUM *accepiſtis*? conjuges, liberi, an-

f Actor. 10. v. 2. g S. Bern. Serm. 3. in Pent. h Auguſt. in Pſal. 132.

i Imago 1. ſæculi Societ. lib. 5. cap. 6. k Nazian. orat. 1. de pace. l Actor. 19.

cillæ,

cillæ, famuli, fiſtulæ ſunt, quæ organum conſtituunt; quod ſi conſonum, & pro ſua quæque conditione, & ordine ſonat: uxor non ſupra virum vocem efferat, herus ſuperiorem, uxor tenorem, famulus baſſum concinat, harmonia cœleſtis eſt, & planè Divina; at ſi vir cum uxore, ſoror cum fratre, ancilla cum famulo non concordet, non uno denique ſpiritu, velut unâ animâ membra animentur, muſica infernalis, & diabolica eſt. Sacræ paginæ ſenſum Plutarchus propè aſſecutus eſt, cùm dixit: m *Muſica in cantu, & ORGANIS, argutè quidem concors eſt, ex acutis, & mediis, & gravibus modis; quamquam ſint diſſimiles. Ita firma amicitia non aliter, atque una anima in multis corporibus, æquabili ratione conſiſtens.*

Hanc Spiritus unitatem, & animorum concordiam, ut omnium ſit n *cor unum, & anima una*, DEUS ab ipſis mundi incunabulis ſpectâſſe, mortalibus omnibus, opere, & ſermone inculcâſſe, atque unicè commendâſſe perhibetur. Univerſam hanc mundi machinam, atque in ea omnia tam diſparata, tam pugnantia, ita ſupremus omnium artifex Deus molitus eſt, ut in UNUM, unde UNIVERSUM nomen accepit, omnia conjunxerit, atque amicè copulârit; quo vinculo, & unione factum, ut interprete D. Hieronymo, cum ſingulæ creaturæ ſeorſum ſpectatæ, bonæ Deo viſæ fuerint; poſtmodum tamen cùm omnes mutuo inter ſe nexu, in UNUM quaſi corpus coaluêre, non bonæ dumtaxat; ſed valde bonæ apparuerunt: o *Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant* VALDE *bona.* Unde illud *valde?* Doctor Maximus ſic diſſerit: p *Omne ſecundum Philoſophos, tantum habet bonitatis, quantum habet* UNITATIS; *propterea in exordio mundi, vidit Deus cuncta, quæ fecerat, ſimul erant valde bona.* Ita ille edoctus à ſuo magiſtro Nazianzeno, per quem ipſe ſe profeciſſe gloriatur; qui rem hanc eleganter proſequitur, dicens: q *Poſteaquam primas partes præclarè conſtitutas vidit, alterum mundum aſpectabilem excogitavit; hunc nimirum ex cœlo & terra, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem, & concretionem; laudabilem quidem illam, ob ſingularem partium elegantiam; verùm laudabiliorem ob eam, quæ ex univerſis extitit concinnitatem, atque concordiam: alia re videlicet ad aliud pulchrè quadrante, atque omnibus ad omnia ſcitè convenientibus, ad unius mundi ornatum, omnibus numeris abſolvendum.* Quaſi nova perfectio, ac ſplendor ſingulis creaturis ex illarum conſortio, & unitate accreverit.

Multa in creatis ſingula per ſe bona, & pulchra, ſunt: at ſibi mutua unione conjuncta, incredibilem addunt ſplendorem, ac venuſtatem. Uniones ſinguli in pyxide ſpectabiles, pulchri ſunt: at uniti è collo pendentes, longè *laudabiliorem habent concinnitatem.* Flores ſinguli habent odores, & colores ſuos: ſed in faſciculum con-

m Plutarch. lib. de amicis. n Actor. 4. verſ. 32.

o Gen. 1. v. 31. p Hieron. Tom. 9. in Reg. monach. ad Paulam & Euſtoch. q Nazian. orat. 2. de Paſch. quæ eſt 42.

concinnè colligati, quem domicellæ geſtant inter ubera, aut qui decentius in ſacris aris proſtant: longe autem ornatius, in ſertum collecti, *laudabiliorem* longè *habent concinnitatem*. Diſperſæ per aëra diverſæ, ac pulcherrimæ rerum omnium ſpecies, in cubiculo obſcuro, per vitrum collectæ, & unitæ, amœniſſimum exhibent ſpectaculum. Uti & ſolis radii in ſpeculo concavo collecti, alterum ſolem referre videntur.

Miratur quis Ariſtippi, aut Polycletis, ſummi artificis, brachium, femur, aut caput, ad unguem expolitum: ſed ex iis omnibus membris ſimul aptè inter ſe adunatis, ſtatua exſurgit, quæ *laudabiliorem longè habet concinnitatem*. Sic de univerſo ſentit vir ille incomparabilis Auguſtinus: r *Tanta*, inquit, *vis & potentia* UNITATIS, *ut quæ bona ſunt, tunc multum etiam placeant, cùm in univerſum aliquid conveniunt, atque concurrunt*. UNIVERSUM *autem ab* UNITATE *nomen accepit*. At quorſum hanc, æterna Patris Sapientia in principio mundi, in univerſo unitatem, tam ſolerter ſpectavit? quod mutuæ hominum dilectioni ac unioni, imprimis Gregorius Nyſſeni Antiſtes aptavit: ſ *Si totus hic mundus muſica quædam conſonantia eſt, cujus opifex, & effector Deus: parvus verò mundus homo eſt, ſimúlque ſimilitudo & imitatio quædam ejus, qui mundum concinnavit: neceſſe eſt, ut quod ratio in magno illo, & ſpatioſo mundo reperit* (nempe concordiæ vinculum, & unitatis) *hoc ut par eſt, in parvo itidem conſpiciatur*. Si conſonantiam ſpectes, illa ut in organo, ita in cithara, in teſtudine, in harmonia vocum, in eo ſita eſt, ut baſſus ſuperiori; contratenor tenori, voces omnes, & fiſtulæ, & fides, ſibi conſonent; quæ longè gratior concentus virtutum, & animarum inter ſe conſentientium harmonia.

r Auguſt. lib. 1. de Geneſ. contra Manich. c. 21. ſ Gregor. Nyſſen. Tract. 1, in Pſalm.

Unde Tertullianus hunc orbem ſpectabilem, dixit Deum fuiſſe *modulatum*, quod ſcilicet eum è quadam veluti harmonia, & concentu elementorum aptè, & ſapientiſſimè coagmentârit, ut pro merito pronuntiârint Philoſophi apud Caſſiodorum, lib. 2. var. lect. cap. 39. t *Elementa ſibi mutuis complexibus illigari, & mirabili conjungi fœderatione*. Ex qua, ut ait Ariſtoteles lib. de mundo cap. 5. v *Oritur concinnitas quædam, & quaſi modulata partium mundi conſenſio, quæ harmoniam unam efficit, longè omnium pulcherrimam*: quam unicè in homine, qui parvus mundus eſt, ſpectavit. Huc prælucet rationis lumine Philoſophus Romanus: x *Omne hoc quod vides, quo Divina, atque humana concluſa ſunt*, UNUM EST: *membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cùm ex iiſdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit*. Hinc primum caput omnibus unum, dedit Adamum. Cur enim è terra non ſumus? niſi ut

t Caſſiodor. lib. 2. var. lect. cap. 39. v Ariſt. lib. de mundo cap. 5. x Seneca Epiſt. 93.

ad

ad concordiam flecteret nos: nam ſi nunc, quia locis diſtamus, alienos nos invicem putamus, ſi generis noſtri varia principia extitiſſent, quid foret? atque non alia de cauſa, mulierem ex terra non fecit; ſed ex coſta viri, ut quia ejuſdem ſubſtantiæ ſumus, in unum perducamur. Cur autem generatione propagari humanum genus voluit, non creatione? quin æque hoc ei facile fuerit, nullus ambigat: ſed hoc egit Deus, ut ſanguinis illa neceſſitudo conciliaret unitatem, arctiúsque ſibi, quaſi ex una ſtirpe propagati rami unirentur.

Præclarè & perappoſitè D. Auguſtinus y: *Numquid Deus de uno piſce, fecit omnes? de uno equo, omnes equos? de una beſtia, omnes beſtias? numquid non multas plantas ſimul terra producit? ventum eſt ad hominem faciendum, & factus eſt* UNUS, *& de* UNO *genus humanum. Nec duos facere voluit ſeparatim, maſculum, & fœminam, ſed de* UNO UNAM. *Quare ſic? & quare ab uno genus humanum inchoatum? niſi quia generi humano* UNITAS *commendatur.*

Hanc ipſam ob cauſam, cognatorum connubia interdixit, ut diverſis progenitoribus, diſtractæ familiæ jungerentur. Sic etenim idem Doctor: z *Habita eſt ratio rectiſſima charitatis, ut homines, quibus eſſet utilis, atque honeſta concordia, diverſarum neceſſitudinum vinculis necterentur: nec unus in una multas haberet; ſed ſingula ſpargerentur in ſingulos, ac ſic ad ſocialem vitam diligentius colligandam plurimos obtinerent.* Quod Tullius brevius expreſſit: *Sic ſerpere, extendique charitatem generis humani.* Nunc terram ipſam, quam inhabitatis, inſpicite: cur non eadem ubique; ſed his tam larga mater, parca aliis noverca? cur hîc lini, illic frumenti, gregum, armentorúmque, alibi aromatum, medicarúmque herbarum copia? ut Poëta canit:

a *Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ.*
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.
Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt.

Nónne longè magis ex communi commodo futurum, ut omnis daret omnia tellus? minimè verò; ſed longè ſapientius hæc ita à Deo ordinata ſunt, ut omnes mutuæ opis indigentia adſtringeret, & quos Regionibus, totóque oceano diviſos habitare oportebat, inſtituta commercia & lucra conjungerent: b *Nam ſi pecuniæ ratio*, ut inquit Auguſtinus, *ſocios facit, quanto magis ratio naturæ, non negotiandi, ſed naſcendi lege communis?* ut omnes juxta Paulinum illud, c *in uno ſpiritu unanimes ſimus*; ex quibus omnibus, magnus Magni Apoſtoli interpres, commendatæque ab illo mutuæ dilectionis & unitatis eximius præco Chryſoſtomus, ſtylo aureo concludit: d *Author ipſe rerum Deus jam olim à principio, ſexcenta commentus, quibus* IN UNUM *nos conciliaret*; ut quos liberos, ſuíq; juri conditurus eſſet, homines arcto animorum, amoríſque vinculo inter ſe necterentur. Verum enim

y Auguſtin. Serm. 20. ex additis per Sirmundum. z Auguſt. lib. 15. de civit. c. 16. Cic. lib. 5. de finib.

a Virg. lib. 1. Georg. Ibid. lib. 2. b Auguſt. Epiſt. 52. c Philipp. 1. v. 27. d S. Chryſ. hom. 24. in 1. ad Corinth.

enimverò omnes hos tam varios nos colligandi modos ,; tam arctos nodos, nexúsque rupit, quæ per feralem ceu Eridis pomi eſum, una cum ſcelere irrupit diſcordia. Hac inſtigante, prima mundi familia, factionibus ſciſſa: in Abelem incurrens Cain, fraterno ſanguine frater dexteram imbuit. Creſcente poſterorum numero, crevere diſſidia, rixæ, bella: nec jam ſinguli ſingulis; ſed Regna Regnis commiſſa, ut canit Naſo:

e *Filius ante diem patrios inquirit in annos,*
Nec ſocer à genero, nec hoſpes ab hoſpite tutus.

Donec miſertus calamitatum noſtrarum Pater miſericordiarum, Filium miſit, Principem Pacis, concordiæque caduceatorem, qui homo factus ut homines tam numini infenſos, quam inter ſe diſcordes, per gratiæ unionem cum Deo, & inter ſe mutuo amoris vinculo ſibi invicem conciliaret, & ut loquitur Paulus: f *Omnes nos unum eſſemus.* Hanc cauſam eleganter expreſſit Chryſoſtomus: g *Unigeniti hoc præcipuum opus fuit, diſtantia copulare, conciliare pugnantia.* Quod ut aſſequeretur, quàm præſentia, quam potentia, quantóque efficaciora prioribus illis mutuæ dilectionis illiciis, fomentíſque, adjecit? uni omnes ſuo in terris Vicario, tanquam capiti membra, ſubjecit: unam omnibus fidei profeſſionem, ne opinionibus diſſideremus; unam legem, ne moribus: unum eorundem ſacrorum rituum, ne Religioſo cultu diſcreparemus præſcripſit. Alia præſenti argumento plurima Apoſtolus complectitur: h *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Una fides, & unum baptiſma, unus Deus, & Pater omnium.* Nec hoc ſatis; ſed tanquam unius familiæ liberos, eidem menſæ accumbere, ex eadem lance cibum ſumere, eodem pane veſci voluit. Ut quemadmodum Apoſtolus colligit: k *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.*

Indies videre eſt inter domeſticos, non tantum fratres, & ſorores; ſed etiam inter diverſæ nationis, & conditionis convictores, eâdem menſâ, eodem cibo, ac potu fruentes, quanta ſit legum, morum, animorúmque conſenſio; cùm tamen non eodem in individuo; ſed in ſpecie, ſeu numero dumtaxat utantur; quanta ergo inter Chriſtianos unitas exiſtat neceſſe eſt, qui eodem cibo in individuo, eadem omnes Divina carne, & ſanguine nutrimur. Diviné de hoc argumento D. Dionyſius: l *Diviniſſima unius, ejuſdémque panis, atque poculi, communis pacificáque communicatio, Divinam illis velut* CONVICTORIBUS, *morum conjunctionem ſancit.* m In aliis ſacramentis, & gratiis, inquit Euſebius Nierenbergius, homo unus ſpiritus fit cum Deo; in hoc etiam una caro cum JESU: tanta unione, ut ſubſtantialis, naturalis, » & realis, à Patribus, & Docto- » ribus dicatur; ut jam ſim, in- »

e Ovid. l. 1. metam. f Galat. 3. v. 28. g Chryſoſt. hom. 11. in Matth.

h Epheſ. 4. verſ. 4. k 1. Cor. 10. l Dionyſius Areopag. de Eccl. hierarch. cap. 3. m Nierenber. de adorat. in Spiritu, lib. 3. c. 11.

quit,

„ quit, unus tecum, & me reſpi-
„ ciam, & venerer ut carnem
„ participem carnis tuæ, ſimúſq;
„ duo in carne una; & glorier
„ ego dicens ego nunc caro ex
„ carne Chriſti, & os ex oſſibus
„ Jesu.

Si quiſque fidelium id ipſum viva fide ſentiret de ſe, ſe idem eſſe cum carne Chriſti, quomodo non omnes eſſent idem, & unanimes inter ſe? Angelicè, ut addecet, hunc panem Angelorum expendens, Doctor Angelicus amabili elogio, n *ſacramentum charitatis* indigitavit. Mellifluo Doctori, eſt o *amor amorum*: quod enim facit charitas, ſic dicta quaſi *chara unitas*, quod amoris eſt, ex amantibus unum facere, hoc quidni faciat, *amor amorum*? ut aurea ſua eloquentia Chryſoſtomus: p *Unum corpus efficimur: membra, inquit, ex carne ejus, & ex oſſibus ejus. Ut non tantum per charitatem hoc fiamus; verum etiam ipſa re in illam miſceamur carnem: hoc namque per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis. Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid ſimus, tamquam corpus capiti coaptatum. Ardenter enim amantium hoc eſt.* Unde celeberrimus Theologus, & vitæ ſanctimonia clarus Leonardus Leſſius, hanc perfectiſſimam corporum unionem, & animorum nexum, hiſce verbis commendat, & deprædicat ex ſententia Apoſtoli: q *Unus panis, & unum corpus, multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus*: r per hunc etenim omnes in unam veluti hypoſtaſim perfectam inſerimur, & veluti incorporamur, ſicut partes alimenti convenienter intus applicitæ, per meatus naturæ incorporantur nobis, unáq; fiunt hypoſtaſis nobiſcum; ut non injuriâ quivis ab hac menſa recedens, queat illud integerrim virgunculæ Agnetis, ad Cœleſtem Sponſum, uſurpare: ſ *Jam corpus ejus corpori meo ſociatum eſt & ſanguis ejus ornavit genas mea*

Illa autem conſociatio, & compaginatio, qua ratione fiat, juva ex Doctore irrefragabili haurir t *diximus fratres, hoc Dominu commendaſſe in manducatione carnis ſuæ, & potatione ſanguinis ſui, in illo maneamus, & ipſe in nobis manemus autem in illo, cum ſumu membra ejus. Ut autem ſimus membra ejus,* UNIO *nos compaginat;* *compaginet unitas, quid facit ni Charitas?* atque hæ fuere rationes & adinventiones mirabiles, cu ſub ſpeciebus panis, & vini; no autem carnis, alteriuſve rei, ho amabile Sacramentum inſtitut ſit, ut paſſim SS. Patres, & Eccleſiæ Doctores teſtantur. Aureu oratorem differentem attendite: v *quid enim eſt panis? corpus Chriſt Quid autem fiunt qui ſumunt? Corpus Chriſti, non multa corpora; ſed unum Corpus. Quomodo enim panis e multis granis compoſitus, eſt unitu ut nuſquam appareant grana; ſe ſint quidem ipſa, non autem manifeſta ſit eorum differentia, propter conjunctionem: ita etiam inter nos, du Chriſto conjungimur. Non enim ex alio corpore tu, ex alio autem ille nutritur; ſed ex eodem omnes.* Id ipſu

n S.Thom.opuſc.48. o S.Ber.Serm. de cœna Dom. Laur.Iuſtin.Serm.in Nat. D.V. p Chryſ. hom.61.ad popul. Antioch. q 1.Cor.10.v.17. r Leſſius de perfect. divin. lib.12.cap.15.

ſ Breviar.Rom.21.Ian. t Aug.trac 27.in Ioan. v Chryſ.in 1.Cor.10.v.1

pra

ræclarè comprobat Hipponenſis Præſul x *propterea*, inquit, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendavit quæ ad* UNUM *aliquid rediguntur. Ex multis namque granis, unus panis efficitur, & ex multis racemis, vinum confluit.* Ut omnes nos quaſi grana, aut racemi, in eo & inter nos uniremur unde exclamat: y *O Sacramentum Pietatis! O ſignum Unitatis! O vinculum Charitatis!* quia nimirum ſingulari modo ſignificat, & perficit unitatem Corporis Chriſti, ſcilicet fidelium.

Hinc etiam z infantibus olim dabatur Euchariſtia poſt Baptiſmum, ut perfectè incorporarentur Chriſto, diciturque *communio*, quaſi *communis unio*, cum itaque tot amoris, & unionis vinculis nos ſibi Deus tam arctè obſtrinxerit, libet cum Chryſoſtomo altius detonare: a *quænam igitur erit nobis excuſatio, cum lupi fiamus, agnum comedentes? cum inquam oves paſti, more Leonum rapiamus? hoc enim myſterium non rapina tantum, verum etiam ab omni vel tenui inimicitia purum eſſe penitus jubet: eſt enim pacis Myſterium.* Invenire adhuc erit inter nos, qui de eadem menſa participantis, quibus eadem corporis, & ſanguinis Chriſti communio, id eſt communis unio, ut animis diſcordes, mente non leves, ſed graves inimicitias fovere non perhorreſcant? qui *lupi fiant, agnum comedentes?* qui non modò negant conſuetas ſalutationes, allocutiones, litterarum communicationes, ſolitas invitationes; ſed graves iracundiæ flammas, intra cordis penetralia, quę Chriſtus ſubit, recondunt.

Auguſtinus, ubi ſuos ad omnium noxarum expiationem, ante ſuſceptionem Euchariſtiæ ardenter hortatus eſt, ſubdit nominatim, iram omnem reſtinguendam: b *non puto*, inquit, *eſſe aliquem hominem, qui in arca ſua, ubi pretioſas veſtes habet repoſitas, acquieſcat aut carbonem vivum, aut qualemcumque ſcintillam includere. Quare hoc fratres? quia timet ne comburantur veſtimenta, quibus in feſtivitate induitur. Rogo vos fratres, qui in arca ſua non vult ſcintillam ignis includere, quare in anima ſua, flammam iracundiæ non timet accendere? ideo in arcam ignem non mittimus, quia diligimus veſtem noſtram; flammam verò iracundiæ ideo non extinguimus, quia non ſolum non diligimus, ſed odio habemus animam noſtram, ſecundum id, quod ſcriptum eſt: qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam;* odio autem planè habet animam ſuam, qui ea maxima iniquitate ſe contaminat, inferendo in animam ſuam iræ ignem, ubi condit Divinum Corporis Chriſti indumentum, perceptione Sacramenti.

Antiochiæ Antiſtes multa præfatus de congrua Cœleſtis pabuli ſuſceptione, hanc ſigillatim iræ deponendæ inculcat: c *ſi tibi contra inimicum tuum dolor eſt, ſolve iram, inimicitias laxa, ut remedium de menſa percipias. Occiſus propoſitus Chriſtus eſt, ut Cœleſtia pacificet, ut in terra reconciliet univerſa, ut amicum te conſtituat Angelorum.* E quibus neminem habebit in Cœlis, qui

x Auguſt. tract. 26. in Ioan. y Aug. id. Corn. in 1. Cor. 10. v. 17. z Rayn. ... delab. ſeptiluſtre. a Chryſoſt. hom. ... in Matt.

b Aug. Serm. 252. de temp. c Chryſ. hom. de proditione Iudæ.

qui unum inimicum oderit in terris. d *Animam ſuam pro te Dominus dedit, & tu inimicus conſervo perduras, & cum hoc animo ad menſam Pacis accedis?* Alio verò loco ſacrilegium illud exaggerat, quo linguam humano ſanguine cruentam, Divino commiſcemus: e *Fratrem*, inquit, *mordicus lanias, etſi nullis dentibus, dictis tamen, laniatu quovis, & morſu infeſtioribus devoras. Quo igitur pacto ſacram illam oblationem ſumpturus es, qui linguam humano ſanguine cruentaris? Quomodo & pacis oſculum deferes, ore tuo contentioſo, & animo hoſtili?* alludit ad oſculum ſanctum, quod ſub communionem apprimebatur, cum amplexibus, remotis prorſus iræ indiciis, remoto omni jurgio, & litigio. S. Thomas in illud Joannis Cap. 6. f *Litigabant ergo Iudæi*, ſic in rem noſtram diſſerit: *quia panem concordiæ non intelligebant, ad invicem litigabant; qui autem manducant talem panem, non litigant ad invicem; ſed per huncDeus facit unanimes in domo.*

At quoties accidit, g ut ipſa Communionis die, litigent in domo, vir & uxor, frater & ſoror, ſervus & ancilla? ab ejuſmodi, ſe Deus pacis, & dilectionis, abſcondit, ut illi accidiſſe legimus, qui cum hoſti eſſet inſociabilis, non potuit ab eo videri ſacra hoſtia in manu ſacerdotis, quantumcumque propinquus fieret, niſi irâ ex animo depoſita. Imo non videri ſolum, ſed multo minus ſe tangi vult.

Prolixus in hujus veritatis declaratione eſt Anaſtaſius Sinaita graviſſimè objurgans eum, qu[i] ad hoc Sacramentum amoris accedens, tenax ſit irarum, & injuriarum: h *videte chariſſimi quo[]modo ad Communionem Divinoru[m] Myſteriorum accedatis, ne quis ve[]ſtrum communicare tentans, audia[t] ne me tangas: abſcede à me, qui in[]juriæ retinens es, & iniquitatem op[e]raris. Procul abeſto, qui Fratre[m] tuum non dignaris venia, & tu[nc] veniens, offer munus tuum, dignu[s]que efficieris communione.*

Spectandus in hoc genere em[i]nentiſſimus Cardinalis Alexa[n]der Urſinus, i facto, dictoque el[e]gantiſſimo: in ipſo quondam ſ[a]crificandi apparatu litteræ i[] redditæ maledictorum pleniſ[ſi]mæ ab homine nefario, qui eju[s]dem vitæ inſidiari fuerat auſ[us]. Iram, animumque habuit in p[o]teſtate, atque ad Deum mente, [] oratione converſus: Hic demu[m] inquit, temporis articulus adv[e]nit, ut meum in te amorem, [] Deus, ignoſcendo approbem. N[] plura; litteras ſacrificalis can[de]læ flammis abolevit, & conſ[er]vata animi pace, ſecurior ad ar[am] pacis acceſſit.

Hæc miranda in ſacris Eccle[ſiæ] Principibus, & aræ devotis ca[]tibus, dicent politici, non imita[n]da, qui ſecundum leges mundi [] Machiavelli vivunt, atque æt[er]no odio diſſidere volunt, [] ab hoſte vindictam ſumpſer[int] & hi indies ſacrificio Miſſæ ſ[]ſtunt, ubi hoſtia pacificatio[nis] offertur. k *Quos non dimittam* [] *exemplo*: † Leoni Pereriæ, Ad[]

d Ibid. e Chryſoſt. hom. de non ſervandis curioſe pauperibus. f S. Thom. in caten. c. 6. Ioan. g Raynaud. Candelabrum ſeptiluſtre pag. 354.

h Anaſtaſius ſinaita orat. de ſy[] i P. Ioan. Rho variæ virt. hiſt. li[] c. 5. § 20. k Aug. Serm. 83. de t[] † Lobbet. tract. de caſtitate pag. 1[]

ſcenti nobiliſſimo,& præfervido, gregarius miles colaphum impegerat, & fugam arripuerat in obvium fortè templum, velut aſylum. Eum ubi aſſecutus Pereria, injectâ in collum unâ manu, alterâ pugionem jugulo admovebat, cui miſellus ille, viſâ, quam fortè ſacerdos, vicinam ad aram ſuſtulerat de more, hoſtia pacificationis: *per hanc te*, inquit, *obſecro parce.* Simul precantis vox, ſimul & nolæ pulſus, juvenis animum, iraſque fregit; exclamavit enim ilico: *hæc te juvat*; ſimulque pugionem vaginæ reddit. Moris eſt, ut videtis, ſi qui gladio accincti incedunt, dum ad hanc ſacram l *menſam Pacis*, *& Sacramentum Charitatis* accedunt, ut gladium deponant; ſed quid juvat, ut cũ Tullio loquar, m *nudum gladio habere latus, & animum ſervare armatum?* quem ut deponatis, moveat illud D. Cypriani: n *quibus* UNUS EST *panis*, UNUM EST *Corpus, ſit omnium* UNUM COR, *& anima* UNA, *uni Chriſtò adhærens.* Scitote fœdera Pacis, numquam ſanctius, ac firmius, quam hoc Sacramento ſtabiliri poſſe.

Ita Anno 1324 o Ludovicus Cæſar; & Fredericus Auſtriacus, fœdus inter ſe iniere, utque firmius intercederet pacis vinculum, uterque de eadem hoſtia Euchariſtiæ participarunt, & pacis oſculo, fraternitatem inter ſe ſanciverunt. Fecit hoc antè Henricus IV. & Paſchalis II. Pontifex, auctore Sigiberto. Fecit Julius II. Pontifex, in fœdere cum Cæſare, & Gallo, apud Cameracum: qui hoſtiam in tres partes diviſit, ſingulas ſingulis diſtribuens, addito hoc Chriſtiano voto: *ut ſicut ſacroſancta Trinitas unus eſt Deus, ita confidere ſe, duraturam inter tres confœderatos unionem.* Sed nunc cœptum proſequamur, & quam Deus in omnibus unitatem, & concordiam ſpectarit, ulterius diſquiramus.

l Damaſc. I. parall. II. S. Thom. opuſc. 4. m Cicero. n Cyprian. Serm. de cœna Dom. o Gerardus Rho lib. 10. Hiſt. Auſtriac. pag. 95. Picarti decade prior. 5. c. 9.

Quid, quod potiſſimum ea de cauſa benigniſſimus Redemptor noſter, ſanguinem fuderit, mortem oppetierit; ut mutua dilectione fideles conjungeret, ut conteſtatus videatur Joannis 17. dicens: p *claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint* UNUM. Ubi claritatis nomine mortem ſuam ſignificaſſe, bene oſtendit Maldonatus, ſubdens, ex Chriſti Perſona: q *Ideo pro illis morior, ut* UNUM *ſint: do igitur illis hanc* UNITATEM SPIRITUS, *quam illis merui.* Sed qui ex Chriſti morte, hæc conjunctio oriri potuit? quo pacto ſanguis diffuſus, ad uniendum valuit? Myſterium exponit Nazianzenus, qui Chriſti ſanguinem, inſtar coaguli fuiſſe, ingeniosè excogitavit: etenim cum egregia Crucis prodigia retuliſſet, ſubjecit: r *nullum tamen cum ſalutis meæ Miraculo conferendum eſt: in quo exiguæ Cruoris guttæ, orbem univerſum inſtaurarunt: atque idem quod lacti coagulum, hominibus præſtiterunt,* IN UNUM *nos conjungentes, & conſtringentes.*

Nec hoc ſatis. Militum ſtudium fuit, jactis aleis, textilem pauperis & nudi Jeſu clamydem, unicum morientis patrimonium,

p Ioan. 17. v. 22. q Maldon. in Ioan. cit. r Naz. orat.

& omnem ejus ſupellectilem indiviſam ſortiri. An tolerabit in Eccleſia Chriſtus diviſionem, & ſectas illam ſecantes, qui ne quidem ſectam tunicam, & ſchiſma chlamydis patitur? An non exiget unitatem in animis, qui illam amat in veſtibus? hic mihi in manibus; & in oculis eſt illud Auguſtini tract. 105. in Joan. ſ *Charitas eſt tunica inconſutilis Chriſti, quæ ad unum Deum pervenit, &* IN UNUM *omnes colligit.* Quod ſi tunica Chriſti, eaque inconſutilis, *non ſcindamus eam*, ne ſimus immaniores barbaris militibus. *Charitas eſt tunica Chriſti inconſutilis*, *non ſcindamus* eam verbo aſperiori, dente mordaciori, lingua procaciori, ne nobis eveniat, quod infelici Ario, de quo illud ſervatoris optimi, qui apparuit diſciſſa veſte S. Petro, Alexandriæ Epiſcopo, & hæc illi. *Arius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia, dilaceravit.* Dicam ego, mutata dumtaxat vocula: *veſtem meam, quæ eſt Charitas, dilaceravit* ille ſuſurro, ille maledicus, ille detractor, ille verbo, factoque alteri injurius, *dilaceravit tunicam Charitatis.* His provocandæ concordiæ adjumentis, ſervandæque unionis argumentis, præcepta addidit verbis graviſſimis, tum alias ſæpe, tum vel maximè poſt cœnam, noviſſimè ſic ſuos alloquens; t *filioli, mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Cæterum diſceſſurus, hoc unum, & pro eo, quo vos proſequor affectu commendo, & pro ea, qua valeo authoritate præcipio, ut arctiſſima mutui amoris compage colligemini; Itaque vobis perſuadeatis, ex hac me, tamquam charactere, Germanos ſectatores meos agniturum.

Atque ut perſpicuum ſit, quam arctiſſimam, intimam, ac prope Divinam amoris unionem inter illos exigeret, verſa à diſcipulis ad Patrem oratione, in hunc modum, illum ſupplex precatur: v *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint* UNUM, *ſicut & nos.* Quis hæc aſſequatur? *ut ſint unum, ſicut & nos.* An potuit perfectiorem ſuis charitatis concordiam vovere, quam cum hanc illis precatus, quæ ad eam, quæ in Divinis Perſonis perfectiſſima eminet, proximè accederet? ſic etenim D Thomas, in hunc locum: x UNITAS *noſtra in tantum eſt perfectiva, in quantum participat* UNITATEM DIVINAM. *Eſt autem duplex* UNITAS *in Divinis, ſcilicet naturæ, &* UNITAS AMORIS, *in patre & filio, quæ eſt* UNITAS *Spiritus. Et utraque eſt in nobis; non quidem per æquiparationem, ſed per ſimilitudinem quandam.* Ne verò ſingulare hoc tam arctæ unionis privilegium, ſoli flagitaſſe Apoſtolis crederemus mentem ipſe ſuam diſertis verbi explicat, ſuamque ad omnes, omnium ſæculorum fideles, petitionem extendit: y *non pro eis autem rogo tantum* (Apoſtolis ſcilicet) *ſed & pro eis, qui credituri ſunt in me* UT OMNES UNUM SINT, *ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi* SINT UNUM. Expendite hæc verba, & ex iis æſtimate, quam arcto amoris glutino, nos omnes fideles inter ſe, Redemptor noſter univiri voluit, qui pro omni reve-

ſ Auguſt. tract, 105. in Ioan. t Ioan. 13. v. 35.

v Ioan. 17. v. 11. x S. Th. in Ioan. 17. v. 11. y Ioan. 17. v. 20.

renti

rentia,& potentia peroravit, ut ſtupendam unius in tribus perſonis naturæ unitatem, unitione exhibeant affectuum, & animorum, *ut ſint* UNUM *ſicut tu Pater in me*, z quod ſecundum Auguſtinum, *poteſt referri ad unitatem amoris, ut ſit ſenſus, ſicut tu pater es in me per amorem, quia Charitas facit* UNUM ESSE *cum Deo*.

Cur ergo, cum ad unitatem nos tam multa non jam invitent tantum; ſed compellant, diſſidemus odiis, frater in fratrem armatur, filius in Patrem, ſocrus in nurum inſurgit? jaculis linguæ, calumniis, litibus, falſis teſtimoniis invicem conficiunt? nonne videmus inter illos, quos ejuſdem ſtudii profeſſio, tecti contubernium jungit, imò quos idem uterus tulit, lites, jurgia, ſimultates? Quoties hodie contra generum ſocer, contra ſororem frater, contra Parentes filius in jus venit, a *Frater cum fratre judicio contendit?* & tamen, nos quoq; in illa ſua precatione, ſervator reſpexit, pro nobis quoque, in illum credituris, oravit, *ut omnes* UNUM *eſſemus*, ſicut ipſe cum Patre unus eſt. Quod Card. Toletus eruditè exponit, dicens: b *quemadmodum* UNITAS *Trinitatis, non confundit ordinem; ſed alius eſt Pater, alius eſt filius, alius ſpiritus ſanctus: Ita* UNIO *Charitatis non confundit ordinem fratrum*.

Ubi non poſſum non alterum potentiſſimum mutuæ dilectionis, & unionis, quod inter fratres jure ſanguinis eſt vinculum, meminiſſe. Chriſtianos omnes benigniſſimus Redemptor, fratres nominari, & eſſe voluit, dicens: c *omnes autem vos fratres eſtis*, rationem dat D. Thomas: *d quia ab uno patre*. Matth. 6. *unus autem Pater veſter*, ſic à Magiſtro edocti ſumus: *Pater noſter qui es in Cœlis*. Hugo Card. alteram adjungit, e quod fratrum ſit hæreditatem adire: *omnes* inquit *fratres, quia ab uno Patre, & unam hæreditatem expectamus*. f Quin & altero titulo fratres ſumus, *quia filii Dei, per generationem facti ſumus*, atq; adeò à Chriſto, Chriſtiani omnes fratres nominamur, & ſumus.

Quid ni ergo mutuo nos, affectu fraterno omnes complectimur: g *numquid non*, clamat Malachias, *Pater unus omnium noſtrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum?* Quare frater fratri litem intentat? Quare h *frater cum fratre judicio contendit?* ratio manifeſta eſt in illo, qui Chriſtum arbitrum inter ſe, & fratrem petiit, ut hæreditatem divideret, ut Lucæ 12. refertur: i *Magiſter, inquit, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*. Quæ eloquio ſuo, ut ſolet aureo, Chryſologus exponit. k *Præceps cupiditas, & incauta! eum fieri voluit Diviſionis auctorem, qui ad reſtituendam venerat* UNITATEM. Tum pergit, & quæ ex hæreditate inter intimè, naturæ, & ſanguinis vinculo conjunctos, diſcordia, quæ jurgia oriantur, proſequitur: *hæreditas mundana antè poſteris infert jurgia, quam confert cenſum: antequam dividat facultates: ſcindit hæredes: antequam debitas tradit ſingulis portiones, ſucceſſores ipſos diſſecat, & mittit in partes. Proinde non eſt hæreditas illa ſed pugna*.

z S. Thom. ibid. cit. Aug. a Cor. 6. v. 6. b Toletus in Ioan. cit. c Matt, 23. v. 8.

d S. Thom. hic. e Hugo Card. in Matt. 23. f S. Thom. ibid. g Mal. 2. v. 10. h 1. Cor. 6. v 6. i Luc. 12. v. 13. k Chryſologus Serm 162.

Ad hanc diviſionem, & pugnam conflandam, duo verba ſatis ſunt: l MEUM AC TUUM, *innumera gignens bella*, ut inquit Chryſoſtomus: quid enim in eadem domo, ſub eodem tecto, eodem lecto fratres dividit armatque in mutuum exitium, niſi *meum, ac tuum*? ex hoc potiſſimum fonte, veriſſimum illud decantatur:

m *Fratrum quoque gratia rara eſt.*

Quare monet n *eruditus, & Sanctiſſimus* Ravennatum antiſtes: o *videte, cavete ab avaritia: quæ parentes negat, Germanos dividit, amicitiam ſolvit, excludit affectum. Ille ditat filios, qui relinquit filiis pleniſſimam Charitatem.* De qua, utinam parentes moribundi, magis ſolliciti eſſent, quàm de opulenta hereditate: *quæ major hereditas, quæ melior hereditas, quam Divinæ vinculum Charitatis?* Fratris appellatione uſus Abraham, ut jurgium, quod exurgebat inter Paſtores ſuos, & Paſtores Loth, ſopiret, aut extingueret: *ne ſit*, inquiebat, *jurgium inter me, & te: Fratres enim ſumus.* Erat Loth, Abrahæ ex fratre nepos; dicitur tamen frater hebræorum more, qui cognatione fratres appellabant; & hac amica fratris voce, & jurgia tolli & diſcordiæ ſemina ſuffocari poſſe, ac debere, credebat Abraham, & concordiæ pacta firmari atque retineri: & meritò; eſt enim ingens pondus ad amicitiam, amoremque conciliandum in fraterno nomine.

Quod ſi à natura tantum eſt, quantum accedit à Gratia, quæ & Chriſtianos quaſi Fratres facit, & amoris vinculo inter ſe connectit, de quo extat Magnificum illud D. Auguſtini: p *melior eſt fraternitate ſanguinis, Chriſti fraternitas. Quoniam illa interdum ſibi eſt inimica; Chriſti autem fraternitas ſine intermiſſione pacifica eſt. Illa inter ſe communia, cum æmulatione dividit; hæc etiam cum gratulatione communicat.*

Frater, ſi etymon ſpectes, ut Feſtus, & A Gellius ait, ſic dictus, quaſi *ferè alter*, imò *verè alter*, ut alter in altero vivat, & ſpiret, alter in altero gaudeat & doleat: alter alteri auxilio ſit. Quod Plutarchus ex Hierocle docuit: q *fraterni amoris, conſuetudinis, & uſu exempla, natura non longè à conſpectu removit. Fecit videlicet in ipſo corpore pleraque duplicia germana & gemella: manus, pedes, oculos, aures, nares; eo ſignificans, omnia hæc ſalutis, & mutui auxilii cauſa, non diſſidii, & pugnæ, eſſe diviſa.* Ita fratres inter ſe non modo concordes; ſed & auxilio ſibi mutuo eſſe debent. Manus manum fricat, & r *Frater qui adjuvatur à fratre, quaſi Civitas firma*; negotia communia peragant, quamvis magno locorum intervallo ſejuncti, & commoda mutua promovere ſtudeant. Aliàs, inquit idem Plutarchus, fratres inter ſe diſſidentes, & hoſtiliter infeſtantes, publicam apud omnes infamiam incurrere: ſ *exiſtimant enim ex tanta neceſſitudine eos ad tam graves ſimultates, & inimicitias delabi non potuiſſe, niſi multorum ſibi & atrocium flagitiorum* (ſaltem graviſſimorum odiorum) *eſſent conſcii*

l Chryſ. orat. ad S. Philogon. m Ovid. l. 1. metam. n Tritemius in vita. o Chryſologus cit.

p Aug. Serm. 25. q Plutarch. lib. de fraterno amore. r Proverb. 18. v. 19. ſ Plutarch. cit.

conſcii: quippe magnas oportere eſſe cauſas cenſent, quæ tam arctam, & ab ipſa natura inſtitutam benevolentiam diſſipent, & diſcindant.

Quæ graviſſima nota ne ulli veſtrum inuratur, aut ſi inuſta ſit, deleatur, par vobis amantum Jonathæ & David in exemplum propono, quorum charitatem, & unionem pluſquam fraternam diſertiſſimus Ælredus perpendens, exclamat: t *O pulcherrimum veræ dilectionis ſpeculum.* Doctiſſimus Liranus amaros & amabiles queſtus Davidis, mortem Jonathæ lugentis, his verbis: *doleo ſuper te frater mi Jonatha ſuper amorem mulierum*, ſic exponit: v *David volens oſtendere vehementiam, & ſinceritatem amoris, eam adducit ſimilitudinem: tanta eſt enim viri affectio in mulierem, ut dicatur: relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Quomodo ergo conjunctio matrimonii efficit unam carnem, ita etiam qui ſincere amant, animas unit affectio.* Ubi titulus, quo eum fratrem compellat, ardentiſſimum amorem, qui inter virum & uxorem eſt, exſuperare videtur. Quod Antiſtes Abulenſis comprobavit, dicens: x *vocavit David Jonatham fratrem ſuum, quia diligebat eum ſicut fratrem, & ſicut eſt amor mulierum. In Chaldæo habetur ſuper amorem duarum mulierum, ſcilicet Abigail, & Achinoen; quaſi diceret: ego minus diligo duas uxores, quas habeo, ſed magis te diligebam. Sed adhuc magis diligebatur David à Jonatha: quia diligebat eum ſicut animam ſuam.* Quo fraterni amoris vinculo, amans fit alter; & ipſe per alterum in ſeipſum redit, altero per alterum, & in alterutro vivente & moriente; quod non mirum, ubi anima vivit in mutuis corporibus. y *Anima* quippe *Jonathæ, conglutinata eſt animæ David*; ex quo conficitur, ut quis verè diligat alterum, ſicut ſeipſum, ſeu ut alterum ſe, debere per dilectionem fieri quaſi unum cum illo. Gluten illud, quod fratres, propinquos, proximos conjungit, non aliud, quam Charitas: hæc etenim, ut loquitur Cardinalis Damiani, z *ſinceræ dilectionis glutino coaleſcit.* Hoc amoris artificium conflantis animos, non ut Plato commentus, de duobus in unum conflatis; unionem affectat, non corporum, ſed animorum, ut idem velit, idem nolit: idem probet, idem optet quod alter. Omne alteri bonum velit, de illo ut ſuo gaudeat, de malo doleat.

Cauſam noſtis, cur *Jonathas exſpoliavit ſe tunica, & dedit eam David?* celebris interpres a hanc unam adducit, quod cum anima Jonathæ conglutinata eſſet animæ David, illum ut alterum ſe dilexerit, atque adeò in eodem habitu videre deſiderârit, & rectè notat, ab amiciendo amicum, aut ab amico amicire derivatum eſſe. Cùm alter alterius veſte ſe induit, novam amor aperuit ſcenam; ſcilicet Paſtor regia circumdatur purpura, Regis filius melote; ille ſceptra manu tractat, hic pedum. Hærent oves, utrum ſequantur ignaræ; quà diſpari luduntur vultu, quà cultu, ut amor probaret ſe verum, finxit; cùm alterum finxit in altero, non fefellit, quia ambos conflavit in unum. Se Jo-

t Aelredus de amicitia ſpir. c. 3. v Lir. 2. Reg. c. 1. v. 26. x Toſtat. in 2. Reg. c. 1

y 1. Reg. 18. z Pet. Damian. exhort. ad Charit. tract. de perfect. a Mieremberg. ſtromata, l. 7. c. 8.

nathas exſpoliat, ut Davidem induat, in quo ſibi magis, quàm in ſe placet. Quoties contingit, ut frater natu major, ſplendidius induatur, liberalius habeatur: ſoror natu minor gratioſior, ornatior incedat; ſi animi conglutinati ſint, ſi eam diligis ſicut teipſum, ſicut animam tuam, non invidebis ei tunicam polymitam; ſed & hanc, & omne bonum illi, velut tibi ipſi congaudebis, juxta divinum illud Pauli monitum: b *Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Quod aureus Orator obvia ſimilitudine declarat, ſi capût coronatur, omnes partes honorari, totum hominem exaltari, d *coronatur caput, & totus homo glorificatur.* Caput plumâ, gemmis ornatur, & totus homo glorificatur; lingua generoſo vino reficitur, & cætera membra vigent, ac lætitia geſtiunt: e *Vigor unius membri,* inquit S. Thomas, *in juvamentum cedit aliis membris.* Stomacho refecto, omnia membra inſtaurantur, ut præclaro apologo Menenius Agrippa docuit, quo Romanam plebem in partes diſſectam univit, quod Livius Romanæ Scriptor hiſtoriæ refert.

f *Tempore, illo, quo in homine, non ut nunc, omnia in unum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerat, ferunt indignatas reliquas partes, ſuâ curâ, ſuo labore, ac miniſterio, ventri omnia quæri; ventrem in medio quietum, nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui: conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa unà membra, totumq corpus ad extremam tabem veniſ Inde apparuiſſe ventris quoque ha ſegne miniſterum eſſe, nec magis a quàm alere eum, reddentem in omn corporis partes, hunc quo vivimu vigemúſque, diviſum pariter in ven maturum confecto cibo ſanguine* Hæc diſertiſſimè effatus ſubdi *Comparando hinc, quam inteſti corporis ſeditio, ſimilis eſſet iræ ple in partes, flexiſſe mentes hominu agi deinde de concordia cœptum* Gr gorius Patriâ Nazianzenus, dilectione ſua cum Baſilio Mag teſtatus eſt: g *Aberat,* inquit, *vidia, ſola æmulatione flagrabam Hoc utique certamen, non uter prin ferret; ſed uter alteri primas cede* (ut Jonathas dixit Davidi: h *regnabis ſuper Iſrael, & ego ero ſecundus) uterque enim alterius g riam ſuam ducebat: una utiq; ani videbatur duo corpora ferens. N certè credendum eſt, quod uterqu altero, & apud alterum poſiti eran*

At quantæ nunc contentio ſi unus alteri præferatur, ſe neg cto promoveatur; hic inge hæc formâ, aliiſque dotibus p polleat? quæ ſi omni invidiâ poſitâ, in altero velut in te a res, tua faceres. Hic ſenſus, ſententia Auguſtini eſt: i *E congaude illi, cui Deus aliquam g tiam dedit, & potes in illo, quod non potes. Ille habet fortè virgin tem, ama illum, & tua eſt. Ite tu habes majorem patientiam, dil te, & ſua eſt. Ille poteſt ſatis vigil ſi non invides, tuum eſt ſtudium Tu fortè potes amplius jejunare amat te, ſuum eſt jejunium tuum. ideo, quia in illo tu es: per propri tem enim non es tu, per charitate*

b 1. Cor. 12. d Chryſoſt. hom. 3. in 1. Cor. 14. e S. Thom. in 1. Cor. 12. f Livius lib. 2. decade 1.

g Greg. Nazian. orat. 20. de laud Baſilii. h 1. Reg. 23. i Aug. l. 50. hon

ſ. Ita & tu vicini tui lucro gau-
le, & tuum eſt: honorem, digni-
atem adeptam gratulare, & tua
ſt. Studia proximi, & conatus
auda, & tui ſunt. Ex hoc fonte
nanavit, quod ſequitur: k *Locu-
us eſt ergo Jonathas de David bona,
d Saul patrem ſuum.* Hoc porrò
nceræ dilectionis officium eſt,
onorare amicum præſentem,
udare abſentem, juvare egen-
em. Incredibile, quam afficiat
lterum, ſi intelligat ſe abſentem
b altero, quem ſubinde ſuſpe-
tum habet, luculenter collauda-
im. Hic amoris genius eſt, nihil
amato cernit, niſi laudabile,
uia ut divinè Chryſoſtomus:
*Perfecta charitas alis aureis om-
ium, quos complectitur, vitia tegit.*

Atque ut manifeſtò conſtet
onatham dilexiſſe Davidem, ſi-
t animam ſuam, illam non ſe-
el pro illo poſuit. Duplex uno
mpore confecit certamen, alte-
m cum amante amico, alterum
m parente hoſte; inter amoris
odii tela ſtrenuè verſatus. Bis
biit aleam vitæ, ſemel cum mel
guſtavit, iterum cum mellitum
nicum ſervavit. Talia opera-
r amor, ubi una anima bina,
t plura animat corpora, ut Am-
oſius ſenſit in oratione de ex-
ſſu Saryri, fratris ſui, de intimo
nore qui utrumque nectebat:
Cœpi, inquit, *hic jam non eſſe pe-
grinus, ubi melior mei portio eſt:
mquam enim totus in me fui; ſed
altero noſtri pars major Amborum
erque animus eramus in Chriſto in
corpore enim quod jam exanime
cet, præſtantior vitæ meæ functio:
ia in hoc quoque, quod gero corpore,
erior tui portio.* Utinam talis in-
ter Chriſtianos, quos Redemptor
noſter fratres eſſe voluit, vigeret!
Sed his ne longiùs immoremur,
quot titulis fraternitatis ſacræ pa-
ginæ, & SS. Patres, mutuam inter
nos concordiam & unitatem
commendent, vide Velaſquez
Tom. 2. ad Philippenſes, cap. 2.
v. 30. nu. 4.

Poſt hæc tam rara, & præclara
in humanis, & divinis, ab æterno
Patre, & increata filii Sapientiâ,
ad charitatem mutuam, & unita-
tem documenta, & argumenta, ſi
nondum victas manus dare, & in
gratiam redire velitis, unanimes
vos reddat, & uniat n Spiritus
ille Divinus, qui totus amor, &
charitas eſt, de quo Doctor mel-
lifluus: o SPIRITUS SANCTUS,
*Deus charitas eſt, qui eſt amor Pa-
tris, & Filii, & unitas, & oſculum,
& amplexus, & quidquid commune
poteſt eſſe amborum, in ſumma illa u-
nitate veritatis, & veritate unitatis.
Hoc idem homini ſuo modo fit, cum
modo ineffabili, incogitabilíque fieri
meretur homo Dei, non Deus, ſed
quod Deus eſt ex natura, homo ex
gratia* SPIRITUS SANCTI.

Quod autem hodierna Solen-
nitate in linguis apparuit, ad con-
cordiam, & unitatem non minus
ſpectat: nam ſi in exſtruenda ſu-
perba illa Babylonis mole, lin-
guarum ex una in plures factum
divortium, viam ad impietatem
omnem, & corruptelam ape-
ruit; eâdem planè debebant
homines viâ, hoc eſt, linguarum
multiplicitate ad integritatem re-
dire morum, & unitatem animo-
rum, ut fieret è multis, *cor unum,
& anima una*, quæ una impoſte-
rum lingua, nempè Chriſtiana,

k 1. Reg. 19. l Chryſoſt. c. ult. in 1.
r. 13. m Amb. in orat. de obitu Satyri.

n Spiritus Sanct. facit unanimes & con-
cordes. o S. Bernard. l. de vita ſolit.

à Spiritu Sancto inſpirata, per orbem univerſum loqueretur; ſed cùm nemo noſtrum hac feſtivitate donum illud linguarum conſecutus ſit, fortè dubitabit, *ſi Spiritum Sanctum acceperit.* Cui dubio reſpondet Auguſtinus: p *Signum præſentiæ* SPIRITUS SANCTI, *tunc erat omnibus linguis loqui. Nunc* SPIRITU SANCTO *congregata ipſa unitas Eccleſiæ, linguis omnium loquitur. Proinde ſi quiſquam dixerit alicui veſtrûm, accepiſti* SPIRITUM SANCTUM, *quare non linguis omnibus loquaris; reſpondere debes. Loquor ſanè omnibus linguis, quia in eo Chriſti corpore ſum, id eſt, in Eccleſia ſum, quæ loquitur omnibus linguis.* Hic Spiritus hodie illapſus in Apoſtolos ita unanimes fecit, ut eſſet *cor unum, & anima una.* Sic etenim D. Chryſoſtomus: q *Cùm olim homines ſuperbia elati, turrim exſtruere voluerint, quæ ad cœlum uſque pertingeret: & injecta diviſione linguarum, pravam illorum coitionem, & concordiam diſſiparit Deus; idcirco nunc quoque in ſpecie ignearum linguarum, ad eos advolat* SPIRITUS SANCTUS, *ut per illam orbem terrarum diviſum conjungat. Et accidit res nova ſimul, & mira: ut enim tunc antiquitus, linguæ terrarum orbem diviſerunt, & malam concordiam, in diſſidium converterunt: ita nunc quoque terrarum orbem linguæ copularunt, & quæ diſſederant, in concordiam reduxerunt.* Eandem illam unitatem commendat Apoſtolus toti corpori Eccleſiæ, ut inter ſe una, hoc Spiritu, velut membra animentur, & uniantur, unde Paulinum illud: r *Soliciti ſervare* UNITATEM SPIRITUS, *in vinculo pacis*; nec ſine Divino conſilio aliquando formâ columbinâ ſeſe exhibuit, nam ut ſcitè obſervat Auguſtinus: ſ *In Columbæ ſpecie* SPIRITUS SANCTUS *venit, quo nobis charitas infunditur. Quare hæc fel columba non habet.*

Quare qui in alios amaro ſunt animo, quorum cor & lingua iracundiæ, livoris, & invidiæ felle madent, hanc mitiſſimam columbam, ac ſuaviſſimum Spiritum à ſe repellunt, quod peccatum fraternæ charitatis invidentiæ, in Spiritum Sanctum irremiſſibile perhibetur: t *Peccare*, inquit idem Doctor, *in* SPIRITUM SANCTUM, *eſt per malitiam, & invidiam, fraternam expugnare charitatem, poſt acceptam gratiam* SPIRITUS SANCTI. *Quod peccatum Dominus neque hic, neque in futuro dimitti dicit ſæculo.* Vocat autem Eccleſia SPIRITUM VIVIFICANTEM, quia ab ipſo, per ipſum, & in ipſo omnis vita animæ. Quod in prima hominis creatione ſolerter D. Bernardus annotavit ad illa verba: *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Quæ ſic moraliter exponit: v *Non faciendus eſt homo & formandus; ſed & vivificandus. Primò enim formavit Deus hominem, deinde inſpiravit in eum ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viventem. Formatio hominis, inſtitutio eſt moralis. Vita ejus, amor Dei. Hanc fides concipit, ſpes parturit, charitas format,* & VIVIFICAT, velut anima omnium noſtrorum membra, quæ niſi corpori unita, informari, & vivificari non poſſunt. Ut §. ſigillatim deducemus; ubi co[...]

p Auguſtin. Serm. 188. de temp.
q Chryſoſt. orat. in Pentecoſt.
r Ad Epheſ. 4. v. 3.
ſ Auguſt. Tract. 7. in Epiſt. Ioann[...]
t Auguſt. Serm. 11. de verbis Domi[...]
v S. Bernardus lib. de vita ſolit.

co

cordiam in rebus bellicis, & politicis, in ſacra, ac profanâ familiâ neceſſariam probaverimus.

§. II.

Concordia, & unitas in exercitu, in privatis familiis, in Religioſorum cœtibus ſervanda, PER SPIRITUM SANCTUM *qui datus eſt nobis.* Roman. cap. 5.

SAcri Regum annales referunt, *x* cùm Naas Ammonites pugnare cœpiſſet adverſus Jabes Galaad, nec fœdus cum iis ferire vellet, niſi erutis dextris oculis, nuntius ad Saulem delatus eſt, *& inſiluit in eum* SPIRITUS DOMINI, qui non alius, quàm Spiritus Sanctus; nam ut docet S. Thomas: y *Spiritus Domini in Scriptura, non niſi pro* SPIRITU SANCTO *conſuevit poni*, de quo, cùm ſapienter Salomon, de Sapientia omnium artifice dicat: z *Eſt in illa Spiritus intelligentiæ, Sanctus, unicus, multiplex*; rectè quæritur quodnam donum Spiritus Sancti, Sauli communicatum ſit? variis enim datur idem Spiritus, ad varios effectus; uni datur Spiritus ad externa tantum opera, ſive artefacta molienda, ut *a* Beſeleeli ad tabernaculum fabricandum: alteri ad naturales ſcientias perdiſcendas, ut *b* Salomoni ad diſputandum *ſuper lignis à cedro quæ eſt in Libano, uſque ad Hyſſopum, quæ egreditur de pariete*; aliis ad bellicam virtutem excercendam, & robur exerendum, ut Samſoni *c*: *Irruit* enim SPIRITUS DOMINI *in Samſon, & dilaceravit leonem, quaſi hœdum in fruſta diſcerperet, nihil omninò habens in manu.* Et rurſum: *Irruit* SPIRITUS DOMINI *in Samſon, inventámque maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ jacebat arripiens, interfecit in ea mille viros.* Hic igitur ſpiritus fortitudinis irruit in Saulem, ut Lyranus, & Vatablus, quibus patrocinatur Chaldæus paraphraſtes transferens: *Manſit Spiritus fortitudinis ſuper Saul*, hoc itaque ſpiritu, ſimul & ſapientiæ ac conſilii, ut tradit Abulenſis, & Cajetanus *e*, inſtructus Saul, d *miſit in omnes terminos Iſrael*, ut convenirent ad prælium: *Et egreſſi ſunt quaſi* VIR UNUS, *fuerúntque filiorum Iſrael trecenta millia*; virorum autem Juda triginta millia. Tantus, tam numeroſus exercitus tot millium conflatus, *quaſi vir unus*; tam ingentes, ac numeroſæ copiæ, junctis viribus, & animis, *quaſi vir unus*: ſic etenim Hugo Cardinalis: f *Quaſi* VIR UNUS, *id eſt, uno animo.* Liranus: g *Quaſi homo unus, id eſt, uno corde, & una voluntate* ad liberandum obſeſſos.

Quid autem ex hac animorum conjunctione, ac unitate conſecutum ſit, attendite: h *Et factum eſt, cùm dies craſtinus veniſſet, conſtituit Saul populum in tres partes: & ingreſſus eſt media caſtra, in vigilia matutina, & percuſſit Ammon,* uſque

x Lib. 1. Reg. c. 11. v.6. & 7. y S. Thom. part. 1. qu. 66. art. 1. z Sapient. 7. v. 12. a Exodi 31. v. 3. b 3. Reg. 4. verſ. 33.

c Iudic. 15. v. 15. d Lib. 1. Reg. c. 11. e Part. 14. q 6. a. 1. f Hugo Cardin. in lib. 1 Reg. c. 11. g Liran. ibidem. h 1. Reg. c. 11.

uſque dum incaleſceret dies; reliqui autem diſperſi ſunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter. Ubi ſcitè notat idem Cardinalis, *i* cladem hoſtibus illatam, quia *diſperſi ſunt*; victoriam obtentam ab iis, qui uniti, uti primi Chriſtiani *in uno ſpiritu, omnes*, omnibus hoſtibus formidabiles: *Mali*, inquit, *diſperſi ſunt; boni conjuncti ſunt voluntatum unitate, & morum conformitate, juxta illud Actorum 2. dum complerentur dies Pentecoſtes &c. Erat* COR UNUM, & ANIMA UNA. Idem iiſdem propè verbis Liranus: k *Diſperſi ſunt; quia congregatio pravorum, charitatis, & fidei unitate non jungitur, ab invicem ſeparantur.* unde Pſalm. 91. *Inimici tui, Domine, peribunt, & diſpergentur.* O ſi divinus ille Spiritus l *qui amor, & nexus Patris, ac Filii*, ita Regum, principúmque corda necteret, ut eſſet *cor unum, & anima una*, atque omnes omnium nationum milites, unanimes in campum procederent, & in hoſtem ruerent, *quaſi vir unus*: ceſſaret juſta illa D. Hieronymi querela: m *Infelix populus Dei, non poteſt in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo.* Quæ utinam, hodiéque vera non eſſet querimonia.

Reſpicite barbaras nationes, quanto conjunctiora illorum noſtris in oppugnando conſilia, & arma ſunt. Non formidanda forent lunæ cornua, ſi conjuncti, & uno ſpiritu animati, ſe opponerent Chriſtiani; obtundi facilè poſſent, atque obteri. *n* Non tam illorum viribus, quàm inteſtinis diſſidiis florentiſſimum Hungariæ Regnum Turcicæ ſervituti ſubactum eſt. Hanc Chriſtianorum diſſenſionem Turcis notiſſimam, & jucundiſſimam, Beſſarion ingenioſâ fabellâ exponit, qua nuper uſus dicitur Mahometes, cùm ex ſuis quidam diſſuadere ei bellum adverſus Chriſtianos conaretur. Nam cùm ipſi formidandum eſſe diceret, ne Chriſtiani bello laceſſiti, tandem in unum convenirent, bellúmque adverſus eum, junctis copiis, & animis gererent; ſubridens reſpondit: meminiſſe illius fabulæ convenit: *o* cum lupi aliquando magnam canum multitudinem adventare adverſus ſe fortè intellexiſſent, ingénſque propterea terror eos occupaſſet: unus ex iis, qui inter illos ſenior erat, in propinquum montem profectus, cacumen ejus, ut canum ſpecularetur adventum, conſcendit. Verum, cum eos multos quidem; ſed *diverſorum colorum* eſſe conſpexiſſet, lætus, geſtiénſque ad ſuos reverſus: bono, inquit, eſtote animo: tanta enim eſt in hoſtibus noſtris colorum, morum, ſtudiorúmque diverſitas, ut conſentire unà, ac conſpirare in aliquem ſimul omnes non poſſint; ſingulos verò, ſi venerint, abſorbere ſine difficultate poterimus. Sic inſultant barbari, & inimici Crucis Chriſti, Chriſtianis Principibus, ac belli Ducibus, qui dum ſtudia in contraria, partes in varias eunt, hoſtibus patria, Regiones, & Regna prædæ ſunt.

> p. *En quò diſcordia* REGES
> *Perduxit miſeros!*

Conſimili ſarcaſmo illuſit Chriſtianis

i Hugo cit. 1. Cor. 12. k Liran. cit. l S. Thom. cit. m Hieron. in Pſalm. 82. n Camerarius horæ ſubciſivæ centuria 2. cap. 23.

o Beſſarion in orat. p Propert. l. 5.

ſtianis Imbraimus, interpres Turcici Imperatoris, qui cum Busbequio Francofurti, in electione Maximiliani II. Cæſaris, legatus adfuit: q cùm enim illi tres Principes præcipui, Saxo, Bavarus, & Juliacenſis, antecedentes in equis Ferdinandum, & Maximilianum, Cæſares, demonſtrarentur, & admoneretur, quemque ex illis propriis opibus, & viribus eſſe tam potentem, ut juſtum exercitum contra Turcas colligere, & in campum educere poſſet, alióſque plures eſſe illis ſimiles in Germania, quid exiſtimaret fore, ſi conjunctis viribus eum adorirentur? riſiſſe ferunt, & dixiſſe, ſe facile ex numero eorum, quos præſentes cerneret, colligere poſſe, & abſentium potentiam, adeóque vires Germaniæ eſſe infinitas; ſed ſibi videri Germanorum animos, conſilia, & actiones, ſimiles eſſe belluæ multorum capitum, & plurium caudarum, quæ agitata, ſepem tranſire conaretur. Unde cum capita diverſa foramina tranſeundi quærerent, neceſſarium fore, ut ſimul & corpus, & caudæ progredi ulterius non poſſent. Imperatorem verò ſuum, ſe comparare belluæ unicipiti, quæ plures caudas haberet, ita ut ſi caput aditu patefacto, una via ſibi aditum patefecerit, neceſſariò corpus, & caudas ſubſequi debere. Qua ſimilitudine non inſulsâ, nil aliud innuere voluit, quam diſſenſionem animorum, & diſtractionem virium Chriſtianorum; econtrà verò concordiam, & unitam potentiam Turcorum. Turcæ ſanè ſemetipſos nominare conſueverunt *Islamos*, hoc eſt, *unanimes*, ad ruborem noſtrum, quibus r *unum corpus, & unus ſpiritus, una fides, & unum baptiſma, unus Deus, & Pater omnium.* Quam unitatem exploſit ille Legatus Turcicus apud Regem Catholicum, à quo cùm muſicus adhiberetur, ut teſtudine ludens, Turcam oblectaret, atque in componendo, jam hanc, jam alteram fidem explorando, diutius hæreret, ille Morione ſuo accito, cum arcu, utero inſerto, è veſtigio unâ fide ludere juſſit, adjecto cavillo, Turcicum Imperium una fide, & chordâ conſtare, ad quam omnes ſalire deberent; noſtrum verò variis fidibus contineri, ac diſtrahi, ut jure queri poſſimus:

Cur modò tot fidibus, luditur una fides?

Sed quid remota, & extera illa commemoro, ubi propiora in oculis ſunt? nónne inſultantes nobis, cuſis nummis, quibus ſagittæ in faſciculum colligatæ expreſſæ, inſcribunt vicini heterodoxi Batavi: *Concordia res parvæ creſcunt*; diſcordia etiam maximæ dilabuntur? quot in ſolo belgio urbes hoſti ceſſêre, ducibus in diverſa ſtudia, & conſilia diſtractis? aut nationum inter ſe æmulatione, invidiâ, diſſenſione: quas inter ſi unitas, & concordia fuiſſet, hoſtem in campo, aut ipſo in vallo, ad internecionem deleviſſent, obſidionem ſolviſſent, urbes ſervaſſent, atque opima ſpolia reportâſſent. Quod factum legimus in obſidione Bethuliæ, ab immenſis Aſſyriorum caſtris, quos cives *quaſi vir unus* egredientes fugârunt, fuderunt, mactarunt,

q Camerarius cit.

r Epheſ. 4. v. 4. & 5.

ac ingentibus ſpoliis divites, victores, ac triumphatores in urbem reverſi ſunt.

Quid obſecro, tantas vires addidit hominibus propè victis? non aliam cauſam invenio, quàm quod unanimes, ac concordes in adverſarios irruerint; ſic etenim refertur Judith 15. v. 4. *Quoniam Aſſyrii* NON ADUNATI, *in fugam ibant præcipites; filii autem Iſrael,* UNO AGMINE *perſequentes, debilitabant omnes, quos invenire potuiſſent.*

Pugnaturus olim Abrahamus, *ſ* adverſus quatuor Reges, non ſolum veteri potentia, ſed etiam recenti victoria inſoleſcentes, collegit paucos milites, trecentes & octodecim, quibus innumeras hoſtium copias profligavit. At quo pacto, tam parvis præſidiis, tanta hoſtium agmina proſtravit, ac delevit? credo, inquit ſacer interpres, *t* quia illa exigua manus, concordibus animis armata procedebat, ſive milites, ſive Duces attendas: *Numeravit enim vernaculos ſuos,* id eſt, homines domi natos, & magna ſanguinis, amoris, quotidianíque uſus familiaritate conjunctos; ipſi verò Duces erant fraterna charitate copulati, ſeu fratres Germani: v *Abraham enim habitabat in convalle mambre Amorrhæi, fratris Eſcol, & fratris Aner; hi enim pepigerant fœdus cum Abraham* Ubi Liranus: x *Hos autem tres Germanos fratres, Abraham ſuis copiis in tres partes diviſit, ſingulos ſingulis partibus præfecit.* Quas igitur hoſtium catervas non frangeret, non peſſumdaret, illa parva manus, quam militum amor, & fraterna Imperatorum Charitas obarmat? quæ Regio, quod Regnum non ſubdi, ac ſubjugari poſſet, ſi milites, ut hi vernaculi Duces, ut Germani fratres, concordibus armis, & animis in hoſtem ruerent?

ſ Gen. 14. v. 12. t Mendoſa in lib. 1. Reg. cap. 11. v Gen. 14. v. 13. x Liran. hic.

Hæc concordia, unitas, & Charitas, vobis omnibus neceſſaria eſt in pugna ſpirituali, y *adverſus poteſtates tenebrarum harum,* cum quibus aſſidua *nobis colluctatio eſt;* unde optimè cenſuit, optimè dixit, qui vitam hominis, militiam ſuper terram eſſe pronuntiavit, in qua nobis acre bellum, & formidabile cum inferis, cum tartareis legionibus, quas ſi uni ſimus, vincimus; ſi diſjuncti, ſuperamur. Quo ſpectat illud Tertulliani, ad Martyres Athletas Chriſti: z *diabolus vos inveniat munitos, & concordiâ armatos: quia pax veſtra, bellum eſt illi.* Concordiâ fit, ut Eccleſia dicatur, & ſit *terribilis,* † *ut caſtrorum acies ordinata* nam Rupertus præclarè diſſerit: a *caſtrorum acies,* inquit, *tunc hoſtibus terribilis oſtenditur, quando ita fuerit conſtipata, atque denſata, ut in nullo loco interrupta videatur: nam ſi locus vacuus, per quem hoſtis potuit ingredi, dimittatur, profectò jam ſuis terribilis non eſt. Et nos ergo cum contra malignos Spiritus, ſpiritualis certaminis aciem ponimus, ſummopere neceſſe eſt, ut* PER CHARITATEM SEMPER UNITI, *atque conſtricti, & numquam interrupti per diſcordiam inveniamur: quia quamvis qualibet bona in nobis fuerint, ſi Charitas deſit, per malum diſcordiæ, locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos, valeat hoſtis intrare.*

y Epheſ. 6. v. 12. z Tertull. ad Martyr. c. 1. † Cant. 6. v. 9. a Rupert. hic.

Ex

Ex quibus rectè conficitur, non minus contra tartareos hoſtes, & diabolicos incurſus, inter mortales neceſſariam concordiam animorum, quàm in exercitu contra viſibiles hoſtes, concordiam armorum.

Nunc à concordia militari, venio ad b *civilem*, ut inter Chriſtianos, inter cives, inter domeſticos, ſit *cor unum, & anima una*. Nec alia hic utar ſimilitudine, quàm membrorum, quæ uno ſpiritu animantur. Auguſtinus c *acer ingenio, ſuavis eloquio*, hæc aliquando è ſacris roſtris divinè effatus eſt: d *quod eſt anima Corpori hominis, hoc eſt* SPIRITUS SANCTUS *Corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia; Hoc agit Spiritus Sanctus in tota Eccleſia, quod agit anima in omnibus membris unius Corporis*; ita ut proprium Divini Spiritus munus ſit, mutuo dilectionis vinculo, fideles omnes connectere, eo modo, quo anima ſingulis membris vitam inſpirat, atque ea omnia inter ſe copulat, & unit. Pervulgatum eſt illud principis medicorum axioma: In corpore humano e *confluxio una, conſpiratio una, conſentientia omnia*. Longè excellentius hæc de corpore Civili prædicantur, cui dum SPIRITUS SANCTUS *eſt, quod anima eſt corpori hominis*, inprimis *confluxio una eſt*, omnes unanimiter confluunt ad opitulandum, *confluxio una* omnium humorum eſt, ad unum membrum affectum, ut recte S. Thomas. in 1. Cor. 12. f *uno membro languente, totum corpus quaſi langueſcit, & ad locum languoris, confluunt ſpiritus, & humores, quaſi ad ſubveniendum. Similiter debet eſſe in fidelibus.* Membrum tuum affectum, proximus æger, proximus inops eſt; humores corporis tui, vaſa caveæ tuæ ſunt vino, & cereviſia redundantia: humores, divitiæ tuæ ſunt, quibus affluis. *Conſpiratio una* eſt, ad excellens aliquod opus Dei perficiendum: Magiſtratus, membra Reipublicæ, cives omnes conſpirant ad aram in Domo Domini exſtruendam, ad ædem ſacram Divino numini, viris Religioſis, noſocomium publicum ægris ædificandum, *conſentientia omnia*, & omnium totius communitatis, collegiorum civilium ad opera pietatis ſuffragia, quæ verè, ut Apoſtolus ait, eſt g *Societas Spiritus*.

Id ipſum ex eadem membrorum inter ſe conſpiratione, oſtendit Galenus, dum ait: h *in corporibus noſtris unum conſpiratum, confluxumque eſſe, ac omnia inter ſe mutuò affici.* Sic oculus manui, manus pedi afficitur benè, & Conſul civi, & civis mechanico, vir uxori, & dominus ſervo, ubi *unum conſpiratum*; ubi *quod eſt anima corpori*, SPIRITUS SANCTUS *eſt Corpori Chriſti*; afficitur, & veriùs, ac teneriùs quam membra membris. Doctor Angelicus in illud Pauli: *quoniam ſumus invicem membra*, ſic ait: i *membra ſe invicem diligunt, & juvant mutuò in veritate*, & Charitate; ſi ſtomachus eſuriat, currunt pedes ad menſam, oculi & manus in patinas, dentes molunt & operantur, *omnia inter ſe mutuò afficiuntur*. Idem expo-

b Unitas, & concord. civilis. c S. Proſper. l. 3. de vita contempl. c. 31. d Aug. Serm. 2. feria 2. Pentec. e Hippocrates lib. de alimento, ad med. f S. Thom. in 1. Cor. 12.

g Phil. 2. v. 1. h Galenus l. de facult. nat c. 13. i S. Thom. in ep Pauli ad eph. 4.

nendum de cæteris. D. Ambroſius, hac ſuper re eleganter diſcurrit: k *hæc utique lex naturæ eſt, quæ nos ad omnem ſtringit humanitatem, ut alter alteri, tanquam unius partes Corporis, invicem deferamus, nec detrahendum quidquam putemus, cum contra naturæ legem ſit, non juvare. Sic enim naſcimur, ut* CONSENTIANT *membra membris, & obſequantur ſibi mutuo miniſterio. Quod ſi unum deſit officio ſuo, impediuntur & cætera; ut ſi oculum eruat manus, nonne ſibi operis ſui uſum negabit? ſi pedem vulneret, quantorum ſibi actuum profectum inviderit?* unde ſic infert *& quanto gravius eſt totum hominem*, proximum tuum, qui tibi inſtar pupillæ oculi eſſe deberet, famulum qui tibi à pedibus eſt, ancillam, pediſſequam, uno Spiritu Sancto tecum animatam, *quàm unum membrum diſtrahi? Jam ſi in uno membro totum corpus violatur, utiq; in uno homine, communio totius humanitatis ſolvitur, violatur natura generis humani.* Hoc vel gentilis Seneca, ſpectans leges politicas, inculcavit: l *Quid ſi nocere velint manus pedibus, manibus oculi? ut omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſervari, totius intereſt; Ita homines ſingulis parcent, quia ad cœlum geniti ſumus; ſalva autem eſſe ſocietas niſi amore, & cuſtodia partium non poteſt.*

Quod corpori, & ſingulis membris, hoc proximo debes, quia m *membra ſumus corporis magni.* Qua curâ corpuſculo, ut alatur bene, & laute, & commode, & ſplendide tegatur, inſudas, hac proximo ſuccurres, ſi in te ſunt viſcera Charitatis, & quem idem animat Divinus Spiritus. n *cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Bene *tuam*, ut inquit Paulus, o *quippe unum corpus ſumus, & alter alterius membra.* Quod ſi unum cum proximo, profectò quod nobis, hoc & ipſi. Hinc aliud præclarum Divi Paulini, magni Præſulis monitum: p *cave te ſolum ames: ſi te amas, parem tui curam, & pauperis gere:* unus quippe es cum illo.

Aliò, & altius nos impellit idem Spiritus: nam ſi *cor unum, & anima una*, ut animæ, ſalutiſque propriæ tibi cura eſt, ita erit & proximi, ut aureè Chryſologus: q *revera fratres, ſi* ESSEMUS UNUM, *& humanum corpus, eos qui pereunt, noſtra viſcera crederemus, afflictione jejunii, precum gemitu, effuſione gemituum, jugiter clamaremus: Domine ſalva nos, perimus, & ſtuderemus nobis in fratribus ſubvenire: nec tanta corporum, ſed nec animorum naufragia ſentiremus.* Paulus magno encomiaſte Chryſoſtomo, r *tabula Spiritus Sancti*, fideles omnes ut membra complexus, non tam corporum, quam animorum ipſorum infirmitates ſenſit: ſ *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* adeò ut hoc de illo inſigne exſtet elogium: t *nullus tanto affectu mala propria, quanto Paulus deflebat aliena.* Quæ & vos tangent, ſi ſpiritum ſanctum acceperitis, dum vicini ſcandala, ac potiſſimum domeſticorum, filiorum, ſervorum, & ancillarũ delicta, cũ Paulo, ut propriæ ſalutis amantes, plorare, & emendare ſtudueritis.

k S. Amb. l. 3. offic. c. 3. l Sen. l. 2. de ira c. 31. m Seneca. epiſt. 95.

n Iſa. c. 58. v. 7. o ad Rom. 12. v. 4. p v. Paulin. ep. 32. ad pop. q Chryſol. Serm. 20. r Chryſoſt. hom. 22. in epiſt. ad Rom. ſ 2. Cor. 11. v. 29. t Chryſoſt. hom. 6. in Matt.

Unde

Unde ut ad particulaira deſcendamus, ſi unus ſpiritus, *cor unum, & anima una* fideles omnes, cives omnes informare, & copulare debet, quanto magis ejuſdem familiæ, ejuſdem moris, & amoris conjuges, cum liberis, & familiaribus habitantes in una domo? Domeſticam hanc pacem, & concordiam Leo Bizantius in argumentum adduxit, ut civium diſcordiam tolleret: *v* miſſus enim Legatus Athenas, de pace civium acturus, ſenatum ingreſſus eſt, qui viſa puſilla homuncionis ſtatura, in riſum effuſus eſt: ad quos ille: meam nani formam ridetis? Quid faceretis ſi uxorem meam videretis, quæ vertice vix genua mea attingit? ſed ſcitote, quod concordes parvum ſtratum tenet; diſcordes tota domus non capit. Quo dicto cives edocti, quantum diſcordia malum, concordia bonum gignat, inter ſe reconciliati ſunt. Hoc indies videre eſt, ubi diſcordia eſt, x *tota vix ſatis eſt domus*; ubi concordia, anguſto lecto, & tecto, pacificè degunt. Quam ita extulit Divinus Antiſtes Valentinus: y *ſi uxor, maritus, & filii, atque domeſtici in concordia ſunt, quid eſt domus illa, niſi paradiſus? ſi autem diſcordia inter illos, quid eſt aliud niſi infernus?* ſed de his alibi pluribus egimus. z

E profanâ familiâ, ad *a* Religioſam pergo. *Ut ſit cor unum, & anima una in Religioſa familia.* Primus, & veriſſimus in orbe ordo, prima, & ſanctiſſima Religio, ſub Chriſto capite, fuit collegium Apoſtolorum, ſine ullis Regulis, & ſtatutis, ſola lege Charitatis fundatus, & Spiritu dilectionis animatus, ut Suares, b *Europæ atque adeò orbis univerſi magiſter* tradit, tom. 3 de Religione, c ſuamque ſententiam confirmat auctoritate D. Baſilii, *qui dicit Religioſam vitam eſſe imitationem illius, quam Chriſtus cum ſuis Apoſtolis inſtituit. Et Auguſtinus epiſt. 89. ad Hilarium, ait ſe Apoſtolorum exemplo hanc viam ſecutum fuiſſe. Hieronymus epiſt ad Ruſtic. mon. & ſæpe aliàs, idem ſentit.* Erant hi primæ Religionis tirones, patria, conditione, complexione, ætate, & moribus diverſi, ſed omnium *cor unum, & anima una.*

Quod ſi ea unio, in omnibus Religioſis ordinibus ſervata, maximè, quod bona aliorum venia dixerim, in minima noſtra Societate, *d* quæ, ut Euſebius Nierenbergius tradit, multis annis abſque ullis regulis, & conſtitutionibus fuit; poſtea licet illas S. Ignatius, dictante Sancto Spiritu conſcripſerit; tamen ſuper fundamentum Charitatis exædificata, ac ſtabilita eſt, quod in exordio Regularum nobis tradidit, dicens: quod *interna charitatis, & amoris lex, quam* SANCTUS SPIRITUS *ſcribere, & in cordibus imprimere ſolet, potius quam ullæ externæ conſtitutiones, adjutura ſit.* Hinc ab infantiâ ſocietatis, decem in unum coaluerunt, e *omnes*, ut Orlandinus notavit, *ut locis, atq; nationibus; ita & naturis, ac linguis, conſiliiſq; diſſimiles.* S. Ignatius Biſcajenſis, S. Xaverius Navarrus,

v Plutarch. in præcept. polit. Philoſtratus in ſophiſtis. x Senec. in Medea y S. Thom. de Villanova. conc. pro expedit Chriſt. z Pantheon feſto 3. Paſchæ. a Ad Religioſos.

b Alegambe Bibl. ſcript. ſoc. c Suarez tom. 3. de Belg. l. 2. c. 2. Baſil. in conſtit. Monaſt. c. 9. d Nierenb l. 1. doct. aſcet. 12. c. 7. e Orlandin. l. 1. hiſt. ſoc.

Faber

Faber Allobrox, Laynius Seguntinus, Salmeron Toletanus, Bobadilla Palentinus, Rodericus Luſitanus, Broëtus Picardus, Jajus Allobrox, Codurius Delphinus. Itaque Hiſpani, Galli, Luſitani, Itali, Allobroges; omnes tamen mutuæ Charitatis nexu ita conjuncti, ut una gente, uno parente genitos, *cor unum*, & animam unam credidiſſes.

Hanc Religioſorum ex diverſis nationibus unionem, ac conjunctionem, egregiè depingit S. Baſilius: *f* Quid, inquit, dari fingique poteſt jucundius, quid felicius, quid beatius, quid admirabilius, *quam homines ex diverſis nationibus, ac Religionibus profectos, per exactam morum, ac diſciplinæ ſimilitudinem, adeò* IN UNUM *veluti coaluiſſe, ut in pluribus corporibus unus tantum animus eſſe videatur, viciſſimque plura corpora unius animi inſtrumenta* (& organa) *cernantur.*

Certè ea diverſitate viſus fuit delectari S. P. Ignatius, ideoque cum & Provincias inſtitueret, & nova fundaret collegia, ſolitus erat in ea cogere è diverſis nationibus. Sic *g* Rector primus Romano Collegio Gallus imponebatur, Hiſpanus Pariſienſi, Peruſino Belga, Patavino Gallus. Nec prætermittere hic poſſum, quin addam, quod in ſoliloquiis, de vita ſua ſcriptum poſteritati reliquit (reipſa quod ſcripſit, in Collegio olim Panormitano expertus) P. Petrus Ribadineyra, unus, & quidem ex chariſſimis S Ignatii Diſcipulis, dum Deum his ipſis, quæ addo, verbis alloquitur: *erat enimvero res propria tuæ manus, & imago quædam primitivæ Eccleſiæ, videre Flandros, Italos, Hiſpanos, & Gallos, tempore tantorum bellorum inter Hiſpaniam & Galliam, vivere nihilominus inter ſe cum tanto amore, ac ſi non haberemus niſi* UNUM COR. Eramus nimirum ſeptem Magiſtri, ſed ſinguli di- „ verſę Nationis. Primus erat Pa- „ ter Nicolaus Lanoy, Flander, „ Rector Collegii, & ſimul Pro- „ feſſor Theologiæ. P. Paulus de „ Achilles erat Lombardus, & „ prælegebat Philoſophiam. Ego „ Caſtellanus, docebam Rhetori- „ cam. Frater Joannes Rogerius, „ Gallus, ex Civitate Pariſienſi, „ prælegebat humanitatem. Fra- „ ter Michael Botelo, Luſitanus, „ docebat primam Grammaticæ. „ P. Juvenalis, Pedemontanus, ſecundam Grammaticæ. P. Petrus Venuſtus, Griſo, ex valle Telina, infimam. *Et cum eſſemus tot, ex tam variis Nationibus, fuimus* OMNES VERE UNA ANIMA *in Chriſto &* IN UNO SPIRITU OMNES NOS; qui Spiritus dum in Canonicorum Collegiis, in virorum, ac mulierum cœnobiis vivit, ac ſpirat, efficitur id, quod opportune S. Gregorius ad illa Ezechielis de quatuor animalibus verba: *h* *junctæque erant pennæ eorum &c.* Sic tradit: *i* *unanimitate junguntur; licet officio, natura, ſpiritu inter ſe differant: & propenſionis propriæ oblitæ, ſimul elevabantur, ſimul ambulabant*, bos & aquila, Leo & homo.

Quale, quam formoſum ſpectaculum foret, videre Civitatem, quę uno Spiritu animaretur,

f Baſil. conſtit Monaſt. c. 19. *g* R. P. Nickel general in epiſt. de nationali pernicioſo ſpiritu vitando pag. 24.

h Ezech. 1, v. 9. *i* Greg. 6, 19. mor. c. 18.

qua-

qualis eſt communitas Religioſa, ordinatâ charitate compoſita. De qua non erit extra propoſitum, D. Chryſoſtomum, aurea ſua facundia diſſerentem audire: k *vellem*, inquit, *te ducere in Civitatem talem, ſi quidem fieri poſſet, cujus* ANIMA UNA ESSET. *Videres quomodo quavis cithara* (& organo) *& tibiâ modulatius omnia reſonarent, nihilque obſtreperet abſonum. Hæc melodia & Deum, & Angelos lætificat, omni ſcilicet terrenarum perturbationum ſtrepitu ſilente.* Unde ſubdit paulò poſt. *Inter amicos, dum Charitas citharam pulſat, omnes affectiones ſilent, & obdormiſcunt quaſi beſtiæ delinitæ, mitigatæque blanditiis.* Tunc nec murmurabitur de ſuperioribus, nec invidebitur florentibus, nec rejicientur alienigenæ, nec humiles contemnentur.

Talis civitas, talis communitas ſub Elia fuit in Carmelo: talis ſub Auguſtino, Hippone. Talis ſub Benedicto in Caſſino. Talis ſub Bernardo in Claravalle. Talis ſub Dominico in Conventu Tholoſano. Talis ſub Franciſco *Aſſiſiis.* Talis ſub Franciſco de Paula, cujus teſſera *charitas*, in conventu Paulano. Talis ſub Ignatio, in Romano, & omni Collegio viguit, viget, ac Divino Spiritu aſpirante, vigebit ad conſummationem ſæculi; quam unionem demonſtrat, & exigit ex inſtituto ſuo, impoſitum nomen *Societatis*, quæ ſi mercatores, natione maximè diverſos, & Regione remotos, inter ſe nectit, quanto fortius ejuſdem matris Religionis filios? Aptam ſimilitudinem inducit Seneca, quæ ut aliis Religioſis familiis etiam quadret, noſtris propriiſſima videtur: SOCIETAS NOSTRA l *lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur.* Eſt etenim ſocietas noſtra, ut Claudius Aquaviva loquitur, m in charitate fundata, *& ex mutua animorum conjunctione coagmentata*, ut quiſque totam ſocietatis molem, ac exiſtimationem geſtare, & n *uno* quaſi *humero*, quidquid eſt onerum, portare videatur. Ut ſi olim in exercitu Thebano cohors ſacra, ſeu *compagnia amantium* exſtiterit, qui velut membra unius corporis, ſibi invicem non modò opitulari, ſed & mori parati erant, eadem etiam in *Compagnia* JESU revixiſſe perhibeatur.

Hanc charitatis legem Apoſtolus tradit, & ipſa natura dictat: p *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Si unus fratrum infirmetur, affligatur, patiatur, compatiantur omnia membra. Non dicit Apoſtolus, ſi patitur oculus, aut caput; ſed quodvis membrum, etiam infimum, digitus vel pes. Ita ſpiritus charitatis non extendat ſe ſolum ad Patres, ac Magiſtros noſtros, ad definitores, & ſuperiores; ſed ad infimos fratres: q *Quia ſumus invicem membra, nec poteſt oculus dicere manui, opera tua non indigeo; aut iterum caput pedi, non eſtis mihi neceſſarii.* Quod eleganter exponit D. Auguſtinus: r *Modicum pungit ſpina, & parvum locum tenet in pede; vide quomodo illuc convertuntur omnia membra. Primò ipſa ſpina dorſi incurvat ſe, & depo-*

k Chryſ. hom. 40. in c. 19. actor.

l Sen. Ep. 95. m Claudius Aquaviva Epiſtola de perf. & charit. fratr. n Sophon. 3. v. 9. p q 1. Cor. 12. r Aug. lib. 50. hom. 15.

nunt

nunt ſe omnia membra. Nunquid oculi ceſſant quærere? nunquid aures ceſſant audire? fortè alii, qui vident, ubi ſit dicunt. ecce ibi eſt Statim hoc audiunt aures, & ſequuntur conſilium Et, ut dixi, totum corpus incurvatur Non eſt communis calamitas omnibus; ſed PER COMPASSIONEM CHARITATIS, *omnia veniunt ad ſubveniendum*; veniunt ad ſupplendum, in locum concionatoris, lectoris, fratris infirmi; de quo charitatis opere, exſtat illud Thomæ à Kempis *Qui pro debili fratre legit, aut cantat, ante cunabula* JESU, *cum Angelis citharizat.* Vult inſuper Paulus, ut non modò erga morbos corporis, charitatem exerceamus; ſed & infirmitates Spiritus toleremus: *Supportantes invicem in charitate.* Ubi S. Thomas *Mutuo ſuſtinentes defectus aliorum*; ſuſtinemus, & toleramus incommoda, inſomnia, ſordes beſtiarum, quidni imperfectiones fratrum noſtrorum?

In pleriſque cœnobiis aluntur canes, contra nocturnos fures, feles adverſus glires, & mures: quis ei non jure ſuccenſebit, qui eos amandari velit, quod noctu ſuo latratu, aut tumultu, quietem interturbent? utiles ſunt, excubant nobis dormientibus; ita & qui defectus ſuos habent, tolerandi ſunt, quia laboribus, ſtudiis, præclaris functionibus ſuis emolumento ſunt. Quod ſi invicem carpere, ſugillare, mordere cœperitis, nec contra exteros obtrectatores defendere ſtudueritis, ſ timendum *ne ab invicem conſumamini*, atque illud continget, quod D. Nazianzenus, ſimilitudine à navigantibus ducta, egregiè demonſtrat. t *Si dum foris tempeſtas ingruit, nautæ ipſi inter ſe diſcordes præliantur, certum naufragium eſt*, naufragium eſt virtutum, & meritorum omnium.

Abſonam & peregrinam ſimilitudinem Sanctus Spiritus in Canticis petere videtur, dum in ovili Eccleſię, & in Religioſo cœtu eam unionem requirit, quæ in corpore humano eſt inter dentes, dicens: v *Dentes tui ſicut grex tonſarum*; quæ Italica facundia expendens in Palatio Pontificio Orator, ſic diſſerit: x dentes lacerant, laceratæ oves exſpirant; iſtæ teneræ, illi duri: dentes mordent, illæ nec paſtoribus, nec lupis obſiſtunt, tacitæ morſus ferunt Quomodo igitur ferocia dentium, cum manſuetudine ovium convenit? quæſtionem hanc Gilbertus Abbas proponit: y *Quare ergo dentes, quaſi grex? quam hac ratione ſolvit: Dentes tui quaſi grex tonſarum. Utique quod ſeſe non impugnent, nec adverſentur ſibi; ſed in ſimplicitate, & lenitate ſenſus ſui, concinunt, & concordant Eccleſiæ dentes* Dentes in diffidentes, in unionis hoſtes, in perturbatores pacis exacuuntur, inter ſe non pugnant, non colliduntur; ſed concordant. Quam comparationem Religioſis propriam, & vel ſolam ſuis proprietatibus exhortationi peraccommodam, ſic ſanctus Bernardus mellifluo ſermone deducit: z *Spiritus Sanctus, de cujus ſecretiori fonte, Canticorum flumen emanat, in his dentibus, myſteria nobis non parva commendat. Non ſunt hi dentes, de quibus dicitur: Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum &c Nova & inaudita comparatio*

ſ Galat. 5. v. 15. t Nazianz. orat. 25. ad 50. Epiſc.

v Cant. 4. v. 2. x Ioan. Paulus Oliva part. 1. conc. 4. n. 42. y Gilbertus in Cant. Serm 23. z S. Bernardus Serm 64 ex parvis.

in laudes Sponſæ perorat dicens: DENTES TUI SICUT GREGES TONSARUM. *Quid in hac rogo ſimilitudine dignum eſt, ut eam de cœleſtibus arcanis deſcendiſſe credamus? magnum prorſus, & magno animo magnificè ſentiendum: Spiritus enim eſt qui loquitur. Aliquid profectò eſt in his dentibus involutum, quod evolutum ſacratioris intelligentiæ præſignet arcanum. Dentes enim candidi ſunt, & fortes, carnem non habent: nihil intra ſe pati poſſunt non eſt dolor ſicut dolor eorum* &c. *Per ordinem poſiti ſunt, ſuperiores alii, & alii inferiores: & cùm inferiores moveantur, ſuperiores nunquam.* Quæ omnia ubi aptiſſime Religioſis accommodavit, hęc in rem noſtram adducit: *Nihil morari intra ſe patiuntur: quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant, aut intra ſe aut in conſcientiis ſingulorum. Non eſt dolor, ſicut dolor eorum, quia nihil tam horrendum, & horribile eſt, ſicut murmur, & diſſenſio in congregatione* &c. *a*

Hæc ſimilitudo aliquo modo declarat unionem, quæ in ovili Chriſti, & Religioſis familiis ſpectanda eſt; ſed non omninò explicat: nam in ovili poteſt ovis ſcabioſa nullo aliarum detrimento ſeparari, aut aberrare, ut in Evangelio centeſimam aberraſſe legimus: & dens putridus cæteris illæſis eximi.

Hinc & aliam ſapientiſſimus mortalium, ab acie ordinata, & inter ſe unita quaſi in uno corpore membra, ſimilitudinem proponit: b *Pulchra es amica mea, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* In ovili unio bona eſt, in dentibus ordo decorus; in agmine verò militari, & corpore caſtrenſi unio tam neceſſaria, ut paucis deficientibus, & diffidentibus, c *turba militum ſit hoſtium laniena.* Hæc à Ruperto magno jam olim dicta ſunt: d *Scimus quia caſtrorum acies, tunc hoſtibus terribilis oſtenditur, quando ita fuerit conſtipata, atque denſata, ut in nullo loco interrupta eſſe videatur. Nam ſi ita diſponitur, ut locus vacuus, per quem hoſtis poſſet ingredi, dimittatur, profectò jam ſuis hoſtibus terribilis non eſt. Et nos ergo ſummopere neceſſe eſt, ut* PER CHARITATEM UNITI, *& numquam interrupti per diſcordiam inveniamur: quia ſi charitas deſit, locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos valeat hoſtis intrare:* ſic vinculo charitatis inter nos uniti, hoſtibus noſtris, invidis, & obtrectatoribus terribiles, & invincibiles erimus. Hæc ſi deſit, fruſtra ſibi Religioſi, & ſanctimoniales de clauſtro, jejunio, auſtero habitu, aliíſque pœnitentiis blandiuntur; ſic porrò Religioſas virgines monet Hieronymus: *Ideóque dilectæ filiæ, licet longa vos macerent jejunia: abjecta & nigra veſtis deformet, longa officiorum, & operum texatur ſeries, ſi intus deſit* CHARITAS, *ad infimum nondum Religionis gradum perveniſtis.*

Atque altius inſurgens, monaſteria, quibus charitas, & ſpiritus dilectionis exulat, inferno; Religioſos dæmonibus conferre non dubitavit, dicens: *Sine charitate monaſteria ſunt tartara, habitatores ſunt dæmones.* Quid exaggeratius dicere potuit?

Quis eorum ſortem ſic viventium non defleat, qui ſpretis omnibus mundi deliciis, divi-

a P. Oliva cit. b Cant. 6. v. 3.

c Vegetius de re militari. d Rupert. l. 6. in cap. 6. Cant.

tiis.

tiis, continuis afflictationibus ſeſe macerantes, duplici gehennâ, & hic vivi, & poſtea mortui acerbiſſimè torqueantur? *Econtra verò, cum hac, monaſteria ſunt Paradiſus in terris, & in eis degentes ſunt Angeli*: qui cœleſtes delicias prælibantes, meritò in has gaudii & exultationis voces prorumpunt: e *Ecce quàm bonum, & jucundum, habitare fratres in unum*! quæ divinus Doctor Auguſtinus, de Religioſis exponens, ait: f *Verba iſta Pſalterii, ille dulcis ſonus, iſta melodia, etiam monaſteria peperit*, juvenes, puellas, parentibus valedicere, facultates relinquere, & ad Religionis portum confugere compulit. Hæc tuba eſt, quæ eos convocavit, & è variis mundi partibus in corpus ſociavit, ſibi perſuadentes, hanc fratrum ad invicem unionem, & charitatem, cœleſtis cujuſdam vitæ ſpeciem eſſe. Hæc monaſteria primum produxit, Religioſas domos replevit. Illa magnes eſt, quæ omnium hominum corda ad ſe attrahit, & nectit. Unde etiam inter tria, quæ coram Deo, & hominibus probata ait Sapiens g, primum locum occupat *concordia fratrum*, quæ verè vita beata, & cœlum in terris eſt, ut veriſſimè de Beatis in cœlo degentibus alibi ſcribit: h *Habebunt & tunc Sancti Dei differentias ſuas, conſonantes non diſſonantes, id eſt, conſentientes, non diſſentientes: ſicut fit ſuaviſſimus concentus ex diverſis quidem, ſed non inter ſe adverſis ſonis*. Qui concentus, & concordia inter Religioſos, ingenio, genio, patriâ, moribus diverſos, cœlitibus ſimiles reddit, quod jam tum in hoc mundo, ea pace, & quiete frui incipiant, qua illi in cœlo potiuntur; nam, ut inquit Magnus Baſilius: i *Hi vitæ diligenter communitate retentâ, Angelorum vivendi ritum æmulantur. Nulla inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controverſia.*

Hinc S. Laurentius Juſtinianus, nulla re in terris, melius cœlitum, & cœleſtis Hieruſalem unionem, congregationémque ait repræſentari, quam Religioſorum, in ſpiritu amoris, & charitatis unitorum, congregatione, & collectione. Hæc quippe vita Angelica eſt, vita cœleſtis, & k *verè Dominus eſt in loco iſto, neque eſt hic aliud, quàm domus Dei, & porta cœli.*

e Pſalm. 132. f Auguſtin. hic.
g Eccl. cap 25, verſ. 1. h Auguſtin. in Pſalm. 150.

§. III.

Spiritus est qui vivificat; *ſed non niſi membra vinculo pacis, & & dilectionis conjuncta.* 2. Corinth. 3.

Sine hoc ſpiritu vivificante, orbis terrarum mortuus erat, præſignatus per campum Ezechielis, plenum oſſibus mortuorum, de quibus dicit Dominus ad Prophetam: l *Fili hominis, putáſne vivent oſſa iſta? & dixi Domine, tu nôſti. Et dixit ad me, vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: oſſa arida, audite verbum Domini, ecce ego intromittam in vos* Spiritum, *&*

i S. Baſil. in conſtit. monaſt, cap. 89.
k Gen. 28. l Ezech. 37. v. 7.

vos vivetis. Et dixit ad me, vaticinare ad Spiritum & dices: hæc dixit Dominus: à quatuor ventis, VENI SPIRITUS, *& inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant.* Antequam ergo veniret Spiritus ille, miſſus in mundum, ut repleret orbem, à quatuor ventis, nunquid omnes tanquam oſſa arida erant? ſed illo veniente, & inſpirante, ecce ubique Spiritus vitæ. Etiamnum plura ſuperſunt oſſa arida, quæ egent hoc Spiritu vivificante, ut clamandum nobis ſit: m *Veni Spiritus à quatuor ventis.* Veni ab Oriente, veni à Meridie, & Septemtrione.

Per has autem quatuor partes orbis, quidam intelligunt 4 ætates, & dicunt: veni Spiritus ab Oriente & inſuffla ſuper pueros. Veni à Meridie, & inſuffla ſuper viros, qui in media ætate, velut in Meridie. Veni à Septentrione ſuper eos, qui in frigida ætate, jam ſeneſcere incipiunt. Veni ab Occidente, & inſuffla ſuper decrepitos ſenes, & anus, qui vitæ occidenti, & morti ſunt propinqui, vivifica illos, & Spiritum tuæ charitatis infunde. Sed obſervandum eſt, emortuis, atque aridis oſſibus, vitalem ſpiritum, qui illa iterum animaret, non prius infundi quàm ipſa oſſa ad ſuam compagem, & juncturam accederent; atque invicem inter ſe necterent: ſic enim ibi: *Et acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam*; quæ perappoſitè exponit divus Auguſtinus: n *Spiritus enim humanus, ſicut numquam* VIVIFICABIT *membra; niſi fuerint unita; ſic* SPIRITUS SANCTUS, *numquam nos* VIVIFICABIT, *niſi pace uniti fuerimus.* Nam hoc ipſo, quod membrum à corpore ſejunctum eſt, animâ, & vitâ careat, neceſſe eſt: o *Videre eſt animã hominis*, inquit Bernardus, *quemadmodum univerſa corporis membra vivificet cohærentia ſibi. Separa ergo quodvis à junctura cæterorum, & vide, an de cætero illa* VIVIFICET. *Sic eſt omnis, qui dicit anathema* JESU: *quod nemo dicit loquens in ſpiritu Dei: quia anathema, ſeparatio eſt. Sic inquam omnis, qui ab unitate dividitur, ne dubites, quin ab eo receſſerit* SPIRITUS VITÆ, ut ſi quis veſtrum ab unitate, & charitate cum fratre, aut ſorore: vir ab unitate cum uxore, civis cum cive diviſus ſit, *non dubitet quin ab eo receſſerit* SPIRITUS VITÆ: certóque ſciat Spiritum Sanctum numquam viva facere, niſi membra ad juncturam ſuam conjuncta, & charitatis vinculo fuerint unita. De quo præclarè Africanus Antiſtes: p *Charitas Dei unde? Apoſtolum interroga: charitas inquit Dei, diffuſa eſt in cordibus noſtris, per* SPIRITUM SANCTUM, *qui datus eſt nobis. Ergo* SPIRITUS *eſt, qui* VIVIFICAT: SPIRITUS *enim facit viva membra, nec viva membra* SPIRITUS *facit, niſi quæ in corpore quod vegetat, ipſe Spiritus invenerit. Nam ſpiritus qui eſt in te, ô homo! quo conſtas, ut homo ſis, nunquid* VIVIFICAT *membrum, quod ſeparatum invenerit à carne tua? Spiritum dico animam tuam. Anima tua non vivificat, niſi membra quæ ſunt in carne tua.* Quod anima corpori, hoc excellentiori modo Spiritus Sanctus omni

m Marchant. Hortus paſt. Tract. 4. lib. 1. n Auguſtin. Serm. 2. ad frat. in Erem.

o Bernard. Serm. 1. de S. Mihael.
p Auguſtin. Tract. 37. in Ioan.

animæ,

animæ, & corpori Eccleſiæ eſt. Hic omnia innovat, recreat, vivificat. Quod omnibus inculcatum voluit Eccleſia, per ſymbolum Conſtantinopolitanum: *Credo in* SPIRITUM SANCTUM, *Dominum &* VIVIFICANTEM, quod nempe ſpiritualem vitam, quæ corporali infinito intervallo perfectior, infundat, & ſine ejus numinis afflatu, omnia noſtra opera emortua ſint. Huc ſpectat illud divi Cypriani, ſermone de Spiritu Sancto: q *Spiritus Sanctus*, inquit, *omnium viventium anima, tanta largitate ſe omnibus abundanter infudit; non quod ipſe ſit ſubſtantialis anima; ſed in ſe ſingulariter manens, de plenitudine ſua diſtributor magnificus, proprias efficientias ſingulis dividit, & largitur: & quaſi ſol, omnia calefaciens ſubjecta, omnia nutrit, & abſque ulla ſui diminutione, integritatem ſuam de inexhauſta abundantia, quod ſatis eſt, & ſufficit, omnibus impertit.* Geneſ. cap 1. *Terra erat inanis, & vacua.* Pagninus vertit, *deſolata & inanis.* Septuaginta: *Inviſibilis, & incompoſita.* Symmachus: *ocioſum & indigeſtum.* Theodotio: *Inane, & nihilum.* Alii, *vacua hominibus, & jumentis*: erat enim r ſine luce, ſine ullo ornatu, & decore, vacua hominibus, animantibus, & plantis: nullus vigor, nulla vita: non diſtincta in montes, valles, campos, & colles, non eminens, & extans ſupra aquas; ſed omni ex parte altiſſimè aquis operta; denique talis, ut verè poſſet appellari materia inviſibilis, informis, & merum chaos. Quod Pelignus vates non è vanis fabulis, ſed è ſacris litteris commentus eſt:

ſ *Unus erat toto naturæ vultus in orbe,*
Quod dixere Chaos: rudis indigeſtáque moles:
Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtáque eodem,
Non bene junctarum, diſcordia ſemina rerum.

Sed præ hoc Doctorem Angelicum audiamus, part. 1. quæſt. 66. art. 1. *Quantum ex littera Geneſis accipi poteſt, triplex formalitas deerat terræ, propter quod dicebatur creatura corporalis, informis: deerat enim à toto corpore diaphano, quod dicitur cœlum, pulchritudo lucis; unde dicitur, quod tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Deerat autem terræ duplex pulchritudo, una quam habet ex hoc, quod eſt aquis cooperta: & quantum ad hoc, dicitur quod terra erat inanis, & vacua, ſive inviſibilis, quia corporali aſpectui patere non poterat, propter aquas undique eam cooperientes. Alia verò ex hoc, quod habet ex eo, quod eſt ornata, herbis, & plantis; & ideo dicitur, quod erat inanis, & vacua, & incompoſita, id eſt, non ornata.* At ſubitò omnis ornatus, vigor, & vita, informi huic maſſæ acceſſit, ubi Spiritus Dei acceſſit: t *O qualis eſt ille artifex Spiritus!* qui ut gallina incubans, ex ovo pullum, eique vitam, & membra, & organa, & plumas, colore ſuo, arcano naturæ artificio, elargitur. Ita fovendo animas, nos animat, format, & vivificat. Hac ſimilitudine, in re toto

q Cyprian. Serm. de Spiritu Sancto.
r Geneſ. 1. v. 2.
ſ Ovid. lib. 1. metam.
t Ambroſ. Serm. 30. in Euang.

toto cœlo diſſimili, uſus ſanctus Hieronymus: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* ſic exponit: v *Ferebatur, in Hebræo habetur, incubabat, ſive confovebat, in ſimilitudinem volucris, ova calore animantis. Ex quo intelligimus non de ſpiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur; ſed de* SPIRITU SANCTO, *qui & ipſe* VIVIFICATOR OMNIUM *à principio dicitur*; pro qua ſententia Martinengus, ſex & triginta antiquorum Patrum teſtimonia recitat Quos inter primus, & omnium Theologorum Princeps, divus Thomas cenſendus, qui docet: x *Spiritus Domini in Scriptura, non niſi pro Spiritu Sancto conſuevit poni.* Hoc plenis buccis Poëtæ etiam gentiles cecinere:

y *Principio cœlum, ac terras, campoſque liquentes,*
Lucentémque globum lunæ, titaniáque aſtra
SPIRITUS INTUS ALIT, *totamque infuſa per artus*
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Hinc dixit vates Regius: *Verbo Domini, cœli firmati ſunt, &* SPIRITU ORIS EJUS, *omnis virtus eorum*; & ſubditur: *igitur perfecti ſunt cœli, & terræ, & omnis ornatus eorum.* Sic dicimus, initio fundamenta Eccleſiæ à Chriſto jacta fuiſſe; ſed à SPIRITU SANCTO perfectionem accepiſſe: miſſum enim Spiritum Sanctum dicit Auguſtinus, z *ut quæ Salvator inchoarat,* SPIRITUS SANCTI VIRTUS *conſummet, & quod iſte acquiſivit; ille cuſtodiat, & quod iſte redemit, ille ſanctificet.*

Eccleſiam quidem fundavit altiſſimus; ſed antequam veniret Spiritus Sanctus, erat inanis, & incompoſita, atque expers omnis vitæ ſpiritualis. Nam ut eleganter Doctor Hipponenſis, Spiritus Sanctus idem efficit in Eccleſia, quod in corpore anima, ita ut ſit vita, & anima corporis myſtici: a *Si vultis habere Spiritum Sanctum, intendite filii mei, ſpiritus noſter, quo vivit quiſque homo, anima vocatur, & videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat, omnibus ſimul adeſt membris ut vivant: vitam dat omnibus, officia ſingulis.*

Hæc omnia, longè excellentiori modo, operatur b *artifex ille Spiritus Sanctus*, corpori Eccleſiæ myſtico, ejuſque membris, Apoſtolis, ac fidelibus, vitam divinam, atque operationes cœleſtes largiendo Abſque eo, membra Eccleſiæ informia, mortua, omníque actione divinâ deſtituta erant; ſicut enim corpus mortuum, oculos habet, & non videt: manus habet, ſed non operatur: pedes, & non ambulat, quia ſpiritum animantem, & moventem omnia, non habet. Ita & Apoſtoli, Eccleſiæ oculi, cœleſtia, & arcana myſteria non videbant: etſi os, & linguam haberent, non prædicabant: manus nulla miracula patrabant: pedes non euangelizabant. Sed ubi ex alto, *repleti*

v Hieron. in tradit. heb. in Gen. Salian. apparatu Annal. x S. Thom. p. 1. qu. 66. art. 1. y Virgil. 6. Æneid. z Auguſtin. Tract. 108. in Ioan.

a Auguſtin. Serm. 116. feria 2. Pent. Sermon. 2. b Ambroſ. cit.

ſunt

ſunt Spiritu Sancto, linguis igneis locuti ſunt,& orbem univerſum peragrabant, ubi erat *impetus Spiritus*, gradiebantur, ubique operationes miras, & prodigia faciebant. Tunc cœpit ornatum ſuum habere Eccleſia, cœpit pulchritudinem habere Sponſa. Tunc habuit *oculos*, ut columba: *linguam*, ex qua fluebat lac,& mel: *Labia* diſtillantia myrrham primam, pœnitentiæ amaritudinem: *Manus* ornatas monilibus, plenas hyacinthis bonorum operum: *Pedes* pulchros,& veloces ad currendum viam mandatorum Dei: Omnem denique vitam, & ornatum habet, à vivificante Spiritu, ut in Canticis depingitur: quia c *quod eſt anima corpori hominis, hoc eſt* SPIRITUS SANCTUS *corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia. Hoc agit Spiritus Sanctus in tota Eccleſia, quod agit anima in omnibus membris corporis.*

Nunc compello te, quiſquis es, d *ſi Spiritum Sanctum* accepiſti? ſi oculos habes invidiâ lividos, ſi linguam felle, & amaritudine plenam; ſi labia fraude, & dolo plena; ſi manum aridam, contractam ad eleemoſynas, ad opera charitatis: ſi pedes coinquinatos, veloces ad effundendum ſanguinem: ſi vita gratiæ destitutus, ſcito, quia mortuus es, nec Spiritum Sanctum accepiſti.

Quod de molitione primi hominis è limo terræ, tradunt ſacræ paginæ, ad Prometheum, fabuloſè traduxerunt priſci Poëtæ, quem commenti ſunt hominem è luto effinxiſſe, cui cùm nec ſermo, nec loquela, nec motus, nec vita ulla eſſet, è cœlo rapuiſſe ignem, eique indidiſſe; atque ilico ſtatuam illam luteam, ridere, geſtire, exilire, loqui cœpiſſe. Verum, quia plus poteſt Divinæ Bonitatis ingenium perficere, quam fabuloſa antiquitas comminiſci: ecce tibi, compacto è terrenæ mortalitatis limo, myſtico Eccleſiæ corpore, ut vitam communicet, qui ſapientia Patris eſt, Chriſtus Dominus, cœlum repetit, & vitali flammâ fovet, animátque corpus illud, quod quaſi mortuum jacebat, & concluſum intra cœnaculum Sion. Non vivebat, quia nihil agere audebat; *vivere* autem, ut Ariſtoteles docet, *eſt agere*; at ubi primum vim calefacientis, vivificantiſq; flammæ perſentit, quid non peregit, quid non perfecit? ut videatur dicere nova illa Eccleſia, illud Jeremiæ: e *Miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me. Vivificat omnia Spiritus Dei, cùm ipſe, & vita ſit*, inquit Ambroſius.

Quandoquidem oſſium facta eſt mentio, repetamus memoria, ſi placet primi creationem parentis, qui artifici Dei manu, è limo effictus dicitur, Geneſ. 2. v. 7. *Primo quidem formavit Deus hominem de limo terræ*, mutum ſcilicet, & mortuum ſimulacrum: f *Cogita*, inquit Chryſoſtomus, *formationis Adæ ordinem, & expende tecum, antequam inſpiraretur à Domino* SPIRACULUM VITÆ, *quis erat formatus ille? ſimpliciter inanimis quædam imago, operatione carens, & ad nihil utilis:* non erat vox, neque loquela, non motus, non ſenſus, nec vita ulla, *operatione carens, & ad nihil utilis*; etſi opus omnibus membris, & nume-

c Auguſtin. Serm. 2. in feria 2. Pent.
d Actor. 2. v. 19.

e Thren. 3. Ambroſ. f. Chryſoſt. hom. 12. in Gen.

ris abſolutiſſimum. At ubi INSPIRAVIT *in faciem ejus* SPIRACULUM VITÆ, *factus eſt homo in animam viventem.*

Primo huic parenti noſtro, è limo in elegantem ſtatuam efformato, omnes ſimiles ſumus, & ii potiſſimum, qui concinnâ corporis formâ, atque aptâ omnium membrorum ſymmetria, divino quaſi pollice efficti ſunt; ſed ſi deſit Spiritus: *Inanimes ſtatuæ ſunt, ad nihil utiles:* homines quippe terreni, planéque lutei, inania videlicet ſimulacra, imgines mutæ, ſigna carentia vitâ; at ſpirante Spiritu Sancto, hoc eſt, immiſſo cœlitus vitæ ſpiraculo, fit homo in animam viventem, qui jacuerat velut inanis, & inanimis. Scio *ſpiraculum vitæ* à Theologis, & SS. Patribus accipi pro anima; ſed & in eo Sancti Spiritus operationem agnoſcunt, & venerantur. Doctor Angelicus, 1. part quæſt. 91. ad illa verba: g *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ,* ſic ait: *per ſpiritum vitæ, intelligitur anima, nam ſubditur: & factus eſt homo in animam viventem. Quod Apoſtolus* 1. *ad Corinth.* 15. *non ad vitam ſpiritualem, ſed ad vitam animalem refert.* Addit tamen ſanctus Thomas: *Quidam dicunt: & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, intelligi de* SPIRITU SANCTO, *ſicut & Dominus inſufflavit in Apoſtolos, dicens:* h *accipite* SPIRITUM SANCTUM: ſimul enim cum anima, Adamo gratia Spiritus Sancti infuſa eſt.

Sed parum hoc, unum hic contendo, ut anima dat vitam corpori, ita & Spiritum Sanctum meliorem, ac diviniorem tribuere vitam animæ; & hæc ratio, ut notat divus Thomas, cur Chriſtus Dominus, dans Diſcipulis Spiritum Sanctum, *inſufflavit,* ut intelligamus eodem planè modo, quo Deo ſpirante vitam accepit primus homo, ita eodem inſufflante, reviviſcere ad gratiam, qui S. Spiritus aura, vel habitu perfunduntur. Huic ſententiæ conſentit Doctor mellifluus: i *Amor Dei, vel amor Deus, Spiritus Sanctus, amori hominis ſe infundens, afficit eum ſibi: ſicut enim non habet corpus unde vivat, niſi de Spiritu Sancto, ſic affectus hominis, qui Amor dicitur, non vivit, hoc eſt, non amat Deum, niſi de Spiritu Sancto.* Revoco vos iterum ad illud Geneſ. 2. *Spiravit in faciem ejus, ſpiraculum vitæ.* Ex textu Hebræo reddunt alii: *Reſpiravit in faciem ejus.* Reſpiratio propriè fit ex neceſſitate laborantis naturæ, ne vivens opprimatur, ut experientia patet, hominem extinguendum, niſi reſpiret; unde ad ſignificandam neceſſitatem reſpirationis divinæ, ac cœleſtis Spiritus, ac gratiæ, Pſalmiſta cecinit: k *Os meum aperui, & attraxi Spiritum.* Hac Spiritus, ſeu aëris reciprocatione, æſtuanti, ac laboranti cordi, opem ferimus ad vitæ ſublevationem, ut Plato monuit: l *Dum reſpiratio deſinit, homo moritur.* Scire vis, an moribundus adhuc vivat, vide an reſpiret: ſcire vis an vivas? vide an per ſalutarem confeſſionem os aperueris, & attraxeris Spiritum. Vide, an caro, & ſanguis ſis, in quo non remanet ſpiritus.

Illud ſanè mirandum, ac deploran-

g S. Thom. 1. part. qu. 91. art. 4.
h Ioan. 20. v. 22.

i Bernard. Tract. de vita ſolit. ad frat. de monte Dei. k Pſalm. 118. v. 131.
l Plato in cratylo.

plorandum miraculum diabolicum: quo pacto fieri poſſit, ut cor hominis ob peccatum mortuum Deo, inter vitales auras, vivacéſque Sancti Spiritus flammas minimè reviviſcat? an quia cùm carneum ſit, retinere diu Spiritum Dei non poteſt? juxta illud Geneſ. 6. *Dixítque Deus: non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Qua ſuper re, juvat illuſtriſſimum ſancti Irenæi locum huc adferre, qui homines in carne viventes, verè mortuos vocat: m *Tria ſunt*, inquit, *ex quibus perfectus homo conſtat, carne, anima, & ſpiritu. Et altero quidem ſalvante, & figurante, qui eſt ſpiritus: Altero quod unitur, & formatur, quod eſt caro; id verò quod inter hæc eſt duo, eſt anima, quæ aliquando quidem ſubſequens ſpiritum elevatur ab eo; aliquando autem conſentiens carni, decidit in ferreas concupiſcentias. Quotquot ergo id, quod ſalvat, & format in vitam, non habent, hi conſequenter erunt, & vocabuntur caro, & ſanguis; quippe qui non habent* SPIRITUM *Dei in ſe. Propter hoc autem & mortui tales dicti ſunt à Domino: ſinite enim, inquit, mortuos ſepelire mortuos ſuos; quoniam non habent* SPIRITUM VIVIFICANTEM *hominem. Igitur caro* SINE SPIRITU *Dei mortua eſt, non habens vitam.* An potius, quia lethali veneno labis moriferæ infectum cor hominum flagitioſorum, mirum non eſt, ſi nequeat flammis illis cœleſtibus abſumi: eo planè modo, quo Plinius ſcribit, n cor Germanici Imperatoris, ob venenum cremari non potuiſſe, reliquo cremato corpore, priuſquam diſſecto pus exprimeretur. Ergo carnis operibus renunciare, venenum peccati evomere debet, qui vitali harum flammarum incendio cupit abſumi. Peccatum carnis, venenum eſſe audiſtis; ſed & iram, & amaritudinem, & diſcordiam, venenum eſſe, ſupra quam dici poteſt noxium, ac virulentum, quod benignum illum Spiritum non recipit, tradit Cyprianus: p *Venena fellis evome, diſcordiarum virus exclude*, omne peccatum lethale, per ſinceram confeſſionem ejice, ut vivificet, & *permaneat Spiritus Sanctus* in homine, atque ita hi unum ſitis, ut charitas ſemper maneat in vobis, & amor Spiritus Sancti, qui vos ſecum cum Patre, & Filio unum faciat in æternum.

m S. Iren. lib. 5. c. 9.

n Plinius. lib. 11. c. 37. p Cyprian. de zelo & livore.

F I

FESTUM SECUNDUM
PENTECOSTES.

MUSTO *pleni ſunt.* Act.2.v.13.



Qui SPIRITUS *illi*? Virg. 5. Æneid.

ARGUMENTUM.

MIrandum quis fortè, imò indignandum duxerit, ſi quis hodierna die, ex hoc ſuggeſtu, paræneſim, aut vehementem adhortationem Divinus Eccle-

ſiaſtes habuerit, qua omnes ad temulentiam, ad ebrietatem quam ardentiſſimè excitare contendat. Is tamen mihi animus eſt; ſed ad ſobriam, & ſanctam, qua Apoſtoli ebrii erant; ad quam Hipponenſis Antiſtes ſuos invitat: & Sponſa in Canticis, ut inebriemur vino, in quo non eſt luxuria, ſed quod *germinat Virgines*: quod linguas Apoſtolorum fecit diſértas: hI MVſto DeI & sanCtI spIrItVs repLetI, eructarunt abſcondita: quod oblivionem inducit omnium vanitatum, & eorum quæ retro ſunt: quod animos addit, & audaces facit, ut nec enſes, nec rotas, nec rogos exhorreſcant: quod ſecretum cordis ſalubriter pandit, & lætitiam veram animis infundit, quam Sancti, calice Domini potati, & inebriati, experti ſunt.

§. I. *Non impedit, ſed expedit linguam, hauſtus* MUSTI HUJUS. *Bern. de Paſſione Dom. cap.* 42.

§. II. *Nullum ſecretum, ubi regnat* EBRIETAS. *Eccl.* 31.

§. III. *Hæc* EBRIETAS *facit* AUDACES *contra adverſa.* Bern. ſuper Salve Regina. cap. 4.

§. IV. *Hoc muſtum facit, quæ* RETRO SUNT OBLIVISCI. Philipp. 3.

§. V. *Vinum ad lætitiam creatum eſt.* Eccl. 30.

FESTUM

FESTUM SECUNDUM

PENTECOSTES.

MUSTO *pleni ſunt.* Act.2.v.13.

INſolens argumentum & merum paradoxū, Auditores, quibuſdam videbitur, ſi vos hodierna die omnes potatores, ſi ebrios, ſi temulentos, & juvenes, & ſenes, fœminas, & puellas; imò & viros religioſos, ac ſanctimoniales eſſe debere perſuaſero: Si vos adhortatus fuero illis verbis Cant. 5. BIBITE, ET INEBRIAMINI CHARISSIMI; q *ſed videte, unde.* Bibite, & inebriamini; ſed eo muſto, quo hac feſtivitate Apoſtoli pleni fuerunt; eo vino, quo Martyres, quo Virgines, quo omnes Sancti temulenti fuere: Quo Redemptor noſter inebriatus fuit. Ad hanc ſobriam ebrietatem, & Sanctam temulentiam, vos invitat Hipponenſis Antiſtes, qui exponens illud Pſalmi 103. VINUM LÆTIFICAT COR HOMINIS, ſic differit: r *Nemo ſe ad* EBRIETATEM *paret; imò ſe omnis homo ad* EBRIETATEM *paret. Calix tuus* INEBRIANS *quam præclarus eſt. Nolumus dicere, nemo ſe* INEBRIET. INEBRIAMINI, *ſed videte, unde. Si vos* INEBRIAT *Calix Domini præclarus, videbitur iſta* EBRIETAS *in operibus veſtris, videbitur in ſancto amore juſtitiæ, videbitur poſtremò in alienatione mentis veſtræ; ſed à terrenis in Cœlum.* Sic ſalubriter ebrios, & ſanctè temulentos, dictitârunt gentiles Apoſtolos, ut canit Eccleſia:

ſ *Linguis loquuntur omnium,*
Turbæ pavent gentilium:
Muſto madere deputant,
Quos Spiritus repleverat.

Videbatur iſta EBRIETAS *in operibus* diſcipulorum, quæ mira, & ſtupenda perpetrabant: *Videbatur in ſancto amore,* quo flagrabant, & Orbem inflammabant: *Videbatur in alienatione mentis,* qua extra ſe rapti, in cœleſtia, & divina, toti in Deum ferebantur: quæ ſigna cum in vobis non appareant, facile conjicere eſt, vos divino illo muſto minimè temulentos eſſe. Mirabantur Judæi, illos è cœnaculo, ubi congregati fuerant, quaſi è cellâ vinariâ hilares, diſertos, intrepidos, incenſos, & velut ebrios, in publicum prodire; non toti aberrabant,

q Aug. in Pſal. 103. r Aug. cit.

ſ S. Hilarius in hymno Pentec.

inquit Bernardus: t *Nam cum diſcipuli muſto pleni à populo putarentur, ſtans Petrus in medio eorum: Non inquit ſicut vos exiſtimatis, hi* EBRII *ſunt. Attende interim quod non omninò* EBRIOS, *ſicut ab illis æſtimati ſunt, negavit: Erant enim* EBRII, *ſed Spiritu Sancto, non muſto.* Atque illos introductos in cellam vinariam, mox ſubjungit: *An non tibi cella videtur fuiſſe vinaria, illa domus, in qua erant diſcipuli pariter congregati, cum factus eſt repente de Cœlo ſonus* &c. *Et nonne unuſquiſque illorum exiens,* EBRIATUS *& ubertate domus illius, & torrente voluptatis tantæ potatus, dicere meritò quibat: Quoniam introduxit me Rex in cellam vinariam?* Vinum, ut infrà videbimus, accendit hominem; ſed longè efficacius muſtum Charitatis, & gratia Spiritus Sancti. Unde ait idem Doctor: v *Hinc ſobria illa* EBRIETAS *vero, non mero ingurgitans: Non madens, vino; ſed ardens Deo.*

Hac utinam ſanctâ, & ſobriâ ebrietate arderet cujuſvis anima, ac temulenta eſſet, uti ſponſa illa in canticis de qua Bernardus explicans illud: *introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* x EBRIA, inquit, *eſt ſponſa; ſed amore, non vino; niſi quod amor vinum eſt;* qui potentius, quam vinum inebriat. Hoc vino inebriatus eſt amantiſſimus Jeſus meus, qui numquam tam indigna ultro incurriſſet, & ſponte ſubiiſſet, niſi amore ebrius, cujus vivum habemus Symbolum Gen. 9. in Patriarcha Noe, qui primam vineam plantaverat, ut triſtem aquarum memoriam vino reſtingueret. At indoctus adhuc lymphantem Bacchum miſcere lymphis, qui de Oceano ſiccus emerſerat, fecit in cratere naufragium. Robuſtior quippe vini vis, innocentem virum inebriavit, nudavitque Noe, qui *inebriatus* eſt. Auguſtinus appoſitè ad rem noſtram: y *invenimus,* inquit, *in Geneſi, circa Sacramentum Noe, figuram Dominicæ Paſſionis illic exſtitiſſe, quod vinum bibit, &* INEBRIATUS EST. Idipſum proſequitur fuſius l. 12. c. 23. conta Fauſtum manichæum: *jam verò illud quod de vineâ quam plantavit,* INEBRIATUS EST NOE, *nudatus eſt in domo ſua; cui non appareat Chriſtus paſſus in gente ſua? Tunc enim nudata eſt mortalitas carnis ejus, Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitia.* ac tandem ſubdit: *Chriſtum dormiiſſe in Paſſione ſua, tanquam in* EBRIETATE STULTITIAE. Beatus Laurentius Juſtinianus, Patriarcha Venetus, in Triumphali Chriſti agone, in Noe ebrio Chriſtum agnoſcit, non alio vino, quam amoris inebriatum, & in cruce nudatum: z *Amore,* inquit, EBRIUS MEDIATOR, *ſuam coram omnibus exhibuit nuditatem: alter equidem Noe præfiguratus.* Ad hunc calicem Paſſionis exiſtimat Davidem alluſiſſe, dum dixit: a *Calix meus* INEBRIANS, *quam præclarus eſt?* Quomodo, inquit, *inebriet* meditantem, *cum amor ipſe inebriaverit patientem.* Doctor Seraphicus ſub eodem Noemi typo Chriſtum inducit: b *dicitur quod Noe plantavit vineam, id eſt Chriſtus* Ec-

t Bernard. Serm. 49. in cant. v Bernard. tract. de diligendo Deo. x Idem serm. 49. in cant.

y Aug. tom. 3. de doctrina Chriſti l. 4. c. 21. Tom. 6. l. 12. c. 23. contra Fauſt. z Divinus amor ſicut vinum inebriat. Laur. Iuſtin. de triumphali Chri. agone c. 7. a Pſal. 21. v. 5. b Bonavent. dom. ſeptuag. Serm.

Eccleſiam, de cujus vinea, id eſt ferventi amore INEBRIATUS, *nudatus eſt in Cruce*;

Quas porro vires vinum habet ad inſanam temulentiam inducendam, majores divinus Amor exerit ad Sanctam, & ſobriam ebrietatem concitandam. Amor omnis, non ſecus ac vinum inebriat, Sanctus Sanctè, perverſus perversè, omniſque paſſio, quæ mentis lumen obnubilat, & rationem evertit, non minus quam vinum, hominem de ſtatu mentis deturbat. Sic S. Hieronymus in c. 2. Amos: c *per vinum*, inquit, *id omne intelligitur, quod mentis ſtatum dimovere poteſt; hoc autem nihil aliud eſt, quàm amor cujuslibet rei creatæ.*

Nazaræis cautum erat, ne quid biberent, quod inebriare poſſet; quod ad mores traducens S. Cyrillus Alexand. l. 16. de adoratione in Spiritu, ad illos imitandos vos omnes hortatur: d *Ab omni re quæ* INEBRIARE, *ac perturbare poteſt, abducat animum; hæc autem ſunt: Senſus mundanus, terrenæ cupiditates, ſolicitudines carnis, vanæ diſtractiones*, &c. Nam ut quidam Græcorum: Amor non ſecus ac vinum inebriat, & mentem perturbat. Adeo ut ſi quem laſcivientem videris, rectè ebrium dixeris: Si quem avarum, amore pecuniæ inſanientem, rectè ebrium dixeris: Si quem divitem, ſuperbum, e *fortunaque dulci* EBRIUM, temulentum dixeris, *Broot droncken.* Nam ut alia vitia, ſic faſtus, & ſuperbia, maximè inebriat, teſte Iſaia c. 28. *væ Coronæ ſuperbiæ*, EBRIIS *Ephaim* S Auguſtinus in illud: *in me pſallebant, qui bibebant vinum*, myſtice de vino erroris, impietatis, & ſuperbiæ exponit; ſi quem iracundiâ, & rabie perturbatum videris, rectè ebrium dixeris; unde ſic Propheta proceres Iſrael perſtringit f *præ vino neſcierunt, & præ EBRIETATE erraverunt. Sacerdos & Propheta neſcierunt præ EBRIETATE, abſorpti ſunt à vino, erraverunt ab EBRIETATE, neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium.* Ubi tam frequens fit neſciendi, errandi, & ignorandi repetitio, ut vehemens quædam ebrietas ſignificetur; ſed unde orta? *à vino*, inquit Propheta. At S. Cyrillus ait, *ſine vino: inebriati enim ſunt*, inquit, *non hoc vinum ſubjectum ſenſibus bibendo; ſed ex impotentiâ, & furore, EBRIETATEM, & diabolicæ perverſitatis obtenebrationem in animum, quaſi domicilium admittendo.* Denique Doctor maximus g: *EBRIETAS non ſolum in potione vini, ſed in omnibus rebus oſtenditur: ſed & amore, & odio mens INEBRIATUR.*

Ad hanc inſanam temulentiam, & belluinam ebrietatem ſuperandam, quæ luxuriæ fomes, iracundiæ incentivum, h *flagitiorum omnium mater, & origo vitiorum eſt*, rurſus vos ad potandum invito, ut clavum clavo pellatis: *T' is de leſſe van Alexander, t' een fenijn verdryft het ander*, in antidotum ſobriam vobis ebrietatē, virtutū omnium parentem, caſti-

c S. Hieronymus in Amos. cap. 2. d S. Cyrillus. Alexand. lib. 16. de adorat. in Spiritu. e Horat. lib. 1. Carm. ode. 37.

f Iſa. 28. v.7. g Hierony. in Ezech. c. 2. h Auguſt. ad ſacras Virgin.

moniæ

niæ cuſtodem, temulentiam ſanctam proponam, de qua Hieronymus: i EBRIETAS FELIX, *ſatietas ſalutaris, quantò copioſius ſumitur, tantò majorem præſtat ſobrietatem.* Videamus itaque qualiter *hi* EBRII *ſunt.* Act.2.v.15. Nemo quiſquam verius, & vivacius vires vini, atque effectus ebrietatis exponet, quam qui omni vitâ k *ſtuduit calicibus epotandis,* & in arte bibendi Magiſter extitit. Hac, ſi quis, excelluit Venuſinus vates Horatius, qui lib. 5. ad Torquatum:

Quid non ebrietas deſignat?

Hoc eſt, quid non efficit, & perpetrat? quod numquam ſobrius cogitaret. Ac *primum* quidem eloquentes, & diſertos facit:

l *Fœcundi calices, quem non fecere diſertum?*

Secundò, cor natat in lingua, & omnia arcana pandit, hinc ſubdit:

Operta recludit.

Ubi enim vinum intrat, ſecretum exit, & prodit.

Tertiò, audaces facit, & animos addit:

m *In prælia trudit inermem.*

Multi aliàs timidi, dum bene poti, Martem ſpirant, ad arma alacres provolant, ruunt in hoſtes.

Ennius ipſe Pater, numquam niſi potus, ad arma
Proſiliit.

Quartò, immemores, & oblivioſos reddit, ſic enim alibi:

n *Oblivioſo lævia maſſico*
Ciboria imple.

Propertius: o *Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum.*

i Hierony. in Luc. c. 22. v. 20. k Prov. 23 v. 30 l Horat. cit. m Horat. n Horat. l. 2. ode. 7. ad Pomp. o Propert. l. 2. eleg. ult.

Quinto, lætos, atque hilares facit, in quem finem vinum conditum ſcribit:

p *Natis in uſum lætitiæ ſcyphis*;

Ut quotidianâ experientiâ videre eſt: Nam Bacchus † *lætitiæ Pater* curas tollit, & ſolicitudinem omnem, ac anxietatem pellit:

q *Solicitis animis onus eximit.*

Has ebrietatis proprietates, & effectus, longè nobilius præſtat vinum illud, in quo veritas, quod lætificat cor hominis, quod oblivionem omnium rerum ſæcularium inducit, quod in vulnera, & mortem cogit, &c. Quæ omnia paucis complexus Claravallenſis Abbas, dum ait: r *Calix hujus vini INEBRIANS, quam præclarus eſt? INEBRIAT, calefacit, audaces facit, & fortes: Oblivioſos, diſcretos, ſomnolentos.* Quæ omnia Spiritualiter intelligenda ſunt: Subdit enim: *INEBRIAT amor Dei ad contemptum mundi: Calefacit, quia ferventes facit: Acuit, quia erudit: Audaces facit contra adverſa: Fortes: à carne, mundo, & dæmonibus invincibiles: Oblivioſos eorum ſcilicet quæ retro ſunt, & in futura extentos: Diſcretos, erudien. ad juſtitiam: Somnolentos ad temporalia, & tædioſos: ad inviſibilia præparanda pronos, & promptos.* Singula nunc enucleatius pertractemus.

p Horat. l. 1. ode. 27. † Virg. q Horat lib. 1. ep. 5. r Bern. ſuper Salve Regina Serm. 4.

§. I. No

§. I.

Non impedit, ſed expedit linguam, hauſtus Musti *hujus.* Bern. de Paſſione Dom. c. 42.

APoſtoli, homines rudes, agreſtes, & elingues, muſto Sancti Spiritus ebrii, ſ cœperunt *loqui magnalia Dei.* Habet hoc vinum, quod eloquentes facit, atque diſertos. Convivis in ſilentio primum epulantibus, ubi vinum menſis infertur, & cyathi obambulant, pro numero fiſtularum, auditur *ſonus epulantium:* in principio quippe convivii, ut quidam perverſè luſit: *Non ſunt loquelæ.* Ad ſecundos miſſus: *cœperunt loqui.* poſtea: *in omnem terram exivit ſonus eorum.* Hæc quidem optima convivialia præcepta tradit Tympius: ut t ſenes, ac viri eruditi, ſint *vocales*; fœminæ, ac juvenes, *conſonantes*, ut interrogati, reſpondeant; pueri &, virgines, *mutæ.* Sed ubi calicibus epotandis ſe dare cœperint, nullæ *mutæ*, omnes ſunt *vocales, liquidæ*, & *conſonantes.* Ut vinum paſſim jam *clavis oris* appelletur. Diviniori modo, inquit Bernardus, vinum quod hodie in diſcipulos effuſum eſt, eorum ora laxavit: u *Mox enim accepto ab Apoſtolis, & aliis, qui cum eis erant, Spiritu ſancto, INEBRIATI SUNT: Eructaverunt verbum bonum, loquebantur variis linguis magnalia Dei. Unde ſicut muſtum non patitur ſe contineri à vaſe, niſi foramen habeat, unde prorumpat: Sic per ora eorum, ſe muſtum SPIRITUS SANCTI manifeſtavit, loquentia magnalia Dei, cum mirabili eloquentia: Non enim impedit, ſed expedit linguam hauſtus muſti hujus, ut illud poeticum, verum inveniatur:*

x *Fœcundi calices, quem non fecere diſertum.*

Hoc vinum, linguas infantium facit eſſe diſertas hoc vinum, linguas piſcatorum fecit ſuperare, & confundere facundiam omnium Oratorum: y *Bulliebant muſto, & muſto bulliente, linguæ gentium profluebant.* Hoc vinum Albertum, re & nomine Magnum, primùm ingenio hebetem, omnium riſum, diſertiſſimum Doctorem, & Magiſtrum Doctoris Doctorum fecit; hoc vino Spiritus Sancti ebria puella Alexandrina, Catharina, omnium Philoſophorum ſophiſmata, divinâ ſua ſuada eluſit, & eliſit: ad quam erubuerunt eloquentiæ candidati, palluerunt Philoſophico tecti pallio: imò parum fuit inflammari ſermone Virginis, eo quo ipſa ardebat igne ſuccenſi, ſponte rogum ſubierunt, philoſophati clarius in flamma, quam ſub opaca porticu. Hoc vinum, facit, ut quando z cum Deo, aut de divinis loquendum, non infantes & elingues; ſed eloquentes, & diſerti ſimus. lib. 1. annalium Regum. c. 1. a Heli videns Annam uxorem Elcanæ,

ſ Ebrietas Spiritus Sancti, facit diſertos. t Tympii Alcedonia c. 32. u Bern. de Paſſione Dom. c. 46. in fine.

x Horat. l. 1. ep. 5. ad Torquatum. y Aug. Serm. 186. de tempore. z Hoc vinum facit in oratione diſertos. a 1. Reg. 1. 14.

labia movere, os torquere, & velut lymphatam, inconditos motus, & geſticulationes ciere, *exiſtimavit ergo eam Heli TEMULENTAM*. *b* Magnum enimverò, & enorme vitium, potiſſimum in fœmina: Nec ulla res magis deteſtanda, & execranda, quam mulier temulenta, & merobibula. Ipſum primæ veritatis oraculum, Eccleſiaſtici ore audite: c *Mulier EBRIOSA, ira magna, & contumelia, & turpitudo illius non tegetur*. Mulier quæ per ebrietatem, honeſtatis limites excedit, ira magna, quia garrulitate linguæ, convitiis, & maledictis lacerabit virum, eumque ad iracundiam concitabit. Magnam quoque illi inurit ignominiam, quia mulier ebrioſa, paſſim minus pudica eſt; unde ſequitur: *Turpitudinem ſuam non teget*: quaſi diceret, excuſſo matronali pudore, verbis, & factis, à temulenta prolatis, impudicitiam ſuam indicabit. Citat hunc locum S. Ambroſius lib. de Elia, & jejunio, *d* ubi invehitur in merobibulas, nverecundas, ducentes choros in plateis, cum adoleſcentum ruina. Clemens Alexandrinus ex eodem loco probat, *e* ebrietatem magis fœminas, quam viros dedecere: Nam cum illarum ſit rei familiaris, ac liberorum curam gerere, quid à temulenta expectes, niſi omnis diſciplinæ domeſticæ perturbationem, everſionem, & ſcandalum? vide Auguſtinum, alioſque apud Mendozam hic.

b Quam execranda ebrietas fœminæ. c Eccleſiaſt. cap. 26. ver. 11. d Ambroſius lib. de Elia, & jejunio, cap. 18. e Clemens Alexandrinus lib. 2. pedag. c. 2.

Hæc per tranſennam de mulierum temulentia dicta ſunt, quæ multo magis puellas, & Sponſas Chriſti dedecet. Quare eas hodie ad aliam ſaniorem, ſanctioremque temulentiam, & ad nobilius vinum orationis, & devotionis deguſtandum, adhortari contendam, de qua Bernardus f *hoc vino interdum exceditur, & ſeceditur à corporeis ſenſibus, ut ſeſe non ſentiat anima: hoc fit cum mens ſe ſibi furatur, ut verbo fruatur*. Hoc vino, non ut Heli exiſtimabat, ebria erat Anna, orationi intenta, & cœleſtibus deliciis affluens, tota in Deum à ſe, & mente abrepta: g *loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur*.

Quærit orator aureus, quibus indiciis ſacerdos Annam temulentam æſtimarit: h *neque enim*, inquit, *ridentem vidit, neque ſaltantem, neque vertigine concidentem: non audivit ullum verbum obſcœnum, aut illiberale ſonantem*. Quid ergo ei venit in mentem, piam hanc fœminam, ebrietatis, ac temulentiæ inſimulare? videbat illam moventem labia, & caput: atque intra dentes, effuſa verborum copia, velut cum aliquo ſermones miſcentem; EBRIA ERAT inquit Chryſoſtomus, ſed non vino hujus mundi; ſed à muſto devotionis & divini amoris, quo Apoſtoli potati, & inebriati erant: i EBRIA ERAT *non è vino, ſed ex abundantia charitatis*. Ita Theresa, Clara de Monte Falco, Magdalena de Pazzis, Gertrudis, ut in actis videre eſt, k ebriæ non

f Bernard. ſerm. 85. in cant. g Lib. 1. Reg. cap. 1. h Chryſoſtomus. hom. 1. de Anna. i Chryſoſtomus cit. k vita.

à vino

à vino, ſed ex abundantia charitatis, totæ à ſe, à terra, in Deum abreptæ, per horas plures, mira ſunt quę loquebantur. *l* B. Angela de Fulginio, quandoque triduo toto in mentis exceſſu. S. P. Ignatius toto octiduo, corpore velut mortuo, animo ſuaviſſimè ſermocinabatur. Quis aure audiat, quis animo capiat, quis fando explicet, hæc ignita colloquia, hos ſuaviſſimos ſermones, hæc ardentia verba, quæ tales animæ muſto plenæ eructabant?

Aptè divus Cyprianus ad illa verba: *m* *Calix meus* INEBRIANS *quam præclarus eſt*, ſic ait: *hæc* EBRIETAS *non accendit, ſed extinguit peccatum*: *in hoc vino* (devotionis) *non eſt luxuria, nec movetur ad ludum poſt hunc potum laſcivia. Cum ſopivit oblivio cuncta carnis ludibria, mira ſunt quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur.*

Qualia, quàm inaudita, quæ Seraphicus Franciſcus, hoc muſto ebrius, ab omni ſtrepitu, & congreſſu hominum remotus, ſolus cum ſolo Deo habuit colloquia? *n* *Vir Dei*, inquit Bonaventura, *ſolitarius nemora replebat gemitibus, loca ſpargebat lacrymis, pectora manu tundebat. Et quaſi occultius ſecretarium nactus, confabulabatur cum Domino ſuo, & ibi colloquebatur amico.* Idque cum *o* *mirabili eloquentia*: *Non enim impedit, ſed expedit linguam hauſtus muſti hujus.* Sic diſertum fecit, ut per 40. dies, & noctes, in monte Alvernæ cum Deo loqueretur: *p* *mira ſunt quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur.* Quiſquis motum labiorum, nictus oculorum, jactus brachiorum, atque ignita illa ſubinde erumpentia eloquia obſervaſſet, illum jure pluſquam Annam divino Spiritu ebrium dictitaſſet: nam ut inquit Bonaventura: *q* SPIRITU EBRIUS, *in mentis ut plurimum rapiebatur exceſſum*; Unde ille ingeminatæ voces cum lacrymis, ac ſuſpiriis: *Deus meus & omnia, Deus meus & omnia.* O nos elingues, & mutos in oratione, & colloquio cum Deo! ô nos infantes in ejus laudibus, & magnalibus decantandis! Non alia de cauſa, quam quod hoc muſto Spiritus Sancti, qui linguas infantium facit eſſe diſertas, potati non ſimus; ut quiſque noſtrum jure illud Abbatis Igniacenſis uſurpare queat: *r* *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus eorum; & adimplèrat illud Effundam ſuper vos Spiritum meum. O Domine Deus meus, ego utique ſimiliter laudarem te*, SI SIMILITER POTATUS ESSEM.

Cantores ſemper potum ad manum habent, ne fauces areſcant: *Quia verò arida eſt anima mea, ideo eſt & torpida lingua*; quia *ſimiliter potatus* non es vino compunctionis in Sacramento pœnitentiæ: Quia *ſimiliter potatus* non es vino illo amoris, muſto illo condito, quod inebriat in menſa Domini: quia *ſimiliter potatus non es* vino illo compaſſionis, quod propinatur è calice, qui inebrians eſt: quia *ſimiliter potatus non es* vino devotionis, conſolationis, quod non à Creaturis, ſed à Creatore Spiritus, propinatur,

l Bollandus 4. Ianuarii. *m* Cyprian. Serm. de Cœna Domini. *n* Bonaventura. cap. 10. vitæ. *o* Bernardus cit. *p* Cyprian. cit.

q Bonaventura in vita c. 9. *r* Guarricus Serm. 2. in pent.

ideo arida eſt anima veſtra, ideo eſt & torpida lingua veſtra. Hinc fit vos omnes tam aridos, & jejunos in orationibus eſſe, nihil, aut parum occurrere, quo hora meditationis cum verbo divino colloqui poſſitis.

Quod ſumma animi modeſtia de ſe Bernardus, hoc verè quiſque de ſe ſentiet: quia non bibitur vinum illud inebrians; ſ *hinc illa ſterilitas animæ meæ, & devotionis inopia, quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum eſt, ſicut lac, factum eſt ſicut terra ſine aqua? Nec compungi ad lacrymas queo, tanta eſt duritia cordis: non ſapit Pſalmus, non legere libet, non orare delectat: meditationes ſolitas non invenio Ubi eſt illa INEBRIATIO SPIRITVS?* O quot jejunæ, & aridæ animæ hoc indies queruntur: *ubi eſt illa INEBRIATIO SPIRITVS?* Quando primo converſionis, & Sanctioris vitæ, aut etiam Religionis fervore, & tirocinio, muſto Sancti Spiritus plenis, orationis, & meditationis hora, parva mora, in ſuaviſſimis cum Deo colloquiis videbatur? Et potiſſimum quando à menſa Euchariſtica, mens tota ebria, nec horologium, nec negotia, nec curas attendebat, ſed prolixos, ac ſuaviſſimos, ſine ullo ſtudio, diſertiſſimè cum Deo miſcebat Sermones: *Vbi eſt illa INEBRIATIO SPIRITVS?* vis paucis, & candide dicam? t *vinum tuum, mixtum eſt aqua*; qui dilutum bibit, non facilè inebriatur, enervatur vis vini, & Spiritus extinguuntur. O Sponſa Chriſti, vinum tuum converſationis divinæ, mixtum eſt aqua converſationis humanæ: colloquium cum Deo, majori ex parte mixtum eſt aqua conſolationis ſæculi, amoris, ſenſualitatis, affectus proprii, quæ impediunt ne Spiritus divini illius muſti, ad arcem mentis aſcendant.

Si inebriari vis, omnibus affectibus erga creaturas, erga liberos, domeſticos, propinquos; omnibus curis, & negotiis temporalibus ſepoſitis, cellam vinariam, id eſt domum orationis ſolus ingredere: ſic domum illam, in qua Apoſtoli congregati, Mellifluus Doctor nuncupavit: v *Nonne unuſquiſque illorum exiens INEBRIATVS ab ubertate domus illius, & torrente voluptatis tantæ potatus, dicere meritò quibat: quoniam introduxit me Rex in cellam vinariam?* Tum ſubdit: *Sed tu quoque, ſi collecto pio Spiritu, mente ſobria, & vacua curis, orationis domum ſolus introeas, poteris veraciter proteſtari: quia introduxit me Rex in cellam vinariam*; tunc eructabit cor tuum verbum bonum, & x *ex abundantia cordis*, loqueris magnalia Dei. Nec cum Deo dumtaxat in oratione, ſed & cum hominibus, ubi opportunitas tulerit, de divinis, & piis colloquiis, hæc ebrietas y *linguas facit eſſe diſertas.*

Pſaltes Regius canit: z *repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Rogat primum, muſto S. Spiritus repleri, ut eloquia divina refundere poſſit, ut rectè Bernardus: a *infundi nimirum prius volens, & ſic effundere nec ſolum infundi prius, ſed etiam impleri: quatenus de plenitudine eructaret, non oſcitaret de inanitate.* Quis ſatis aſſequatur, quam ignita

ſ Bern. Serm. 54. in cant. t Iſa. 1. v. 22.

v Bern. Serm. 49. in cant. x Matt. 12 v. 34. y Sap. 10. v. 21. in colloquiis piis diſertos facit. z Pſal. 62. v. 6. a Bern. Serm. 18. in cant.

effu-

effuderint eloquia diſcipuli, dum ardenti corde fabularentur in via: b *Erat ardor confortans, ſplendor illuminans, amor INEBRIANS*, qui tam diſertos fecit, ut nec itineris, nec laboris memores, appropinquârint caſtello, antequam ſcirent. Quam breve tempus viſum fuit Auguſtino, quod in prolixo cum Matre alloquio, totus ille, & illa muſto pleni, ſuaviſſimè, & diſertiſſimè miſcebant? c *imminente die, quo ex hac vita erat* (Monica) *migratura, provenerat, procurante te* (Domine) *ut ego, & ipſa ſoli ſtaremus, incumbentes ad quandam feneſtram unde hortus intra domum, quæ nos habebat, proſpectabatur, illic ad oſtia Tiberina. Colloquebamur ergo ſoli valdè dulciter, & præterita obliviſcentes, in ea quæ ante ſunt extenti, quærebamus inter nos, qualis futura eſſet vita æterna, quam nec oculus vidit &c. Erigentes nos ardentiore affectu in idipſum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, & ipſum Cœlum, adhuc aſcendebamus interius cogitando, & loquendo de te*; quæ ſuaviſſimè proſequitur, & ſic concludit: *Domine tu ſcis, quod illo die, cum talia loqueremur, mundus iſte nobis inter verba vileſceret, cum omnibus delectationibus ſuis.* Unde hæc tam ignita, tam ſuavia, tam fuſa, & proflua inter Sanctas animas eloquia? non aliunde, dicit D. Chryſologus, quam d *cum humana corda, flamma divinæ charitatis accendit, & humanis ſenſibus amoris Dei ſe tota fudit EBRIETAS.*

Dixi de matre & filio, quid dicam de fratre & ſorore? Nota eſt Sancti Gregorii narratio de S. Benedicto, & Scholaſtica: e *qui totum diem in Dei laudibus, ſacriſque colloquiis duxerunt.* Neque his contenta ſoror, cum ſatiari non poſſet: *quæſo te*, inquit, *ut iſta nocte non deſeras, ut uſque manè de cœleſtis vitæ gaudiis loquamur.* Cumque frater ſibi abeundum, nec à Monaſterio diutius abeſſe poſſe diceret, illa ad orationem confugiens, derepente ingentem pluviam obtinuit, ut Benedictus Dei nutum obſervans, ad monaſterium redire non potuerit: *Sicque factum eſt, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per Sacra Spiritualis vitæ colloquia, ſeſe vicaria relatione ſatiarent*, totam noctem & ſine faſtidio diſertiſſimè collocuti.

Quid ad hæc tu Religioſe, qui toties cum ſæcularibus, & domeſticis miſces colloquia, ſed non talia? Quid tu Sanctimonialis, quæ inter tuas, ad cœleſtes ſermones muta, & elinguis conſides? *Similiter diſſerere poſſetis, ſi ſimiliter potati eſſetis* (e). Hoc eſt quod Apis illa Claravallenſis, & non ſine aculeo ſcribit ad Guilielmum Abbatem: f *O quantum*, inquit, *diſtamus ab his, qui in diebus Antonii extitêre Monachi! ſiquidem illi cum ſeinvicem per tempus ex charitate viſerent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus obliti, diem plerumque totum jejunis ventribus, ſed non mentibus transigerent. Nobis autem convenientibus in unum, nemo eſt qui requirat, nemo eſt qui tribuat. Nihil de ſcripturis, nihil de ſalute agitur animarum, ſed nugæ, & verba proferuntur in ventū.*

b Bern. Serm. de diſcipulis in Emaus. c Aug. lib. 9. conf. c. 10. d Chryſolog. Serm. 147.

e Greg. l. 2. Dialog. c. 33. (e) Guarricus Serm. 2. in Pent. f Bern. apologia ad Guilielmum Abbatem.

Hi priſci aſcetæ cum Apoſtolis ebrii, linguis loquebantur novis: Quemadmodum S. Franciſcus, & B. Ægidius ad ſermones divinos toti abripiebantur. De S. Catharina Virgine Senenſi refert D. Antoninus, g adeò eloquentem & diſertam fuiſſe in rebus divinis, ut centum dies, & noctes, fere ſtetiſſet abſque cibo, & potu, & ſomno, ſi habuiſſet intelligentes, & conferentes cùm ea ad loquendum de Deo. Sic h facundum faciebat vinum Euchariſticum Beatum Aloyſium, ut dum i *ex abundantia cordis os loqueretur*, omnes adſtantes inflammaret: k *Eſt enim os cordis oſtium, per quod egreditur, quod intus clauſum tenetur*; quod alibi ad mores pulcherrimè proſequitur, dicens: l *qui de terra eſt, de terra loquitur: Sic videmus agricultores cum in unum coadunantur, repentè & ſine tædio, de iis quæ agriculturæ ſunt, ſermocinari: Artifices de artificiis ſuis: mercatores de ſuis mercimoniis: Oratores de ſuis facultatibus confabulari. Prô dolor! Soli Dei ſervi, quæ proprio congruunt ſtatui, audire, vel loqui non curant, vel ignorant.*

Quid, quod etiam m in ſomnis, ebrii garriant de vino, & illa eructant, quibus pleni ſunt. Quod & in ſanctâ, ac ſobria ebrietate accidiſſe comperimus, dum & in ſomnis Deo laudes dicere, & pias aſpirationes, & colloquia miſcere, ecſtatici quidam Sancti auditi ſunt. Mirum, quantum his de Deo colloquiis aſſueti fuerint priſci illi, qui Ægyptum, & Alexandriam incolebant, anachoretæ; de quibus Philo Judæus ſcribit: n *Perpetuam habent Dei memoriam; ut NE IN SOMNIS quidem aliud eis obverſetur, quam imagines divinarum pulchritudinum & ſunt in his, qui SOMNIANDO produnt præclaras Sacræ Philoſophiæ ſententias.* Quemadmodum enim ex magnæ ſonitu pulſæ campanæ, adhuc reſonat tinnitus quidam, & fides tactæ adhuc frinniunt, ita ex divinis cum Deo, aut de divinis cum homine colloquiis, remanent in ſomnis ſpecies, & imagines, quæ etiam inter dormiendum, in ardentes aſpirationes, & ſuaviſſimas divini amoris voces prorumpere cogunt. Sic illa ſponſa in Canticis de ſe fatetur: p *Ego dormio, & cor meum vigilat*; in quæ verba Hugo Cardinalis: *vox eſt ſponſæ, quæ jam INEBRIATA*, corpore, & omnibus ſenſibus, ac humanis phantaſiis ſopitis, mente vigili, Deum contemplatur, & cum eo fabulatur. Hinc ſubdit: *Bonus ſomnus & dulcis, in quo dormiendo anima, vigilanti corde Deum contemplatur*, & tota ebria, ardentiſſimas ad dilectum ſuum habet aſpirationes: præmiſerat enim ſponſus ante hunc ſomnum: q *Comedite, bibite, & INEBRIAMINI CHARISSIMI*, non ſine myſterio: *Attende*, inquit Hugo, *ordinem: quia prius eſt INEBRIATIO, poſt ſomnus*, & in ſomno Sanctæ illæ vigiliæ. Quæ prærogativa ſi ulli Sanctorum, eminenti modo Deiparæ fuit communicata, ut ſolerter divus Ambroſius obſervavit ſic de Virgine loquens:

g Antoninus in vita. §. 3. h Barradius tom. 4. lib 8. c. 13. de diſcipulis in Emaus. i Matt. 12. k Laur. Iuſtinian. faſcic. Amoris c. 11. l Ioan. 3. Laur. Iuſtin. de diſcipl. & perf. mon con. c. 22. m Etiam in ſomnis facit diſertos.

n Philo l. de vita contempl. p Cant. 5. Hugo hic. q Cant. 5.

r Dor

r *Dormire non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit; & tamen cum quieſceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænuntiat.*

Res profectò ſtupenda, & ſupra naturam, dormire hominem poſſe ſimul, & vigilare, atque in ſomnis nobiliſſimos intellectus, & voluntatis, ac præſtantiſſimarum virtutum actus elicere! Quod expendens Gregorius Nyſſenus, in illud cant: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, ait: ſ *Poſt inſigne illud epulum, ſomnus ſponſam occupat. Et ſomnus hic inſolens eſt, ac alienus à conſueto more naturæ: nam uſitato in ſomno, neque dormiens vigilat, & vigilans non dormit; verùm hic nova quædam, & inaudita rerum ſibi adverſantium miſtura conſpicitur. Quamobrem diſcimus ipſam ſeipſa ſublimiorem eſſe redditam, quæ ſe verbis his jactat* (& dormiens loquitur) *ego dormio, & cor meum vigilat*, cor meum lecta repetit, mira diſponit, arcana prænuntiat, inaudita eructat.

Sic t S. Gertrudis in ſomnis eructabat incendia ferventiſſimi amoris, & narrabat opera ſua Regi. Sic muſto plenus, quod anguſtia pectoris continere non valebat, Xaverius in ſomnis ardentiſſimas aſpirationes ad Deum ejaculabatur. Quo in genere illuſtre illud, quod de P. Petro Cotono refertur v conceſſum illi ab Anno ætatis 46, quod tota conſtanter vita ad Annum 63 tenuit, *ut nocturnis horis, inter ipſum ſomnum, quem breviſſimum capiebat, ac leviſſimum, orationes & cogitationes de Deo non intermitteret*; Ejuſque nocturnæ voces, cum Nancei cubiculum incoleret, cujus cratitii, ac tenues parietes, à vicino Rectore, ac Confeſſario, non ſemel auditæ ſunt, & quod ſuberat, conſcientiæ ſuæ arbitro candidè indicavit. Alteri verò ſub mortem, Paulino more loquens, edixit notum ſibi hominem, cui eſſet à Deo tributum, ut inter ſomnum, liberum haberet ad propitiandum precatione, contemplandumque Deum, rationis uſum, & linguam diſertam, eructabat quæ à S. Spiritu hauſerat. Quam longè aliis, qui vino mundi ebrii, ſunt ſomnia? de quibus aliàs egimus.

x Nunc cœptum proſequamur, atque à facundiâ Divina, ad alium ebrietatis effectum, quo arcana panduntur, gradum faciamus; quò me manu ducit Seneca: y *Eſt quædam* inquit, *dulcedo ſermonis, quæ irrepit, & blanditur, & non aliter, quam EBRIETAS, aut amor, ſecreta producit: nemo quod audierit, tacebit.* Exſtat aureum illud Sapientiſſimi Regis oraculum:

§. II.

Nullum Secretum, ubi regnat EBRIETAS. Eccl. 31. v. 4.

APtam ſimilitudinem inducit Romanus Philoſophus: z *Quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod*

r S. Ambroſ. l. 2. de Virg. ſub initium ſ Nyſſen. in cant 5. orat. 10. t Richel. in vita lib. 2. v P. Roverius in vita. 2. c. 10.

x V. Lux Evang. part. 2. Domin. 3. Advent. y Seneca. epiſt. 105. z Seneca. epiſt. 83. Ebrietas pandit ſecretum.

in imo

in imo jacet, in ſummam partem vis caloris ejectat: Sic vino exæſtuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne ſecretum quidem; quod ſuum eſt, alienumque pariter effutiunt.

Quidquid in cordis fundo, quamtumvis abditum & arcanum eſt, ſupernatat: Quæque à ſobrio, nullis precibus, promiſſis, præmiis, nec minis, aut tormentis extorquere poſſes, ebrii effutient: Sua arcana conſilia, deſideria, ipſa flagitia, machinationes, quibus rei capitis aguntur, enuntiant. Sic uxor mariti animum, amicus amici, imò & hoſtis facilè perſpectum habebit, ſi liberalius illum vino ingurgitârit. Hinc illud Poëtæ:

a *Tu lene tormentum ingenio admoves*
Plerumque duro: Tu ſapientium
Curas, & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo.

Lenis hujus tormenti vim, D. Auguſtinus disertè obſervavit: *b* EBRIUS, inquit, *vultu dejecto, ſupinus accumbit, & nullo alio cogente præter vinum, cordis ſui arcana patefacit, & amicorum commiſſa ſecreta, in medium producit.* Expende illud: *Nullo alio cogente præter vinum*, quaſi vinum ad ſecretum prodendum, non tam agat, quam cogat. Divinè Plato de legibus: *c* nullum, ait, tormentum minus ſumptuoſum, minuſque noxium, ac periculoſum, quam vinum ad explorandos hominum affectus, & mores. Quoties vicini, propinqui, ancillæ, domeſtici, miniſtri magnatum, ſecreta jam poti prodidere, quæ numquam ſubeſſe credebantur, & nulli equulei, aut rotæ expreſſiſſent? hac de cauſa

d *Reges dicuntur multis urgere culullis,*
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant.

Scito ſymbolo *e* veteres picam Baccho ſacram fecerunt, dicaruntque: pica enim garrula, & quidquid audierit, refert. Sic Domeſtici, ubi in popinis ſe liberalius invitârint, quæ domi viderunt, & audierunt, ab hero, vel ab hera, plenis buccis, cum gravi nota, ſæpe non delenda, promiſcè pandunt, & produnt. Judices reis, quos nec equuleo, aut ullis cruciatibus ad fatendum crimen, aut proditionem cogere poſſunt, vino veritatem expreſſere. Quam vim vini D. Ambroſius conſiderans, ſic ait: f *plerique vino utuntur ut equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ ſtatum, ſalutem civium, defenſionis ſuæ prodant conſilia.*

Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat? Cujus rei ſi exempla quæras, notum illud M. Craſſi: *g* is enim bellum contra Dacos, & Baſtarnas exercens, admiſit eorum legatos, & convivio ſatis lauto excepit, qui vino pleni, omnia ſua conſilia denudarunt. Sic etiam Bonoſus Imp. *h* Barbarorum Legatos vino inebriabat, extorquebatque quæcumque vellet: Ebrii enim nullum ſecretum tegere nôrunt, juxta illud:

i *Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.*

a Horat. ode 21. l. 3. b Aug. ad Sacras Virg. c Plato l. 1. de legib.

d Horat. de arte poet. e Natalis Comes Mytholoh. c. 11. f Amb. lib. de Elia & jejunio. c. 17. g Dio l. 51. h Flavius vopiſcus. i Horat. l. 1. ep. ad Torquatum

Nem

Nemo inimicum ab amico, probum ab improbo, manſuetum ab iracundo, mercatorem fidum ab infido, Judicem æquum ab iniquo, filiam pudicam ab impudica diſcernere valet: Nemo fundum alterius, vicini, propinqui, nec frater fratris quicum indies conſueſcit, perſpectum habet; ita modò vivitur, ſunt multa fucis illita, omnia ſimulatione palliantur: Nemo quod ſentit, loquitur, nemo quod eſt, apparet. *Intus Nero, foris Cato.* O ſi ſpeculum cordi, ut vultui, objici poſſet, in quo affectus omnes animi refulgerent! hoc Æſchines Philoſophus adinvenit, & D. Maximus nobis proponit: k *Speculum formæ* inquit, *eſt æs* (ſeu vitrum) *animi autem vinum.* Hujus rei experimentum etiam habemus in vino ſpirituali, in illo l *poculo, quo fidelium INEBRIANTVR affectus, ut lætitiam inducat de remiſſione peccatorum.* Anima peccatrix, quæ lacryma Chriſti, nobiliſſimo illo vino inebriatur, quos non affectus erubeſcentiæ, confuſionis, deteſtationis, humiliationis, doloris, amoris prodit? vino compunctionis, lacrymis contritionis, & veræ pœnitentiæ, (de quibus Bernardus: *lacrymæ pœnitentum, vinum Angelorum*) ebria eructat abſcondita, & quemadmodum in doliis muſto plenis, m *omne quod in imo jacet, in ſummam partem vis caloris ejectat*; ita ſi quis muſto gratiæ prævenientis Spiritu S. ebrius eſt; occulta flagitia, injuſta lucra, inveterata odia, & *quidquid in imo* cordis per 10, 20, annos *jacuit abditum, effertur, & prodit in medium.* In Sacramento pœnitentiæ propinatur nobis calix inebrians Sanguinis Domini, in remiſſionem peccatorum: n *hunc quotieſcumque bibis, remiſſionem accipis peccatorum, & INEBRIARIS Spiritu* Hoc quicumque poti, ſecretum ſecretorum conſcientiæ, vicario Chriſti non ad juſtitiam, ſed ad miſericordiam; non ad mortem, ſed ad vitam exponunt: de hoc olim Jeremias vaticinatus eſt, inquit Ambroſius: Jeremias ait: p *gaude, & lætare filia Idumææ, & quidem ad te pertranſibit Calix, bibes & INEBRIABERIS: Calix enim Domini remiſſio peccatorum eſt, quo ſanguis effunditur, qui totius mundi peccata redemit.*

Hoc muſto ebrii, q *quod ſuum eſt, alienúmve, pariter effutiunt*: delicta juventutis, ſecreta quæ inter quatuor oculos, vel lunâ teſte commiſſa, inſuper (de quibus pauci curant) peccata aliena, quæ ſcandalo, conſilio, ſuggeſtione, irritatione perpetrata, aperiunt. Scio multis exitio fuiſſe, quod vino poti, arcana revelaſſent, de his Plinius ſic habet: r *alii teſtamenta ſua nuncupant, alii mortifera loquuntur, rediturasque per jugulum voces non continent, vulgoque veritas jam attributa vino eſt.*

Abhinc aliquot annis, ſtratagema ingenioſè ab Hiſpanis adornatum eſt, ut urbs Armenterienſis Francis eriperetur. ſ Expeditio fieri debebat profeſto trium Regum, dum liberalius ſolet genio indulgeri. Capitaneus fontanus in ſe ſuſceperat, varii cives

k Hieron. l Amb in Pſ. 118. Serm. 5. m Senec, ep. 83.

n Amb. l. 5. de Sacram. c. 3. p Thren. 4 Amb. in Pſ. 118. Serm. 21. q Seneca cit. r Plin. l. 14. c. 22 de vitanda ebrietate. ſ V. Piſe tom. 1. cit. ſecretum in judice.

con-

conſpirârant : dum unus ebrius, rixando cum Franco, comminatur illi, quod brevi Francos aliter haberet. Res ad Gubernatorem delata, qui hominem hunc cum aliquot complicibus comprehendi juſſit; in equuleum conjecti, ſtratagema omne exponunt, die proximo inſequenti Hiſpanos in veſte ruſticana urbem ingreſſuros, quia dies fori erat. Intrant, comprehenduntur, ſuſpenduntur. Unde hæc? quia vinum *operta recludit, &* t *nullum ſecretum ubi regnat EBRIETAS.*

Verum enimverò, ut Mediolanenſis Præſul loquitur, *v* BONA EBRIETAS *poculi ſalutaris, quæ mœſtitiam peccatricis abolet conſcientiæ, jucunditatem vitæ infundit æternæ.*

Bona ebrietas, quæ ſecretū prodit, quod ſemper manet ſecretum quo honori, quo famæ, quo animæ, & ſaluti conſulitur æternæ. *Bona ebrietas*, quæ ſecretum pandit, quod nunquam pœnitebit, quod nunquam dolebit, quod non in animo, ut in ebrietate brutali fit, poſtea anxietates, remorſus, execrationes, ſolicitudines, ne erumpat, procreat; ſed gaudium verum, lætitiam ſanctam, exultationem tranquillam; atque hæc eſt *x* ILLA EBRIETAS *per infuſionem Spiritus Sancti.* Expertus poteſt dicere, ubi per ebrietatem Spiritus, peſtilens illud conſcientiæ virus, quod in imo cordis tamdiu ſecretum latuerat, evomuit, quantam mentis lætitiam, & animi hilaritatem, ac tranquillitatem experiatur. Teſtatur hoc D. Cyprianus: *y Epoto illo calice, ſanguinis Domini, mœſtum pectus, ac triſte, quod prius peccatis urgentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia reſolvitur.* Vos ipſos teſtor qui hoc divino S. Spiritus muſto, & Sanguine Domini, hac ſolennitate in Sacramento pœnitentiæ inebriati eſtis, nonne veriſſimum illud experti: *z hoc muſto inſlammantur, & hoc præclaro poculo* INEBRIANTUR *corda fidelium, & animæ convertentium, quæ odiſſe incipiunt, quod fuerant?* hinc ubi inſiliit in eos Spiritus Domini, veluti Samſones, fortes, & audaces in omnia pericula ruunt.

t Eccl. cap. 31. v Amb. in Pſal. 1. (S. Serm. 21. x Sanctus Ambroſ. in Pſ. 35. y Cyprian. epiſt. 63.

z Aug. Serm. 185. de temp.

§. III.

Hæc EBRIETAS *facit audaces contra adverſa.* Bern. ſuper Salve Regina. cap. 4.

a VIno æſtuans, inquit Cornelius, animoſus & pugnax, nil timet; ſed intrepidus ruit in enſes, & ignes. Unde Koſaci, aliique milites pugnaturi, implent ſe vino aduſto, eóque pleni, non niſi pugnas, & minas ſpirant. Ita Apoſtoli, antea timidiſſimi, muſto Spiritus Sancti ebrii, facti animoſiſſimi, non niſi bellum contra infidelitatem, impietatem, & dæmonem ſpirarunt, ac intrepidè in pericula, carceres, & martyria ſe conjecerunt:

Vinum *b in prælia trudit inermes;*

a Cornelius in acta. Apoſt. c. 2. v. 13. 3. Proprieta audaces facit. b Horat. cit.

Intro

Intrepidos, & audaces facit. Indies videre eſt in conviviis, aut ſympoſiis, viros etiam nobiles, qui natura timidi, indolis modeſtæ & pacatæ, ubi vino incaluere, ſubito ad arma convolare, foras procurrere, ad pugnam provocare: Oritur tempeſtas commeſſationis, quia

c *Vina parant animos, reddunt-*
que caloribus aptos.

Quod ſanctè, & ſalubriter Apoſtolis accidiſſe narrat Bernardus: d *Timorè abſconditi, Spiritu Sancto* INEBRIATI, *cucurrerunt foras. Non jam timuerunt aquam populi frementis, charitatis igne ſuccenſi. Irruerunt in eos flumina poteſtatum, fluxerunt aquæ populoſæ multitudinis, flavere venti, ac procellæ comminationum, verborum, & ignis charitatis non eſt extinctus, imò auctus. Muſto quippe illo nobiliſſimo charitatis Dei, imò charitate repleti erant, inflammante ad amorem, & confortante ad timorem.* Quàm multi veſtrum timidi, ſi flumina perſecutionum, paupertatis, morborum; ſi aquæ tribulationis, venti tentationis, procellæ comminationum, verborum, calumniarum, auſteritatum inſurgant, ſe abſcondunt? qui ſi hoc muſto Spiritus Sancti cum Apoſtolis ebrii, animosè obviam irent, foras procurrerent, & omnem timorem excuterent. e *Petrus hauſtu novi muſti* AUDAX FACTUS, *jam non ſolum non timuit verba mulieris cujuſquam ut antè, ſed nec verba Principum.* Confirmat id ipſum S. Leo: hoc hauſtu novi muſti, f *nec mundi Dominam timet Romam, qui in Caiphæ domo expaverat Sacerdotis ancillam*; non enim conſiſtit timor cum hac ſanctâ audaciâ, ut diſerte, & dilucidè docet S. Thomas: g *Audacia* inquit, *aggreditur periculum imminens propter victoriam ſui, ſupra ipſum periculum. Vnde manifeſtè timori contrariatur audacia.*

Sic nobilis ille decurio Joſeph ab Arimathia, excuſſo omni timore, ſanguine Chriſti ebrius h AUDACTER *introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu.* Nec periculum imminens, nec animum exulcerati Præſidis, nec rabiem Judęorum reformidat: *i* AUDET *auſum laudabilem.* Hugo Cardinalis hoc audax factum laudans, dicit: k *qui primitus occultabatur, nunc denique aliquid magnum* AUSUS EST: *in mortem enim ſeipſum tradidit, hoſtilitatem omnium ſuſcipiens.* Sed neſcio quam Origenes ille adamantius, in muliere audaciam, majorem quam in Joſepho deprædicat, dum ſic inauditam Magdalenæ extollit audaciam: l *quid eſt hoc etiam, O bone Jeſu, quod dicit ad te, de te*: ET EGO EUM TOLLAM? *O Maria, ſi Corpus Jeſu forte poſitum eſt in atrio Principis Sacerdotum, in quo Princeps Sacerdotum calefaciebat ſe ad ignem, quid factura es?* EGO EUM TOLLAM. Tum ſe præ admiratione continere non valens exclamat: O MIRABILIS MULIERIS AUDACIA! *O mulier non mulier! Et ſi ancilla oſtiaria interrogaverit te, quid factura es?* EGO EUM TOLLAM. *O ineffabilis hujus mulieris amor!* O MIRABILIS AUDACIA! *O mulier non mulier! nullum locum excipit, nullum anteponit, ſine timore dicit, abſolutè*

c Tibull. d Bern. de Paſſ. Dom. c. 46. e Bern. cit. f S. Leo ſerm. 1. de SS. Pet & Paulo.

g S. Thomas 1. 2. q. 45. art. 1. h Marc. 15. v. 43. i S. Thom. hic in caten. k Hugo hic. l Orig. hom. 10. de Magdal.

pro-

promittit, dicito mihi ubi poſuiſti eum, & EGO EUM TOLLAM. Quid mirum? Ebria è poculo, quo ſub cruce potata fuerat: *EBRIETAS* enim, ut inquit S. Thomas, m *cauſat AUDACIAM, in quantum facit cordis dilatationem*, idque probat ex illo Ariſtotelis, *quod amatores vini, ſunt fortes, & AUDACES.* Major vis muſti ſpiritualis, & gratiæ Spiritus Sancti eſt, ut in omnibus Martyribus, & tenellis Virgunculis videre fuit, qui ultro in ignes, in aquas, in gladios irruerunt: ut de hoc vino dicere poſſim, quod Sanctus Hieronymus de vino mundano: n *videas alios pocula, in tela vertentes, ſcypkum in faciem jacere convivæ: videas alios ſciſſis veſtibus in vulnera ruere.*

Sic Alexandrina Virgo o Apollonia, Spiritu Sancto ebria, cum primum crepitare audit ignem, increpuit carnificum moram, & *audacter introivit*, aut potius, incitato ſaltu, ſciſſis veſtibus inſiliit in rogũ, ruit in vulnera, in mortẽ: p *AUDACES enim prævolantes ſunt, & volantes ante periculum.* Sic Pelagia Virg. & Martyr, quam deperibat Domitiani Filius, qui ſpe fruſtratus, ſibi conſcivit necem, ſed & parentis aſpernata nuptias, maluit intra æneum Phalaridis taurum ardere, quam inter aurei thalami tædas: ut plane jam candentem à flammis taurum vidit, *audacter introivit*. Colliquatæ dicuntur manus ejus, ceræ modo, cætera membra, unguenti; complevit latè odor ſupplicii locum: fragrare viſa eſt, non flagrare. Has innumeræ ſecutæ ſunt conſimili ſancta audacia, quarum aliquæ jam parte uſtulatæ carnis, in faciem tyranni jacere auſæ ſunt, quos animos non aliunde, niſi ab q *hoc hauſtu vini novi hauſere.* Quid ad hæc vos timidæ feliculæ, vos teneræ puellulæ; quæ ne manum frigidæ, nedum candelæ flammulæ imponere, audetis? Quæ urticam leviter contingere non audetis quam, ſi forti, & generoſo animo contrectare, & confricare auſæ fueritis, non dolebit. Idem in jejuniis, ciliciis, flagellis, religioſa diſciplina experiemini, ſi Sanctas Virgunculas vobis teneriores æmulari audeatis. Sanè, & Chriſtianè Seneca: r *non quia difficilia, non AUDEMUS; ſed quia non AUDEMUS difficilia ſunt.* Ita Andreas Spinola ſ religioſum ſtatum, ut nimis ſibi deliciis aſſueto, difficilem aggredi non eſt auſus, donec *hauſtu novi muſti* Spiritus Sancti potus, *audacter introivit*, & omnia non talia, qualia mundus, caro, & dæmon illi pinxerat, vel finxerat; ſed omnia alia expertus eſt.

Congruit hic illud Bernardi: t *hoc muſtum Spiritus Sancti INEBRIAT, AUDACES facit, & fortes: facit AUDACES contra adverſa, fortes à carne, & mundo, & dæmonibus invincibiles.* Teſtari poſſunt qui hoc muſto repleti ſunt, quomodo adverſus omnes adverſæ fortunæ inſultus, carnis illecebras, mundi delicias, dæmonis inſidias, *audaces, fortes*, & prorſus *invincibiles* conſiſtant. Ambroſius Hieronymum ſecutus

m S. Thom. cit. art. 3. ad 1. Ariſt. Prob. 4. n Hierony. in c. 1. epiſt. ad. Titum. o 9. Feb. in vita P. Ioan. Bap. maſcul. 4. Maii. p S. Thom, 12. q. 45. art. 4. ex Ariſt.

q S. Leo cit. r Seneca ep. 104. ſ Platus. de bono ſtatus Rel. l. 3, c. 16. t Bern ſuper Salve Regina: c. 4.

v D

v *De* EBRIETATE *ad arma conſurgunt, calicibus tela ſuccedunt, pro vino ſanguis funditur.* Aliter muſto S. Spiritus ebrii, in vulnera ruunt, ad arma cœleſtia provolant: ad gladium Paulus, ad craticulam Laurentius, de quo Africanus Præſul: x *Laurentius in illa longâ morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat, & bene biberat, tanquam illa eſca ſaginatus, & illo calice* EBRIUS, *tormenta non ſenſit*; qualem virtutem, ebrietas corporalis non habet, quæ apprehenſionem quidem tollit, ſed ſenſum non adimit. Dixit olim verè falſus vates:

Vina parant animos, reddúntque caloribus aptos,

Et quod mireris, etiam divinis. y Neophyti in Indiis, zelo quodam, non ſecundum prudentiam, cùm ſe diebus ſanctioris hebdomadæ, in templo palam verberaturi eſſent, quo id facerent animoſius, vino ſe prius largiter invitabant, quo abuſu primis confeſſionibus à Patribus reprehenſo, in ſanctiorem uſum converterunt, ab eo qui mentem inebriat, vires, & robur petere edocti. Alios enimverò animos, alias vires, aliud robur parit calix ille inebrians Dominicæ Paſſionis, quem qui guſtavit, velut ebrius omnia adverſa contemnit. S. Auguſtinus: z *Recordamini*, CALIX INEBRIANS, *quam præclarus eſt: quid enim putatis fratres mei, omnes illos qui confitendo Chriſtum, etiam mori voluerunt, ſobrios fuiſſe? uſque eo* EBRII *erant, ut ſuos non agnoſcerent. Omnes propinqui ſui, qui eos à ſpe cœleſtium præmiorum, terrenis blandimentis avertere moliti ſunt, non ſunt agniti, non ſunt auditi ab* EBRIIS. *Non erant* EBRII *quibus mutatum erat cor? non erant* EBRII, *quorum mens abalienata erat ab hoc ſæculo?* nónne ebrii erant, qui nullam rationem futilis gloriolæ, & mundanæ pompæ, aut proprii honoris habebant? qui purpureos galeros, infulas, titulos, dignitates omnes ſæculares pedibus proterebant? *quorum mens abalienata erat ab hoc ſæculo.* Utinam omnes ſic inebremini!

v Ambroſ. l. de Elia, & jejunio. c. 12.
x Auguſt. in Ioan. Tractat. 27. in fine.
y Sacchinus hiſt. Societ. part. 5. pag. 541.
z Auguſt. in Pſalm. 75.

Quid, quod eò Chriſtianæ & ſanctæ audaciæ Martyres proruperint, ut nec matris lacerantis capillos affectus, nec parvulorum lacrymas, nec obſtantium propinquorum blanditias, aut minas agnoſcentes, hoc calice ebrii, in vulnera, & mortem ruerent, ut idem Doctor alibi eleganter expreſſit: a *Hoc ſpiritali mero calebant Martyres, quando abjicientes, & poſt ſe jactantes omnia ſæculi blandimenta, ibant ad paſſiones, obliviſcentes facultates, & affectiones, patrimonia, & matrimonia ſua, & vincentes armatam contra ſe parvulorum pignorum fletibus pietatem; vociferantes quidem parentes, pulverem mittentes in capita ſua, & matres facies ſuas avulſis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam* EBRII *non videbant, nec cognoſcebant ſuos. Quia infuſo præcordiis ſuis Spiritu Sancto, ad dolores, & ſupplicia, tanquam ad conſolationes, & ad præmia anhelabant.* Nonne id indies accidere videmus, ut parentes, aut propinqui, hominem potum à conſortio divertere, & ad ſuos domum deducere velint, quos ille *non cognoſcit ſuos,*

a Auguſt. Serm. 185. de Temp.

& per-

& perſtat in propoſito, nec avelli poteſt. Hoc ſaniori, & ſanctiori modo præſtat ebrietas Spiritus Sancti, qui facit, ut nec parentes, nec propinquos agnoſcant, nec à conſortio ſuaviſſimo JESU, ulla vi humanâ valeant avelli. b *Hoc calice* INEBRIATI *erant Martyres, quando ad paſſionem euntes, ſuos non agnoſcebant. Quid tam* EBRIUM, *quàm non agnoſcere uxorem flentem, non filios, non parentes? non agnoſcebant, non eos ante oculos eſſe arbitrabantur; nolite mirari,* EBRII *erant, acceperant calicem unde* INEBRIARENTUR. Sic ebria fuit Barbara, ſic Dypna, ſic pleræque aliæ virgines, quæ parentem non agnoſcebant. Sic inclytus ille martyr Angliæ Thomas Morus, uxorem non agnoſcebat. *Nolite mirari,* EBRII *erant, acceperant calicem unde* INEBRIARENTUR, qui omnium, ut jam videbimus, ſanctam oblivionem induxerat.

§.IV.

Hoc muſtum facit, QUÆ RETRO SUNT OBLIVISCI. Philipp. 3.

VInum quod inebriat, hominem, quamtumvis verſutum, & naſutum, rerum omnium c immemorem, & obliviosum facit. Sit mercator, qui rationes ſuas optimo calculo callet: ſit cauſidicus, qui Bartolum, & Baldum, & omnes pandectas, ac apices juris ad unguem teneat: ſit conſiliarius, qui litem referendam, 20 annis ventilatam, habeat: ſit Theologus, qui ſummam D. Thomæ, Tomos omn Auguſtini, Toſtati,

Qui ſtupor eſt mundi, & ſcibi diſcutit omne,

Memoriæ impreſſerit; ubi v num, capitolium expugnâri omnis illa pulcherrimarum ide rum, & ſcientiarum viva ac pra ſtantiſſima ſimulacra, confuſi jacent proſtrata. Quam jacturan ac miſeriam, hoc quis meritò m jorem duxerit, quo in memori reconditarum rerum præſtan tiam attentius expenderit, & a ſtimârit. Eſt etenim quaſi ho reum mentis memoria, in qua optimarum artium fruges recor duntur, & ſuo tempore expr muntur. Imò theſaurus eſt, e quiſitiſſimâ rerum omnium pulentiâ refertus, quæ ſubind cùm opus eſt, in varios uſus e plicantur. Ut diſertiſſime Aug ſtinus, d *flumen eloquentiæ, per o nes campos Eccleſiæ decurrens*, li 10. confeſſ. c. 8. vim memori expendens, ait: e *Venio in camp & lata prætoria memoriæ meæ, u ſunt theſauri innumerabilium im ginum,* quæ ſtupendo naturæ ar tificio, quod omnem captum Ph loſophorum excedit, f *miris ta quam cellis reponuntur, & mirabi ter recordando proferuntur.* At q ratione pro arbitrio nunc h nunc illæ prodeant, quis explice g ibi quando ſum, inquit (in m moria) poſco ut referatur, quidquid volo: & quædam ſtatim prodeunt, quædam requiruntur diutius, & tanquam de abſtruſioribus receptaculis eruu tur: quædam catervatim ſe pr du

b Auguſt. in Pſalm. 35. c 4. Proprietas oblivionem inducit.

d Rupert. lib. 7. de Epiſc. 5. cap. e Auguſt. lib. 10. conf. cap. 8. f Ibi cap. 6. g cap. 8.

„dunt, & dum aliud petitur, & „quæritur, proſiliunt in medium „quaſi dicentia: ne fortè nos ſu„mus? & abigo ea manu cordis, „à facie recordationis meæ, do„nec enubiletur illud quod vo„lo, atque in conſpectum pro„deat ex abditis. Alia faciliter, „atque imperturbatâ ſerie, ſicut „poſcuntur, ſuggeruntur. Quod „totum fit, cùm aliquid narro „memoriter. Denique ibi ſunt „omnia diſtinctè, generatímque „ſervata, quæ aditu per aures, per „oculos, &c. (quæ fusè enarrat) ngeſta ſunt. Ac tandem exclanat: *Magna vis memoriæ, magna imis, Deus meus, penetrale amslum, & infinitum.*

Verum enimverò, cùm tantus nemoriæ theſaurus ſit, ut quid d ebrietatem vos invito, quæ blivionem rerum omnium inucat? abſit; ſed earum dumtaat, quas recordari, noxium, quas ecordari amarum: quas recorari moleſtum: quas recordari erniciosum: quarum oblivisci tile eſt, jucundum eſt, honeſtum t, ſalubre, & ſanctum eſt. Quò ſpexiſſe videtur Themiſtocles, i dum quidam memorandi arm à Simonide tunc inventam, llliceretur, *Malle ſe, ait, oblivios artem*, quam memoriæ addiere; *h* memoria quippe ampla mus tædii, & atrium fumoſam imaginum, ubi multa diſpliant; & ſæpe delectabilium, ibus caremus, moleſta recortio eſt: moleſtior ignominiam, repulſarum, injuriarum, aſi parum triſte ſit tuliſſe manisi vel quotidie recurſent, & oculis ſint ſemper.

h Petrarcha de remediis utriuſque tunæ lib. 1. dial. 8.

Quin & præteritorum ſcelerum, & lubricæ converſationis, & illecebrarum, periculoſa maximè recordatio, & in nova indies pejora prioribus flagitia præcipitatio. Accedit etiam hominibus Religioſis, aliiſque piis conjugibus, dum orationi, conſuetiſque precibus vacant, & rerùm domeſticarum, & culinæ, & negotiorum turbam, vivâ recordatione ſeſe ingerere; atque adeò in multiplici recordatione, multiplex moleſtia eſt: quædam enim conſcientiam exterrent, alia dejiciunt, quædam vellicant, quædam pungunt, multa vulnerant. Unde fit ut recordantium ora pallor, rubórque etiam in ſilentio, & ſolitudine occupet. Experto credite: i *Ibi enim in aula ingenti memoriæ meæ, ipſe mihi occurro, quid, quando, & ubi egerim, quoque modo cum agerem affectus fuerim.* Ubi omnia delicta juventutis, & peccandi occaſiones, & illecebræ, & carnis titillationes, & veteres amaſiæ, *in tenebris, atque ſilentio dum habito*, importunè ſeſe ingerunt: k *Nam & de turpibus gaudio quodam perfuſus ſum, quod nunc recordans deteſtor, atque exſecror.* Illa noctu, diúque occurſant, & adverſus ea cum Paulo depugnandum eſt: l *Affectiones quoque animi mei, eadem memoria continet: lætatum me fuiſſe reminiſcor, non lætus*; quæ profectò oblivisci ſanius, ac ſanctius eſſe, quàm recordari, quis non videat?

Tormenti genus eſt animæ, quæ ſæculo ſpreto, intra Religioſa clauſtra ſe recepit, *in tenebris, atque ſilentio*, vivâ recordatione obverſari delicias parentum, divitias illuſtris domus, blanditias,

i Aug. cit. c. 8. k Cap. 21. l Cap. 13.

& le-

& lenocinia procorum. Quid non doloris, & amaritudinis adfert conjugi viduæ, amara recordatio mortis de charo marito,aut unico filio ſibi erepto? ut ſi etiam poſt plures annos mentio fiat, & ſpecies rememorativæ excitentur, temperare ſibi non poſſit, quin in uberrimas lacrymas prorumpat. Quid non timoris, & horroris, concitat memoria periculorum, quibus quis vel naufragio, vel præcipitio, vel hoſtium inſidiis, vel graviſſimis morbis, aut repentina morte ereptus fuit? ut ſi etiam in ſomnis obverſentur, totus ſudore diffluat, & omnibus oſſibus contremiſcat. Quam inverterata odia, perpetuas inimicitias, diſſidia, duella, vulnera, & cædes, corporis & animæ jacturam, una concitavit pertinax injuriarum memoria? quæ omnia graviſſima memoriæ mala eos oblitterare, & oblíviſci facit muſtum Spiritus Sancti, qui illo potati, & inebriati ſunt.

Ad hanc ſanctam oblivionem, cœleſtis Pater dilectam filii ſui Sponſam invitat ore Prophetico: m *Audi filia, & vide, & inclina aurem; &* OBLIVISCERE *populum tuum, & domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* Quæ verba D. *Bernardus* n *organum Spiritus Sancti,* Reginæ Virginum MARIÆ primò, ac potiſſimum congruere aſtruit: o *Quæ longe antea præmonita fuerat à Patre ſuo David, dicente ſibi: audi filia, & vide,&c.* OBLITA *eſt populum ſuum, & domum Patris ſui: quia nec populum ſuum augere prolis ſucceſſione, nec domui patris ſui relinque… curavit heredem; ſed quidquid h… noris in populo, quidquid de patern… domo rerum terrenarum habere p… tuiſſet* p OBLITA, unius Dei m… mor, ejúſque Spiritu ebria era… Hujus exemplum ſecuti tot ado… leſcentes, & adoleſcentulæ, qu… ut Cardinalis Damiani loquitu… omnem q *ornatum calceament… rum, lunulas, torques, atque mon… lia, armillas, & mitras, diſcrimin… lia, & periſcelidas, murenulas, … olfactoriola, inaures, & annulos, … gemmas in fronte pendentes, mutat… ria, & pallia, & linteamina, acu… & ſpecula, & ſindones, & vittas, a… que theriſtra oblitæ ſunt.* Quæ huj… ſæculi more, ſic vernaculè … feruntur: *Sy vergeten*

Alle crolletiens, en rolletiens.
En ſtreptiens, en neptiens:
En ſtricktiens, en monſtiens:
En peereltiens, en ringentiens.
Banquetiens, balletiens:
Aubadekens, galliardekens:
Boncquetiens, en ſpigettiens:
En cantiens, en tantiens:
En poyertiens, en priemtiens:
Gallonitiens, cannonitiens:
En waeyertiens, plumaſitiens:
Coleurtiens, faveurtiens:
Satintiens, en lintiens:
Heel cramers winkeltiens.
A la berger, à la manier,
A la criſpet, à la garcet:
A la byſart, à la galliard.
En duyſent modekens.

Sic etenim D. Baſilius, quem N… zianzenus ait r *calamum ex Sa… Spiritus pyxide moviſſe,* illum … cum regii Pſaltis exponit ſ OB…

m Pſalm. 44. v. 11. n Diſcipul. S. Anſelmi lib. de conceptu Virg. o Bern. hom. 3. ſuper miſſus.

p Oblivio populi, & domus pater…
q Petrus Damianus, opuſc. 50. cap…
r Greg. Nazianz. in monodia D.Ba…
ſ Baſilius in Pſalm. 44. verſ. 11. a… Corderium.

V…

VISCERE *nocturnæ choreæ, fabularum &c. libidinem, & omnem incontinentiam accendentium*; obliviſcere omnium quæ mundi, & in mundo ſunt. Nam ut Auguſtinus in illud: *Quæ retro ſunt* OBLIVISCENS, inquit, t *corporalia cuncta oportet intelligi.*

Hoc fecit, quam jure deprædicat è purpuratorum Patrum ſenatu, eminentiſſimus Doctor, ..lanca Comitiſſa, illuſtriſſima ..œmina, quæ divini Spiritus mu..to ebria, divitiis, deliciis, liberis ..elictis, ac mundi muliebris, om..iúmque, exemplo propè inau..ito, in Sponſam Chriſti adlecta ..ſt. Ad quam ſic ſcribit B. Petrus ..amiani, alludens ad illa verba Pſaltis: *Poculum tuum* INEBRIANS, *quàm præclarum eſt*: v Spiritus enim Dei, hominum mentes *inebriat*, ut tanquam à ſuis ſenſibus abalienati, divitias hujus mundi, honores, & gloriam reſpuant; ad ſubeunda verò pro Deo, quæque dura, vel ..ſpera, flammantibus deſideriis ..nardeſcant. Hoc *muſto inebriaverant*, quibus Judæi verè de..ntes, ac furioſi dicebant: *mu..pleni ſunt.* Mox ad illam ſer..nem dirigit, dicens: *Hanc San.. Spiritus* EBRIETATEM, *& tu ô ..erabilis Domina, ſanâ mente con..ras, cùm ſæculum relinquere de..viſti.* Et velut columbæ ſim..icis alas excutiens, ad inno..ntium, atque ſimplicium ni..lum convolâſti, tunc dicens: *..uis dabit mihi pennas ſicut co..bæ, & volabo, & requieſcam.* ..c etiam ſecurè decantans: *..elongavi fugiens, & manſi in ..dine.* Tum pergit mirabiles hujus ſanctæ ebrietatis effectus, & fructus enarrare: *Hæc te nimirum* EBRIETAS *impulit ampla ſatis, atque uberrimis fœcunda proventibus, jura contemnere:* munita tur-,, rium, atque caſtrorum propu-,, gnacula declinare: dulcium,, propinquorum neceſſitudinem,,, ac vernaculorum affectus abji-,, cere. Quodque horum omnium,, permaximum eſt, unicum fili-,, um, eúmque ephebum adhuc,, atque impuberem, ſine conju-,, galis ſolatio fœderis abdicare:,, & quę conſtipatis vallata clien-,, tum cuneis ſolebas incedere,,, jam didiciſti in angulo mona-,, ſterii, cum pauperibus Spiritu,,, ſanctis mulieribus humiliter,, reſidere: *Hæc te ſobria, ut ita lo-*,, *quar*, EBRIETAS *docuit*, ut pro,, carbaſinis lanea: pro purpureis,,, atque nitidulis pulla, ac deſpi-,, cabilia eligeres indumenta: *Hæc*,, *te perſuaſit* EBRIETAS, ut filigi-,, neas pollines, ac fercula dapi-,, bus referta poſtponeres, atque,, ad libræ penſilem te menſuram,, panis cibarii cohiberes: *Hæc te*,, *planè perita, &* PUDICA EBRIETAS *incitavit*, ut cùm primo adoleſcentiæ flore fueris, viro obeunte, relicta, non tam claris, támque magnificis procis annueres; ſed ſoli jam Chriſto victuram, mundo te mortuam exhiberes. Atque ita, dum & populum, & domum, & divitias, & filium, & omnia oblita fuiſti, concupivit Rex ſpeciem tuam.

Ejuſdem verbis Pſaltis hortatur Hieronymus Euſtochium virgunculam: ſic ſuas ad illam litteras auſpicatus: y Audi *filia, & vide, & inclina aurem tuam, &*

..Auguſt. in Pſalm. 89. v B. Petrus ..an. opuſc. 50. c. 1. x Pſalm. 54.

y Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtoch. de cuſtod. virg.

OBLI-

OBLIVISCERE *populum tuum &c.* Exire illam jubet de terra, & de cognatione ſua; nec hoc ſatis: ſic etenim ſubdit: *Verum non ſufficit tibi ſecundum exemplum Abrahæ exire de terra tua, niſi* OBLIVISCARIS POPULI TUI, *& domus patris tui, ut carne contempta, Sponſi jungaris amplexibus.* Tum in has voces prorumpit: *Grande miraculum, Pater* (cœleſtis) *filiam hortatur ne meminerit patris ſui, ut poſſit dicere: exivi de domo infantiæ meæ,* OBLITUS *ſum patris mei* (& omnium terrenorum) *renaſcor in Chriſto* Ad hoc hortatur divinus Sponſus vos juvenes, & virgines, nolite fœdas mortalis hominis nuptias, hujus ſpecioſi præ filiis hominum tam optatis, & beatis præponere z *Vide*, inquit Auguſtinus, *ſi non debes dimittere patrem tuum illum, populum tuum illum, & venire ad Regem iſtum, Deum tuum, Deus tuus eſt, Rex tuus eſt. Rex tuus, & ipſe eſt Sponſus tuus. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo ſanata.* Felix Sponſa, tali Sponſo, felix mater tali genero; quam felicitatem, utinam & filiæ, & parentes caperent, & æſtimarent; omnium oblivisci, hujus unius amore exoptarent.

Facit huc rara, & præclara hiſtoria, cujus in alio argumento aliàs memini. *a* Deſponſata Philippo II. Hiſpaniarum Regi Iſabella, filia Henrici II. & ſoror dein trium Regum, Franciſci II. Caroli IX. & Henrici III. magna nobilium ſtipante caterva deducitur hæc Regina ad oras utrique regno conterminas: regio apparatu à Cardinale Toletano, & Antiſtite Burgenſi excipitur; jam ſuis valedicens, & principibu[s] Franciæ de more patriæ, extre[mum] oſculum libans, tanto ſenſ[u] à ſuis, & patriâ hæc Regina virg[o] divellitur, ut è veſtigio eam ani[mus] liquerit, & tota exanimis i[n] terram corruerit. Ubi hoc me[mo]ratu dignum accidit: du[m] paululum refocillata, Cardina[li] Toletano inniteretur, his Reg[ius] pſaltis verbis eam animavi[t] b *Audi filia, & vide, & inclina a[u]rem tuam, &* OBLIVISCERE *pop[u]lum, & domum patris tui.* Cui a[c]cinuit Præſul: *Et concupiſcet R[ex] decorem tuum.* Quo dicto animu[m] reſumpſit, & in Hiſpaniam pe[r]rexit. Quantò potiori jure h[æc] cœleſti Sponſæ, immortali Re[gi] tradendæ accinuntur? *Nam*, [ut] aureè Chryſoſtomus, c *quæ Spo[n]ſum acceperit Regem in terra, om[ni]bus ſe putat eſſe beatiorem. Tu* (ſi v[e]lis) *habes non terrenum, nec conſ[er]vum; ſed eum qui in cœlis,* eum q[ui] eſt ſuper omnem principatu[m] & poteſtatem &c. *Quomodo n[on] omnia relinquis, quæ hic ſunt, etia[m] animam ipſam relinquere oporter[et]* quomodo non omnium obli[vi]ſceris, ut uni illi adhæreas; c[au]ſam nôſti, ô filia? quia anima arida eſt, jejuna eſt, & mu[ndo] Sancti Spiritus non potata, n[on] inebriata. Scio multos dubita[re] an, & quando quis verè ebri[us] fuerit? Leſſius, gravis Theo[lo]gus, inter ſigna pridianæ ebri[eta]tis, hoc primum ponit: d *Qu[an]do quis poſtridie* NON MEMIN[IT] *quid dixerit, egerit: quomodo [do]mum venerit, aut cubitum conc[eſſe]rit: à quo deductus, vel adju[tus].*

z Auguſt. in Pſalm. 44. a Andreas Faum in hiſt. Navarræ, ſub An. 1559.

b Pſal. 44. c Chryſoſt. Serm quo[d re]gulares fœminis non cohabitent. d [Leſ]ſius de jure, & inſtit. l. 4. c. 3. dub. 3.

Aliàs autem id probè meminiſſe ſolet; magnum ſignum habet heſternæ ebrietatis, quod omnium iſtorum nullam habeat memoriam. Imò plerique muſto hujus mundi ebrii, ac temulenti, omnium obliti, domum invenire non poſſunt: ſi de patria, parentibus, propinquis rogentur, nullius memoriam habent.

Aliam planè cœleſtem oblivionem ſancta ebrietas, & divina temulentia induxit, in mentem tot juvenum, ac puellarum, qui muſto Sancti Spiritus ebrii, omnium obliti, Chriſtum ſecuti ſunt, de quibus Hipponenſis Antiſtes: e *Hoc muſto inflammantur, & hoc præclaro poculo quotidie* INEBRIANTUR *etiam corda fidelium, & animæ convertentium; quod frequenter fieri videmus, quando præ deſiderio ſalutis ſuæ, parentes, & patriam ſuam fugiunt. Exeunt nullo compellente de terra, & de cognatione ſua, & mortui huic mundo, alios ſpiritualiter animarum inquirunt parentes, & liberi ſub jugo veniunt. Et paulò antè elati, atque ſublimes, humilia affectant, ſuperba faſtidiunt, & cupiunt eſſe quod ante deſpexerant, & odiſſe incipiunt, quod fuerant* (ſic videmus indies homines temulentos, auctoritatem omnem exuere, faſtum deponere, & ad infima ſe abjicere) *hoc itaque muſto ſpiritales animæ* INEBRIATÆ, *& penitus commutatæ, abſtinentiam deliciis, vigilias dulcibus ſomnis, paupertatem divitiis anteponunt.* Hi ubi calicem Domini vel ſemel delibârunt, & guſtârunt quàm ſuavis ſit Spiritus ejus, ebriorum more, non meminêre amplius, quæ veteris ſunt hominis, quæ noxiæ, & lubricæ converſationis; unde Carthaginenſis Præſul: f EBRIETAS *Dominici calicis, & ſanguinis, non eſt talis qualis* EBRIETAS *vini ſæcularis. Cùm diceret Spiritus Sanctus in Pſalmo: Calix tuus* INEBRIANS, *addidit, peroptimus; quod ſcilicet calix Dominicus ſic bibentes* INEBRIET, *ut ſobrios faciat, ut mentes ad ſpiritualem ſapientiam redigat, ut à ſapore illo ſæculari, ad intellectum Dei unuſquiſque reſipiſcat: & quemadmodum vino iſto communi mens ſolvitur, & anima relaxatur, & triſtitia omnis deponitur; ita epoto ſanguine Domini, & poculo ſalutari, deponatur memoria veteris hominis, & fiat* OBLIVIO *converſationis priſtinæ ſæcularis.*

Quod ſi videris Chriſti ſponſas, filias Deo devotas, ſanctimoniales clauſtro abditas, ad crates, pſittacorum inſtar, horas, & dies, cum ſæcularibus texere, vanas, & inutiles ſermocinationes ſerere, converſationem mundanam quærere, noveris eas *poculo ſalutari* non guſtato, adhuc memoriam veteris hominis, & converſationis priſtinæ retinere, & fovere. Nam quæ cœleſtibus ebriæ ſunt deliciis, omnia quæ mundi ſunt obliterarunt. Audi S. Amadæum hom. 6. de laudibus Virg. EBRIETAS *hæc ſumma ſobrietas eſt, hæc mundi memoriam* OBLITERAT, *& Deum præſentem animo ſemper inculcat*; quæ ebrietas facit, ut viri Religioſi, ac Sanctimoniales, qui juxta Prophetæ monitum, obliti ſunt populum ſuum, & domum Patris ſui, ſimul g omnium deliciarum, quas in mundo habuere, obliviſcantur, ne ejuſmodi moleſtis, ac perniciosis imaginationibus, ac phantaſiis,

e Auguſt. Serm. 185. de temp.

f Cyprian. Epiſt. 63. g Oblivio omnis vanitatis præteritæ.

etiam intra clauſos parietes divexentur, & mille diſtractionibus, & tentationibus intra cellæ anguſtias, & pias commentationes infeſtentur. Unde Paſchaſius in illud Pſalmi 44. OBLIVISCERE *populum tuum, hic notandum* inquit, *quod* OBLIVISCERE *dixit, & non tantum deſerere corpore mandavit: quia quod* OBLIVISCITUR, *nullo affectu cordis retinetur.* Novi etenim teneras mentes, ab uberibus mundi abſtractas, affectu parentum, & propinquorum, recordatione libertatis, & vanitatis præteritæ, tædio quodam vitæ religioſæ ſuſceptæ, ac prope deſperatione, in amariſſimas lacrymas non rarò prorupiſſe.

Hinc eſt quod Paulus clamat, & inculcat: h *quæ retro ſunt* OBLIVISCENS. Hæc S. Thomas, Bruno, & Anſelmus, de temporalibus bonis, & mundi pompis, ac illecebris, à Paulo contemptis, ac derelictis, intelligunt. Quod viris, ac fœminis Religioſis competit, ac iis omnibus, qui ſæculo ſpreto, ſe Deo dedicarunt; ſic enim Sanctus Remigius de iis, quæ obliviſci oportet: *quæ ſunt illa, quæ retro ſunt,* OBLIVISCENDA? *omnia temporalia, & tranſitoria, prædia, divitiæ, & commoda præſentis vitæ;* horum enim viva recordatio, & matris blanditiæ, & patris deliciæ, & ampla patrimonia, & oblata matrimonia, non ſemel teneros tironum animos ad ſæculum reduxerunt. Quibus pravis ex veteri memoriâ ſuggeſtionibus ut occurreret S. Bernardus, fratres de monte Dei, qui ſæculo nuntium remiſerant, his verbis hortatur: i *Exclude etiam ab oculis exterioribus, quod deſueviſti videre: ab interioribus, quod amare: quia nihil tam facile recrudeſcit, quàm amor, & maximè in tenerioribus animis,* à quibus omnes ſpecies, quæ vetera in memoriam reducerent, abeſſe quam longiſſimè cupiebat.

Ad quod conducit omne commercium cum ſæcularibus per colloquia, per epiſtolas de rumoribus, de negotiis parentum, fratrum, ſororum, propinquorum reſcindere, quæ & veteres, & novas ſpecies concitare ſolent, quæ inter orandum, pſallendum, etiam communicandum importune repræſentari ſolent; ab his vero qualiter vir Religoſus feliciter ſeſe expediverit, refert Caſſianus: k Cum ille per an. quindecim, „ multas recepiſſet litteras à Pa- „ tre, Matre, aliiſque amicis ex „ provincia Ponti; quandoque „ grandem accipiens faſciculum „ litterarum, diuque apud ſe vol- „ vens *quantarum,* inquit, *cogitationum erit mihi cauſa hæc lectio?* „ Quæ me vel ad inane gaudium, „ vel ad triſtitias infructuoſas „ impellent. Quot diebus, horum „ recordatione qui ſcripſerunt, „ intentionem pectoris mei à „ propoſita contentione revocabunt? Poſt quantum temporis „ digerenda eſt hæc mentis con- „ cepta confuſio, ſi ſemel animus, „ litterarum permotus effectu, „ eorum recolendo ſermones, ac „ vultus, quos tanto tempore dereliquit, iterum eos reviſere, „ ipſiſque cohabitare, & animo, „ & mente cœperit intereſſe Nec „ diutius cunctatus faſciculum in „ ignem conjecit: *ite*, inquit, „

h Ad Philipp. 3. v. 13. i Bern. l. de vita ſolitar. ad fratres de monte Dei.

k Caſſian. lib. 5. de cœnobit. inſtit. c. 32.

cogita-

cogitationes Patriæ, pariter concremamini, ne me ulterius ad illa, quæ fugi, revocare tentetis.

Ingerit memoria veteres ſatis phantaſias, non eſt quod materiam novis ſuſcitetis; ſed & has, & illas, facile obliviſcemini, ſi dulcedine cœleſti vos inebriari contigerit: Nam qui vel ſemel rerum divinarum ſuavitate, & torrente voluptatis æternæ, alta & attenta mente ebrius fuerit: à terrenis, à ſuis, à ſe totus, quaſi mente abalienata, omnium vanitatum obliviſcitur: l INEBRIABUNTUR, inquit Auguſtinus, *ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos; quoniam apud te eſt fons vitæ. Vides quæ inundatio, & affluentia prædicetur fontis æterni, quam etiam* EBRIETAS *quædam conſequitur. quo nomine mihi videtur mirabiliter ſignificari* OBLIVIO *illa ſæcularium vanitatum, atque phantaſmatum.* Ut patuit in elatis illis mentibus divino muſto ebriis, quæ à terris etiam corpore ſublimes, & ſuorum, & ſui, & omnium quæ in mundo ſunt, rapiebantur.

Qui fit, vos hac ſancta oblivione non potiri? qui fit vos tot, tamque moleſtis ſæcularium vanitatum cogitationibus, & phantaſmatis infeſtari, ut ne ad horæ quadrantem, divinis attentè vacare poſſitis? deeſt vobis m *illa inundatio, & affluentia fontis æterni, quam* EBRIETAS, *&* OBLIVIO *vanitatum, atque phantaſmatum conſequitur.*

Alter ſanctæ hujus Ebrietatis fructus eſt, quod n anxietatē animi, inquietudinem mentis, ſcrupulos conſcientiæ de peccatis præteritis, imò & cogitationes lubricas, & tentationes graviſſimas, velut è cœnoſo lacu vaporantes, tollat, dum eorum omnium, cum ſpe firma in Deum, oblivionem inducit. Hoc eſt quod idem Doctor tradit: p *poculum tuum* INEBRIANS, *quam præclarum eſt*, PRÆTERITORUM DELICTORUM OBLIVIONEM *præſtans*; invenire enim eſt mulierculas, ſemper de præteritis ſolicitas, & anxias, an benè, & integrè confeſſæ, an ſatis contritæ, an verè abſolutæ: hinc eadem iterum, iterumque, & per crebras, ac prolixas confeſſiones generales repetere volunt, nec unquam acquieſcunt. Aliæ, veteres carnis blanditias, & præteritam laſciviam recogitando, non exiguo labendi periculo ſeſe exponunt; hæ quippe ſpecies recurrentes, etſi & occaſio deſit, & perſona complexa abſit, rurſus peccati illecebras, ut præſentes menti objiciunt, & ad novum peccatum pelliciunt; de quo rectè S. Cyrillus Alexandrinus amicum monet, quem ſic alloquitur: q *profectò amice, ærumnoſiſſimum eſt, iterum velle laborare eo morbo, à quo per virtutem Dei ſemel erepti ſumus*! cui malo hoc remedium ſubjungit, PRÆTERITORUM OBLIVISCENS, id eſt *vitæ lubricæ, quia periculoſum reſpicere in illam, & ſolam* MEMORIAM DELICTORUM *habere.* Clama igitur cum Auguſtino: r *Quis mihi dabit* (Domine) *ut tu venias in cor meum, &* INEBRIES *illud, ut* OBLIVISCAR *mala mea, & unum bonum meum amplectar te?*

l Auguſt. tom. 1. lib. 6. muſicæ. c. 16.
m Auguſt. cit. n Oblivio peccatorum præteritorum.

p Aug. in Pſal. 22. q Cyrill. Alex. de adorat. in Spiritu. ad amicum. r Aug. lib. 1. conf. c. 5.

Theophylactus hunc locum Pauli, *quæ retro ſunt obliviſcens*, vult ſ etiam oblivionem nos habere virtutum, ac bonorum operum, quæ fecimus; ſic enim de ſe ipſe fatetur: *præteritarum virtutum* NIHIL REMINISCOR, *nec memoria repeto benefacta, retrorſumque, & poſt tergum illa relinquo. Ita ut nullam de cætero habeam rectè factorum recordationem*: horum etenim recordatio, ſubinde ad inanem extollentiam (cum adjuvante Dei gratia facta ſint, illique adſcribenda) hominem extolleret, omni merito deſtitueret, & à progreſſu virtutum retardaret. Nam t ut curſor, inquit Chryſoſtomus, non quot ſpatia confecerit, cogitat; *ſed quot adhuc reſtent: ita & nos, non quantum in virtute progreſſi ſumus, cogitemus; ſed quantum adhuc progrediendum reſtet.* Unde rectè ſubdit, non dixiſſe Paulum, non cogito, aut non recolo, ſed quod majus pondus habet, *obliviſcens*: *tunc enim* inquit, *valde vehementes ſumus, & omnem animi impetum, in id quod reſtat, conjecimus, cum præterita OBLIVIONI MANDAVIMUS.*

Generatim quidem utile eſt (non tamen ſcrupuloſis & anxiis conſcientiis) de præteritis dolorē excitare; ſed non in particulari, potiſſimum in materia lubrica; potius conſilium prudens, ac ſalutare monitum magni Patris Auguſtini amplectendum: v *OBLIVISCERE PRÆTERITA quibus male vixiſti.* Atque ita fiet, ut omnibus illis tetris Phantaſmatis obliteratis, anima caſtis, & ſanctis cogitationibus plena, ac pura, dilecto ſuo appareat: x *Si enim per OBLIVIONEM pravorum erratorum maculas deleveris, proprio decore aſſumpto, deſiderabilis apparebis ſponſo Regi.*

Supereſt nunc optima, maximè ſalutaris, & neceſſaria oblivio y injuriarum: Quemadmodum enim earum recordatio, & memoria, continuæ averſionis, diſſenſionis, odii, rixarum, vulnerum, & cædium, graviſſimorum ſcelerum, ac conſequenter æternæ damnationis cauſa exiſtit; ita earum oblivio, quæ Chriſtiana eſt, omnia illa mala ex animo prorſus delere, & obliterare conſuevit. Hanc oblivionem inducit illud muſtum divini amoris, quo hodie Apoſtoli inebriati ſunt. Richardus à Sancto Laurentio, in illud cant: *meliora ſunt ubera tua vino*, ſic ait: z *vinum INEBRIARE poteſt hominem ut præteritarum ſit IMMEMOR offenſarum, & ſit facilis ad condonandum, & largus ad donandum.* Quod ſi ea vis, & virtus vino noſtro eſt, quantò excellentiorem, & potentiorem calix ille inebrians in Chriſtianorum mentibus concitabit; dum ut ſupra diximus *a*, de eodem calice bibimus.

Quidam tamen injuriæ ſibi à multis annis illatæ memores, imò oblitteratæ, dum eam recogitant, palam fatentur ſe obliviſci non poſſe, unde aſſiduò excandeſcunt, & vindictam ſpirant; quod de Tiberio aſſidua injuriarum recordatione, iras acuente dicebat Tacitus: b *animo revolvente iras,*

ſ Theophylact. in 3. epiſt. ad Philipp. Oblivio virtutum. t Chryſ. hic. v Aug. in Pſal. 57.

x Baſil. in Pſ. 44. v. 11. apud Corderium in caten. y Oblivio injuriarum. z Richard. à S. Laur. l. 2. de laud. Virg. part. 3 a V. Feſto. Pent. b Tacitus. l. 4. annal.

etiamſi impetus offenſionis languerat, MEMORIA valebat.

Sed quis, amabo, ejuſmodi hominibus ſuccenturiator erit, illos non poſſe obliviſci (dicam poſtea quomodo) Bellarminus & doctrinâ, & vitæ ſanctimoniâ eminentiſſimus Cardinalis, eos canibus magis brutos, & beſtias aſſerit, qui injuriarum memoriam retinent: c *Nonne canes*, inquit, *aliquando vehementiſſime verberamus, & ipſi ſtatim omnium injuriarum OBLITI, motu caudæ nobis adblandiuntur?*

Sed hanc fortè homines brutis brutaliores, naturam canum eſſe dictitabunt, & perſiſtent ſe non poſſe obliviſci. Audiant itaque homines, & quidem gentiles, qui ne guttam cœleſtis fontis, unde oblivia potari potuiſſent, delibârant. Diſcant à Phocione, *d* qui innocenter damnatus ad mortem, jam jamque occidendus, rogatus ab amicis, numquid filio mandatum vellet? Reſpondit: *volo ut illatæ mihi ab Athenienſibus injuriæ obliviſcatur.* Quid ad hæc vos Chriſtiani? qui dum ipſi per vos vindictam ſumere non poteſtis, per filios, in tertiam, aut quartam generationem ſumendam jubetis.

e Marcus Cato in balneo, *cum illi os percuſſum eſſet, non excanduit, non vindicavit injuriam, nec remiſit quidem, ſed factum negavit: majori animo non agnovit, quam ignoviſſet.* Rationem reddit: *f* quia *non memini* inquit, *percuſſum me.* Ille recens percuſſus, & injuriâ gravi affectus, *non meminit*? tu levi verbo perſtrictus, non ad menſes, ſed ex annos vindictam ſpiras, & te optimè, imo peſſimè, meminiſſe, nec obliviſci poſſe jactitas.

g *Divo Julio Cæſari hoc imprimis etiam ab hoſtibus datum ſcio, ut memoriâ polleret eximia, de qua M. Tullius ait: quod nihil ſoleret, PRÆTER INIVRIAS OBLIVISCI.* Non eſt itaque quod quis tenacitatem memoriæ in excuſationem inducat, cum & Cæſar, & Cato, teſte Tullio, optima polleret memoria, & noſſet injurias obliviſci; quæ recordatio injuriarum, ut maneat in memoria, oblitteratur ratione, voluntate, & virtute, nihil illi mali, ſed omne bonum optando, & ſuppeditando. Hanc tenacitatem memoriæ, aut potius perverſæ voluntatis, execratur Auguſtinus dicens: h *Quis enim dubitet, multo eſſe melius habere bonam mentem, quam memoriam quantalibet ingentem? nemo enim malus eſt, qui bonam habet mentem; quidam verò peſſimi, memoria ſunt mirabili: qui tantò pejores ſunt, quanto minus poſſunt, quod malè cogitant, OBLIVISCI*; quod tamen diſertis verbis præſcribit, & prçcipit Eccleſiaſticus: i *omnis injuriæ proximi* NE MEMINERIS.

Quare ſi oblivionem hanc apud gentiles viguiſſe legimus, quidni apud Chriſtianos, quibus potentiſſimum medium, & præſentiſſimum remedium eſt in præclaro illo calice, qui inebriat, & Sanctam inducit oblivionem: E quo omnes bibimus, & ipſe redemptor, ex eo amyſtidem charitatis, & hauſtum dilectionis nobis propinavit, ut ſupra diximus *k*.

Omnium itaq; obliviſci vos oporter,

c Bellarm. con. 25. d Plutar. e Sen. de conſtant. cap. 14. f In notis Senecæ.

g Petrarcha rerum memorab. l. 2. c. 1.
h Auguſt. lib. 7. de civit. c 3. i Eccl. 28.
k Feſto pent.

tet, l & unius,ac ſolius Dei dumtaxat recordari. Ubi, ut hic finem imponam, apophthegmatis loco ſerviet,illud Eminentiſſimi Cardinalis,Petri Aldobrandini : Apud quem dum fortè ſuper menſam , nonnulli viri Principes multa rerum peritia inſtructi differerent, ſermo de variis memoriæ portentis inſtitutus eſt: m cumque unus Mithridatem ex eo maximè commendandum dictitaret, quod duas & viginti linguas disertè calleret ; atque huic alter, Themiſtoclem non inferiorem aſſereret,qui omnium civium nomina teneret, & quod ſemel audierat, nunquam obliviſceretur: Tertius verò Hortenſium induceret, qui totum diem in auctione ſedens,omnes res venales,& pretia earum, & emptores ordine recenſeret; poſtremus denique,cum præ his Cyrum Regem extolleret, quod omnium militum ſuorum,in numeroſiſſimo exercitu, nomina apprimè ſciret. Aldobrandinus ad hæc,illud Eccleſiæ Principio dignum epiphonema ſubjecit: Ego verò, inquit,hanc optimam memoriam eſſe judico, *ut homo non obliviſcatur ſui,& Dei.* Hoc eſt quod præclarus ille Conſul Romanus, hominem de memoriæ tenacitate gloriantem, monitum voluit: n *jactas te,quod memoria apprimè tenax.Unde hæc igitur OBLIVIO COELESTIVM PRÆCEPTORVM, quæ tam pauca ſunt numero? unde OBLIVIO DEI VNIVS?unde OBLIVIO SVIMET?*

Memorandos, ſed & miſerandos caſus fateor, quibus nonnulli omnis memoriæ jacturam feciſſe referuntur p ; quos inter Philoſophorum quendam ſapientiſſimum, cerebro, lapide percuſſo oblitum fuiſſe litteras, ut ne quidem legere ſciverit. Et grammaticum,qui cum aſino, quo vectabatur,excidiſſet,accepto in capite vulnere, prorſus omnis ſcientiæ oblitum : Et Hermogenem Rhetorem, qui cum doctiſſimus ſuæ ætatis eſſet adoleſcens, ſenem factum,omnia oblitum ; cum tamen omnia quæ curant ſenes, optimè meminerint. Alterum denique præcipiti caſu,matris, & affinium , & propinquorum ; alium morbo,etiam proprii nominis oblitum fuiſſe.

At præ his omnibus multò magis plorandus,& miſerandus, qui ſui, & Dei ſui oblitus eſt, quæ memoriæ jactura graviſſima eſt: ut potius omne malum nobis imprecari, & irrogari expediat,quam illius non meminiſſe, qui ab æterno noſtri dignatus eſt recordari. q *Et quid eſt homo,quod MEMOR es ejus?* Et quis es tu, ô infinita bonitas, ut tui unquam poſſim obliviſci? r *adhæreat lingua mea faucibus meis,ſi non MEMINERO TVI.* Percutiat me Deus ulcere peſſimo, ſi contigerit me ejus non recordari; quin ardentē illam, & amore divino ebriam animam imitemur,de qua Origenes: ſ *Magdalena OBLITA erat timere, OBLITA erat ſeipſam, OBLITA deniq; erat omnia,præter illū, quem diligebat ſuper omnia;* in quo

l Memoria ſolius Dei habenda.
m Memoriæ portentoſæ Cic. de Seneca. Pontani attica bellar.part.1.mira c. 72.
n Petracha lib. 1. de remediis utriuſque fort dial.8.

p Omnium obliti. Cornel.ad Rom.e 11.v.8.Petrarcha cit. Galenus. l.1. Synt cauſa 7. q Pſal.8.v. 6. r Pſal.136.v.6 ſ Origenes.hom.10.de Magdal.

ſol

ſolo cum omnia haberet, amore ejus ebria, lætitia exultabat inenarrabili, quæ altera eſt proprietas vini hujus ſpiritualis.

§. V.

Vinum t *ad lætitiam creatum eſt.* Eccl. 30.

Videre eſt in omni communitate, in omni convivio, qui ante triſtes, tetrici, melancholici, hauſtu uno, alterove liberalius ſumpto, mentes ſerenari, animos geſtire, vultus hilareſcere, omnes gaudio exilire. Unde *u* Varro vinum, *hilaritatis dulce ſeminarium appellat.* Si vinum, quod humus profert, & fimo, ac ſordibus pingueſcit, hos ſpiritus habet, tantamque animis, & corporibus lætitiam infundat; quid non poterit muſtum illud cœleſte Spiritus Sancti, quod non brevem, vanam, & inſanam quandam lætitiam; ſed ſolidam, veram, & Spiritualem animis ingenerat, quam hac Pentecoſtes ſolennitate, poti diſcipuli, ipſo vultu, & „ nutibus, & geſtibus ſatis indi- „ carunt: Sic enim Carthuſianus: „ *x* in ipſo diſcipulorum vultu „ ſplendor quidam, & lætitia re- „ lucebat cum rubore; qui malè „ affectis hominibus, ac temera- „ riis, anſam dederit exiſtiman- „ di, dicendique *illos ebrios eſſe.*

Unde autem oriatur, ut vinum hominem lætificet, doctiſſimè tradit Antiſtes Abulenſis, in illud Judicum, ubi vitis loquitur: *numquid poſſum deſerere. vinum meum, quod* LÆTIFICAT *Deum, & homines*? Ubi ſic diſſerit: *y* „ homines lætificantur vino du- „ pliciter. Uno modo directè, in „ quantum vinum apponit quan- „ dam lætitiam, multiplicando „ Spiritus, & confortando cor, & „ ſic accipitur Pſ. 103 *z ut educas* „ *panem de terrâ, & vinum* LÆTI- „ FICET *cor hominis.* Secundo mo- „ do lætificat indirectè, ſcilicet „ tollendo curas, & inducendo „ oblivionem dolorum; & ob „ hoc erat conſuetudo inter He- „ bræos, quod quando aliquis erat „ triſtis nimis, pro morte paren- „ tum, vel amicorum, quod dare- „ tur ei vinum, ut oblivíſceretur „ triſtitiæ & conſolaretur. Sic „ patet Proverbiorum 31. *a Date* „ *ſiceram mœrentibus, & vinum* „ *his qui amaro ſunt animo: bibant,* „ *& obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius.* Septuaginta legunt: *date* INEBRIATICUM *his, qui in mœroribus, & vinum his qui in doloribus.* Simile patet Eſdræ 3. *b* vinum *mentem liberi, & ſervi, pauperis, & divitis, & omnem mentem convertit in ſecuritatem, & jucunditatem, & non meminit omnem triſtitiam, & debitum,* aut alias quaſcumque graviores curas, ac moleſtias; nam ut ille cecinit:

> c *Cura fugit, multo diluiturque mero.*

Ut autem & nos *læti bibamus* SOBRIAM EBRIETATEM *Spiritus*, fons lætitiæ copioſè omnibus ſcaturiit, quo factum, inquit

t 5. Proprietas vinum lætificat. u Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 2. x Dionyſ. Carth. in acta hic.

y Toſtatus in judic. 9. v. 13. z Pſal. 103. v. 15. a Prov. 31. v. 6. & 7. b Eſdræ lib. 3. c. 3. v. 20. c Ovid. lib. 1. de arte.

Bernardus, ut *flueret per vicos, & plateas omnes illius civitatis vinum, in qua* LÆTITIA CORDIS *non carnis luxuria eſt: nam terrigenæ, & filii hominum, vinum ejuſmodi non habebant.*

Quin & alterum lætitiæ fontem Euchariſtico vino redundantem, Benigniſſimus Redemptor noſter nobis jugiter manare fecit: in quo ſolerter ad propoſitum noſtrum, Doctor Angelicus diſquirit cauſam, *d* cur vinum de vite, propria ſit materia Euchariſtiæ, non verò *vinum malorum granatorum, vel mororum, aut hujuſmodi*? hanc inter cæteras cauſam adfert: *quia vinum vitis magis competit ad effectum hujus Sacramenti, qui eſt* SPIRITUALIS LÆTITIA: *quia ſcriptum eſt, quod vinum* LÆTIFICAT COR HOMINIS. Quod & ſponſa ſatis disertè indicat, dicens: e *introduxit me Rex in cellam vinariam.* Et mox ſubdit: *Exultabimus &* LÆTABIMUR IN TE. In hunc modum verba illa accepêre Ambroſius, & Hieronymus, qui Sacras Virgines, Chriſti Sponſas compellans ait: *f Quomodo enim* LAETITIAM *non habebunt, quæ* INEBRIATÆ *poculo Salvatoris, generantur Virgines, & audent dicere: introduxit me in cellam vinariam. ideo* LÆTATÆ *ſumus.*

Auditores, non Virgines dumtaxat, & ſponſæ Chriſti, ſed & vos omnes hoc poculo lætitiæ inebriari, & lætari poteſtis.

Sententiam D. Thomæ confirmat Paſchaſius, libro de corpore, & Sanguine Domini: g *ideo ſpeciem vini jure tenet in ſenſu, dum ſpiritualiter ſanguis potatur in myſterio, quia* LÆTIFICAMUR SPIRITUALI LÆTITIA *ad gaudium; hinc verò redimimur de morte ad vitam: ideo David cecinerat, quod vinum* LÆTIFICAT *cor hominis, utique* LÆTITIA SPIRITALI, *propter quod in eadem ſubſtantia jure celebratur hoc myſterium: quia Chriſtus eſt vinum, quo* LÆTIFICANTUR CORDA CREDENTIUM; *de quo nimirum Joſeph meridie, qua hora Chriſtus paſſus eſt, myſticè cum fratribus legitur* h INEBRIATUS; *unde & nos intus* i INEBRIAMUR, *& gaudemus* LÆTITIA ÆTERNA, *& gaudio* exultationis in Domino.

Ut veriſſimum ſit illud, quod Ferdinandus Cardinalis, Mantuæ Dux, nummo aureo, cui ſignum Ven. Sacramenti impreſſerat, in orbem inſcripſit. i *nihil iſto triſte recepto*: non jactura bonorum, non mors dilectæ conjugis, aut unicæ prolis, non ipſa etiam quæ antea materia doloris erant, præterita peccata, denique *nihil iſto triſte recepto*, homini accidere poteſt; quia k *epoto illo calice, mœſtum pectus ac triſte, quod prius peccatis urgentibus premebatur, divina indulgentiæ* LÆTITIA *reſolvitur.*

Hoc vino ebria, ſancta Mechtildis, l *ſi homo agnoſceret*, inquit, *quanta ſalus* (dulcedo, conſolatio, gaudium) *ex Corpore Chriſti provenit*, PRÆ LÆTITIA *in ſe deficeret*; uti ipſa, aliæque ferventes animæ, præ gaudio defecêre. ut ſupra diximus die 3. Bacchanalium. O diviniſſime potus! illa-

d S. Thom. part. 3. q. 74. n. 5. e Cant. 1. v. 4. f Hieron. hic. Amb. l. 5. de Sacram. c. 2. g Paſchaſius lib. de Corpore & Sang. Dom.

h Gen. cap. 43. i Hautin. de V. Sacram. n. 264. k Cyprianus. epiſt. 63. l Mechtildis l. 1. viſionum, c. 68.

ber

bere largiter animæ meæ,eamque totam inebria: imple intellectum meum, divinæ Spiritu ſcientiæ,& ſapientiæ: voluntatem Spiritu fortitudinis,pietatis, ac timorisDomini: in cormeum, & carnem meam, vireſque omnes,& ſenſus,quò divina capere, atque iis ſubſervire poſſint, infinita tua virtus largiſſimè redundet. Hoc ſpiritali muſto ſalubriter ebrius,obliviſcar mei, & omnium mundi vanitatum, Deique æſtuans amore, illius cauſa quidvis agam,& patiar: in pericula, & vulnera, in mortem ipſam intrepidus ruam. Atque ita pro tanti pretiiSanguine,propter me effuſo, meum, ſed quam impari commutatione, reddam ſanguinem. Utinam ſaltem impoſterum,hoc divino ſanguine ebrius, uſque ad ſanguinem reſiſtam,adverſus peccatum pugnans, ut tandem eo pervenire mereamur, ubi electi tui *m* INEBRIABUNTUR *ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos*,cujus vel unicam dumtaxat guttam, in monte Thaboræo, *ut guſtavit Petrus, omnium oblitus*, n *clamavit* QUASI EBRIUS: *bonum eſt hic eſſe.* Quid erit ipſo torrente potari, & inebriari? unam ille ſtillam dulcedinis guſtavit, & omnem aliam faſtidivit dulcedinem; quid putas dixiſſet,ſi magnam illam multitudinem dulcedinis,& divinitatis guſtaſſet, quam abſcondiſti timentibus te, & illam quam amantibus te? Eò nunc votis feramur,& deſideriis,eo ſuſpiremus, anhelemus, & cla-„memus cum ſponſa, ignitis Gilberti Abbatis verbis: *p* ma-„ nifeſta mihi teipſum, per te-„ ipſum,ſicuti es,& ſufficit mihi: „ ſatiabor cum apparuerit gloria „ tua,cum me infuderis vino il-„ lo,*vino novo,quod ipſe propinas in* „ *Regno tuo.* Merum illud volo, „ non mixtum:purum & ſine la-„ cte; quia lac parvulorum eſt. „ Evacuabuntur quæ ſunt parvu-„ li. Meliora ſunt quidem ubera „ tua vino, ſed non iſto; magis „ autem optimum illud ſuper u-„ bera. Denique non hæc *inebri-„ ans*; ſed illud & mentis ſtatum „ in novos quoſdam, inuſitatoſ-„ que transfundit ſenſus. Ubera „ dum ſuguntur,ſiccantur, illud „ quod *inebriat*,exuberat jugiter. „ Nolo ejus fervorem, lactis fri-„ gore temperari,purum expecto,„ & perenniter manans, ſic ete-„ nim legimus: INEBRIABUN-„ TUR *ab ubertate domus tuæ, quo-„ niam apud te eſt fons vitæ, & in „ lumine tuo videbimus lumen.* Ac „ tandem concludit: *inuſitata hæc „ planè* EBRIETAS, *quæ lumine ſit, „ non liquore: ſinceritate, non ſice-„ ra.* Scire vultis, quam hæc *in-„ uſitata planè* EBRIETAS? Richardum Victorinum audite, & aureum ejus effatum alta mente reponite: q *Audacter*,inquit, *affirmo,quod ſola una hujus mellis ſtilla poteſt,quod totus mundus non poteſt; cor quidem copia mundi non ſatiat,una hujus dulcedinis gutta planè* INEBRIAT.

m Pſal.35.v.9. n Aug.ſoliloq. c.22.
p Gilbert.aſcetic.diſſertatio.1.n.7.

q Richard.Victorin. Serm, de Spiritu Sancto.

FESTUM TERTIUM PENTECOSTES.

Gratia SPIRITUS SANCTI *effuſa*, Act. 10.



—— *Attractus ab alto*
SPIRITUS. Virg. 3. Georg.

ARGUMENTUM.

IMmenſam illam Dei in nos bonitatem, ſacrarum litterarum oracula, & ſanctorum Patrum teſtimonia, in *Fonte perenni* nobis adumbrarunt, quia totus in nos Deus effuſus eſt: *planè ineffabilis divinæ circa nos dignatio charitatis*, clamat melliflui Doctoris Diſcipulus

lus r; *Parum erat* PATRI *tradidiſſe* FILIUM, *ut redimeret ſervum, niſi daret & SPIRITUM SANCTUM, ut ſervum adoptaret in filium.* Fons inexhauſtus eſt, & gratis omnibus ſcatet, ac patet. Effuſa quidem, & prodigialiter prodiga fuit quorundam Principum, ac Regum in ſuos munificentia; ſed non perennis, & in eos effuſa, quorum obſequia ſpectabant, & merita. Talis hodie multorum non tam munificentia, quàm mercatura, qui pauca dant, ut majora recipiant, & plura in ſe, ac ſuos redundent, quod ſ *mercenarium beneficium* eſt. Non ſic divinus ille Spiritus, qui hodie ſuper omnem carnem effuſus eſt: t *qui non agit propter utilitatem, ſed propter ſuam bonitatem.* Hanc quiſquis æmulari ſtuduerit, Deo non ſolum ſimillimus, ſed & quodammodo Deus erit; juxta illud Nazianzeni: v *Fac calamitoſo ſis* DEUS, DEI *miſericordiam imitando.* Solus *attractus* & illapſus *ab alto* SPIRITUS, faciet è vaſis vina in ventres pauperum, aurum è crumenis in ſinus egenorum, Dominorum in ſervos, Superiorum in ſubditos munificentiam largè effundi. *CharItas DeI MIrabILIter In Vos effVſa eſt*, ut & hanc imitando Deo ſimillimi efficiamini.

§. I. *Effundam de* SPIRITU MEO *ſuper omnem carnem.* Actor. 2.

§. II. *Per* LIBERALITATEM (in pauperes, & egenos) *homo maximè aſſimilatur Deo, qui dat omnibus affluenter.* S. Thomas 22. qu. 117. art. 6.

§. III. *Sicut Deus vaticinatur per Joëlem*: SUPER SERVOS, ET ANCILLAS, EFFUNDAM DE SPIRITU MEO; *ſic & Pater familias ſe munificentia, & liberalitate effundere debet in domeſticos; in ſervos, & ancillas; ſuperior in ſubditos.*

r Guarric. Serm. 1. in Pent. ſ Senec. lib. 2. de benef. c. 12. t S. Thom. 1. part. qu. 44. art. 1. v Gregor. Nazianz. orat. de paup. amore.

FESTUM TERTIUM
PENTECOSTES.

Gratia SPIRITUS SANCTI *effuſa eſt.* Act.10.v.45.

REgiæ munificentiæ, ac divinæ largitatis ſymbolum, priſci Romani, & ſacræ paginæ; nec non Eccleſiæ Patres, *Fontem perennem* jugiter manantem, ac omnibus ſcaturientem, rectè, & ritè ſtatuerunt; quid porro Numini, qui eſt x *Fons vitæ*, & y *dat omnibus affluenter*, congruentius accommodari, ejuſque effuſam in nos gratiam, ac prodigam beneficiorum munificentiam aptius adumbrare poſſe videtur? cùm ipſe purpuratus vates illum, z *Fontem vivum* appellare non dubitârit; quo velut ſacro Emblemate, ſeu pio ſchemate ſancti Patres uſi ſunt: a *Divinis in rebus conſiderandis, & explicandis excellentiſſimus Dionyſius* (ut illum nuncupat Damaſcenus) infinitæ bonitatis largitatem, excellentiori encomio deprædicare nequibat, quam b *Fontaneam Deitatem* indigitando: quia Deus, ſicut fons copioſè, & gratioſè ſcaturiens, omnibus ſe communicat, ſempérque inexhauſtus, largiter fluens, in nos redundat, & unus triplici ſcaturigine ſe totum in homines effudit. c *Pater* quidem, ut Auguſtinus, d *Eccleſiæ lingua,* loquitur, *Fons eſt bonitatis*; qui, quidquid natat in aquis, quidquid in aëre volitat, quidquid in ſilvis curſitat, quidquid in campis germinat, quidquid ſapit in cibis, nitet in floribus, fulget in ſtellis, micat in gemmis, cœlo & terrâ continetur, liberali manu in nos profudit: ut cxclamare libeat: e *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Munificâ ſuâ manu in ſinum tuum tot divitias effudit: corpus tibi adaptavit omnibus numeris abſolutum, ubi f *nihil fruſtra, nihil redundans, nihil minus quàm oporteat, nihil non neceſſarium, vel maximè expediens ad finem*; tum ne minimum cum graviſſimo cruciatu deficeret, artificem illam corporis machinam, ne dente corroſo, per tot annos ſervavit: mitto innumera quæ tibi, tuiſque contulit beneficia. Unum omnia tranſcendit, quo omnipoten-

x Pſalm.35.v.10. y Iacobi 1.v.5.
z Pſal.41.v.3. a Damaſcenus orat. 42.
b Dionyſ. c.4. de divin. nominib.

c Liberalitas Dei Patris in nos.
d Damian. Serm. de S. Stephano.
e Pſal.144.vet.16. f Leſſius de provident. Dei, lib.1.c.2, n.65.

tiam

tiam ſuam exhauſit, miſit nobis *Filium*; nec hoc ſatis: miſit & *Spiritum Sanctum*; hinc merito igne, qui hac Solennitate Diſcipulorum corda accendit, inflammatus Abbas Igniacenſis exclamat: g *Planè ineffabilis divinæ circa nos dignatio charitatis! parum erat* PATRI *tradidiſſe* FILIUM, *ut redimeret ſervum: niſi daret &* SPIRITUM SANCTUM, *quo ſervum adoptaret in Filium.*

Ingens quidem Regum gratia, ac Imperatorum beneficentia fuit, qua hominem exterum in filium adoptarunt, ac Regni hæredem ſuffecerunt. Sic *h* Piſo nobilis adoleſcens, à Galba Cæſare primum dilectus, poſtmodum adoptatus eſt. *i* Nerva Imp. Ulpium Trajanum, virum Hiſpanum, nulla ſibi cognatione junctum, ob virtutem hominis in filium adoptavit, in partem Imperii vocavit, Cæſaremque in curia appellavit; quin & Imperii jura, & inſignia in Germaniam uſque (cui tunc præerat) tranſmiſit. Juſtinus quoque, ſororis ſuæ filium Juſtinianum adoptavit, conſortem imperii fecit, ac Succeſſorem reliquit. Aſt alia longè citra ullam comparationem, ſupra omnem æſtimationem, *Patris Cœleſtis* munificentia, qui nos abjectiſſimos ſervos per *Spiritum Sanctum* adoptat in filios, & Regni æterni conſtituit hæredes: k *Eſt enim adoptio, extraneæ perſonæ in Filium, & deinceps legitima aſſumptio*, hoc eſt, quod magnificis verbis extollit Guarricus: l *Dedit* FILIUM *in pretium redemptionis, dedit* SPIRITUM SANCTUM *in privilegium adoptionis, ſe denique* TOTUM *ſervat hæreditatem adoptatis*. Optata profectò, & beata ſors, ut vilis, pauperculus, non à Regio Dynaſta, ſed ab ipſo Deo adoptetur in filium, & bonorum omnium heres conſtituatur. Illud Deuteronomii 5. m *Ego ſum Dominus Deus tuus*, ingenioſè expendit, & nervosè appendit Oleaſter verbum illud *tuus*, dum ait: n *Sunt aliqui Reges, & Domini, qui ſunt* SUI: *alii qui ſunt conſanguineorum ſuorum, & amicorum. Deus verò non ſuus, ſed* TUUS *eſſe voluit. Quid quæſo habet Deus, quod non ſit* TUUM? *ſi cœlum habet*, TUUM *eſt, cujus influentiis vivis. Si terram? eam dedit filiis hominum. Si ſtellas? eas creavit in miniſterium cunctis gentibus.* Tum ſubdit illud Angelici Doctoris.

Se naſcens dedit ſocium,
Conveſcens in edulium:
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.
Quidquid denique eſt, & habet,
TUUM EST.

Quod ut planius, ac plenius cognoſcatis, ad fontem recurramus: audiſtis quid diceret PATER, *Fons bonitatis*, attendite quid elargitus ſit filius, Hipponenſis Præſul ediſſeret: p *Quantum* PATER *habet bonitatis, tantum* FILIO *dedit: & plenus fons bonitatis, plenum* FONTEM *genuit bonitatis:* FONS FONTEM *genuit. Merito Deo* PATRI *dicitur: quoniam apud te eſt* FONS VITÆ; *quis autē eſt iſte* FONS VITÆ *apud* PATREM; *niſi de quo dicitur: in principio erat verbum, & verbum*

g Guarricus Serm. 1. in Pent h Sueton. i Cuſpinianus. k S. Thom. in 4. diſt. 42. qu. 2, art. 1. l Guarricus cit.

m Deuter. 5. n Oleaſter hic. p Aug. contra Maxim. c. 23. Tom. 6. q Liberalitas Filii Dei in homines.

erat

erat apud Deum, & vita erat lux hominum: hæc vita, FONS *vitæ eſt. Unde cùm dictum eſt, apud te eſt fons vitæ, continuo ſubjunctum eſt: & in lumine tuo videbimus lumen: hoc eſt, in Filio tuo, Spiritum Sanctum. Ex hoc Fonte bonitatis, ex hoc Fonte vitæ, id eſt, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, ſecundum menſuram fidei ſumentes, boni fiunt, vivificantur, illuminantur, implentur.* Parum fuit Patri dediſſe ſua, dedit & Filium, q qui ſe totum, & tam prodigialiter prodigus in nos effudit, de quo noviſſimis temporibus Zacharias vaticinatus eſt: r FONS PATENS *domui Iſrael, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatorum.* In quę verba Magnus Gregorius, qui ut de eo Eccleſia teſtatur, admirabilia dixit, fecit, & ſcripſit, ſic ait: ſ FONS OCCULTUS *eſt unigenitus Patris, inviſibilis Deus.* FONS VERÒ PATENS, *idem Deus incarnatus.* Fons hic ab æterno in ſinu Patris clauſus, tandem dum venit plenitudo temporis, clavis, ac lancea, in cruce apertus, ſanguineos rivos propinavit; quod ſuaviſſimo dicendi flumine, melleus Doctor fusè proſequitur: t *Ipſe fecit*, inquit, *vel potius factus eſt, ut amaretur: ſe dedit in meritum, ſe ſervat in præmium, ſe apponit in refectionem animarum ſanctarum, ſe in redemptionem diſtrahit captivarum.* Hæc præcipua liberalis ejus amoris capita: primum ſe dedit in meritum, quia v *meam ad hoc induit formam, ut ſuſcipiat cauſam*; ita noſtrum bonum curavit, ac ſi ſalus ſua ex noſtra penderet. Non in ſua ſtetit forma quod potuit: non ſua duntaxat elargitus eſt (quod erat munificentiæ) ſed ſe ipſe dedit, quod fuit prodigalitatis, eo maximè, *quod ſe diſtraxerit in redemptione animarum captivarum.* Principis Philoſophorum hoc pronuntiatum eſt: x LIBERALIS *eſt ſuperabundare in datione.*

Nero nondum in ferinam barbariem efferatus, y *divitiarum, & pecuniæ non alium fructum putabat, quàm profuſionem.* Deſinet Midas inaurare, quæ hic dare ſolebat. Pauca è multis conferam: z militi prætoriano ob cauſam aliquam juſſerat centies HS. numerari; id eſt, ducenta quinquaginta millia Philippicûm. Et cum Agrippina mater, mirata improvidam fortaſſe liberalitatem, juſſiſſet totam eam pecuniam ipſo coram, in menſa exponi, & expandi, ut ſic vel aſpectu pœnitentiam eliceret, ille magno animo, juſſit alterum tantum addi, & neſciebam, inquit, tam exiguum me dediſſe.

Hoc Nero in militem; ſed quid in Regii ſanguinis Tiridatem? *quod vix* ipſi Suetonio *credibile videatur*, octingenta nummorum millia diurna in eum erogavit, abeuntique ſuper his HS. millies contulit. Scito Tiridatem per menſes novem Romæ, aut in finibus Romanis fuiſſe, & immunem habitum ab omni ſumptu; decreta igitur *octingenta* millia, ſunt viginti millia Philippæorum. Numera in menſem: quid ea niſi *ſexcenta millia*: in novem menſes: *quinque milliones quadraginta millia.* Jam abeunti datum millies HS. quaſi in viaticum;

r Zach.3. ſ Greg. in Ezech.c.20. t Bern. Tract. de diligendo Deo. v Bern. Serm.28. in Cant.

x Ariſtot.l.4.Ethic. y S.Thom. 2.2.q.117.att.4. z Sueton. Lipſius de magnitud. Rom. l.2.cap.14.

quod

quod iterum efficit *duos milliones, & dimidium.* Profuſæ liberalitatis ipſius ſumma ad *quinquaginta quinque milliones aſcenderat.* Mitto Auguſtos, Severos, alióſque, quorum ſtupenda dona apud Lipſium legere eſt. Hi ut multa dederint, plura ſibi reſervarunt, dederunt ſua, nemo ſe; dederunt pecunias, nemo ſanguinem, nemo vitam hoſtibus ad inauditam lanienam. At a *ſic Deus (Pater) dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret*, quæ S. Thomas attenta commentatione nobis ruminanda proponit: b *Non enim ſervum, non Angelum, non Archangelum dedit, ſed* FILIUM: eúmque *non adoptivum, ſed ſuum Filium dedit.* Accedit, *ſi plures filios habuiſſet, & dediſſet unum, hoc etiam eſſet maximum; nunc verò Filium unigenitum dedit*: non ut huic Orbi imperaret, in eo ut verus Deus coleretur, deliciaretur, quod & ingentis beneficii loco haberi debuiſſet; at dare, & quaſi prodigere, atque abjicere ad vincula, ad ſputa, ad flagella, ad mortem acerbiſſimam. Hoc enimverò eſt c *ſuperabundare in datione*, imò prodigum eſſe in datione: d *Totus ſiquidem mihi datus, & totus in uſus meos expenſus eſt*: animam quippe dedit triſtitiæ, corpus univerſum flagellis, manus & pedes trabalibus clavis, oculos lacrymis, genas alapis, caput ſpinis, & ultimam quæ in corde gutta ſanguinis latebat, vulnere lanceæ profudit; *a toto ſe, totum me comparavit*, nullo ſuo, ſed ſolo noſtro emolumento. O ter maxime Iſaac, rectè clamas: *Et tibi poſt hæc, fili mi, quid faciam?* ô Domine JESU; non plus ultra terminos, & columnas bonitatis, & liberalitatis extendere potes. Libet hanc profuſam ac prodigam munifici Redemptoris noſtri liberalitatem debito amore venerari, ac ſacro ſtupore admirari: e *O Deum, ſi fas eſt dici, prodigum ſui, præ deſiderio hominis! an non prodigum, qui non ſolum ſua; ſed ſeipſum impendit, ut hominem recuperaret non tam ſibi, quàm homini ipſi.*

Multi multa, & magna, liberali manu donarunt; ſed ut vel periculum à capite amolirentur, vel ut f plura, ac majora reciperent. g Julius Cæſar, teſte Suetonio, militibus ſingula interdum prædia viritim diſtribuebat, ut eos ſibi fidos cuſtodes, & defenſores haberet. Inſtante civili motu, in Gallia cùm eſſet, *L. Paulum Conſulem deſignatum, mille quingentis talentis flexit, ne contra ſe ſtaret: Curionem, qui ære alieno obrutus, majore etiam ſumma, ſexcenties* HS. *ut pro ſe ſtaret.* Illa tot talenta, inquit Lipſius, reddunt nongenta millia Philippicûm, id eſt, pænè millionem in virum unum. Quid jam in Curionem? ſexcenties HS. Ea faciunt quindecim centena millia Philippicorum, idque ut vitæ, & Imperio ſuo conſuleret. Non hic finis, non hic animus amabili Redemptori noſtro fuit, omnia ſua, & ſe dedit, non ut ſuam ſibi vitam, & Regnum ſervaret; ſed ut nobis illud, & vitam æternam donaret. Hæc divi Thomæ doctrina eſt: LIBERALITATEM *eſſe propriam ejus, quibonus eſt, & quodammodo ſoli Deo convenire*:

a Ioan. 3. v. 16. b S. Thom. hic. c Ariſt. cit. d Bern. Serm. 3. in circum. ſ. Dom.

e Guarric. Serm. 1. in Pent. f Liberalitas nō debet eſſe mercenaria. g Sueton. in vita. Lipſius de magnitud. Rom. l. 2. cap. 12.

quia

quia totus ſe communicat, & ipſum communicare eſt ei conveniens, ſicut FONTI BONITATIS, *nulla inde exſpectata commoditate*; perennis fontis in morem, qui in omnium, præterquam ſuiipſius, largiter, & liberaliter ſalit commoditatem.

Mortalium plerumque dona, plus mercaturæ, quam amicitiæ, & veræ beneficentiæ continent; pauca dant, ut majora recipiant. Talis Græculus ille, *h* qui Cæſari Auguſto carmen obtulerat, atque ille acceperat, & nihil ultra. Græculo iterum paranti dare, prævenit, & carmen à ſe dedit, ut oſtenderet, talia & domi ſibi naſci. Hic Græculus legere, mirari, & tandem manu in pauperem bulgam demiſſâ, denarios aliquot Auguſto offerre cum dicto: *Si plus haberem Cæſar, plus darem.* Callidè egit, exiguo piſcatus eſt, & cõmonefecit ſe Regium ab eo donum exſpectare. Auguſtus, ne quid munificentiæ ſuæ decederet, *ſeſtertia centena* dari ei juſſit, id eſt, *bis mille quingentos Philippicos.* Hæc mercatura, & uſura indies in donis invenitur; pauca dant, ut plura accipiant. Invitant, à quibus ſe, ſuóſque ſciunt invitandos, miſſitant ſportulas, offerunt munera, à quibus beneficia, dignitates, hæreditates mercantur, quorum operâ, & auxilio egent. Sordidam hanc donationem ſuis coloribus depingit Seneca: i *Multum*, inquit, *intereſt, utrum aliquis beneficium nobis det ſuâ cauſâ, an noſtra. Ille qui totus ad ſe ſpectat, & nobis prodeſt, quia aliter ſibi prodeſſe non poteſt, eo loco mihi eſt, quo qui pecori ſuo hibernum & æſtivum pabulum proſpicit: eo loco, quo qui captivos ſuos, ut commodius veneant, paſcit: & opimos boves ſaginat, ac defricat.* MULTUM, *ut ai*[t] *Cleanthes*, à BENEFICIO DISTAT NEGOTIATIO. Tales ſunt, qu[i] gobio multum piſcari queunt quos ſpe ſua fruſtrandos, meritò Romanus Philoſophus docet k *Demus*, inquit, *beneficia, no*[n] *fœneremur*; *dignus eſt decipi* (cum Græculo) *qui de recipiendo cogitavit, cùm daret.*

Vidiſtis quandoque, dum aqu[a] in antlia ſubſidit, ſitulam aqua affundi, ut plenior unda effluat & uberius hauriant. Tales illi quorum l *mercenarium beneficium eſt*. Sunt qui patruo, avo, amico ejuſque liberis, xenia, munuſcula mittant, menſæ adhibeant: ægro electuaria, bellaria, omne genus cupediarum liberaliter elargiantur: noctes, & dies aſſident obſequium, officium præſtant dum interim vulturum in morem, cadaveri, & pingui hereditati inhiant: gentilis hæc cenſur[a] eſt: m *Amico ægro quis aſſidet, pro*[b]*bamus. At hoc ſi hæreditatis cauſ*[a] *facit, vultur eſt, cadaver exſpecta*[t]. Nihil tam putidum, tam ſordidum, ac homine indignum, qua[m] beneficia mercede mercari; quo[d] ſic exaggerat: n *Pudeat ullum venale eſſe beneficium*: *gratuitos habemus Deos*, qui omnia movent moliuntur in uſus noſtros, *omni*[a] *ſine ulla mercede, ſine ullo ad ipſ*[os] *perveniente commodo faciunt.* Hæ[c] gentilis exemplo Deorum: a[t] longè verius exemplo ſummi, a[c] veri numinis, Theologorum Doctor Aquinas: o *Deus ſolus eſt ma*

h Lipſius cit. c. 13. in fin. i Sen. lib. 6. de benef. c. 12.

k Sen. l. 1. de benef cap. 1. l Sen[.] 2. de benef. cap. 12. m Seneca Epiſt. 9 n Sen. l. 4. de benef. c. 26. o S. Thom. part. q. 44. art. 4. ad 1.

ximè LIBERALIS, *quia non agit propter utilitatem; ſed ſolum propter ſuam bonitatem.* Nihil quidquam omnes beati Spiritus, aut nos miſeri homunciones, Deo utilitatis conferre poſſumus, qui omnia habet à ſe, & ante omnem creaturam ſibi omnia fuit, & eſt, quare quæ abundanter, & gratanter nobis donat, in ſolam noſtram ex bonitate ſua, confert utilitatem; ſecus ac homines ſolent, ut idem Doctor ſolidiſſimè confirmat, dicens, ac docens: p *Quando non intenditur utilitas aliqua in dante, hæc datio dicitur liberalis. Conſtat autem quod illa datio, in qua intenditur utilitas dantis, numquam competit Deo: unde ipſe ſingulariter dicitur* LIBERALIS: *quia in omnibus aliis dantibus, aliqua utilitas in dante, vel boni temporalis, vel ſpiritualis. Unde nulla datio eſt planè liberalis, niſi Dei*; niſi fortè tu credas, quod ex noſtris precibus, pietatis ac miſericordię operibus, ex ſacrificiis antiquis, quæ omnia in utilitatem noſtram benignus Dominus gratanter accipit, ei quidquam conferre poſſimus: q *Niſi fortè exiſtimas, Deum fructum operum ſuorum ex fumo extortum, & thuris odore percipere*; quod vel cogitare inſanum eſt, & impium, cùm nihil quidquam illi accedere, nec diſcedere queat. Merè igitur gratis ſe nobis impendit, & ſua in nos beneficia profundit: r *O fluens* LIBERALITAS *Dei! ô indeficiens largitas divinæ bonitatis.*

Hactenus inexhauſtum, ac perennem FONTEM BONITATIS, qui PATER, & FILIUS eſt, uberrime in nos manantem oſtendimus, & quantum capere potuere vaſculi noſtri anguſtiæ, hauſimus; nunc myſterium vobis dico: quid ſi hæc omnia à Spiritu Sancto, qui increatus amor utriuſque, ab illo qui FONS VIVUS, *ignis, charitas eſt*, profluere oſtendero? nónne dum ille nobis datus, & in nos effuſus eſt, omnia bona pariter cum illo donata fuiſſe evicero? qua ſuper re audiendus S. Thomas, qui ſ *non minus inter ſanctos doctiſſimus, quàm inter doctos ſanctiſſimus*, omnis largitatis, & liberalitatis verę originem, & fontem, ipſum amorem pronuntiavit, dicens: t *Ratio omnis* LIBERALIS *collationis, eſt* AMOR: *quod enim propter cupiditatem datur, vel propter timorem, non liberali datione datur; ſed talis datio magis dicitur quæſtus, vel redemptio. Quia igitur* SPIRITUS SANCTUS EST AMOR, *ex ratione ſuæ proceſſionis, habet in ſe, & quod detur, & quod ſit ratio dandi*, omnium quæ data ſunt, quia omnia ex amore, qui ipſe eſt, à Patre, & Filio profluxere. Unde artic. 3. quærit: v *Utrum per donum, quod* SPIRITUS SANCTUS *eſt, dentur omnia dona?* hæc controverſia quibuſdam peregrina, & ſupervacanea fortè videbitur, cùm conſtet quod Filius eſt etiam datus, *Iſaiæ* 9. Secundò: multa dantur nobis à Deo, in quibus non datur *Spiritus Sanctus*, ſicut data naturalia, & gratiæ gratis datæ. Ergo videtur quod non omnia dona dentur per donū, quod eſt *Spiritus S.* Contra eſt quod dicitur: x *Illud quod eſt primū in quolibet genere, eſt cauſa*

p S.Thom. in 1. diſt. 18. art. 3. q Sen. l. 4. de benef. c. 25. r Guarricus Serm. 1. in Pent.

ſ Beſſarion. Cardin. t S. Thom. in 1. diſt. 18. art. 2. v Ibid. art. 3. x Ibid. Ariſtot. 2. metaph.

omnium,

omnium, quæ ſunt in genere illo, ait Philoſophus; ſed SPIRITUS SANCTUS *habet rationem primi doni, in quantum ipſe eſt* AMOR PATRIS, ET FILII, *ergo videtur quod per hoc donum, omnia dentur.* Unde concludit, quod omnia quæ Pater dedit, & quod ipſe Filius ſit datus, per Spiritum Sanctum fuiſſe donata, per amorem, dum ſic ait: *Ratio autem* LIBERALIS DONATIONIS EST AMOR, *qui ſecundum Dionyſium, movet ſuperiora ad proviſionem minus habentium: & quia* SPIRITUS SANCTUS EST AMOR, *ideo ipſe eſt ratio omnium eorum datorum. Et ideo etiam ipſe Flius eſt datus per donum, quod eſt* SPIRITUS SANCTUS, *ſcilicet per* AMOREM. *Atque ita etiam omnia dona naturalia, & gratuita dantur nobis à Deo per* AMOREM, qui eſt SPIRITUS SANCTUS. Quis hic non amabili ſtupore, & mirabili amore defixus hæreat, & Deum in nos adeò prodigialiter prodigum, dum Spiritum Sanctum, & in eo omnia nobis donavit, agnoſcat? y *An non prodigum*, clamat Guarricus, *qui ſicut proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ſic nec* SPIRITUI SANCTO *pepercit (ut ita loquar) ſed nova, & mira largitate ſuper omnem carnem effudit illum.* Quâ verò ratione, & quàm largiter effuſus ſit, jam dicemus.

y Guarricus Serm. 1. in Pent.

§. I.

Effundam de Spiritu me[o] ſuper omnem carnem Actor. 2. verſ. 17.

DIvinus ille Spiritus, z qui A[...]mor, & Bonitas increata eſt[...] continere ſe non poteſt, quin in[...] ſtar fontis uberrimi prorumpa[t] & ſe effundat, quia ut inquit ce[...]leberrimus rerum divinaru[m] myſtes, a *Apoſtolicus Doctor Dio[...]nyſius* in ſua ſanctiſſima Theolo[...]gia: & ex ipſo divus Thomas[...] b *Ratio bonitatis maximè videt[ur] ad* LIBERALITATEM *pertinere[...] quia bonum eſt diffuſivum ſui.* Fa[...]cilè ſua dona communicat Spiri[...]tus Sanctus, munificus, ac libera[...]lis in omnes, gratiam offert, qui[n] & exhibet, niſi rejiciatur, hin[c] illud: *Effundam de Spiritu me[o]* Verſio Hebr. *Spiritum meum.* San[...]ctus Hieronymus ait: c *Effuſione[m] hic ſignificare, gratiæ largitatem* Sanctus Ambroſius libro prim[o] de Spiritu Sancto cap. 7. *Quo[d] capi non poſſit plenitudo Spiritus San[...]cti.* Idque *ſuper omnem carnem*, ſu[...]per omnis conditionis homine[s] omnis ætatis, omnis ſexus: *qu[ia] Spiritus non eſt acceptor perſonarum* Hoc innuere voluit Moyſes, cùm dixit: d *Spiritus Domini ferebat[ur] ſuper aquas*; non ſe ſub aquis, no[n] in terræ viſceribus abſcondeba[t] ſed aquis ſuperferebatur, ut om[...]nibus ſe offerret, ſua benefic[ia]

z Liberalitas Spiritus Sancti. a An[a]ſtaſius Sinaita l. 7. hexam. b Dionyſi[us] cap. 4. de divin. nomin. S. Thom. 2. [2.] qu. 117. art. 6. c Hieron. apud Lori[num] hic. d Gen. 1. v. 2.

om

omnibus communicaret; quod tetigit Guilielmus Abbas, dum ait: e *Ferebatur ſuper aquas, ſcilicet omnibus ſe offerens, ad omnes ſe exhibens benefaciendo, & utilia providendo, quod eſt proprium* Spiritus Sancti. Idipſum f coronâ martyrii glorioſiſſimus Cyprianus, nec Africanis atque Occidentalibus tantum; verum & Orientalibus Eccleſiis, fama prædicante, & ſcripta ejus longè latéque diffundente notiſſimus, ſub variis typis, & obviis ſimilitudinibus exponit de Spiritu Sancto, dicens: g *Profluens largiter, nullis finibus premitur, nec coërcentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia frenatur: manat jugiter, exuberat affluenter: ut ſponte ſol radiat, dies illuminat, imber irrorat, FONS irrigat, ita ſe SPIRITUS CAELESTIS infundit:* Effudit ſe totum non modò in Dei Matrem, ejuſque diſcipulos; ſed & in peccatrices, & adulterantes à Deo animas. Audaci utar in re diſſimili ſimilitudine, fretus magno Abbatis Igniacenſis patrocinio: h *multum*, inquit, *effuſus, ſui prodigus ille filius, qui tam patrimonium, quam ſeipſum donavit meretricibus; ſed multò effuſior PATER in recuperatione perditi Filii, quam ille in perditione ſui; ſi tamen ulla debet eſſe comparatio gratiæ, & pecuniæ, Spiritus & carnis, Dei & hominis: vide enim quanta largitate toto orbe gratia SPIRITUS effuſa ſit, non ſolum juſtis confirmandis; ſed & peccatoribus juſtificandis.* Quare illum invocemus, ad illum clamemus:

Veni Sancte Spiritus,
Et emitte cælitus lucis tuæ radium.
Veni Pater pauperum, veni DATOR MUNERUM.
Lava quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum,
Sana quod eſt ſaucium:
Flecte quod eſt rigidum, fove, quod eſt frigidum,
Rege quod eſt devium.
Da tuis Fidelibus in te confidentibus
Sacrum Septenarium:
Da virtutis meritum, da ſalutis exitum,
Da perenne gaudium.

Exundat, & redundat i Spiritus Sanctus *divinæ* Fons *profluus charitatis*, atque ut inter fontes, ita in hoc ſtupendæ virtutes, & operationes; imo una ſtilla gratiæ, k à Spiritu Sancto infuſæ, ut D. Thomas loquitur, *bonum eſt majus, bono totius naturæ univerſi.* Eſt fons in Ultonia l quo ſi quis abluitur, non caneſcit amplius; hunc autem fœminæ frequentant, & viri canitiem evitare volentes. m Daphnopoli fontem deſcribit Euſtathius, in quem ſi Virgo intraret, aqua pellucida remanebat; ſi verò corrupta, turbida continuò reddebatur. Nec minus mirandum, quod tradit Plinius: n in Dodone, inquit, fons immerſas faces extinguit, ſi extinctæ admoveantur, accendit. Mira hæc naturæ portenta:

e Guiliel. Hieroſ. Catech. 17. f Auguſtin. lib. 4. contra duas Epiſt. Pelagii. g Cyprian. Epiſt. 2. ad Donatum. h Guarricus Serm. 1. de Pent.

i Ambroſ. lib. 1. de Spiritu S. cap. 7. k S. Thom. 1. 2. quæſt. 113. art. 9. ad 2. l Nierenb. hiſt. nat. lib. 2. de miraculoſis nat. c. 26. pag. 430. m Idem pag. 435. n Plinius. l. 2. c. 103.

p *Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,*
Et FONTEM *luſtrare boni.*

Nobiliores effectus SPIRITUS SANCTUS, q *divinæ* FONS *profluus charitatis* operatur, cujus gratia non ſinit hominem Spiritu caneſcere, aut ſeneſcere. In hunc dum candidæ, ac virgineæ mentes immerguntur, pellucidus manet, qui ad obſcœni hominis contactum turbatur. Habet & *Spiritus Sanctus* r *qui Fontis, & aquæ nomine* ut Auguſtinus loquitur, *in Euangelio ſignificatur*, ut animas fœdæ libidinis facibus accenſas extinguat; calore, & flammâ divini amoris extinctas, FONS VIVUS, *ignis*, *charitas* accendat. Sed cum de his variis virtutibus ſupra egerimus, quod præ manibus eſt, proſequor, & vos omnes ad fontem liberalitatis verbis Iſaiæ invito: ſ *omnes ſitientes venite ad aquas: Et qui non habetis argentum, properate, emite abſque argento.* In quem locum Nazianzi Antiſtes t *ſplendidiſſimum, ſcientiæ, ac doctrinæ jubar*, Orat. 4. in S. Bapt. v *O miram beneficentiæ celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! hoc bonum ſolo voluntatis pretio emendum tibi proponitur. Appetitionem ipſam Deus ingentis pretii loco habet: ſitit ſitiri, cum ab eo beneficium petitur beneficio id ducit: munifica atque prolixa natura eſt; jucundius dat, quam alii accipiunt.* Hoc in quodam raptu B. Magdalenæ de Pazzis divinitus revelatum eſt: x Deum creaturam ſuam recognoſcere tanquam benefactricem, dum recepit illa dona, quę illi Chriſtus donat, quamvis ipſe beneficium conferat, & illa recipiat, quæ ex ſe mendica, & ab eo ditata. Tantopere deſiderat ſe communicare nobis, ut dum quis vult eſſe particeps communicationis illius, id ipſe reputet, ac ſi alter magnum aliquid ipſi communicaret. Conſimile quid S. Brigittæ indicatum: y *paratior eſt dare, quam quis petere.*

Quod priuſquam ad mores, & praxim derivemus, liberalis in nos Dei proprietates quaſdam, quæ omnes ex amoris fonte, qui Spiritus Sanctus eſt, emanant, proponemus: quia *invenies neminem eſſe, ad quem non aliquid ex illo* BENIGNISSIMO FONTE *manaverit.* Ac primum quidem *liberalis*, z *etiam non rogatus donat*: non enim myſterio vacat, quod Petrus, & Joannes, ingreſſuri in templum, ad horam orationis nonam, hominem ab utero claudum ſanitate donârunt. Cur non poſt egreſſum, invocata prius Sancti Spiritus gratia, niſi ut divina liberalitas, Apoſtolorum preces prævertens oſtenderetur? ſic exponit Chryſoſtomus: a *O glorioſum*, inquit, *meritum Apoſtolorum, qui antè operantur, quam ipſi Dominum deprecentur: ante virtus oſtenditur, quam oratio ad Dominum præmittatur. Effectus preces præveniunt: virtutes deſideria, antecedunt: nec expectatur ut vota ad Dominum præmittantur.*

p Virg. lib. 2. Georg. Boet. q Amb. cit. r Auguſt. lib. 2. de Gen. contra manich. c. 24. ſ Iſa. 55. v. 1. t Caſſian. de Incarn. c. 28. v Nazian. orat. 4. in S. Bapt. x 3. Part. vitæ §. 5.

y Lib. 1. revel. cap. 15. z Liberalis Dei proprietates 1. non rogatus dat Seneca lib. 4. de ben. c. 4. Actor. 3. v. 1. a Chryſoſt. tom. 1. in fine Serm. in c. 3. ſap.

qui

quia Dominus antè effecit, quam oretur. Hoc eſt quod inquit Pſaltes b *deſiderium pauperum exaudivit Dominus*; audit deſiderántem, nondum precantem.

Imò quàm multa Benignus Deus, quæ non rogaſti, nec deſideraſti, nec ſperaſti, in ſinum tuum liberali manu effudit? Cum non eſſes, eduxit te creator Spiritus ex illa infinita abyſſo nihili, in qua innumerabilis non dico dumtaxat hominum, ſed nobiliſſimorum Spirituum multitudo latet, æternum latebit, numquam evocanda, nec excitanda in lucem, ex qua ingenti numero majorem venerationem, & amorem redditurì eſſent, quam à te accipit, aut accepturus eſt. Diſce Catholicè à gentili: c *unde iſta quæ poſſides? unde hæc innumerabilia, aures, oculos, animum mulcentia; unde illa luxuriam quoque inſtruens copia? neque enim neceſſitatibus tantummodo noſtris proviſum eſt, uſque in delicias amamur. Unde iſta palatum tuum ſaporibus exquiſitis ultra ſatietatem laceſſentia?* Proſequitur: *Unde iſtum trahis ſpiritum? Unde iſtam, per quam actus vitæ tuæ diſponis, atque ordinas lucem? Unde ſanguinem, cujus curſu vitalis continetur calor?* &c. Quæ omnia non rogaſti, nec ſperaſti. Unde tibi, ut inter Catholicos è Catholicis naſcereris? Innumeris periculis corporis, & animæ non rogatus Deus eripuit, quæ nec cavere, nec prævidere potuiſti, unde nec eximi poſtulaſti. Gratia ... prævenit Paulum, Matthæum, Zachæum, & inter innumeros peccatores, quorum ego primus ſum, tam miſericorditer me non rogantem, prævenisti, & excitaſti, ut veriſſimè dixeris Domine: d *inventus ſum à non quærentibus; palàm apparui iis, qui me non interrogabant.*

In divino epithalamio cœleſtis Sponſa introducitur, quæ Beatos illos Spiritus interpellat, ut hunc favorem ſibi à Sponſo impetrent: e *oſculetur me oſculo oris ſui.* Currite, inquit, Angeli veloces, & meo, veſtroque dilecto, hoc ardens meum deſiderium nuntiate. Atque ilico ſubjungit: *meliora ſunt ubera tua vino.* Quid hoc? non dixit ubera ejus, ſed tua: quia quem abſentem invocârat, & ſolum oſculum oris deſiderarat, jam præſentem alloquitur, & uberibus inhæret; nudum nempe deſiderium ſponſus exaudivit, & ſupplicantis preces prævertit; quod ſcite expendit Bernardus: f *adhuc loquentibus illa & illis, venit ipſe de quo erat ſermo. Dilectus verbis prævenit preces; imò arbitror quod aliquando nec verba expectet, ſed ſolis cogitationibus advocetur.*

Altera proprietas eſt, *quod Deus* g *liberalior ſit in dando, quam in promittendo*, ſecus ac inter homines fieri conſuevit, qui aureos montes promittunt, & nihil præſtant. Morbo afflicti, à medicis depoſiti, quæ divis anathemata, Deo vota, auſterrimæ Religionis ingreſſum promittunt? ſanitati reſtituti, non recogitant, aut differunt, negligunt, aliiſque amatoriis diverticulis,

b Pſalm 10. v. 17. c Seneca lib. 4. benef. c. 5. & 6.

d Rom. 10. Iſa. 65. e Cant. 1. f Bern. hic. g 2. Liberalis Dei proprietas, largior in dando, quam in promittendo.

quæ

quæ depereunt, ſeipſos perdunt. Tempeſtate quis jactatur, quæ & quanta non promittit, cereum inſtar mali offerendum ſtatuit, periculo ereptus vel omnium oblitus, vel digitalem lychnum accendit. Tu mercator, tu vir opulente debes amico ex pecunia mutua, vel è cenſu annuo, promittis tali die, tali hebdomadâ, ſoluturum, differs de menſe in menſem, de anno in annum. Cauſidicus, Conſiliarius ſanctè adpromittit, cauſam talis viduæ expediendam, & nihil minus cogitat, aut agit. Ejuſmodi *tanto promiſſor hiatu*, ſacro proverbio à Salomone adumbratur: h *nubes, & ventus, & pluviæ non ſequentes, vir glorioſus*, & PROMISSA NON COMPLENS.

Videbis in æſtate nubem vento commotam, ex quo fulgura, & tonitrua erumpant tanta, ut videatur aquarum mare in terras deſcenſurum; & tandem vix quatuor guttas demittit, quandoque nullam, & ſic diffugit; ſic homo homini illudit, & imponit, nec minus frequenter Deo. In confeſſione, meditatione, quam magna, quam firma propoſita plerique faciunt, quàm aliam vivendi rationem promittunt, & *hora orationis* (confeſſionis) *tranſacta*, ut loquitur Bernardus, nihil omnium quæ promiſerunt, præſtant, ſed ſæpe longè deterius faciunt.

Non ſic munificus noſter Dominus. Promiſit Deus Moyſi, fore ut Virga ejus germinaret, quem in Sacerdotem elegiſſet: quæ poſtea non ſolum germinavit, ſed etiam ut Numeror. 17. ſcribitur: i *turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatis, in amygdala deformati ſunt*; in quem locum Origenes: k *unum promiſit Deus fructum in Virga, & plures dedit in quadruplum dedit*, & MULT PLURA, ET PRETIOSIORA LAR GITUS EST, QUAM PROMISIT. Vultis alterum hujus exuberantis liberalitatis argumentum Jacob filium ſuum Joſeph vide re dumtaxat cupiebat: l *ſuffic* inquit, *mihi, ſi adhuc Joſeph fili meus vivit: vadam, & videbo illum antequam moriar*; nec ſolum fi lium, vivum, cæteris fratribus ſi milem vidit, ſed & in ſolio, & Principem domus Pharaonis, totius Ægypti Dominum con ſpexit: quia & vota ejus muni ficentia DEI tranſcendit, ſic i lum compellans: m *deſcende* *Ægyptum, quia in gentem magna faciam te ibi*. Quæ in rem noſtram expendens aureus orator, ait n *Vide quomodo ea, quæ juſtus i deſiderabat, illi Deus pollicetur imò & multo majora: LIBERA LITATE enim ſua noſtras petiti nes tranſcendit*. Simile quid acc dit illi ſervo, qui decem millia ta lenta debebat Domino ſuo, cum que non haberet unde ſolvere juſſit eum Dominus, una cu conjuge, & liberis venundari o *procidens autem ſervus ill orabat eum dicens: patientiam ha be in me, & omnia reddam ti bi; qua humili ſupplicatione com motus, & miſertus Dominus ſe vi illius, dimiſit eum, & debitum d miſit ei*. Mira ſanè res ait Chryſo exiguas modici temporis ind cias hic petiit, ut tam ingente

h Prov. 25. v. 14. i Num. 17. v. 8.

k Origen. hom. 9. loco cit. l Gen. 4 v. 28. m Gen. 16. v. 3. n Cryſoſt. ho 63. hic. o Matt. 18. v. 16.

ſun

ſummam præſtaret , Dominus autem inſperatâ liberalitate , totam remittit , & tribuit gratiam poſtulat's longè majorem : p *petit ſervus ſolius temporis dilationem, ipſe autem majus dedit , & dimiſſionem; & conceſſionem totius mutui*

Prodigus ille filius à patre profugus , dum omnem ſubſtantiam ſuam cum meretricibus diſſipaſſet, & ſiliquis porcorum veſceretur, ad ſe reverſus,quò patris gratiam aucupetur,& veniam impetret , hæc tria efficacis perorationis motiva meditatur : q *Vadam ad Patrem , & dicam ei* : primò : *Pater peccavi in Cœlum , & coram te*. Secundò : *jam non ſum dignus vocari filius tuus* Tertiò : *fac me ſicut unum ex mercenariis tuis* ; qua triplici propoſitione concludit ore,ut animum Patris expugnet, & gratiam impetret. Hac ſpe fretus pergit ad patrem ſupplex , ac genibus & oculis in terram dejectis , tripartitam ſuam orationem orditur : *Pater peccavi in Cœlum , & coram te , jam non ſum dignus vocari filius tuus* ; Et antequam ad tertiam perorationis partem veniret : *fac me ſicut unum de mercenariis tuis*, præoccupat pater deſideria,& tranſgreditur ejus vota : *citò proferte ſtolam primam, & induite illum , & date annulum in manu ejus* &c. Præclarè hæc ad mentem noſtram Mediolanenſis Antiſtes : r *non addit , quod diſpoſuerat ſe dicturum* , ſ *fac me ſicut unum de mercenariis tuis ; ſed Pater occurrens, non contentus minora conferre , citius priſtinæ filiorum dignitati reſtituit.*

Orabat Chriſtum bonus ille latro in cruce , ut ſui jam aliquando meminiſſet. Quid Chriſtus ? recordaturum ſe tantummodo reſpondit ? ſane ſupplicis preces excedens,& vota,Regnum ſuum, & quidem ipſo eodem die liberaliter ipſi donaturum adpromiſit : *Amen dico tibi,hodie mecum eris in Paradiſo* ; in quæ verba , audiamus *excellentem Dei diſpenſatorem*, t *quem veneror* (inquit Auguſtinus) *ut patrem : in Chriſto enim Ieſu per Euangelium, ipſe me genuit,Beatum loquor Ambroſium,* qui ſic diſſerit: v *Vberior eſt gratia,quam precatio : ſemper enim Dominus plus tribuit , quam r gatur ; ille rogabat ut memor ſui eſſet; de Domino autem ſequitur , & dixit illi Ieſus : hodie mecum eris in Paradiſo.* Rogat latro , & ait : ſatis mihi , & pluſquam ſatis , ſi tum demum hanc obtinuero gratiam poſt 40 dies, *dum veneris in Regnum tuum* ; liberaliſſimus verò Redemptor noſter munificentiæ ſuæ , quaſi notam , & maculam irrogari autumans , ut beneficium conferat, non patitur moras : non uſque *dum venero* , inquit , ſed *hodie mecum eris in Paradiſo*. Tua quidem, ô latro , humilitas , & humanitas eſt, ſi modò poſt multos dies, Paradiſum ingredi detur ; ſed non patitur mea liberalitas, & ardens charitas , ut in craſtinum differam , quod hodie poſſum promptè, & libenter elargiri: unde idē Doctor : x *adhuc rogabat Dominum latro,ut meminiſſet ſui,dum veniſſet in Regnum ſuum,& Dominus antequam veniſſet , jam illi Regnum Cœleſte tribuebat.* Tum illud Epiphonematis loco ſubjungit: *quàm velox eſt Dominus ! Tardius eſt votum precantis , quàm remunerantis*

p Chryſoſt. hom. 62. in Matt. q Luc. 15
r Amb. hic. ſ Luc. 23. v. 42.

t Auguſt. lib. 1. contra Iulian. cap. 3.
v Amb. l. 10. in Luc. x Amb. cit.

ſit

ſit præmium ; maturavit beneficium, & ſuperavit petentis votum, ut hic valeat illud Dionyſii Carthuſiani: y *gratia fuit uberior, quam precatio* ; majore etenim Deus, & meliora dare conſuevit, quam homo rogare, aut ſperare auſit.

Exſtat illud Senecæ : z *urbem cuidam Alexander donabat, qui nihil animo, niſi grande concepit. Cum ille cui donabatur, ſeipſum menſus, tantum munus refugiſſet, dicens : non convenire fortunæ ſuæ: non quæro inquit* (Cæſar) *quid te accipere deceat, ſed quid me dare: Animoſa vox, & regia.* Quis noſtrum non ſic cum Deo amicè expoſtulare, & *ſeipſum menſus*, & muneris collati amplitudinem, & dignitatem menſus, ex corde dicere meritò poſſet: *non convenit fortunæ meæ*; tu me in tugurio, domo ſcilicet illuſtri, radiis ſolis pervia natum, ex ruſtico opilione, ad doctoratus inſignia, ad primarias cathedras, ad Abbatiale, Epiſcopale munus aſſumpſiſti : *non convenit fortunæ meæ.* At munificus noſter Rex, ut te ſibi devinciret : *non quærit quid te accipere deceat, ſed quid illum dare.* Tu me ex ſtercore pauperem, è vili opifice, ex tenui officinâ, facultatibus in ſinum conjectis, ad Magiſtratus ſubſellia, ad conſulares faſces, ad Reipublicæ gubernacula : filios etiam ad nobilitatis inſignia exaltâſti, domum totam verè illuſtrem reddidiſti : *non convenit fortunæ meæ.*

Hoc indies videre eſt ; & quis eſt, qui cum Davide ſolicitus ſit, quomodo immenſæ Numinis liberalitati, reſpondeat, & dicat : *quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Tu Domine pedum in ſceptrum, petaſum in diadema, caulam in aulam, ruſticum in Regem commutaſti, quorum nihil fortunæ meæ conveniebat, *quid retribuam Domino* ; non quærit munificus Deus quid nos accipere deceat, ſed quid illum dare. Hanc infinitam De munificentiam univerſa celebrat, & decantat Eccleſia, dum his verbis precatur : a *Omnipoten ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & merita ſupplicum excedis, & vota.* Ad quæ ſic ſcribi Paulus Burgenſis : *b* Deus e abundantiâ ſuæ bonitatis, no ſolum merita ſuplicum excedit ; ſed etiam orationum vota : ſæp enim plus dat, quam rogatur.

Abraham, & Sara, ſolicite d precabantur pro conſervation Iſmaelis: c *utinam Iſmael vivat co ram te* ! ſed Deus, cujus bonitat infinitus eſt Theſaurus, non ſo lum poſtulata conceſſit ; ſed & alterum filium in ſenectute ha bituros addixit : *Sara uxor tua pariet tibi filium*; ubi citatus Auctor : *d* Abraham non petenti quod daretur ſibi filius de Sara, ſed ſolum conſervationem Iſmaelis, Deus reſpondit : Sa uxor tua pariet tibi filium, ut v rè dicatur : *merita ſupplicum exc dis, & vota.*

Quid S. Monica tot iteratis ſ ſpiriis, & tam ardentibus vo ab altiſſimo deſideravit? Aug ſtini filii ſui ad fidem converſi nem, nil aliud prætendit, ut ip met fatetur : e *Fili, quantum ad attinet, nulla re jam delector in vita. Unum erat propter quod in*

y Dionyſ. Carth. de regim. princ. l. 3. art. 5. z Seneca l. 2. de benef. c. 16.

a Orat. Dom. 11. poſt. Pent. b B genſis, in ſcrut. ſcript. contra perf. I cap. 1. c Geneſ. 17. d Burgenſis. e Aug. l. 9. conf. c. 10.

v

vita aliquantum immorari cupiebam: ut te Chriſtianum Catholicum viderem, priuſquam morerer. Deus autem qui *merita ſupplicum excedit, & vota*, longè ampliora, quàm poſtulârat, conceſſit: convertitur tam divina metamorphoſi Auguſtinus, ab Ambroſio baptizatur, mundo ſpreto, tam illuſtris Religionis Fundator, Antiſtes Eccleſiæ, Apoſtolorum collaborator, Malleus hæreticorum, *præcipuus Catholicæ fidei prædicator, vir Apoſtolicus, & adamantinus, in quo omnes oblocutorum dentes franguntur, Doctor Doctorum, columna & firmamentum veritatis*, totius univerſi lumen evaſit. *f*

Audite piiſſimæ Matris verba, quibus Dei miſericordiam extollit, & munificentiam collaudat: g *cumulatius hoc mihi Deus meus præſtitit, ut te etiam contempta felicitate terrena, ſervum ejus videam*, & talem ſervum, ac tam eximium Sanctum.

Non raro Deus etiamnum in multos ſe tam munificum præbet, qui dumtaxat prolem enixè rogârunt, & hanc Deus, & dotibus naturæ, ingenio, formâ, ſcientiâ: & donis gratiæ cœleſtis, pietate, probitate, virtutibus cumulavit, ad dignitates ſæculares, aut Eccleſiaſticas extulit, *ſupplicum merita excedens, & vota.* Refragabatur Zacharias, neque adduci poterat ut crederet Angelo, cum in templo, divino Numini adoleret incenſum, ideóque in pœnam incredulitatis mutus factus eſt. h *Eris tacens, & non poteris loqui.*

Quid tum aliud à Cœlo venerandus Senex, quam perditam loquelam voluit? *Sed cumulatius hoc ei Deus præſtitit, & preces ſupplicis exceſſit, & vota*, dum non ſolum uſum linguæ reſtituit, ſed inſuper filium dedit, quo Sanctiorem antehac non tulerat Mundus; quod expendens Ambroſius: i *non ſolum*, inquit, *ablata reſtituit; ſed etiam inſperata concedit.*

Veriſſimè Auguſtinus Serm. 29. de verbis Dom. k *Plus vult ille dare, quam nos accipere. Plus vult ille miſereri, quam nos à miſeria liberari.* Liberalitatis terminos tranſgredi, & verè prodigus cenſeretur is, qui longe plus daret, quam ab eo requiratur: qui pro pretioſiſſimo unione mille aureos annumeraret, quem alter non niſi centum licitaretur.

Deum *prodigum ſui* ſupra vidimus, quomodo & in Lazarum ſe oſtenderit, attendite. *l* Hic mendicus moritur, & integer chorus Angelorum obviam mittitur, ut animam in Cœlos devehant: m *factum eſt ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.*

Quorſum hic numerus Angelorum? An non unus uni animæ deducendæ ſufficeret? notum illud Philoſophi placitum: *Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora*; ut proinde ſummopere hic miretur divus Chryſoſtomus: n *non ſuffecerat ad portandum pauperem unus Angelus?* conſtat tamen plurimos advolâſſe: *plures*, inquit, *veniunt, ut chorum lætitiæ faciant: gaudet unuſquiſque Angelus tantum onus tangere:*

f Facundus. lib. 9. c. ultimo. Rupert. lib. 7. de opoſp. 5. c. ult. g Aug. l. 9. Conf. c. 10. h Luc. 1.

i Amb. l. 2. in Luc. k Aug. Serm 29. de verbis Dom. l Guarricus cit. m Luc. 16. n Chryſoſt. hic orat. 40. in Evang. S. Thom. in catena hic.

libenter talibus oneribus prægravantur, ut ducant homines ad Regna Cœlorum.

p Satis, & pluſquam ſatis, ad portandum Lazarum unus Angelus fuiſſet *ne ſaltem ambulans laboraret*; ſed divinæ liberalitati id nimis parum videbatur.

Tertiò, cum q *liberalis ſit, ſuperabundare in donatione*, Deus pro munificentiâ ſua, non niſi r magna dare conſuevit. Quare David experientia edoctus, quia ſ *Sanctimonia & magnificentia in Sanctificatione ejus*, Deum veniam precaturus, non aliqualem miſericordiam orat; ſed t *miſerere mei Deus*, inquit, *ſecundum* MAGNAM MISERICORDIAM TUAM. Nôrat peccatum ſuum magnum, & enorme, pro cujus remiſſione magnam miſericordiam efflagitabat. Magna fames, magno pane ſaturanda; magnum debitum, magna ſumma reſtinguendum: magnus morbus, magnum requirit medicum.

Sed ad propoſitum noſtrum, alteram rationem adfert Urbanus IV. Pontifex Maximus: Davidem magnam à Deo petiiſſe miſericordiam, quia ſciebat à Deo non niſi magna poſtulanda, ejuſque magnificentiam decere, magna donare. Unde ſic illum ſummus Pontifex loquentem inducit: u MAGNAM *quæro miſericordiam: quia non decet magnitudinem tuam parva dare: imò exaudiri dignus non eſſem, ſi à magno parva peterem: Ego enim te illum Magnum puto Alexandrum, qui non attendis, quid me oportet accipere, ſed quid deceat te dare. Deus indignatur; & nihil donat, dum parva dona ab eo poſtulamus.*

Tu Deum rogaſti, ut filia tua viro opulento, nuptui tradi poſſet; alter ut merces diſtrahantur, & lucrum in mercatura faciat; alius, ut filius unicus è morbo convaleſcat &c. Parva ſunt hæc: rogandus Deus ut filia Chriſto ſponſa tradatur: divitias gratiæ, & cœleſtes acquirere valeat, vita æterna donetur. Deus utriuſque vitæ, temporalis ſcilicet, & æternæ abſolutus Dominus eſt, qui pro opere pietatis, aut liberalis in pauperes eleemoſynæ, non vitam aliquot annorum brevem, ſed æternam elargitur, ut aliquando Tobiæ revelavit: x *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, &* VITAM AETERNAM. Cur non & temporalem vitam eleemoſyna emi voluit? certè ſi id Deus nobis concederet, ut eleemoſynis vitam præſentem prorogare poſſemus, quas non pecunias profunderemus? Quantam auri, & argenti vim non expenderemus, ut mortis periculum evadere poſſemus? ſed hoc munifico Domino, qui magna dare ſolet, nimis parum videbatur, teſte Chryſoſtomo: y *temporalem redimere mortem tibi non conceſſit, ſed conceſſit æternam mortem; n[e] brevem*, inquit, *emas vitam hanc ſed vitam illam æternam: illam tibi vendo. Hanc etſi cœperis, nihil cœperis, ego novi, quia illa æterna,* MAGNA *eſt*; vita præſens ad modicum modica eſt, & divina ma-

p Chryſoſt. cit. q Ariſt. 4. Eth. c. 1. r 3. Proprietas liberalis eſt, magna dare. ſ Pſalm 95. t Pſalm 50. v Vrbanus IV. v. ad Pſalm 50.

x Tobiæ 12, v. 9. y Chryſoſt. hom. 36. ad popul.

gni-

gnificentia prorſus indigna: ideo vitam tibi vendit, imò donat, æternam.

Quam magna, ſupra omnes vires humanas, & propè incredibilia, fidem veram, & vivam habentibus adpromiſit? z *ſi monti huic dixeritis, tolle, & jacta te in mare, fiet.*

Quid ſi quis hæc verba non ad montem, ſed colliculum transferendum uſurparet? quid futurum exiſtimatis? Facilius id multi fieri poſſe dictitarent. At Origenes, Deum pro colliculo movendo non exaudiendum putat, quia magna rogari, & dare vult: a *credentes*, inquit, *magiſtro, nihil aliud petant, niſi* MAGNA, *& cœleſtia: ſicut ipſe ait ad diſcipulos ſuos: petite* MAGNA, *& minima vobis adjicientur.* Non niſi magna à magno petenda ſunt; quod diſertè ſignificavit matri petenti vinum, quod defecerat in nuptiis: *quid mihi, & tibi eſt mulier?* quaſi indignari viſus eſt, tam exile quid à matre poſtulari, qui paratus erat ſanguinem propinare, ſi popoſciſſet, ita D. Maximus: b *hæc verba indignantis quis dubitet? ſed idcirco, ut reor, quia tam temerè Mater de defectu carnalis populi ei ſuggerebat, qui venerat totius orbis gentibus, novum Salutis æternæ calicem propinare: nam quod petebat Maria, erat gratiæ temporalis, quod Chriſtus parabat, gaudii ſempiterni.*

Indignè fert Deus vilia, terrena, modica poſtulari, & tales preces aſpernatur; unde Baſilius in illud Pſaltis Regii: c *iraſceris ſuper orationem ſervi tui.* ſic diſſerit: d *Spiritualia tantum proſequi debemus, reliqua verò ad corpus facientia, cum appendices ſint animæ, minimè orationi commendanda. Iraſcitur enim Dominus, ac ut* MAGNIFICUS, *faſtidit vilia poſtulari*

Concludo: cùm ut ſupra diximus, *ratio* LIBERALIS DONATIONIS SIT AMOR, *& quia* SPIRITUS SANCTUS EST AMOR, *ipſe eſt ratio omnium eorum datorum.* Hunc hactenus ſub typo Fontis expreſſimus: ſed aliò non tamen extra ſemitam, me ducit Q. Curtius (qui Juſto Lipſio judice, e probus & legitimus Hiſtoricus, ſi quiſquam fuit) in amœniſſimo Ammonis nemore, *Fontem ſolis* extitiſſe commemorat. Neſcio quid Pſaltes Regius de diviniore fonte vaticinari videtur: f *apud te eſt* FONS VITAE, *& in lumine tuo videbimus lumen.* Ubi fontem & Solem, lumen & flumen aptè conjunxit. g *Quod enim*, inquit Auguſtinus, *eſt* FONS, *hoc &* LUMEN. Vos ut Fontis divini, & ſolis proprietates in vobis exprimere, & liberalitate, ac munificentia Deum quam proximè æmulari poſſitis, obvium vobis Symbolum in pleno dolio propoſui è quo ne gutta defluet, niſi h *attractus ab alto Spiritus.* Ita nec nummus è crumena, nec teruncius è pera, nec gutta è lagena, in pauperes & egenos effluet, niſi radiùs divini Solis, hoc eſt Spiritus Sancti ſe infuderit.

z Matt. 21. v. 21. a Origen. tract. 1. in Matt. b S. Maximus, hom. 1. de Epiph. c Pſal. 79. v. 5.

d Baſil. Serm. ut Deo plac. S. Thom. in 1. diſt. 18. art. 3 e Lipſius in noti. ad lib. polit. f Pſal. 33. g Aug. hic h Virg. lib. 3. Georg.

§. II.

PER LIBERALITATEM (*in pauperes & egenos*) HOMO MAXIME ASSIMILATUR DEO, *qui dat omnibus affluenter* S. Thom. 22. q. 117. art. 6.

SOl ſiderum Princeps, & nitore ſuo, & multò magis influxu benefico, fuit ſemper, eritque imago clariſſima beneficæ miſericordiæ Dei. Quo reſpiciens Rex David, canebat: k *in Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Suam in Sole fixiſſe ſedem, ſummum rerum dominatorem, ac principem, ideo dixit, ut inſinuet, nullum toto terrarum orbe locum eſſe aptiorem, in quo tanquam in Regiâ Aulâ, divinitatis immenſæ Majeſtas adoretur. Et meritò: ſicut enim ſol, ſolus inter cœleſtia ſigna beneficentiſſimus, vivificæ beneficio lucis, terræ viſcera, mariſque ſinus ita pervadit, ut pretioſiſſimis metallis, & unionibus faciat divites; ſic etiam divina bonitas, ſuæ theſauros miſericordiæ, intra luteas cordis terreni ſordes procreat, ac recondit. Ut ex hoc capite, miſericordiam Dei, reliquas inter divinitatis prærogativas, veluti minora inter lumina, Solem agnoſcere, ac venerari debeamus, perenni candore lucis ſplendidiorem.

Micat ſtellis cæteris illuſtrior in Cœlo Sol, lucet in Deo reliquis dotibus clarior, & nobilior Miſericordia. Vidit id S. Athanaſius: l *neque Sol*, inquit, *ſuum jubar in ſe contrahens, pro lumine agnoſcetur, niſi etiam orbi terrarum ſuos radios exporrigat, & tenebras illuminet. Ita quoque & Dominus non ſeipſum ſalvavit: ſiquidem nulla ſalute indigebat, cum eſſet Salvator; ſed ex ſuis in alios beneficiis, voluit Salvator declarari.*

Deus, & Sol, uterque *Pater luminum:* hic influxu radiorum, ille influxu numquam deficienti miſerationum. Unde ut Dei miſerentis ingenium, in Sole adumbraret expreſſum S. Gregorius pronuntiavit: m *nihil eſſe Deo tam proprium, quàm in omnes eſſe* MUNIFICENTISSIME LIBERALEM. Neque aliam inveniri poſſe rationem arbitror, cur *Pater miſericordiarum* dici voluerit, & non potius pater Orbis terrarum, Pater Angelorum, niſi quia nomen nullum illuſtrius, aut honorificentius putat eo, quod deſumitur à miſericordia: *bene dicitur*, inquit Bernardus, n *Pater miſericordiarum, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere?* Et paulò poſt.

Rectè igitur non pater judiciorum, vel ultionum dicitur, ſed pater miſericordiarum; non quod Deus etiam non indignari, & iraſci dicatur, *ſed quod miſerendi cauſam, & originem ſumat ex proprio; judicandi, vel ulciſcendi magis ex noſtro.*

Olim Magi Perſarum Deo, pro cor-

k Pſalm 18. v. 5.

l S. Athanaſius in Evang. de Paſſione & Cruce. m Sanctus Gregorius Naz. orat. 26. n 2. Cor. 1. Bern. Serm. 5. in nativ. Dom.

corporei, lumen tribuebant, proque animâ veritatem. At Pſaltes Regius pro corpore, proque vitâ, & animâ, ſolam Deo tribuit miſericordiam, unde ſuum Deum, miſericordiam ſuam indigitabat: p *Deus meus, miſericordia mea.* Liberalitas in egenos, ac in miſeros, & calamitoſos miſericordia, decus amabile, & præſidium dulce divinitatis; ita ſentit, & loquitur divus Hilarius, q *Vir Eloquentiſſimus, latini Sermonis tuba*, teſte Hieronymo: r *hoc in DEO præcipuum, hoc in potente laudandum: non Cœlum feciſſe, quia potens eſt: non terram fundaſſe, quia virtus eſt: non annum aſtris temperaſſe, quia ſapiens eſt: non hominem animaſſe, quia vita eſt: non mare in acceſſus & receſſus moviſſe, quia Spiritus eſt; ſed* MISERICORDIAM *eſſe, qui juſtus eſt; ſed miſerantem eſſe, qui Rex eſt, ſed diſſimulantem eſſe, qui Deus eſt.*

Unum præ cæteris mirum, prædicandum, ſtupendum, miſericordia, ars maximè liberalis; Hanc ſupremam numinis excellentiam, ut & nos æmulari poſſimus, juvat S. Chryſoſtomum audire diſſerentem: ſ *Ars quædam* LIBERALIS *eſt miſericordia, in Cœlis habens officinam, & non hominem, ſed Deum Magiſtrum poſſidet.* Igitur ſi miſericordia, & liberalitas ad alienas calamitates ſublevandas, ars eſt liberalis, quæ in Cœlo officinam habet, ſi Deus hujus artificii Magiſter eſt; qui huic arti perdiſcendæ dat operam, *Deus* quodammodo fiet; ſicut contingit artificibus reliquis, inductione factâ per omnium artium genera: nam qui fabrum magiſtrum aptè imitatur, faber efficitur: qui pictorem, pictor: qui phonaſcum, muſicus &c. propterea poſt multa, quid ejuſmodi ars præſtet, Chryſoſtomus paucis exponit: t *hæc erudire ſolet, quo pacto poſſis DEO ſimilis eſſe, quod omnium bonorum ſumma, & caput eſt.*

Quod quia parum videbatur tanto Doctori, ſubdit. *Illud imprimis homo diſcat: illud enim eſt hominem eſſe: & tu miraris, ſi hoc homo eſt, hoc DEUS EST.* Si quis patet mortalibus aditus ad immortalitatem numinis, & honoris, quin ad ipſam propè divinitatem, hunc ſine dubio aliena ſternit miſeria, cui hæc ars liberalis miſericordia ſubvenire conſuevit: nihil tam præcellens, nihil tam illuſtre, nihil ſupra conditionem habet humanitas, nihil denique tam divinum excogitari poteſt, quam liberali manu opem ferre calamitoſis. Magnificè de hac virtute Nazianzenus: v *nihil tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri. Fac calamitoſo ſis DEUS, Dei miſericordiam imitando*; non dixit, divinum eſt orare, divinum eſt, corpus inediâ & jejuniis macerare, non dixit divinum longas, moleſtas, & tranſmarinas peregrinationes ſuſcipere; *ſed nihil tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri.*

Nec hoc ſatis; ſed quo nihil excelſius, aut excellentius ad-

p Pſalm 58. q Hieronym. in Ruffinum. r Hilarius in Pſal. 144. ſ Chryſoſtom. hom. 53. in Matthæum poſt. med.

t Ibid. v Naz. Orat. de pauperum amore.

adferri poteſt, hominem munificentiâ quodammodo Deum fieri aſſeverat: *fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando.* Pergit idem exaggerando: *hæc eſt enim omnium laudatarum virtutum præſtantiſſima, hæc eſt felicitatis comes, hæc aſſidet Deo, & magna eſt cum ipſo neceſſitudine conjuncta*; magna laus, à magna manu, & mente.

Divinum quid hæc virtus habet, & neceſſitudine quadam juncta Deo. Et quid majus, quàm egenti fieri Deum? facit hoc liberalitas: imitatione tranſit in Deum, & à calamitoſo pro tali habetur, & deprædicatur. Vel gentilis hoc vidit: x *Qui dat beneficia,* DEOS *imitatur.* Lucæ 6. brevis, ſed efficax Chriſti parenefis eſt: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt*; ſimilitudinem cum DEO requirit, non in omnipotentia, non in ſapientia, non in alio divino attributo; ſed in miſericordia, tanquam in proprio & præcipuo Dei charactere, & notâ. Quod expendens y *ſapientiſſimus, & omni doctrinâ clarus* Epiſcopus Nyſſenus ait: z *Si miſericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te ſermo Chriſti hortatur, niſi ut* DEUS FIAS, *tanquam inſignitus notâ propriâ divinitatis.* Vide ad quantam excellentiam, & ſublimitatem liberalitas in egenos extollat, ut homo quodammodo *Deus fiat.* Conſonat his, quod Actorum capite vigeſimo dicitur; *Beatius eſt magis dare, quàm accipere*; quia dando magis Deo ſimiles reddimur. Ideo Clemens Alexandrinus: a *Dei,* inquit, *imago, eſt homo benefaciens.* clariſſimè D. Leo: b *Ubi Deus veram miſericordiam invenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit.*

x Seneca lib. 4. de benef. cap. 26. y Palladius cap. 86. Lauſiac. z Gregor. Nyſſen. Tract. de Beati.

Placet hæc divinitatis prærogativa? imitare etiam in ingratum, & immerentem: nam & beneficio Dei, c *ſceleratis ſol oritur, & piratis patent maria,* ſuſtinétque Deus, & beneficus eſt in nationes ingratiſſimas, opera manuum ſuarum adorantes, inſoleſcentémque multorum malitiam novis indies beneficiis cumulat, ut major improbitate liberalitas ſit, largior ingratitudine profuſio.

Quid? quod in alta gentilitate audeat Livia Auguſto conſulere ut inimicos liberalitate ſibi obſtringat? ſecutúſque ſuadentem Auguſtus, magnum terris nomen reliquit. Et ante hunc Julius Cæſarum primus, & maximus. *Hæc nova ſit ratio vincendi, ut miſericordia, & liberalitate nos muniamus.* Prævenit hunc etiam Magnus Alexander, cùm rogatus quis Principum optimus eſſet reſpondit: *Qui amicos donis retinet, & inimicos beneficiis amicos facit.*

Hæc ars artium Principi, & omni imperanti neceſſaria, qua multi ſuperiores carent, quam pauci callent, pauciſſimi cum graviſſimo ſui incommodo, opprobrio, & vitæ periculo practicare ſatagunt, eſt illa Titi Magni Imperatoris magna vox: *Amici diem perdidi,* quo recordabatur nulli beneficium præſtitiſſe; hæc gentilis. Quot vos Chriſtiani dies quot hebdomadas, menſes, im-

a Clemens Alexand. lib. 2. ſtrom. c. b S. Leo Serm. 10. c Seneca lib. 4. benef. cap. 26.

anno

annos perdidiſtis,quibus nihil in pauperes,in ærumnoſos, in egenos contuliſtis; plus dico, ſi perierat dies erogati ignara muneris, quid diceremus de illa, quæ aliena rapuit? quæ natavit viduarum, & pupillorum ſanguine? quæ novæ alicujus Jezabelis impulſu, novam invenit vineam, novo ſanguine litandam? d *Deus eſt*, inquit Plinius, *mortali, juvare mortalem*, in adverſa ingemiſcentem fortunâ, auxilio, conſilio, viribus, opibus ſublevare; ſic juxta Græcorum adagium, *homo homini* „ *Deus eſt*: nam ut rectè hoc „ exponit Manutius: fieri poteſt, „ ut hujus adagii ſit uſus neque „ improbus, neque inconcinnus: „ ſi quis hoc modo dicat, cum „ tantis malis premerer, ut nemo mortalium aut vellet, aut „ poſſet opitulari, tu unus mihi „ præter ſpem exſtitiſti, tuóque „ beneficio, me alioqui periturum ſervâſti; ideo eris mihi ſemper *Deus*. At nunc, ô tempora! ô mores! *homo, homini lupus*. Non ullæ reperiuntur feræ, feroces adeò, atque truculentæ, quæ moneri debeant, ut à damnis mutuis caveant ſibi; ſoli homini indicare, imò indicere neceſſe duxit Servator noſter, ut ab homine caveat: e *Cavete ab hominibus*; quaſi homini nil nocentius homine inveniatur, cùm alter alteri Deus eſſe deberet. Nónne Libycas urſas, & Hircanas tigres, ac carnivoros lupos dives ille epulo exſuperavit, qui famelicum, ac ulceroſum Lazarum ne micâ dignatus eſt? hoc de illo ſanctiſſimi Antiſtitis Aſterii judicium eſt: f *Is quem alterius inopia, atque ægritudo commiſeratione non tangit, fera ſanè eſt, rationis expers. Imò feris ipſis, ac belluis immanior*: nihil enim adeò humanæ naturæ, cui proprium opitulari miſeris, atque prodeſſe, quam immiſericordia repugnat; quod Lactantius ex Tullio tradit his verbis: g *Hoc itaque qui non facit, hominis ſe appellatione deſpoliat: quia humanitatis officium eſt, neceſſitati hominis in periculo ſubvenire.*

Plus dico, quemadmodum viri miſericordiæ Deo proximè aſſimilantur, ita immiſericordes quaſi in dæmonum naturam, qui nulla commiſeratione tanguntur, degenerant. Unde divus Macarius dæmonem rectè vocat, h *miſeratione deſtitutum, ſingulari quodam odio in humanum genus furentem.*

Hinc ni fallor, factum eſt, ut homines etiam gentiles ſummo ſtudio affectârint, & miris inventis quæſiverint eximiæ laudem commiſerationis. Intelligebant quippe nulla re ad immortalē hominis, & divinæ conſortium dignitatis aditum honoribus fieri ampliorem, quam liberali, & munificâ erga miſeros exhibitione: *Hæc*, inquit Plinius, i *ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi benemerentibus gratiam mos, ut tales* NUMINIBUS *adſcribantur*. Non aliâ viâ brevius itur ad divinitatis famam. Quis crederet id, Senecæ auctoritate poſſe confirmari, niſi divertè ſcri-

d Plin. lib. 2. c. 7. ante medium.
e Matth. 10. v. 17.

f S. Aſterius hom. de divite, & Lazaro. g Lactant. cap. 11. h S. Macarius hom. 15. i Plinius. lib. 2. c. 7.

ptum reliquiſſet: k *Bene aliis facere, hoc ſolum habent homines cum* DEO *commune.* Quid oro altius, non dico ſperare, ſed optare, vel cogitare potuit homo, quam ut eſſet Deus? ecce qui dixit: l *Dii eſtis vos*, per miſericordiam factus es.

Tales etiamnum in terris ab hominibus habiti, qui in donatione abundârunt. m *Gregorius* ejus nominis Papa XIII. adeo liberalem in pauperes ſe geſſit, ut illi Senatus, velut homini divino, & terreſtri Deo, à morte ſtatuam in Capitolio locârit, quæ hodieque loquitur, & divinam ejus munificentiam deprædicat; nam marmori inciſum, *ſeſtertium octingenties ſingulari beneficentia in egenos diſtributum*; ſunt vicies centena millia aureorum, ſeu duo milliones, non computatis ſtabilibus bonis, quæ vel hominibus, vel domibus, collegiis, templis aſſignavit.

Hæc virtus, quæ verè n regia, quàm apud omnes in honore, & amore ſit, ingenioſo apophthegmate expreſſit Joannes Boterus: o Japonenſis neſcio quis, nomine Bernardus, fortè Romæ degebat, quo tempore de eligendo ſummo Pontifice purpurati Patres decernebant, è vivis erepto, diutino ſex menſium morbo, Julio III. quadam die, dum de more comitia celebrarentur, per urbem obambulans Bernardus, ſocio dixiſſe fertur: *Principem habemus, eúmque omnibus abſolutum numeris, & undequaque Imperio dignum.* Tum ſocius: ecquis oro, id tibi indicavit? certò certius id novi, ſubdidit nullâ interpoſitâ morâ Japonenſis: video enim pauperes, afflictos, ærumnoſos ſingularia præbere lætitiæ argumenta; habent igitur eum, quem munificentiâ ſua, inopiæ, paupertati, calamitati, neceſſitati opitulaturum augurantur. Nec Bernardum fefellit opinio: fuerat enim ad ſupremæ dignitatis culmen evectus *Marcellus ſecundus*, Princeps optimus, quia factus ad bene merendum, quo ſibi decus, & gloriam immortalem acquiſivit.

Unde Joſeph tanto honore, & veneratione in Ægypto habitus, p *ut ad ejus oris Imperium cunctus populus obediret*, & quaſi Deus Pharaonis ab omnibus coleretur, niſi quia prævidens famem, frumentum collegerat, quod in famelicos plenâ manu diſtribuebat? ideo ſapienter Philo dicit: *Beneficentia, ſicut luna, nunquam pulchrior apparet, quàm cùm plena eſt.*

Multi fuêre ut ſanctimonia, ſic & rerum abundantiâ conſpicui, qui, ut loquitur Chryſologus, q tantum opes habuerunt *ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium.* Hos inter excelluit Petrus Philargi, ex ſancti Franciſci familiâ, r qui primum Archiepiſcopus Mediolanenſis, deinde etiam Cardinalis, denique & Pontifex, cui id nomen ceſſit *Alexander V.* hic ſic in omnes fuit munificus, ut vix quidquam ſibi

k Seneca lib. 4. de benef. l Ioan. 10. v 34. m Drexelius Salomon. cap. 7. §. 1. n Liberalitas virtus Regia. o Boter. lib 1. dict. memor. virorum illuſt. peregrin. Parad. in cap. 2. Matth. parad. 7.

p Gen. 41. q Chryſolog. Serm. 28. r Onuphrius in vitis PP. Lobbetius via vitæ ac mortis l. 1. cap. 5. §. 6.

refer-

reſervaret, unde dicere ſolitus: *Se divitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.* quia quo plura habebat, plura in pauperes effundebat, atque ut divitiæ, ita & beneficentia, inſtar lunæ creſcebat. Papæ, quis hoc non miretur in Papa? illi, quibus nullæ pectoris anguſtiæ ſunt, neque animi parci, ac reſtricti parſimonia, ad bene merendum dilatantur, & ſua effundunt affluenter.

Præclara eſt laus, quam ſanctus Fulgentius, Thraſemundo, Regi Wandalorum tribuit: ſ *Sic Africano præſides moderando regimini, ut magis deſideres animi ſpatia dilatare, quàm Regni.* Et certè nulla gratior, nec fulgentior dextera eſſe poteſt, quàm munificentia, & largitate, ut cenſet Hildebertus, qui de Magno Rege loquens: t *Novit*, inquit, *regiam manum melius donativis ſplendere, quàm ſceptro.*

Cœleſtis paranymphus à regalibus ſedibus miſſus, Virgini nuntiavit, filium pariturам, qui v *regnabit in domo Jacob in æternum.* Ecquænam virtus in hoc Patriarcha tam excellens, & eximia, ut velit Dei Filius, in ſtirpe ejus principatum? cur non dicitur regnaturus in domo Abrahæ, aut in domo Iſaac, cùm etiam his ſit Chriſtus promiſſus; ſed in domo Jacob? liceat mihi, inquit hic ſacer Eccleſiaſtes x, de vita, & moribus trium Patriarcharum inquirere, & cauſam dicere, vos judices eſtote.

ſ Fulgent. lib. 1. cap. 2. t Hildebert. Epiſt. 3. v Luc. 2. x Tolet. in Luc. annot. 90. Paoletti, Dom. 3. poſt Epiph.

Compertum eſt, Abraham duos habuiſſe filios, unum ex Agar, nomine Iſmaëlem, & alterum ex Sara, qui vocatus eſt Iſaac. Huic Abraham ſe liberalem exhibuit, cum bonorum omnium conſtituit hæredem; alteri verò tam ſe exhibuit ſeverum, immiſericordem & avarum, ut cum matre puerum dimiſerit, nil dando niſi panem, & aquæ hauſtum: y *Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem, & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus, tradiditque puerum, & dimiſit eam.* Iſaac ſimiliter duos filios habuit, Jacob, & Eſau: cúmque morti proximus eſſet, munificam erga Jacob liberalitatem oſtendit, omnia illi bona ſua legando: z *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei.* In alterum tam parcus, & immiſericors fuit, ut ad ſummam paupertatem, & mendicitatem redigeretur: *Frumento, vino, & oleo ſtabilivi eum: & tibi poſt hæc, fili mi, ultra quid faciam?* at Jacob alium ſe filiis præſtitit, & erga omnes viſcera liberalitatis, & miſericordiæ aperuit: jam etenim moribundus, ad ſe filios omnes, qui duodecim erant, accerſivit, & cuilibet ſine ulla exceptione, data benedictione, hæreditatem paternam ex æquo, & liberaliſſimè diviſit: *Benedixit ſingulis benedictionibus propriis*: quia igitur Abraham in dando tenax, & Iſaac in benedicendo parcus, *ideo non regnabit in domo Abraham*, non in *domo Iſaac*; *ſed in domo Jacob in æternum*, qui liberalis, & apertis ſemper manibus ad largiendum.

y Gen. 21. z Gen. 27.

Liberalitas virtus regia eſt, nec ullus ſubditus eſt, qui non liberalem Regem, & Dominum ſibi præeſſe exoptet. Dictis fidem adſtruet, quod ſubjungo. a Expediti ſunt, nomine Bearnenſium Legati in Cataloniam, ut à Guilielmo Moncada, unum ex filiis ejus peterent, quem ſuum conſtituerent Regem. Annuit ipſe, & Legatos in cubile introduxit, in quo duo ipſius parvuli, fortè gemelli, dormiebant; quorum unus manus clauſas, alter nomine Gaſton, apertas habebat: & hunc elegerunt, conjecturâ proſpicientes, in ſuos liberalem, ac munificum fore, quod apertis eum viderent manibus eſſe.

Scire vultis, quis veſtrûm, in Regnum cœlorum aſciſcendus ſit? qui liberalem, & apertam in egenos manum habuerit.

De Alphonſo Caſtellæ Rege, cui *à perforata manu* inditum nomen, ſcribit Mariana noſter, b à liberalitate cognomen hoc traxiſſe: qui enim perfectè munificus eſt, divitias non magis, quàm aquam manu continere, quin diffluant, poteſt. Benigniſſimus Deus in vos prolixâ, ſemper, ac porrecta, non contracta manu eſt, vult ſibi in ſuos, ut vos tales præbeatis, quod Mediolanenſis Antiſtes potenti ſuâ ſuadâ commendat, ſermone de arida ſanata: c *Sed & tu, qui putas te manum habere ſanam, cave, ne avaritia contrahatur; quin potius extende eam miſericordia ſæpe ad pauperem.* Obſerva, quod ſapienter monet Sapiens: d *Non ſit porrecta manus tua ad recipiendum, & ad dandum collecta.*

Magnitudo divinæ liberalitatis, cum verbis explicari nequeat, aptiſſimis adumbratur, mirandíſque celebratur Hieroglyphicis Cantic. 5. e *Manus illius tornatiles aureæ*; per manus quippe beneficia divina ſignificantur, eaque pretioſiſſima, unde aurea dicuntur, miróque elaborata artificio, quaſi tornata, quia in ſe revolvuntur, & unum ſuccedit alteri, juxta Hebr. *manus ejus, revolutiones aureæ.* Tigurina vertit: *Orbes aurei*; aſſiduo nempe circulo, beneficia beneficiis Deus, quaſi in orbem ſuccedere facit, quod diſerte ſignificâſſe videtur ſanctus Chryſoſtomus, dum ait: f *Conſidera, quomodo non ceſſat bonus Deus; ſed beneficia beneficiis cumulat, & divitias bonitatis omni honore circumdat: & vult animali huic rationali præſtare, ut non ſolùm honeſtè, ſed & commodè vivat.*

Replevit divina munificentia arcas veſtras auro & argento, horrea frumento, cellaria vino, & pauper ſiti moritur. Cur implentur nubes aquis, niſi ut aridam, & ſitientem terram irrigent? ſanctus Bernardus epiſtola ad Archiepiſcopum Senonenſem, ait, pauperes hiantibus faucibus exclamare: g *Noſtrum eſt, quod effunditis: nobis crudeliter ſubtrahitur, quod vos inaniter* (imò brutaliter) expenditis: quot enim pauperes paſci, quot ægri refocillari, quot captivi re-

a Paoletti. Dom. 3. poſt. Epiph. b Mariana de rebus Hiſpan. l. 9. cap. 8. c Ambroſ. Serm. 8. de manu arida.

d Ecclef. 4. v. 36. e Cant. 5. 14. f Chryſ. hom. 14 in Gen. g Bernard. Ep. 42. ad Archiepiſc. Senonenſem.

fici

fici poſſent eo vino, quod tu prodige abliguris, & cum damno tuo? nubes vino plenæ, vaſa ſunt, ſponte ſua rumpuntur, ut in egenos ſe effundant.

Artaxerxes, cum tenacioris eſſet naturæ, ſic tacitè reprehenſus eſt ab eo, qui ſententiam tulit: debere nimirum Principem eſſe ſiniſtrâ contractâ, ne recipiat, *& dexterâ ſemper apertâ, ut liberaliter donet.* Dico ergo, non ſolum Principem, ſed & Chriſtianum quemque dexterâ apertâ eſſe debere ad elargiendum; ſi Deum in ſe etiam liberalem experiri velit. Deus *ſpeculum eſt Bonitatis divinæ*, teſte Nyſſeno: ſi conſiſtens ante ſpeculum manum claudis, & ipſe claudit: aperis, & ille aperit. Dilucidè ſanctus Auguſtinus: h *Sicut in ſpeculo omnibus motibus, atque omnibus actibus, quibus is, qui ſpeculum intuetur, movetur, vel agit: iiſdem ipſis etiam imago quæ per ſpeculum formatur, actibus, & motibus commovetur & agit. Ita & Deus. Qualis apparueris Deo, talis oportet ut appareat tibi Deus: ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ, ſuaves, mites, dulces, & miſericordes* requirit: profuſa manu effundis, & ipſe effundet.

Profluvium liberalitatis divinæ, quod Spiritus Sanctus non in Diſcipulos dumtaxat, & in omnes Sanctos, ſed & in nos indies copioſè effundit, proximè æmulatus eſt *i* Conſtantinus Monomachus, de quo aureum illud tulit elogium Conſtantinus Manaſſes in Annalibus: *Erat*, inquit, *ita munificus, ut eſſe* LIBERALITATIS *quoddam quaſi* MARE *videretur, cujus fructu multis frui contingit, emittentis quaſdam quaſi venas, & ſcaturientis in morem auriferi Pactoli, Nilique argentiflui. Quippe munificas ipſius manus, expertæ ſunt nationes integræ, templa, pauperes: erat enim* FLUVIUS, *ubique ſemet effundens, & munera copioſiſſimè diſtribuebat in ærumnoſos, tanquam in tubulos, & canales haud perfoſſos. Superbus quidem ille Xerxes Perſarum Rex, cum æſtivo tempore ſub Platano pulcherrima recubuiſſet, arborem ornamentis inanimis viciſſim cohoneſtavit. At hujus Imperatoris beneficiis continuis, ſcopuli, arbores, inſulæ, prata rigata ſunt. Tam magnum animum, tamque locupletem habebat.*

Quantò ſanius, & ſanctius vos non in ſcopulos, & platanos; ſed in egenos & pauperes veſtra erogabitis? ſi non mare, ſaltem fluvios vos exhibere poteſtis, quibus tubuli, & canales non deſunt, id eſt, ærumnoſi, & pauperes, in quos venas argentiferas, & aureas derivetis; per hos canales, omnia dona fluent in mare, *k* ut pleniori alveo in vos redundent: nam, ut inquit Nazianzenus: l *Hoc ipſum accipere eſt, Deo aliquid donare*: ſi quid nos ejus manibus liberaliter offerimus, quamtumvis exiguum ſit, copioſè, & pretioſè compenſat, ſiquidem m *manus ejus plenæ hyacinthis*: cùm enim plenas habeat manus; nequit à nobis aliquid accipere, quin inde ad nos aliquid, & quidem ſummi pretii decidat; ut ſi puero, qui manum auro plenam habet, pomum of-

h Auguſt. l. 1. de incarnat. In manuali c. 24. i Raynaud. de virt & vitiis, l. 4. c. 19. in fine.

k Liberalis nihil perdit. l Nazianz. orat. 16. m Cant. 5. v. 14.

feras, illud non prenſat, niſi aurum dimittat. Non eſt quod timeas tu, aut tui, ne multa in pauperes, in opera pia erogando, illa tibi deceſſiſſe arbitreris, plura Deus his rependet, & majora in cœlis.

Ubi valet illud, quod Plutarchus de Alexandro Macedone; hic prius ſe mari quam committeret, amicis munera diviſit liberaliſſime: huic agrum, illi caſtrum, illi villam, vectigal alteri, aliquibus aurum & monetam, quibuſdam cenſus annuos, idque tam multis, ut Parmenio quæreret *Quid Regi ſupereſſet? Rex blandè: ſpes ait, acquirendi majora.* Hæc ſpes omnibus vobis in ſinu repoſita, & res certa. Quod aptiſſimo ſymbolo fontis, Clemens Alexandrinus expreſſit: n *Quemadmodum enim quicumque putei ſcaturiunt, exhauſti in priſtinam menſuram revertuntur: ita etiam elargitio, quæ eſt bonus* FONS BENIGNITATIS, *potum ſitientibus communicans, rurſus augetur, & repletur.* Quod & alia ſimilitudine confirmat: *Et quemadmodum ad ubera, quæ ſuguntur, vel etiam mulgentur, ſolet lac confluere,* ut iterum, & uberius fluant.

Unde non eſt quod Filius Patri in eleemoſynas profuſo: nepos avo, millia aliquot in cauſas pias teſtamenti tabulis conſignanti ſuccenſeat, quaſi nihil, aut parum ſibi relinquat, cùm optimè illa repoſita habeat.

o Cùm Dux Lermenſis ſub Philippo III. Rege Hiſpaniarum, rerum potiretur, atque omnia officia, & beneficia per manus ejus transirent, Philippus IV. dixiſſe fertur: *Hic tam multa dat, ut nihil mihi dandum relinquat.* Nil ejuſmodi illis timendum, quos aliquando ringentes, & frendentes dentibus hæredes audivi, dum à pio teſtatore, in ſolatium animæ, in noſocomia, aliaque pietatis opera, ingentes ſummas donatas indigniſſime ferrent. Iſtiuſmodi audiant illud Chryſoſtomi de donatoribus: p *Ipſi ſumus qui beneficio fruimur, & multum lucri nobis conciliamus: nec putemus aliud, dum benefacimus, quàm quod magnum beneficium apud Deum deponamus*, maximo fœnore reddendum, ut alibi diximus q. Si quis ſplendidæ hereditatis uſumfructum dumtaxat habens ad annos pubertatis, ejus fructum alteri viro opulento largiretur hoc pacto, ut per omnem vitam tota hæreditate, & omni fructu uteretur, nemo tam amens, qui hanc oblationem, & occaſionem non arriperet. Ita Deus nobiſcum paciſci vult, & detrectamus. Quod tamen vel ipſi gentiles probavere. Seneca optimè libro ſexto de beneficiis, capite tertio: r *Egregie,* inquit, *mihi videtur M. Antonius apud Rabirium Poetam, cùm fortunam ſuam aliò tranſeuntem videbat, & ſibi nihil relictum præter jus mortis, exclamare:* HOC HABEO QUODCUMQUE DEDI. *O quantum habere potuit, ſi voluiſſet!* ſi quis veſtrûm, ut multi hic pecuniarum avidi, & avari ſunt, plurima habere velit, plurima det; peritura donet, & ſemper manſura recipiet.

n Clemens Alexand. l.3.pæpag.cap.7.
o Drexel. Salomon. c. 7. §. 1.

p Chryſoſtom. hom. 27. in Gen.
q Vide Luc. Evang. p. 2. Dom. poſt Pent.
r Seneca lib. 6. de beneficiis cap. 3.

Pergit

Pergit idem Philoſophus, & quidem ethnicus: *Hæ ſunt divitiæ certæ, in quacumque ſortis humanæ levitate, uno loco permanſuræ, quæ quo majores fuerint, hoc minorem habebunt invidiam.*

Si quis hic diteſcat, è tenui fortuna emergat, fundos fundis accumulet, & magnificas ædes exſtruat, filii ac filiæ ampullentur, ſtatim omnium invidia: unde hic tam brevi ad tantas opes, quomodo hæ adornatæ in ſimilitudinem templi, ſæpius veſtes, quàm ornamenta aræ variantes? novimus unde, & qua ſint origine natæ, qua alienis plumis glorientur. Accedit, quod hæc omnia aliena peritura ſint. Quare *quid tanquam tuo parcis? procurator es, Omnia illa quæ vos tumidos, & ſupra humana elatos, obliviſci cogunt veſtræ fragilitatis, quæ ferreis clauſtris cuſtoditis, armati, quæ ex alieno ſanguine rapta, veſtro defenditis, propter quæ claſſes cruentaturas maria deducitis: propter quæ quaſſatis urbes, ignari quantum telorum in adverſos fortuna comparet: propter quæ ruptis toties affinitatis, amicitiæ, collegii fœderibus, inter contendentes duos, terrarum orbis eliſus eſt. Non ſunt veſtra, in depoſiti cauſa ſunt, jam jámque ad alium Dominum ſpectantia: aut hoſtis, aut hoſtilis animi poſſeſſor invadet* (& ſi vultis illa vobis propria, nunquam nec ab ullo eripienda facere poteſtis) *quæris quomodo illa tua facias?* DONANDO. *Conſule ergo rebus tuis, & certam tibi earum, atque inexpugnabilem poſſeſſionem para, honeſtiores illas non ſolum, ſed & tutiores facturus. Illud quod ſuſpicis, quo te divitem ac potentem putas, quamdiu poſſides, ſub nomine ſordido jacet. Domus eſt, ſervus eſt, nummi ſunt: cùm donaſti, beneficium eſt.* Hæc gentilis, qui non legerat, nec intellexerat, donando nobis divitias repoſitas, quò fur non appropiat.

Quærit quis veſtrûm, quo pacto ſibi domum comparare queat, quæ nulli ruinæ, nulli incendio exponatur, nulla vaſtatione, aut vetuſtate corruat, nec ejus poſſeſſione unquam deturbetur? quam pretio quovis emeret? nôſtis quo pacto? *donando*, domum non manu factam, ſed æternam habebis in cœlis. Quærit quis arcas loculis refertas, quæ nunquam minuentur, *donando*, conſequetur theſaurum non deficientem in cœlis. Et hæc omnia primæ Veritatis ſunt. Si quis navarchus naves habens poma punica, aurea, & citrea brevi putreſcentia portantes, praxim quærat, ut pro iis, & longè meliora, & incorruptibilia recipiat, in promptu reſponſum eſt, *donando*.

Talia ſunt omnia bona terrena, ſic enim exponit Hugo Cardinalis naves poma portantes: ſ *Felix permutatio*, inquit Theophylactus, *in qua temporalia mutantur æternis*. Fluxa igitur, & peritura, æternis, & ſemper manſuris permutemus, & quo plura quis dederit, plura recipiet.

Sed quid ſi omnia? an non prodigalitatis vitium incurriſſe is cenſendus eſt? ita omnes ſapiunt filii hujus ſæculi. His reſpondet Doctor Angelicus, qui hanc quæſtionem movet: t *Dicendum quod illi qui intentione ſequendi Chriſtum,*

ſ Theophyl. in Luc. 16. t S. Thom. 2. 2. qu. 119. art. 2. ad 3.

Chriſtum, omnia ſua dant, & ab animo ſuo omnem temporalium ſollicitudinem removent, non ſunt prodigi, ſed PERFECTE LIBERALES. Unde & illis centuplum, ac vita æterna promiſſa eſt.

Nec eſt quod hic tenuioris fortunæ, ac pauperes, ſortem ſuam deplorent, quod parum, aut nihil ſuppetat, Deo in egenis elargiendum. Sic etenim docet ſanctus Thomas: v *Nihil prohibet aliquos virtuoſos, licet ſint pauperes,* ESSE LIBERALES; quod probat ex illo Ariſtotelis 4. Ethicor. *Secundum ſubſtantiam, id eſt, facultatem divitiarum,* LIBERALITAS DICITUR: *non enim conſiſtit in multitudine datorum, ſed in dantis habitu, ſeu affectu*, quod ingenioſo tractu manifeſtum fiet. x Ludovicus XI. Galliarum Rex libentiſſimè rapis veſcebatur; quod quidam ruſticus, ad quem ſubinde, è venatione diverterat, animadvertens quodam tempore in Aulam penetravit, & Regi candidam, ingentis magnitudinis rapam, candidiſſimo animo, & cordato affectu obtulit. Quam Rex aſſervari juſſit, ac hominem lautè curatum, mille aureis donatum dimiſit. Inaudierat hoc Aulicorum unus aliquis, qui plenus ſpe, equum obtulit, cogitans quod longè liberalius donum à Rege eſſet accepturus. At Rex qui dantis animum facilè perſpexerat, munus illi donavit involutum mundâ chartâ, quam ut ille domi aperit, invenit rapam, indignabundus ad Aulam reviſit, apud Regem conquerens, fortè errorem contigiſſe: cui Rex, donum illud pro equo ſibi condignum videri, quandoquidem ſibi mille florenis ſtetiſſet. Nôrat ſapientiſſimus Rex illud Ambroſii: y *Affectus divitem collationem, aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.*

Infelix alioqui futura pauperum conditio, ſi magnitudinem rebus, non animo metiatur Deus, præmiáque rebus, non animo reſpondeant; voluiſſe, cùm non poſſis, ſatis ſit. Hoc per Iſaiam benignus Deus indicâſſe videtur, ſe parvo contentum eſſe ab eo, cui facultas ad plura non ſuppetit: z *Frange*, *inquit*, *eſurienti panem tuum*, ubi Gloſſa, *frangat panem, & fruſtum det, qui dare totum non poteſt.* Quod hauſtu aquæ, & exemplo viduæ, duo minuta magno affectu offerentis, illuſtrat ſanctus Auguſtinus: a *Quid tam vile, quàm frangere eſurienti panem? tanti valet Regnum cœlorum. Si non habes facultatem frangendi panem, non habes domum, in quam inducas, non habes veſtem, quo cooperias: da calicem aquæ frigidæ, mitte duo minuta in gazophylacium: tantum enim meruit vidua duobus minutis, quantum Zachæus dando dimidium bonorum.* Tanti valet (Regnum cœlorum) *quantum habueris.* Da tu mechanice, tu herilis filia, tu paupercula, duo minuta cum vidua, & tantum dederis, ac qui centena & millena. Solus dantis animus, b & *affectus pretium rebus imponit.*

Efficax, ut vos ad liberalitatem in egenos, & pia opera exhorte[r]

v S. Thom. 2. 2. qu. 117. art. 1. ad 3. Pauper poteſt eſſe liberalis animo. x Loys Garon. chaſſe ennuy, cent. 1. §. 59. Corozetus de dictis memor.

y Ambroſii lib. 1. offic. cap. 3[0] z Iſai. 58. v. 7. a Auguſtin. in Pſalm 49. b Ambroſ. cit.

hortei

horter, ſtimulus eſt, quod hæc ſit certiſſimum c divinæ prædeſtinationis ſignum, quod æterna veritas variis ſacræ paginæ teſtimoniis, velut ſyngraphis conſignavit: Pſalmo quadrageſimo: BEATUS *qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, contra omnes accuſatores dæmones, & ipſa ſcelera clamantia in cœlum: quia clamores pauperum, illi & gratiam, & miſericordiam impetrabunt: d *Sine cauſa*, inquit Chryſologus, *accuſant peccata, quem pauper excuſat.* Evincit idipſum locus ille Tobiæ cap. duodecimo: *Eleemoſyna eſt, quæ à morte liberat* (nempe æterna) *& ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam.* Hanc fidi cuſtodis in morem, foribus inferni ſanctus Auguſtinus ſtatuit excubare, ne miſericors eò præcipitetur: e *Ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & neminem in carcerem mitti permittit.* Plura qui volet argumenta, videre poterit apud Recupitum noſtrum de ſignis prædeſtinationis, ſigno ſexto, Pauca, ne in immenſum excreſcam, ad delectum ſubjungo.

Satis ſublimi dicendi genere viſus eſt aliquibus Magnus Leo non explicare, ſed extollere præſtantiam eorum, quos alienarum miſeret calamitatum, cùm dixit: f BEATUS *efficitur, quicumque miſeria laborantibus, caritate compatitur.* Quem non miſereat miſerorum, ut certam ſuam vocationem, & ſalutem faciat, & particeps fiat divinitatis? Hilarius ſanè quid in hac re ſentiendum putet, declarat in illa verba Servatoris, Matthæi capite quinto, verſu ſeptimo: BEATI MISERICORDES, *quoniam ipſi miſericordiam conſequentur* Ubi ſic ait: g *miſericordibus miſericordiæ munera præparat; in tantum enim Deus benevolentiæ noſtræ in omnes delectatur affectu, ut miſericordiam ſuam ſit* SOLUM MISERICORDIBUS PRÆSTATURUS. Huc ſpectat illud Iſaiæ vaticinium, hominem miſericordem, Dei gloriâ donandum: h *Frange*, inquit, *eſurienti panem tuum, & egenos, vagóſque induc in domum tuam: cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Ad quod, ut vos omnes exſtimulet, attendite quale præmium maneat: *Et gloria Domini colliget te*, dignus ſanè qui gloria Dei, vel ſinu excipiatur, vel throno exaltetur, tot, tantiſque miſericordiæ operibus inſignis.

Illud cenſeo dignum animadverſione, non ſolum paſcendos pauperes, egenos hoſpitio ſuſcipiendos, veſtiendos nudos, ſed hęc omnia ab homine miſericorde eo animo præſtanda, ut exiſtimet non aliis, ſed ſibi ipſi, ac ſuis viſceribus ſe benefacere, talibus pietatis officiis benemerendo, juxta illud: *Carnem tuam ne deſpexeris.* In quem locum, rectè cadit illud Chryſologi: i *Verus amor eſt, feciſſe ſuas anguſtiati anguſtias.* Percellit aures rumor neſcio quis, ante Sponſi januam excitatus. Intempeſta nocte clamor inopinatus, crebræ voci-

c Liberalitas in egenos certum prædeſtinationis ſignum. d Chryſologus Serm. 40. e Auguſtinus hom. 39. ex 50. f S. Leo Sermon. 6. de Quadrag.

g Hilarius Canon. 4. in Matth. h Iſaiæ c. 58. v. 7. i Chryſologus Serm. 14.

ſerationes, repentinus pulſantis fragor, horridum aliquid ac fatale portendunt. Rei ſeriem diſtinctè narrat Matthæus capite vigeſimo quinto, verſu duodecimo, clamore facto, nuptiali pompâ Sponſus in aulam ingreditur domus, omni deliciarum apparatu refertiſſimæ, una cum Sponſa cœnaturus. Cùm ecce tibi quinque virgines, formâ præſtantes; innocentiâ morum, & candore virtutis,longè ſpectabiliores, pulſant anxiè, ſed ab ingreſſu, inauditâ plane inurbanitate rejiciuntur. In adoleſcentulis hiſce candorem veneror virginitatis: in iiſdem amorem erga Sponſum quis non videat? cùm nec deterritæ tenebris, nec graſſatorum retardatæ pavoribus,imbecilli ætate,ſed virili animo,eò feruntur,quo ardor Sponſi impellebat. Cur ergo tam duram repulſam paſſæ ſunt? nimirum unum deerat, oleum. Quod ſi deficiat, nec candor virginitatis, nec rigor auſteritatis, nec ulla bonæ mentis induſtria, nos in Aulam cœleſtem, in conſpectum ſuum divinus Sponſus admittet. Quod ex ipſo primæ veritatis oraculo, Damaſcenus oratione de die judicii, rectè comprobat, ubi ſic loquitur: k *Non dixit: diſcedite à me,quia furtum, & homicidium feciſtis,& alia mala; ſed ait, quia de ſubſtantia veſtra pauperibus non dediſtis, ſicut illos, qui ad dexteram futuri ſunt,* SOLA MISERICORDIA LIBERABIT, *ut eos qui ad ſiniſtram ſunt, ſola avaritia damnabit*; pende illa verba, *ſola miſericordia* ſalvabit. Ergo hæc ſola præſtat, quod non prolixæ preces, non largè profuſæ lacrymæ, non expreſſus è venis ſanguis; l *ſuperexaltat autem miſericordia judicium*; Græcè: *exultat,& gloriatur adverſus judicium*, & ſeveritatem.

Miſericordia quaſi victrix, & triumphans ante currum ſuum, ſacram ducit Aſtræam, vinculis adamantinis colligatam, fracta lance, gladióque retuſo. Hæc ipſum DEUM, ſui habet præconem, ut aureè Chryſologus: m *Quod Abel paſſus ſit, quod ſervavit mundum Noë, quod Abraham fidem ſuſcepit, quod Moyſes legem tulit, quod Petrus crucem reſupinus aſcendit; DEUS tacet, & hoc clamat ſolum, quod comedit pauper.* Suſpiciunt viri, ac fœminæ ſæculares, veterum Anachoretarum chameunias, ſeu in dura cubationes, vigilias aſſiduas, jejunia perpetua; venerantur in Religioſis virginalem caſtimoniam, voluntariam paupertatem, rerum omnium humanarum abnegationem, cilicia, flagella, quibus cœlum violenter rapere dicuntur; verumenimverò hoc vobis minimè clauſum, attendite. Unus nobis in hac re, inſtar omnium, eſſe poſſet Gregorius Nazianzenus, qui oratione decimaſeptima vel Imperatorem vel urbis præfectum hiſce verbis ad miſericordiam inflammat: n *Nihil* TAM DIVINUM *habet homo, quàm beneficentiam: licet tibi nullo labore* DIVINITATEM *aſſequi. Alii opes ſuas effundunt, alii exhauſtam carnem*

k Damaſc. orat. de die judicii.

l Iacob. 2. m Chryſolog. Serm. n Nazianz. orat. 17.

carnem ſpiritu mancipant, *& ſe à mundi conſortio abripiunt*, *alii chariſſima pignora Deo conſecrant*, *nec enim Abrahæ ſacrificium inauditum. Horum nihil à te poſtulamus*, *ſed clementiam tantum*, & miſericordiam. Quem non misereat miſerorum, ut nullo labore, jejunio, pœnitentiâ, immarceſſibilem æternæ gloriæ palmam certò conſequatur?

Chryſologum à Tilmanno relatum, præterire in præſentia non poſſum: o *Jejunium innocentiâ radiat*, *caſtitate fulget*, *pingitur moribus*, *micat ſanctitatis inceſſu*, *toto magnificatur ornatu*; *ſed ſine miſericordia*, *gloriam non habet*, *palmam non tenet*. Quaſi cœli portæ cæteris omnibus virtutibus clauſæ, uni velut omnium Reginæ ultro aperiantur. Hic Oratoris aurei ſenſus eſt, hæc ejus ſententia: p *Huic* (miſericordiæ) *portæ cœli aperiuntur*, *& veluti Regina intrante*, *nullus janitorum*, *nullus cuſtodum*, *qui portis aſſiſtunt*, *audet dicere: quæ es tu*, *aut unde? ſed omnes eam promptè*, *continuóque ſuſcipiunt*.

Si quis fortè caſtra, aut in urbibus maritimis præſidio militari inſtructis, portas intrare cupit, à cunctis vigiliis, & excubitoribus, quos tranſit, compellatur: quo vadat? *qui va la?* teſſeram edicat, *mot de guet* (ut vocant) hoc ſi protulerit, liber tranſit, fur ſit, aut latro, ſicarius, aut fornicarius, non ſpectatur. Haud aliter *nullus cuſtodum*, *qui portis cœli aſſiſtunt*, tibi obſiſtet, ubi teſſeram miſericordiæ protulleris, *ſed omnes promptè*, *continuoque ſuſcipient*. Hæc Regina nobiliſſimum ducit comitatum omnium virtutum, qui hanc animo comprehenderit, ſubito ſibi adeſſe videbit ſanctitatem, beneficentiam, pietatem, reverentiam, amorem in DEI bonitatem; itaque non mirum pulcherrimum illud apophthegma Caſſiodori, quod primo obtutu incredibile videbatur: *Sola eſt miſericordia*, *cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant*.

Scio, non cujuſque eſt, ob corporis infirmitatem, jejuniis vacare, ob familiæ negotia, prolixè orationi inſtare; ſed â miſericordiæ operibus, nemo etiam cui ne teruncius in crumena eſt, ſe valet excuſare. Animo hic occurrit ſcala illa mirifica, quam Jacob vidit in ſomno, quavis vigilia oculatiore. In hac ſcala beatarum mentium magiſterio diſcemus, quo pacto etiam vel ſola commiſeratione opitulari miſeris poſſimus. Geneſis capite vigeſimo octavo: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram: & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes*, *per eam*. Hujus aſcenſus, deſcenſúſque, mentionem faciens Bernardus, q *Beati*, inquit, *illi Spiritus aſcendunt per contemplationem DEI*, *deſcendunt per compaſſionem tui*. Illæ beatæ mentes, quæ compaſſione deſcendunt humanæ calamitatis, aſcendunt contemplatione, & fruitione ſummæ, ſempiternæque Deitatis. Ut intelligamus compaſſionis, & commiſerationis de-

o Tilman. in allegoriis ad cap. 21. Proverb. p Chryſoſt. hom. 7. de pœnit.

q Bernardus Serm. 11. in Pſalm. Qui habitat.

deſcenſum, evehere nos ad ſolium Deitatis, ut ejus conſpectu, atque conſuetudine perfruamur.

Sic Deum, r *qui dives eſt in miſericordia*, etiam mendicus, & pauper Religioſus valet æmulari; quod non alio, quàm divi Gregorii Nazianzeni comprobabo ſuffragio: ſ *Nulla ex omnibus rebus Deus perinde ac miſericordiâ colitur: quoniam nihil aliud tam peculiare eſt Deo, quam illa.* Mox, quo altius, non dico ullus mortalium, ſed nec cœleſtium ſpirituum aſcendere poteſt, fieri nos per miſericordiam quaſi Deos, his verbis declarat: t *Fias infortunato Deus, miſericordiam Dei imitando: diſcas ergo viſcera aperire indigentibus. Da pro magno promptitudinem, ſi nihil habes, vel lacrymulam: magnum enim remedium afflicto eſt miſericordia.* A qua remotiſſimi ſunt, qui mendicos, importunius ſubinde, fame exſtimulante inſtantes, acrius perſtringunt, injuriis impetunt, diris devovent: viduis, ac pupillis ad ſe confugientibus, aures & & fores occludunt afflictionem addunt afflictis, qui & illud funeſtum audituri: v *Clauſa eſt janna.*

Hanc januam ne ſibi non ſolum cum fatuis virginibus, quæ oleum miſericordiæ non habebant, ſed etiam cum viris immiſericordiæ clauſam reperiret, Regiam liberalitatem, ſi non exſuperârit, ſaltem æquavit Antonius Julius Brignole, Italus Genuenſis x, qualem numquam in pri-
vato homine comperi, & omn
poſteritas jure ſuſpiciet. Hiſtc
ria recens eſt, Anno 1662. viv
exceſſit hic nobilitate, opibu
matrimonio, ac prole nobili, obi
tâ laudatè ad Philippum IV. Re
gem Catholicum Genuenſis Re
publicæ nomine legatione; a
demum Senatoria ejuſdem Re
publicæ dignitate ſpectabilis; u
bique magnum ingenii, eloquen
tiæ, ſapientiæ, at potiſſimum *libe*
ralitatis ſpecimem dedit. Dein
de conjuge præmortuâ viduus
ad ſacros ordines, denique ad ſo
cietatem tranſiit, ac magno & fo
ris, & inter nos exemplo, ſan
ctum ſacerdotis, ac Religioſi nc
men implevit. Patre adhuc ſu
perſtite; donavit Reipublica
Genuenſi *centum millia librarum*
ad uſus belli navalis, quam anim
amplitudinem, poſtea in eleemo
ſynis erogandis liberaliter oſten
dit, ut divini theſauri Præfectus
vulgo *caſſiero di dio* diceretur
Cúmque domus etiam ſuæ ratio
nem habendam moneretur, aje
bat: *Dabo ego Deo, donec dabit mi*
hi Deus: & illi curæ, atque cord
erit domus mea. Id quam ex verc
dixerit, ſatis oſtendunt divitiæ
ac florens fortuna illius domus
& nominis. Religioſis, aliíſque
indigentibus mittebat *ſchedas*,
quas collybiſticas vocant, *magna*
vi auri inſcriptas, quam à trapezi-
tis acciperent. Cùm in Hiſpania
apud Regem eſſet orator Reipu-
blicæ Genuenſis, Xenodochio
Italorum, *eleemoſynam ſtabilem* aſ-
ſignavit. Ibidem aliàs qui Xeno-
dochio prçerant, de imminuendo
ægrorum admittendorum nu-
mero deliberantibus, *quingentos*
Hiſpanicos aureos (qui vulgaribus
noſtra-

r Ad Epheſ. 2. 4. ſ Nazianz. orat. de cura paup. t Nazianz. cit. v Matth. 25. x Ioan. Nadaſi annus dierum memorab. Soc. Ieſu, 20. Martii. Liberalitas Itali Genuenſis.

noſtratibus, duobus æquiparari ferè ſolent) dedit. Die quodam, ingenioſo ſpectaculo in theatrum dato, nobilitatem recreârat; cùm auditione accepit, eo die conſueviſſe nobilitatem ad Xenodochium, pietatis cauſa itare; illo vero ſpectaculo factum, ut eo die id omiſſum fuerit, adeóque Xenodochium conſueta ſtipe caruerit. Ergo ut jacturam illam *luculenta liberalitate* compenſaret Antonius, ilico *totidem aurea ſcuta* Xenodochio miſit, quot ſpectatores in ſuo illo ſpectaculo numerârat. Aliàs in magna caritate annonæ, *mille aureos* Hiſpanicos dedit, qui in tenuioris fortunæ familiarum domos diſtributi, aliorum quoque divitum liberalitatem ad imitationem Antonii excitavere. Veniunt ex Hiſpania Genuam arculæ, quarum ſingulæ habent facilè *viginti millia Philippicorum*; nonnunquam totum illud argentum intra diei unius intervallum diſperſit, dedit pauperibus liberalis manus Antonii. Unde cùm aliquando Antonii mater, plures id generis arculas adhuc in conclavi eſſe opinaretur, ac de illis apud trapezitam collocandis ageret, nec eas inveniret, ubi id quod erat intellexit, eas ab Antonio filio ſuo, in duorum Xenodochiorum ſubſidium fuiſſe diſtributas, obſtupuit primùm. At (ut erat matrona cumprimis prudens, ac pia) impensè poſtea gratulata eſt id ab eo factum, addito etiam elogio, pecuniam illam apud optimum trapezitam ab Antonio collocatam; nempe, *callere illum artem auri è luto faciendi.* Aliàs *quadraginta millia ſcutorum* per Notarium inſcripſit pauperibus: *Totidem millia nummorum* argenteorum (quorum ſinguli, ſcuti Romani valorem excedunt unico die erogavit in pauperes. Anno 1651. paulò antè initam ſocietatem, impendit eleemoſynæ nomine, *pluſquam ducenta, quadraginta millia librarum.* Eſt qui iniit, quam è libris potuit, rationem, & reperit, in iis ſolum quæ annotata erant (neque omnia notabantur) extremo ante initam ſocietatem decennio, erogata ab illo in egenos pluſquam *quadringenta, ſexaginta quinque millia librarum.* Jam viduus, & ſacris initiatus, ut plus Chriſto dare poſſet, veſte valde vulgari, pauperis inſtar, contentus, parcebat expenſis. At quorſum hæc tam immanis ſumma, tanta vis auri, & argenti, tam prodiga in pauperes, neglectis liberis, & propinquis, liberalitas? ajebat identidem: *Ego via orationis vix poſſum pervenire in cœlum, cùm orare non ſciam, videbo itaque ut per eleemoſynas poſſim mihi facere amicos pauperes, ut me in tabernacula recipiant.* Tandem ex voto pridem concepto, ſocietati nomen dedit, dicebatque ſe ſocietati nihil dediſſe, nec confeſſario, neque aliis de ſocietate, quibuſcum familiariter agebat, ea de re unquam locutis. Stupenda in Religione ſanctitatis teſtimonia reliquit, quæ hic enarare longum, & ad propoſitum non faciunt. Obiit Genuæ Anno 1662. cùm ſupremum illic in quadrageſima concionaretur. Quàm multi divites illa verba uſurpare poſſent:

poſſent: non ſcio orare, non poſſum jejunare, non poſſum corpus cilicio & flagellis affligere, non poſſum caſtitatem ſervare, non poſſum monaſticam vitam ducere, videte igitur ut per largas eleemoſynas poſſitis vobis facere amicos pauperes, ut vos, juxta verbum DOMINI, in æterna tabernacula recipiant.

§. III.

Sicut Deus vaticinatur per Joëlem: y SUPER SERVOS, ET ANCILLAS EFFUNDAM DE SPIRITU MEO; *ſic & paterfamilias ſe munificentiâ, & liberalitate effundere debet in domeſticos, in ſervos & ancillas: ſuperior in ſubditos.*

DIvus Chryſoſtomus, z *Chriſti flumen*, & quidem aureum, ut Anaſtaſius Sinaita loquitur, in hæc verba ſic differit: *a* Spiritus Sanctus oſtendit ſuam munificentiam, animúmque regium, *dum in omnes indifferenter beneficus, & liberalis eſt*, nec privatos habet amores, & amicitias: ſicque omnem excludit æmulationem, & invidiam. Unde ſubdit: *Non tantum ſuper omnem carnem, ſed & ſuper ſervos, & ancillas effundam Spiritum meum.* Conſentit Rufinus, & alii mul[ti] apud Lorinum *b*, qui volun[t] notari, quod nemo extrem[æ] conditionis, à munere Spiritu[s] Sancti èxcluditur. Quare ſi pater familias oſtendere velit, in ſ[e] effuſum Spiritum Sanctum, de[bet] illum & in domeſticos, i[n] ſervos, & ancillas refundere[:] quod rectè de officio paſtora[li] obſervat Ambroſius: c *Perfect[a] liberalitas, fide, loco, cauſa, tempor[e] commendatur, ut primò opereris circ[a] domeſticos fidei.* Charitas ordinata eſt, ut vir in omnes munificus & liberalis maximè ſit ad domeſticos ſuos, ad uxorem, filios, ſervos, & ancillas. Quod v[el] ipſum lumen naturæ docet. U[t] ex etymo liberalitatis deduci[t] Seneca: d *domus ipſa divitis viri quantam habet benefaciendi materiam? poteſt etiam pecuniam ſuam intra limen ſuum diffundere, & liberalitatem exercere* (erga domeſticos) *quæ non quia liberis debetur, ſed quia à libero animo proficiſcitur, ita nominata eſt.* Quod ut ad praxim reducatur, menſa pro conditione honeſta ſit, illi uxo[r] & liberi accumbant: quo fiet, u[t] amorem, reverentiam, & probo[s] mores induant, dum in oculi[s] parentum veſcuntur; contemptum, & indignationem parit, ſi liberis in angulo lenticula, & olera proponantur; parentes verò poſtea ſoli commeſſentur. Præmiis filios paterfamilias ad ſtudia, ad liberales artes, filias ad opera manualia provocet. Quo[d]

y Ioel. 2. v. 28. z Anaſtaſius Sinaitia in encomio Chryſoſtomi.
a Chryſoſtomus in acta 2.

b Lorin. in acta cap. 10. verſ 45.
c Ambroſ. lib. 1. off. cap. 30.
d Seneca lib. de vita beata, cap. 24. Paterfamilias ſit liberalis in domeſticos.

heb.

hebdomadis aliquem filiis nummum elargiatur, ut luſui, aut recreationi vacent, ne ut experientia conſtat, clepere diſcant, dum ſe aliis ejuſdem, aut etiam inferioris conditionis colludere non poſſe vident. Novi filios, qui non libros dumtaxat, argentea cochlearia, aliáque cimelia ſuffurati ſunt; ſed & crumenam, & ſaccos, ad aliquot centenos florenos expilârunt.

2. Maritus uxori abunde proſpiciat, ut quæ culinæ, quæ familiæ neceſſaria, coemat. In hoſpites, convivas, amicos, propinquos honeſtè profuſus ſit, nec hiſce excipiendis ſe uxor alienam, aut parcam exhibeat; unde graviſſima quandoque exorta diſſidia. Non ita pridem, cùm maritus mercatores aliquot, quibuſcum non leve emolumentum fecerat, hoſpites domum duxiſſet, uxor pertinax indignari, ſtomachari cœpit, nec quidquam niſi herbas, & fruſtum vaccinæ apponere; quo maritus irritatus, omnes mappas in tenues lacinias, & fruſta concidit, atque hoſpites ſuos ad diverſorium deduxit, ubi in unum prandium, plus quàm in ſex lautis conviviis dilapidavit; quis enim vir honeſtus ferat, coram exteris, quos invitavit, ſibi à muliercula illudi, & contemptui haberi.

Quare uxorem obſtrepentem, obgarrientem, quoties maritus aut expenſas aliquas faceret, aut convivas adhiberet, hoc ſtratagemate correxit, & os oppilavit. e Fortè cum quinque, aut ſex ſociis maritus, ſub prandium domum ingreſſus: ubi illa jurgari, ac vociferari cœpit, dolium ingens in mediam plateam provolvi juſſit, quod cur fieret, aut quid hoc ſibi vellet, ignara, perrexit in eum diras, & iras evomere: populo ad clamores accurrente, annuit maritus vietoribus, ſeu doliariis, ad id jam antea clam conſtitutis. Signo accepto, robuſti illi mediam arreptam in dolium conjecerunt. Ibi illa, ad Reguli modum incluſa, vix, cùm ſubſiliret, oculis potuit eminere; & tamen velut è cathedra, cœpit vocaliſſimè detonare in maritum. Eo igitur alterum ſignum dante, vietores per circulum ambientes malleis, tudiculíſque, dolium uſque ad inſaniam mulieris, contuderunt; illis pulſatione longâ fatigatis, ſucceſſere pueri, qui cavum dolium ſaxis cædentes, non minore ſtrepitu, quàm clamore in tertiam uſque horam, omnia compleverunt; ſarcaſmum acerbiſſimum addentes, atque præ indignatione inſanientem, identidem Diogenis uxorem vocitantes. Mulier, ſeu furiis ageret, ſeu prece, rupta intus eſt propemodum, quod ex hoc gurguſtio emergere prohiberetur? donec maritus ſpectaculo ſaturatus, in cauponam conceſſit: tunc enim concluſa, libera dimiſſa eſt, bono operæ pretio doliariis perſoluto. A dolio rectà cucurrit poſt maritum, atque in cauponam ſe intulit, inflammatóque vultu ſpumans, ſolitis jam diris in maritum erat debacchatura, niſi ſecunda interludii ſcena compeſcuiſſet, & com-

e Stengelius de judiciis divinis, Tom. 2. cap. 30.

combibones, quam erant edocti, partem continuò exorſi fuiſſent. Ita enim ſympotas inſtituerat maritus, ut ſi, quod fore augurabatur, in tabernam ſe inferret, illi ſine intermiſſione, cantharorum cooperculis identidem deblaterantem obtunderent. Hoc ſtrepitu igitur obgannientem abegerunt. Ibi ergo maritus ad tertium uſque diem triumphavit, pecunia deficiente, domum cogitat, ſed non ſine defenſoribus, & comitatu Septem erant, & crapulâ adhuc nondum decoctâ, ſemiebrii. Hi omnes ſibi ſub palliis crepitacula tulere. Excepti ſunt unà cum patrefamilias, formula ſolenni. Ibi novi ludi dati ſunt: nam illa rurſus ad genium reverſa, & domum clamoribus implente, ilico crepitaculorum aſſidua comploſione, ex inſana reddidere inſaniorem, atque ex ædibus fugarunt, utique non revocandam, niſi illa imploratis cognatorum patrociniis, veniam impetrâſſet: quam tamen ei maritus antea non dedit, quam poſt hac ſe marito nunquam obſtrepere, aut obſiſtere velle ſpopondit. Addiditque, ni obtemperet, ſe tectis incudem illaturum, quam quatuor fabri diu noctúque ſonantiſſimè tunderent: ſimúlque diſertis verbis denunciavit, ni ſilere diſceret, ſe liberali mercede cum æditimis omnibus tranſacturum, ut quoties illa altercante, ſignum accepiſſent, omne æs campanum per totam urbem concreparet; atque in hunc modum nemini non conſtaret, uxorem ſuam iterum in fermento eſſe, iterum ferocire, atque intemperiis agitari. Hac arte ludicrâ tandem edocta, marito morem geſſit, ejuſque dictis, factis ſe conformavit. Fit etiam non ſemel, dum uxor nimis tenax, & parca, palato viri non obſequitur, ut in taberna, variis ſociis ad conſortium adhibitis, decuplo plus expendat.

3. Habeat & uxor, quod pro ſtatu ſuo in pauperes eroget; quod ſi vir neget, docent Theologi *f* uxorem poſſe dare eleemoſynas abſque conſenſu viri moderatas, ad ejuſdem viri damnum ſpirituale, aut temporale avertendum. Exemplo Abigail primo Regum capite decimoquinto, quæ Davidi in Nabal ſuccenſo munera præmiſit, quæ maritu imprudenter, & impudenter negarat. Poteſt ex bonis paraphernis, ex iis quorum habet diſpoſitionem, ex lucro induſtriæ propriæ facere eleemoſynas, ſecundum ſtatum aliarum fœminarum ſibi ſimilium. Addit Diana *g* poſſe uxorem invito marito diſtribuere in pauperes vigeſimam partem annui reditus: quia ad decentiam ſtatus pertinet, nec eſt uxor mancipium, ſed conſors tori, & bonorum. Item *h* ad ſuſtentandos filios egenos ex primo matrimonio, vel fratres: nam hoc exigit arcta ſanguinis conjunctio & ipſius etiam viri decentia. Ut docet Caſtropalao & alii.

4. Paterfamilias ſervos & ancillas honeſtè habeat, quandoque hauſtum de meliori, & pinguiorem bolum porrigat: vulgarem cibum, & potum iis non occludat; quò fit ut viro cum conjuge

f Leſſius de jure lib. 2 c. 12. dub. 14 num. 84. g Diana in ſumma tit. eleemoſyna num. 19. h Caſtropal. Tom. 1. Tract. 6. diſput. 2. punct. 13. num. 16.

pere

peregrè profecto, aut ubi cubitum conceſſerint, famuli & ancillæ effractis cellis, & penuariis inter ſe helluentur. Tum ſi famuli, aut ancillæ operoſius, ac diutius quam debeant, in multam noctem deſudârint, pluſculum ſupra condictam mercedem conferendum: nummum aliquem, aut par calceorum, interulam novam, aliudve, corollarii loco addendum, tradunt Doctores.

Sic profuſam Spiritus Sancti liberalitatem æmulari poteris, qui i *& ſuper ſervos, & ancillas*, effuſus eſt; k ne quis putet, inquit Cornelius, ſolos heros & Dominos Spiritum Sanctum accepturos, addit illius participes fore quoque ſervos, & ancillas: nullum enim quantumvis vilem, & abjectum aſpernatur Spiritus Sanctus: ita nec vos Domini, viles ſervos & ancillas aſpernari, ſed ſi Spiritus Sancti gratiam copioſè in animos veſtros effundi deſideratis, gratiam veſtram in illos liberaliter effundere debetis.

Nunc à ſæculari, & profanâ familiâ ad Eccleſiaſticam diverto, quodque de Regia liberalitate ego paucis ſupra, & pluribus Scriptores politici tradunt, dulce præſidium, ac decus ſummum, illam Regibus eſſe, hoc in omni l Prælato, ac Superiore Religioſo locum obtinet. Ex hoc etenim liberalitatis fonte, omnis amor, & affectus ſubditorum in Superiorem redundat, ut S. Thomas tradit ex illo Boëtii: m *largitas* CHAROS *facit, & Philoſophus dicit, quòd inter virtuoſos* MAXIME LIBERALES AMANTUR;

Ubi obſervandum, nonnullos viros pios, & *virtuoſos*, peregrinæ Sanctitatis inveniri, qui non amantur, quia ut *virtuoſi* ſint, virtus non exit in alios, uti de munifico Servatore magnificè prædicatur: n *virtus de illo exibat*. Hoc initium ſignorum fecit in Cana Galilææ, virtus de illo exibat, dum aquam in vinum præſtantiſſimum convertit.

Sic Apoſtolos, ut refert Marcus, poſt labores, & excurſiones Apoſtolicas feſſos, benignè & liberaliter excepit, dicens: p *venite ſeorſim in deſertum locum, & requieſcite puſillum*; ubi virtus de illo exivit, ſudorem deterſit, fatigatos refecit, & vires eorum inſtauravit. Perfectionem ſummam à ſuis Chriſtus exegit: pauperes illos omnino eſſe juſſit, & q *non poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam*: nihil tamen illis deeſſe voluit, ſed omnia ſufficienter, & affluenter ſubminiſtravit, ipſis conteſtantibus, cum paulò ante mortem ſciſcitatus eſt: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil.*

Sic per omnem vitam, virtus de illo exibat, & r *pertranſiit benefaciendo*, in quemcumque locum pedes inferebat. Imò & poſt Reſurrectionem, piſcantibus diſcipulis, & tota nocte fruſtra laborantibus, ſtetit Dominus in littore, juſſitque ad dexteram navigii rete projici, & jam non valebant illud trahere præ mul-

i Ioel. cap. 2. k Cornel. à Lapide hic. l Superior omnis Religioſus, liberalis ſit. m S. Thom. 22. q. 117. a. 6. Boet. lib. de conſ. Ariſt. l. 4. Eth. c. 1.

n Luc. 5. 19. p Marc. 6. v. 30. q Matt. 10. v. 9. r Act. 10. v. 38.

titudine

titudine piſcium: *Quis alius hic piſces*, ait Auguſtinus, qui *caperentur appoſuit, quam Dominus*? neque verò hic ſtetit ejus beneficentia. Interea dum diſcipuli in mari piſcando laborant, ipſe in littore liberali providentia prandium illis, & refectionem apparabat. Nam ut deſcenderunt in terram, viderunt piſcem prunis impoſitum aſſari, panem præterea paratum; & cum de piſcibus quoque recens captis, aliquot igni à Domino accenſo, applicuiſſent, ad prandium ab ipſo ſunt invitati, quibus & aſſidere, & obſonium piſcium, & panem diſtribuere, quamvis glorioſus, non eſt dedignatus; atque ita ineffabilem ſuam benignitatem, & munificam beneficentiam erga eos demonſtravit.

Priuſquam hoc perfectiſſimum exemplar, quod nobis à Chriſto monſtratum eſt, Superioribus ad imitandum proponam, ac munificentiæ præcepta, quæ tradit Carolus Scribanius adducam, breve hujus viri elogium præmitto. „ſ Niſi hunc hominem vota „ Deo paupertas, minus liberali„tati opportunum reddidiſſet, „ nuſquam illa laxius, aut com„modius quam hujus in pectore „ habitaſſet. Dare aut in ſuorum „ egenorum commoda, ſplendo„remque templorum, pecunias „ expendere, hæc Scribanio in„tima voluptas erat. Et quia ne„mini unquam negabat, omnes „ illi etiam tribuebant, ut mirum „ minimè ſit, eum abundaſſe, qui „ aliis, non ſibi abundaret; quam„quam glorioſius illi fuiſſe puto „ ſua liberalitate alios viciſſe, qui „ ſubminiſtrando pares eſſe non „ poſſent. Hic S.P. Ignatii, alio„rumque Fundatorum in ſuos, „ qui Chriſti, Spiritus fuit, ut mox videbimus. Interim pauca quæ ex libro, quem de Superiore Religioſo Scribanius inſcripſit, monita accipe.

t 1. Bene domeſticos habeat in victu, veſtitu, cubiculis, aliquidque ſuperſit potius, quam deſit: Sic enim fiet, ut omnes obſequentes, morigeros, & ſui amantes habeat: quia *largitas charos facit, & inter virtuoſos, maximè* LIBERALES *amantur*; quod principium, & fundamentum eſt omnis politicæ, & maximè religioſæ gubernationis, ac diſciplinæ: nil quippe tam arduum erit, quod liberalis in ſuos ſuperioris animus non extorqueat: nolunt enim benevolentia vinci; ſed ultro ſeſe paratos, promptoſque offerunt, ut hiſce modis munificentiam compenſent. Cum contrà, in ſuperiore tenac etiam virtutes diſpliceant, & vitia habeantur, & dura in leviſſimis Imperia. Unde ab inviti excuſationes, & evaſiones excogitantur.

2. Quid, quod de munifico ſuperiore bene omnes ſubditi loquantur, ac ſentiant? contra par cum, & tenacem, miſcentur perpetuæ prope oblocutiones, nauſeantiſque, ſuper imperatis, anim faſtidia. Neque diu ſtare imperi hæc poſſunt, juxta illud Senecæ

Violenta nemo Imperia detinu diu.

Erumpent ab occultis in aperta detractiones, in animorum alienationes, ac diſſenſiones, in tc

ſ P. Ioan. Rho variæ virt. hiſt. l. 4. c. 12. noſtra.

t Scribanius ſuperior Religioſus. l. c. 6. S. Thom. cit.

ti

tius denique familiæ ſimultates: dum alium ſibi ſinguli ſuperiòrem concedi optabunt, aut aliam domum circumſpicient, præſentemque damnabunt; ac, ſi quos ablegari contigerit, nuſquam parcent. Hoſpites etiam, ſi aliùndè advenerint, de ſingulis docebuntur, & obambulabit ſordidior parſimonia hæc provinciam, non ſine inſigni diminutione nominis ſuperioris. Quin & ad externos ibit hæc fama: neque enim intra domeſticos diu latere hæc poſſunt; prodent ſe aliquando ſive improvida Superioris circumſpectione, ſive inferiorum indignatione: E qua querimoniæ effunduntur, nullis privatis parietibus claudendæ. Et ferè ad mulieres, ſagaciſſimum in hac re genus, eunt hæc mala. Quod ubi contigerit, nulla jam arte, & profuſa quamtumvis liberalitate, animis ſemel præoccupatis, contineri res poteſt. Unde fit, ut externis juxta ac domeſticis ingratus ſuperior vivat: nec ante conquieſcant animi, quam munere ille ſuo defungatur.

Neque hic finis: in omnem ætatem aliquid ſemper adhæret maculæ etiam in privata vita, cum præteritorum narrationes non raro in exemplum adducantur, & liberius privatum jam carpent, & parſimoniam exprobrabunt. Tantum poteſt ſemel impreſſa opinio, numquam moritur: *Æternumque etiam poſt funera vivit*. Scitum illud: *fortiter qui præmiat, imperare fortiter poteſt*. Quid? quod nec imperio in liberalitate ſit opus, ultro decurrent ſubditi, & gaudebunt etiam pro munifico Superiore ſudorem, ſanguinemque fundere; tantum in humanis munificentia poteſt. Benè qui ſuos habet, imperare facilè, & tutò poteſt: Regularum ille minimarum obſervationem urgeat, & inveniet obtemperantes, etiam punire poteſt, qui bene ſuos habet (juxta illud, quod frequenter Scribanius in ore habebat: *bien pender, & bien payer*) & ſanè gratiora amantis vulnera, quam inimici ſunt oſcula; illa in ſalutem, hæc in mortem imprimuntur. Benignè habere, monere, ac ſi qua neceſſitas, punire etiam, patris, & amantis eſt. Malè habere, monere, punire, plus habet hoſtilis animi, & ſeveri judicis, quam amici, & patris. Prudenter in hanc ille ſententiam: v *provideant Prælati: facilè enim ad omnem Regularum obſervantiam ſuos compellent, dum ea quæ neceſſaria ſunt providerint. O quot diſpendia animarum propter avaritiam Prælatorum, qui poſſent monaſteria bene reformare, ſi vellent neceſſitatibus fratrū occurrere, & de communi omnia miniſtrare; ſine quo nulla perſtabit Religio: nam ex illius defectu, proveniunt mala multa: inde murmur, detractio, conventus evacuatio, totius diſciplinæ regularis ſubverſio*, in ipſum ſuperiorem conſpirationes, machinationes, cavilli, paſquilli, etiam vitæ inſidiantur.

Ac tandem concludit: providebit proinde ſuperior, & dum ſe patrem cogitat, inferiores filios, filiorum illos loco habebit. Imò cum ad domeſtica, tantum cuique juris, quantum ſibi eſſe cogitaverit, nec turpiter prodiget, nec ſordidè parcet; nuſquam prodigus, nuſquam ſordidus:

v Mauburnus.

ſemper munificus, nunquam avarus. Paupertatis in liberalitate, liberalitatis in paupertate memor. Bene proinde ut imperet, bene ſuos habeat ſuperior: Benignè ut pareant, benignè habeat: nullis ut illi parcant laboribus, ſudoribus, ſanguini, nullis prior ipſe rebus parcat. Vult ſuos in præſtanda opera munificos? Ipſe rebus præeat. Vult nuſquam ſibi eos parcere? provocet ſuorum liberalitatem, munifica in paupertate largitione, animo ſaltem magno, & in Religioſa paupertate generoſo.

Etiam in paupere, minima largiri animo magno, magnum eſt; in divite, magna largiri animo puſillo, puſillum eſt: Et in paupere domo, tenuis menſa, liberalis eſſe poteſt; in divite domo, liberalis tenuis erit, ſi utriuſque animum, illius magnum, hujus tenuem & contractum conſideres.

Et ſanè viri Religioſi in ſuperiore ſuo non cibum, potum, veſtitum, ſed mentem, qua hæc tuendæ valetudini, muneribuſque obeundis præbentur, intueri conſueverunt. Etiam minima liberaliter tribuiſſe, magnum eſt. Quid? quod liberalitatem præ ſe tuliſſe magnum ſit, maxime ſi non nudis verbis veſtiri dona, ſed animo benigno, facileque videant. x *Affectus*, magno teſte Ambroſio, *divitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit. Chriſtus duo æra viduæ, divitum muneribus prætulit, quia totum illa quod habuit, contulit.*

Nequ[e] celari hæc res poteſt: nam ut divitis tenacem, ſordidamque mentem in non contemnendo etiam dono, ita pauperis munificam in exiguo munere videas: modus largiendi animum teſtatur.

Denique nihil ſibi ſoli indulgeat, quin & omnes participes faciat, imo ſibi ſubtracto plus ſuis largiatur. Ex quibus hunc fructum colliget, ſi munifici nomen, quæque hoc nomen commoda ſequuntur, ſortitus fuerit. Imperabit ſine faſtidio, quia volentibus; ſine acrimoniâ, quia ultro properantibus; ſine murmurationibus, quia lætitiam in parendo teſtantibus, ſine moleſtis repetitionibus, quia nuda imperii ſigna præcurrentibus, ut vel nutu mentem indicâſſe ſatis ſit. Unde ingens domi pax, tranquillitaſque ſequitur, cum ſinguli æmulo quodam parendi ſtudio, mutuis accenduntur obſequiis, mutuiſque incaleſcunt obſequendi, ac ſuccurrendi affectibus. Quo fiet, ut paupertati adeò non decedat; y ſed & prompto ſuo obſequio potentes Religioni amicos concilient, & lautis eleemoſynis Superiorum ſolicitudini, & neceſſitati domeſticæ occurrant.

Contrà verò, ubi parcum, tenacemque nacti inferiores ſuperiorem fuerint; externorum menſas, pocula, dona, circumſpiciunt, rationeſque illis potiundi excogitant, & inveniunt: non facerent, ſi liberalem Superiorem conſecuti fuiſſent, & amarent etiam in benigno ſuperiore paupertatem, exultarentque in rerum tenuitate, à munifico ſuperioris animo profecta. Tantum liberalitas poteſt, a-

x Ambroſ. l. 1. off. c.

y Scriban. Superior Relig. l. 1. c. 11.

nimuſque in quacumque etiam tenuitate munificus, ut benignè qui dedit, omnia dediſſe videatur. Hæc Scribanius.

Alia in hanc rem cuidam Superiori primum regimen auſpicanti tradita à R. P. Lancicio, anno 1540.

4. Ex quibus hæc excerpta. *z* Habenda eſt ratio magna eorum, qui plus ſolito, & cæteris, aliquo tempore laborant, ne dum aliqui ad extraordinariam collationem, vel recreationem invitantur, illi non invitentur: uti ſunt, qui extraordinarias aliquas conciones fecerunt, vel faciunt: aut circa præparandas comœdias magiſtri multum laborant: animantur enim magis ad labores talibus invitationibus, & ſignificationibus paternæ beneficentiæ.

Hoc ſpectavit Patriarcha noſter Ignatius: *a* erat ſub annum 1555. Romæ magna annonæ caritas, ob belli inter Pontificem, & Regem Catholicum apparatum. Degebant in Collegio Romano homines plerumque centum quinquaginta, interdum fere ducenti: in tanta tamen temporum iniquitate, tantaque collegii inopiâ, cui vix ullum erat annuum vectigal, nihil unquam deeſſe ſuis Ignatius eſt paſſus. Perinde familiæ ſuæ conſulebat, ac ſi plenas omnes arcas, ac refertas haberet apothecas. Quinimo ſub idem tempus, villam in urbe ad thermas Antonini, aggreſſus eſt ædificare, ut haberent ægri locum idoneum, & apricum, quo ſe ad vires reſtaurandas reciperent: & ubi juventus collegii, labori ſtudiorum intenta, animos interdum relaxaret. Quod animadvertiſſet Benigniſſimus *Pater*, nonnullos præclaros Adoleſcentes, & ſumma ingenii, doctrinæque ſpe præditos, laborum magnitudine debilitatos, præmature extinctos fuiſſe *b* Et cum nonnulli ob pecuniæ inopiam, vivendi tum quidem tempus, non autem ædificandi eſſe dictitarent, vir Sanctus à ſententia dimoveri ſe non eſt paſſus: pluris ſibi eſſe aſſerens, quam omne aurum, unius fratris ſanitatem: & quæ magnificè dixit, munifice præſtitit: Chriſtum, perfectionis & normam, & omnis virtutis magiſtrum imitatus, qui diſcipulos à prædicatione feſſos requieſcere fecit, & refecit; ubi Lyranus: *c in hoc oſtendit Chriſtus, quod* PRÆDICATORES *verbi divini poſt laborem, poſſunt recipere recreationem competentem. d* Sic equis laſſis avenâ vires reſtaurari: *naves* in mari diu jactatæ, ac laceræ *in navalibus refici ſolent.* Obſervat porrò S. Thomas, hominem ſtudiis, orationibus, & mentis operationibus magis frangi, & debilitari, quam laboribus corporalibus, ut nôrint ſuperiores, vires ſuorum quandoque largiter & liberaliter reficiendas eſſe; ubi enim hanc quæſtionem movit: e *utrum in ludis poſſit eſſe aliqua virtus?* Reſpondet: *dicendum, ſicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non poteſt continuo laborare; ita etiam ex parte animæ: homo enim magis de-*

z Lancicius. opuſc. 12. c. 19. monit. 6. & cap. 2. 3. 4. &c. a Orlandin. hiſt. ſoc. l. 15, n, 6.

b Ribaldin. lib. 5. c. 8. c Liran. in Marc. c. 6. v. 30. d Plut. lib. 1. de valetud. tuenda. e S. Thom. 22. q. 168. art. 2.

fatigatur (exhauritur, deficit) *in operationibus animæ, quam corporis. Sicut autem fatigatio corporalis ſolvitur per corporis quietem, & refectionem, ita etiam oportet quod fatigatio animalis ſolvatur per animæ quietem: quies autem animæ, eſt delectatio.* Quod probat exemplo
„ dilecti diſcipuli: f Sicut, inquit,
„ in collationibus Patrum legi-
„ tur, quod Beatus Joannes Evan-
„ geliſta, cum quidam ſcandali-
„ zarentur, quod eum cum diſci-
„ pulis ludentem invenirent, di-
„ citur mandâſſe uni eorum, qui
„ arcum gerebat, ut ſagittam tra-
„ heret; quod cum pluries feciſ-
„ ſet, quæſivit utrum hoc conti-
„ nue facere poſſet? qui reſpon-
„ dit, quod ſi hoc continue face-
„ ret, arcus frangeretur. Unde B.
„ Joannes ſubintulit: quod ſimi-
„ liter animus hominis frange-
„ retur, ſi nunquam à ſua inten-
„ ſione relaxaretur: quia

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

„ Et hoc eſt, quod Philoſophus
„ dicit: g quod in hujus vitæ con-
„ verſatione, quædam requies
„ cum ludo habetur. Idcirco ſapienter S. Ignatius in ſuis conſtitutionibus, h *ut aſſiduitas*, inquit, *in litterarum exercitio, ſic & aliqua remiſſio neceſſaria eſt.*

Atque imprimis eorum, qui pro Deo, & ſalute animarum laboribus gravantur, curam jam olim Moyſes, hominum benigniſſimus, ſuſcipiendam allegoricè docuit, dum vetuit i *ligari os bovis terentis in areâ.* Qua lege quid ſignificetur, Apoſtolus expoſuit: k *non alligabis os bovi trituranti: Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit?* Nempe ut qui in areâ Evangelicâ inſtar boum laborant, & ſudant, ſive ut alibi loquitur Apoſtolus: l *qui laborant in verbo, & doctrina*, benignè, & liberaliter ſuſtententur, & foveantur. Quare Magnus Gregorius, dum Paſtorem inſtituit, reprehendit eos m *qui cum corporalia curare negligunt, ſubditorum neceſſitatibus minimè ſuccurrunt.* Quid porrò ex illa ſive incuria, ſive inhumanitate, ſeu tenacitate conſequatur, Sanctus ille Doctor ſubjungit: *quorum prædicatio plerumque deſpicitur, quia dum delinquentium facta* (Superiores) *corripiunt, ſed tamen eis vitæ præſentis neceſſaria non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur.* Et demum concludit: *unde Rectori neceſſe eſt, ut interiora poſſit infundere, cogitatione innoxia etiam exteriora providere.*

Exempla Superioribus non deſunt, ubi benevolus, ac beneficus Dominus refectionem corporis in ſuis comprobavit, & relaxationes ultro ſuppeditavit. n Sancta Gertrudis cum nimia mentis exercitatione ſe exhauſtam ſentiret, ad refocillationem uvas quaſdam deguſtavit, hoc pio, & ſancto motivo ducta, quo Chriſtum, qui quod uni ex minimis ſuis fit, ſibi factum deputat, ipſa paſceret, atque recrearet. Quod ita Chriſtus ſibi acceptum retulit, ut diceret, amaritudinem

f Sanctus Thomas cit. Caſſian. collat. 24. cap. 21. g Ariſtoteles lib. 4. Eth. cap. 8. h Part. 4. conſtit. cap. 13. §. 5. i Deuteron. 25. v. 4.

k 1. Cor. 9. verſ. 9. l 1. Timot. verſ. 17. m Sanctus Gregorius Paſt. part. 2. c. 7. n Pennequin amour divi part. 3. c. 6.

fell

ſellis, quod in cruce guſtârat, hac tam benevolâ intentione, aliqua ex parte deterſam fuiſſe, & quo purius ad ſuam laudem corpus refecerat, eo etiam amplius ſe in eo delectatum. Cumque racemorum quos exſuxerat, pelliculas, & acinos in cubiculi pavimentum abjeciſſet, continuò adfuit, ut illas quaſi ſui juris colligeret dæmon, accuſans illam de comeſtione ante preces matutinas, quod cœnobii præceptis cautum erat; ſed cum ex illis unam apprehenderet, ilico reſiliit, & abjecit quaſi carbonem ignitum attigiſſet, & confeſtim cum ejulatu cubiculo ſe proripiens, cavit pede aliquem ex uvarum exuviis contingere, ne ut manus antea, ita pedum plantas uſtularet. Nimirum ignis amoris divini, quo hanc exiguam refectionem corpuſculo indulſerat, hunc pelliculis & acinis, uvarum reliquiis, calorem dæmoni exoſum indiderat.

Amor Sanctus, honeſtas, & innocentes relaxationes, quæ ſpiritus contentionem leniant, & ſublevent, favente de Cœlo calculo non raro vidit comprobari. o Ad Sanctum Remigium poſt prandium, ſublatis menſis, paſſeres per feneſtram advolabant, atque ex ejus manibus micas familiariter captabant, neque præſentium convivarum terrebantur aſpectu, quia boni Senis recreationi, Deo ita jubente, ſerviebant.

Longè mirabiliores ſunt Seraphici Franciſci turtures, quos cum juvenis ad forum venales, Senas deferret, vir Sanctus commiſeratione motus, illos ſibi à juvene petiit, & impetravit: acceptos gremio fovit, & vitam illis donatam gratulatus eſt. p Ubi ad Ravacciani cœnobiolum prope Senas, eos detuliſſet, baculum quem manu geſtabat, ſolo defixit, qui nocte una in quercum proceram excrevit; in hanc ille turtures emiſit, juſſitque ut illam incolerent, nidificarent, ac pullos progignerent; quod in annos complures fecêre, advolantes ad *Fratrum* vocem, & ex eorum manibus cibum captantes.

Adoleſcenti verò pro illarum mercede prædixit vir Sanctus, ſuo ordini nomen daturum, & inde in Cœlum migraturum, quod eventus comprobavit.

S. Zeno Veronenſis Epiſcopus, piſcatu animum relaxare ſolitus erat, cumque die quodam ad fluminis ripam obambulans, domeſticos Imperatoris Gallieni, qui ad eum evocandum à Principe miſſi fuerant, offendiſſet, tres è magnis piſcibus, quos ceperat, dono eis dedit; illi verò, ut ſunt iſtorum hominum ingenia, quartum furto ſuſtulerunt. Cum domum reverſi, illos in prandium apparare vellent, omnes quatuor in bullientem aquam conjecere, & tres quidem, quos dono acceperant, è voto parabantur; quartus verò furtivus, in aqua bullienti vivus ſubſultabat, quaſi in flumine innoxius luderet. Quod illi admirati, Sacrum Antiſtitem accedunt, & furtum ac prodigii novitatem,

o Pennequin. amour divin. part. 3. cap. 6.

p Annal. Minor. a. 1216.

tatem veniam poſtulantes manifeſtarunt. Ita Deus ſuorum ſervorum recreationibus inſervit.

Quare vel ipſe Philoſophorum Princeps, tetricos, moroſos, ſeveros illos, qui omnem honeſtum luſum, ac recreationem improbant, & averſantur, ut omnis rationis, ac humanitatis expertes, graviſſimè execratur: q *Vitioſum eſt*, inquit, *& contra rationem, ut aliquis ſe oneroſum exhibeat: puta, dum nihil delectabile exhibet, & etiam delectationes aliorum impedit.* Apage hujuſmodi, non à religioſorum ſolum, ſed & ab hominum cœtu ablegandi.

Alterum eſt, beneficentiam, ac munificentiam Superioris, ſe potiſſimum erga r ægros extendere debere. Unde illud monitum: ſ infirmis noſtris, & convaleſcentibus in Valetudinario, ſuppeditanda non tantum ea, quæ medicus præſcribit neceſſaria; ſed etiam alia ad honeſtam recreationem, eo modo quo ſuppeditaret ſibi, vel Provinciali, aut alteri, in ſimili occaſione.

Non ut privata, verum ut Imperatoria in Ignatio hæc nobis virtus eſt contemplanda, qui ut Sanctioris vitę rudimenta in noſocomio inter ægros poſuit, proprium exinde id ſemper habuit, ut illis quacumque ratione poſſet, optimè vellet eſſe conſultum. Itaque non modò ſuos primos illos ſocios, gentiſque noſtræ parentes optimos, hoc exercitationis genere probavit; ſed lata lege, tirones omnes his imbui juſſit rudimentis, viget hodiéque præclara conſuetudo non tironibus modò, verum etiam veteranis uſurpata. Et Ignatianæ quidem pietatis locupletiſſima teſtis fuit Romana plebs, quam annus quinquageſimus primus ſuperioris Sæculi creberrimis funeribus exhauriebat. Ergo t Ignatius dum vulgatis morbis, quos aut fames, aut cibi minus ſalubres intenderent, paſſim ſterni corpora videret, *quamquam curta domi res erat*, conquiri nihilominus à ſuis jacentes in triviis ægros juſſit, ac deſtinatam in domum deportari, calida ablui, lectulis excipi, foveri, medicos adhiberi, nihil omitti eorum, quæ miſeris ſolatio, ac ſaluti eſſe poſſent. Argentum porrò, & quæ opus erant, ipſe per ſe, perque ſuos emendicavit. Jam verò, qui in alienos tanto ferebatur ardore, quo erga ſuos eſſet, quis fando explicet? Tanta certè pluſquam paterni animi fuit celſitudine, & in ſuos profuſâ beneficentia, ut ſi opus foret comparandis medicorum arbitrio pharmacis, ſacra etiam vaſa oppignorari, aut diſtrahi juberet.

Floret igitur integrum jam Sęculum liberalis hæc charitas, & abſit verbo invidia, nulla in religioſa familia, ut plurimæ ad hanc laudem maximè incumbant, ægris aut valetudinariis diligentius proſpicitur. Hoc certè maximum domeſticæ paupertatis vinculum, & ad labores alacriter in Dei cauſa exantlandos validiſſimum incitamentum.

v Nec exiſtiment, qui in ægros, juxta præceptum S. P. N. & ipſius Chriſti, in ægra mem

q Ariſt. l. 4. Ethic. c. 8. r Erga ægros. ſ Lancic. cit. monito 44.

t Ioan. Rho. variæ virtut. hiſt. l. 1. c. (noſtra. v P. Rho. cit.

bi

bra beneficos ſeſe exhibent, quidquam de re temporali inde imminuendum; quod probe norat Scribanius, qui domeſticos ægros indulgentiſſime habere noverat: Et quò ad plures ſe ejus benefica charitas extenderet, ex alienis etiam collegiis aut ſubmiſſos libentiſſime excipere, aut ultro curandos, fovendoſque depoſcere. Id quondam Antverpiæ expertus P. Joannes David, vir editis piis libris clariſſimus, cum Sacroſancto viatico ſupremum ad iter eſſet inſtruendus, religioni ſibi duxit accipere, non actis publice Scribanio gratiis, cujus munificæ beneficentiæ parem ſe numquam vidiſſe teſtatus eſt: Quam ille ampliorem ab amico caperet hæreditatem, quam ſuæ liberalitatis, & amoris teſtimonium luculentem? Nam cum, ut ſupra diximus, x *largitas* CHAROS *faciat*, *& inter virtuoſos*, *maximè* LIBERALES *amentur*, id nulli manifeſtius, quam ægri teſtantur, dum illos erga ſe in ſuis morbis, & miſeriis experiuntur. Quam charitatem Paulus, Superioribus commendaſſe videtur, dum dixit: y *ſumus invicem membra*: *Et ſi patitur unum membrum*, *compatiuntur omnia membra*. Ubi obſervandum, non dixiſſe, ſi patitur caput, aut oculus, aut pectus, ſed etiam, ſi digitus reduvia laboret, aut pedem ſpina læſit, omnia membra ſolicita ſunt: z *Ecce ſpinam calcat pes*, inquit Auguſtinus, quid *tam longè ab oculis*, *quam pes*? *longè eſt loco*, *proximus charitatis affectu*. Haud aliter innuit, non ſolum beneficentiam in Superiores, viros graviores; ſed & in infimos fraterculos, & tirones exhibendam eſſe.

Hic Chriſti, hic Pauli, hic S. Ignatii, aliorumque Sanctorum, Spiritus fuit. Unde benigniſſimus Redemptor noſter clamat: a *venite ad me omnes*, *qui laboratis*, *& ego reficiam vos*, & per omnem vitam pertranſiit *benefaciendo*, *& ſanando omnes*.

Similiter Apoſtolus, inter tot tantaſque Eccleſiarum curas, de Timothei; diſcipuli ſui ſanitate confirmanda, & conſervanda ſolicitus, præſcripſit illi, ut vino uteretur: b *noli*, inquit, *adhuc aquam bibere*; *ſed modico vino utere*, *propter ſtomachum tuum*, *& frequentes infirmitates*. Et univerſim erga infirmos, & malè affectos, nulla perſonarum habita ratione, maximè erat beneficus, c *Conabatur*, inquit Chryſoſtomus, *erigere labantes*, *ſtantes verò firmare*, *humi jacentes attollere &c. ipſe ſedulus ægrorum miniſter*, *omnibus omnia factus*.

Hunc proxime æmulatus S. Ignatius, incredibile dictu eſt, quantoperè curæ, ac cordi, morbo tentatos haberet. Jubebat ſtatim ut aliquis in morbum incidit, ad ſe deferri: obſonatorem bis quotidie volebat ſibi renunciare, num emiſſet, quæ infirmorum præfectus ad illorum uſum poſtulâſſet. d Quod ſi pecunia ad ſumptus non ſuppeteret, lances ſtanneas, & quadras paucas vendi primum, deinde lectorum ſtragula jubebat. Coadjutori cuidam, fratri domeſtico, præſcripſit medicus, certum ſolidiorem

x S.Thom.22.q.117.a.6. y Ad Epheſ.4. z Aug. hom. 35. ex 50.

a Matt. 11. v. 28. Actor. 10. v. 38. b 1.Timot.5.v.23. c Chryſ.hom.4 de laudib.Pauli. d Ribadin.l.5.c.8.

paulò cibum, ad ejus inſtaurationem neceſſarium. e Opſonator de illo emendo monitus, tres ſolos Julios, qui ad familiam eo die ſuſtentandam vix ſufficiebant, ſupereſſe, Ignatio renunciavit. Et hi, inquit vir Sanctus, pro ægroto expendantur: nobis enim qui valemus, panis ad vitam trahendam ſuffecerit. Hauſerat id fortè ex arcana Seraphici Doctoris diſciplina, dicentis: f *Omnis humanitas infirmis, & debilibus eſt exhibenda, quia flagellati ſunt à Domino: ubi enim major miſeria, ibi clarior miſericordia apparet, & purior charitas.* Itaque ſi anguſta ſit domi res, deſit potius aliquid ſanis, quam ægris. g Nec hoc ſatis, inquit Lancicius, ſanis in refectorio, & multò magis convaleſcentibus, ſi in eo comedant, non eligenda deteriora fercula, ex iis quæ dari ſolent, ſed meliora.

Alioqui ſi hac in re, ut & in veſtiariæ rebus concedendis parcus ſit, certo inquit, magna damna patietur, vel in meſſe, vel in vineis, vel in morte pecorum, vel per incendia domi, aut in prædiis, vel per devaſtationem militum, vel aliis modis, uti & experientia docet, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Econtrario, liberalibus benedicit Deus abunde, quandoque etiam miraculosè ſuppeditando, & augendo neceſſaria. Ut innumeris exemplis confirmatum leges *h*: item quando aliquis non comedit aliquod ferculum unquam (maximè in Quadrageſima, & quando non eſt cœna) propter nauſeam, vel quia nocere ſibi dicit, omnino curet illi dari aliud, & *ſatius erit* (ut in quadam epiſtola monuit P. Claudius & P. Mutius Generales) decipi à ſubdito, *quam id ei negare*, & dare occaſionem murmurationis, & querelarum, quas amans Deum Superior prævenire, & impedire debet: quia majus malum eſt offenſa Dei per tales murmurationes, quam jactura illius ferculi, quod ſubditus petit. Et qui ſincera intentione gubernat Religioſos, tamquam filios Dei, non tanquam mancipia, numquam talia negabit. Imò nec patresfamilias diſcreti negant talia honoratis ſuis famulis, & opifices ſociis, multò minus filiis: *Æquum autem eſt* (ut dicebat S.P.N. Ignatius in ſimilibus occaſionibus) *ut eis, qui propter Deum reliquerunt mundum & omnia mundana, in Religione provideantur neceſſaria*; quæ non poteſt ita noſſe ſuperior, ut ſubditus afflictus, cui in hac parte credere benignus animus, & charitas ſuadet: durum enimverò eſt, inquit Ambroſius, ſubditis neceſſaria, aut ordinaria petentibus truci vultu, & amaris hiſce verbis negare: i *Hoc petere non eſt Religioſorum, ſed immortificatorũ. eſt hæc veſtra imaginatio, non neceſſitas.*

Hæc Lancicius, dicta confirmans exemplo P. Bernardini Realini, cujus hac in re admirabilis fuit benignitas, & charitas: hic cùm eſſet ſuperior, & aliquis una tantum vice, non comederet cibum in prandio, vel cœna, quem alias comedere ſolebat, ſtatim jubebat dari alterum; qui ſi non eſſet coctus antea, miraculosè cito à coquo parabatur, & ſubmittebatur, idque ſæpe fiebat, Deo muni-

e Bartholus. l. 3. vitæ. n. 42. f Bonav. de Sex. alis. c. 4. n. 4. g Lancicius. cit. monit. 44. h Lux Evang. part. 1. Dom. 14. poſt Pent.

i Ambroſ. lib. de arca Noe cap. 2.

munificam charitatem ſancti Senis, de ſuorum neceſſitatibus ſoliciti, miraculo remunerante.

Poſtremò, *k* Senes ægris annumerandi ſunt, & liberalius habendi; quia ſenectus ipſa morbus eſt. Unde Ariſtoteles: l *Morbum vocavit adventitiam ſenectutem; ſenectutem, morbum naturalem;* ob caloris enim nativi, viriúmque defectum, languore quodam perpetuo ſenes gravantur. Humores pravi, pituita, flava & atra bilis invaleſcit. Sanguinis, ſpirituúmque vigor remittitur, eorumque omnes infirmitates, Eccleſiaſtes graphicè depingit, *quando* inquit, m *Commovebuntur cuſtodes domus.* Id eſt, coſtæ. *Et nutabunt viri fortiſſimi.* crura. *Otioſæ erunt molentes in minuto numero.* dentes. *Et tenebreſcent videntes per foramina.* oculi. *Et obſurdeſcent omnes filiæ carminis.* aures. *Florebit amygdalus* (canities) *impinguabitur locuſta.* (Senex ſimilis locuſtæ, præpedum gracilitate, & ventre prominente) *& diſſipabitur capparis.* (Guſtus peribit) quas ſenectutis infirmitates, dilucidè divus Hieronymus omnibus expoſuit: n *Caput incaneſcit, decidunt tanquam ab arbore capilli, dentes cadunt, balbutit lingua, fluunt ſalivæ, tremunt genua, & fronte ob ſenium rugis arata, inſtar boum amento palearia pendent: caligant oculi, accedunt dolores podagræ, ac chiragræ; premit pituita, ac tuſſis moleſtiſſima. Tantis denique afficiuntur Senes infirmitatibus, ut ipſa ſenectus morbus ſit*, imò plurium, & graviſſimorum morborum, ac dolorum officina, & malum incurabile; ſic enim Seneca: o *Virgil ſemper unà ponit morbos, & ſenectutem. Non Hercule immeritò: ſenectus enim inſanabilis morbus eſt.* Unde quis non videat, *p* ſenes indulgentius, ac liberalius habendos, potiſſimum laboribus fractos, & emeritos, *q propter honorificentiam ætatis*, ut Ambroſius loquitur.

Venio nunc ad alteram liberalitatis materiam, quam *r* peregrini, & hoſpites præbent. De his, ſi quis præeſſet, ſic monitum voluit Ignatius: ſ *Charitatem magnam exhibeat erga tranſeuntes per collegium eoſque amanter hoſpitio accipiat: viatico aut eleemoſyna juvet.* Quod ſi iter à quopiam ſuſcipiendum eſſet, pridie illum ad ſe evocatum examinabat accuratè, an nihil eorum, quæ viatori pauperi ſunt neceſſaria, ei deeſſet, & an re alia inſuper indigeret. Sed quinam in hoſpites profuſi, & liberales, ſatis ſupérque ſupra dictum eſt. *t*

Hoc unum indicaſſe ſufficiat, nonnullos tenacioris genii, quandoque indignari, liberalius hoſpites haberi, diutius hærere, murmurare, quaſi ſibi, ac domui ſic aliquid decederet; qui profectò docendi, & dedocendi eſſent, quemadmodum Euſebius Paradinus, Capuccinorum Generalis quemdam è ſuis contra hoſpites murmurantem compeſcuit. *v* Habebat hic domi hominem ingenii ab avaritia ſordidi, atque adverſus hoſpites illiberalis, ut tunc ſibi lautitias præbere videretur, cum illis de via feſſis cruda apponeret olu-

k Senes, liberalius, & indulgentius habendi. l Ariſtot. l. 5 de gener. animal. c. 4. m Eccleſ. 12. Pineda hic. n Hieron. Epiſt. ad Furiam.

o Sen. Ep. 108. p P. Piccolomin. Ep. de utilit. execut. q Amb. hom 5. r Liberalis ſit in hoſpites. ſ Reg. Rect. 80. Bart. l. 3. vitæ nu. 42. t Vide feſto 2. Paſ. v P. Ioan. Rho varia virt. hiſt. l. 5. c. 1. §. 13.

oluſcula. Hanc ut illi inhumanitatem, & ſordidam tenacitatem evelleret ex animo, ſcriptas ad domorum ſuarum Præſides, ſeu Guardianos Epiſtolas, in quibus monebat, quod fieri vellet, ut accelerato, quantum poſſet, itinere per Provinciam deferret, homini tradit, addens ſibi feſtinato opus eſſe. Ille alacer viam, ex familiæ inſtituto, pedes invadit,ac ſtrenue conficit. Exceptus ubique ſubruſticè, inſtructâ crudis herbis mensâ; poſt al quot dies ad Paradinum revertit exhauſtis viribus, irarum plenus, & querelarum, in homines minimè hoſpitales, ac planè rupices,qui hoſpitem tam inhumaniter habuiſſent. Ubi hæc ingenti cum ſtomacho apud Generalem effudit: atqui, inquit, ſodes, tuis illi legibus uſi ſunt,atque ita, quæ ſibi fieri volebat, aliis præſtare edoctus eſt.

Generalia alia boni Superioris principia ſunt, *x* ſi vult ut ei Deus in temporalibus benedicat, præter ſpem in divino auxilio, & preces ardentes, pro hac re quotidie fuſas *ſit valde liberalis*, in hiſce occaſionibus. Primò in templo, concedendo ea qua Sacriſtanus meritò petit pro ornatu templi, vel ſepulchri, vel altarium, præſertim Bacchanalibus. Secundò, ad portam pauperibus, ne ullus ſine eleëmoſyna, ſaltem particula panis abeat. Tertiò, *y* dum alicui mittuntur pia munuſcula, uti ſunt imagines, reliquiæ, roſaria, non decimet illa, alioquin coget,ut talia ſine licentia, aut ab alio Superiore petita, poſtea accipiantur. Quod ſi ex rebus miſſis, pro ſe aliqua indiguerit, dicat hanc ſibi ſervare; ei verò æquivalens aliquid pro ea donet omnino. Quartò, *z* ſit liberalis, & facilis in concedendis licentiis, quæ poſſunt concedi ſine peccato, & ſine manifeſta diſſolutione Religioſæ diſcipiinæ, & malo exemplo. Quintò, *a* permittat Miniſtro, aut Vicario, generalem facultatem concedendi ſubditis largitionem munuſculorum piorum, ut ſunt imagines, roſaria, libelli pii, & non pretioſa. Item habeat Miniſter concedendi facultatem reficiendi domi,extra tempora prandii,& cœnæ. Et his ſimilia, ſæpe, & omnino neceſſaria. Sextò, *b* caveat omnino opinionem improbandæ parcitatis, quæ ſeſe prodit, dum raro jubetur pinſi panis,quo menſis imponatur durior, ut minus ex eo comedant; non benedicit Deus talibus. Septimò, *c* fœdum eſt, ne fiat ſumptus in triclinio pro primitiis, eas differre ad feſtum vicinum celebre,ut una fidelia (ut dicitur) duo parietes dealbentur. Denique *d* quantum fieri poteſt, ipſe potius præveniat neceſſitate temporales ſubditorum, quam exſpectet ut ab iis proponantur. Quod in Societate lege peculiari præſcribitur, qua jubetur *e* *Rector ſubditorum neceſſitatibus paterno affectu proſpicere*. Ad quod etiam ſe extendere debet hora conſiderationis Rectoribus præſcripta. Uno verbo, *f* quoad ſuppeditanda neceſſaria, & recreativa, omnes ſubditi ita tractentur, ſicu tractari ſolent à parentibus par vul

x Lancis. mon. 44. y Monit. 9.

z Monit. 12. a Mon. 22. b Mon. 51 c Mon. 70. d Mon. 25. e Regul. Rectoris 25. f Mon. 26.

vuli filii, quoad modum verò agendi, & procedendi cum ſubditis,eo modo tractandi ſunt,quo tractantur ab honeſtis, & diſcretis parentibus filii adulti in ſtatu matrimonii collocati. Si his modis tractentur domeſtici, non erunt domi gemitus, & murmurationes, & alia pejora; ſed omnibus videbitur ſuaviſſimum jugum Chriſti, & hac ratione tractati ſubditi, bene obibunt ſua munia, & ad omnem perfectionem impellentur. Atque,ut concludam, unde exorſus ſum. ſic g *Patri miſericordiarum*,ſicFilio qui *munerator copioſiſſimus*, *& remunerator æquiſſimus*; ſic *Spiritui Sancto*, qui *dator munerum*, liberaliſſimus, denique Deo ſimillimi, & quaſi alteri dii, h Dei *miſericordiam imitando* efficiemini.

g Bernard. Serm. 3. in Annunt.
h Nazianz. cit.

FESTUM AUGUSTISSIMUM TER ADORANDÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

In ipſo ſunt omnia. ad Rom. 11. v. 36.



Quæ majora putas miracula? Martial. lib. 1. Epig. 6.

ARGUMENTUM.

OMnia quæ orbis uſpiam dedit ſpectacula, quæ mor-

mortales unquam ſtupuere miracula, mirari deſinent, & mera ac mortua dicent vanitatis ſimulacra, ſi ad arcanum illud, & auguſtum *Sanctiſſimæ* TRIADOS Myſterium, hoc eſt in eum, i *ex quo, per quem, in quo ſunt omnia*, mentis oculos, fidei luce colluſtratos intenderint. Ut etenim *in vitro trigono* etiam vel *fœda niteſcunt*, ita k omne *quod factum eſt, in ipſo* (DEO uno & Trino) *vita erat.*

l *Quæ majora putas miracula?*

Ego certè hoc immenſum pelagus nulla bolide inveſtigandum, numquam enavigandum, hoc reconditum Fidei noſtræ Sacramentum, nulla facundia celebrandum; ſed ſilentio venerandum, ſacro ſtupore admirandum, & omni honore adorandum vobis propono. Sic olim Magnus ille Patriarcha Abraham, m *Tres vidit, & unum* ADORAVIT. Sic Beati Seraphim, laudem, gloriam, & honorem Uni Trinæ Majeſtati deferendo, Triſagion illud in cœlis: n *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, omni veneratione, & adoratione ſine fine proclamant; quam ut & nos in terris imitemur, duplicem, ex Divo Thoma, interiorem, & exteriorem Adorationem, quam proximè æmulabimur, illum quem Eccleſia è cœlo accepit diviniſſimum hymnum identidem ingeminando: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, ut ſit LaVs VnI Deo & sanCtIssIMæ trInItatI. Cui verò è tribus Perſonis cor noſtrum potius conſecrandum, & dum uni, an

i Rom.11. k Ioan.1.v.3. l Mart.lib.1.epig.6. m Geneſ.cap.18. n Iſa.cap.6.

omni-

omnibus Tribus acceptum, ſancta curioſitate diſquiremus.

§. I. *Abraham* TRES *vidit*, & UNUM *adoravit.* Gen. 18.

§. II. *Myſterium* SS. TRINITATIS, *quod in nomine* PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, *hodie proponitur*, *vera & vivæ fide credendum.*

§. III. *Cui è Tribus Perſonis Divinis plus obſtricti ſimus? Cui cor noſtrum potius conſecrandum?*

FESTUM

FESTUM AUGUSTISSIMUM

TER ADORANDÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 18.

VAtes Jeremias, qui tenebras vicit, antequam vidit lucem, & commune mortalium jugum lacertis vix formatis excuſſit: futura prævidit, cum nondum cerneret præſentia: hic admiſſus in arcanum Dei contubernium; auſu religioſo, mentis aciem in iſtud ter adorandum myſterium, o *ſimplici majeſtate triplex, & triplici majeſtate ſimplex*, explicabat; *cum ecce* ad lucidiſſimam illam caliginem hallucinari intellectus, nec capere; balbutire lingua, nec eloqui; hærere calamus, nec exprimere poſſe, abſtruſum illud unius, trinique Dei Sacramentum; quare ipſe majeſtate rei perſtrictus, exclamare: p *A. A. A. Domine Deus, neſcio loqui: quia puer ego* ſum. Balbutientis in morem infantis, ineptum ſe, tribus in una Deitate Perſonis enunciandis, profitetur; ſic porrò Doctor Seraphicus: q *Propheta gemens, ter clamat A. A. A. quaſi dicat, A. Juſtiſſime Pater Deus. A. Juſtiſſime fili Deus. A. Juſtiſſime Spiritus Sancte Deus. A.* Pater, non capio tuam potentiam: *A.* Fili, non aſſequor tuam ſapientiam: *A.* Spiritus Sancte, fugit me tua bonitas. Paulus extra ſe, ſupra ſe, & humana omnia raptus, ad Divina adyta admiſſus, ad mortales reverſus, nec quid vidit, nec quæ audivit, infantis in morem, nenequit effari; quod Doctor Angelicus expendens, ait: r *ſi ergo magnus ille Apoſtolus, quique Sanctiſſimam* TRINITATEM *vidit, exprimere illam nequivit, quis noſtrûm poterit illam explicare? quis intelligere noſtrûm poteſt, quo pacto ſit Deus trinus, & unus? ſi trinus, quomodo unus? ſi unus quomodo trinus?*

ſ Interrogatus Simonides ab Hierone, Rege ſiculo, inquit Cicero, quid Deus ſit? diem unum huic conſiderationi petiit: elapſo illo, nondum ſibi liquere dixit, & biduum in eandem deliberationem poſtulavit. Elapſo & biduo

o Sedulius l. 1. Paſchal. oper.
p Ierem. c. 1. v. 6.

q Bonav. Dominica Trinitat. Serm. 3.
r S. Thomas. V. Paoletti. Dom. Trinit.
ſ Cicero l. 1. de nat. Deorum.

biduo, triduum ſibi depopoſcit; denique id unum reſpondit: quo plus cogitaret, plus cogitandum occurrere; quo diutius in hac cogitatione luctaretur, eo minus expediri ſe. Hęc de Deo uno, quid de Trino dixiſſet. Ea enim eſt Dei natura, ut quò magis homo illam ſcrutari ſuis viribus ſatagit, eò occultior lateat, & ſublimior ab illo recedat. Unde Propheta inquit: t *accedit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*; quod Gregorius Nazianzenus teſtatur his verbis: v *mentis celeritatem, & ſubtilitatem effugit.*

Huſſæus Vates, fruſtra nos ingenii noſtri pennis, huc conſcendere aſſerit, cum ipſos cœlites lateat: x *abſconditus eſt*, ait, *ab oculis viventium, &* VOLUCRES CÆLI LATET, id eſt *Angelos.*

Ecquis intellectus creatus, capere præſumat perſonam generantem eſſe Deum, perſonam generatam eſſe Deum; nec tamen eſſe duos, vel tres, vel quatuor; ſed unum ſolum Deum. Fallitur hic omnis Arithmetica, quæ 1. 2. 3. ſex computat. Sed ut Auguſtinus ait, *y* non unum ſunt ſex, non 2. ſunt ſex, non 3. ſunt ſex. Quis unam perſonam, non habere perfectiones relativas alterius credat; & unam tamen æquè perfectam ac alteram; quis aſſequatur, eſſentiam communicari, nec tamen perſonas? attributa unius eſſentiæ immultiplicata, tribus communicari? z *Impoſſibile eſt*, inquit Sanctus Ambroſius, *generationis divinæ ſcire ſecretum: mens deficit, vox ſilet, non mea tantum; ſed angelorum.*

Hinc communis Theologorum Doctrina eſt, *a* etiam angelis impoſſibile eſſe, per ſolas vires naturæ, ſine revelatione divina, myſterium Trinitatis cognoſcere, non ſolum evidenti, vel certa; ſed etiam probabili, atque dubiâ cognitione: b *quia nemo novit filium niſi Pater, & cui voluerit pater revelare*; & evincit auctoritas Patrum: Clemens Romanus Epiſt. ad Jacobum fratrem Domini ait: c *quomodo genuit filium, angeli neſciunt, & Prophetis incognitum eſt.* Idem confirmat Nazianzenus, dicens: d *quomodo genitus ſit, ne ipſis quidem Angelis, nedum tibi intelligere conceſſerim.* Hoc ſe, & nos conſolatur D. Hilarius: e *ego neſcio*, inquit, *non requiro, & conſolabor me tamen: Archangeli neſciunt, angeli non audierunt, ſæcula non tenent, Propheta non ſenſit, Apoſtolus non interrogavit, filius ipſe non edidit*: ut rectè exclamet Iſaias vates: *generationem ejus quis enarrabit?* ô ſupra naturam! ô plena Majeſtatis prodigia! ſilet hic reſolutus Durandus, hæret Venerabilis inceptor Occamus, ſtupet ſpeculator Vincentius, hallucinatur irrefragabilis Doctor Hallenſis, cæcutit Doctor illuminatus Majiero, obmuteſcit Doctor Autenticus Gregorius, hebeſcit acies ſubtilis Scoti, admiratur celeberrimus Doct. Suares, Seraphici Bonaventuræ, incomparabiles Auguſtini, Divini Aquinates, tantum, tam arcanum, tam reconditum Sacroſanctæ Triadis Sacramentum, attoniti venerantur: quia f *Divinæ generationis modus*, teſte magno Cyrillo

t Pſal. 63. v. 8. v Greg. Nazian. ibid. x Iob. 28. 21. Hugo. hic. y Aug. de trinit. z Ambroſ. l. 1. de fide, C. 5.

a Ruez. de trin. diſp. 41. ſec 5. b Mat. 11. c Clem. Rom. Epiſt. 1. ad Iacob. Col. 10. d Nazian. Orat. 35. e Hilar. l. 2. de Trinit. prope med Iſaiæ 53. f Cyrill. Alex. dialog. de Trinit. l 2.

Cyrillo, *omni mente ſuperior exiſtimatur*: ut uſurpare poſſim illud Epicteti, celeberrimi Philoſophi, qui cum multis de Deo differuiſſet: nec tamen quid Deus eſſet, diſcipuli caperent, prudentiſſimè reſpondit: *ſi omnino ego*, inquit, *Deũ declararem, vel ego Deus eſſem, vel ille Deus non foret*, qui humano intellectu comprehendi poſſet.

Pelagus eſt, nulla rationum bolide inveſtigandum: g *Alta profunditas*, inquit Eccleſiaſtes, *quis inveniet eam*? Græcè, *Profunda profunditas*; Hebraicè, profundum profundum; quem locum, Doctor Angelicus, *h* de ſacroſancto Triadis myſterio exponit. Uti Lyranus: *alta profunditas*, inquit, *eſt natura divina, quantum ad proprietatem perſonarum, quis inveniet eam*? Reſpondet: *nullus per inveſtigationem humanam*: illa enim verè eſt immenſa profunditas, quæ pervadari non poteſt; Oceanus eſt, cujus fundus nulla bolide inveſtigandus, nec fragili cymba emetiendus quod & Gregorius Nazianzenus inſinuavit, his verſibus, de Trinitate, non aliud hoc eſſe, quàm

i *Immenſum exiguâ pelagus ſulcare carinâ,*
Et parva æthereum penna, volitare per axem.

Ubi SS. Trinitatis arcanum, cum profundiſſimo pelago, & axe æthereo; mentem verò noſtram, cum parvâ carina, exiguiſq; pennis comparat: quid enim aliud eſt intellectus humanus, dũ profunda percurrere tentat myſteria, quàm linter anguſtus, & fragilis, vaſtis divini oceani gurgitibus agitatus: quid ingenioli noſtri conatus; niſi audax parvi culicis, aut cyniphis volatus, qui altius ſolito ſe tollere niſus, ventorum flatibus abreptus, in terram dejicitur?

Audi quid de Auguſtino Voluſianus teſtatur, quid tam magnifico viro, ſuper profunditate ſermonis, & arduarum rerũ diſputatione contigerit. *k* Inter miracula quædam Beati Auguſtini, tale quid de eo reperitur, eo tempore, quo librũ de Trinitate compoſuit. Hipponenſis Civitas Africæ nobilis, in qua Beatus Auguſtinus Epiſcopatũ adminiſtrabat, ſuper littus maris pulcherrimè ſita erat, id autem moris habebat Sanctus Antiſtes, ut poſt diurnum ſtudium, ac laborem, veſpere ad crepidinem maris, eum à longè, Epiſcopis & clericis ſubſequentibus, ne ejus contemplationẽ impedirent, ſolus obambularet, ibique amicis, fortè in colloquium adhibitis, in rerum cœleſtium diſquiſitionem ingreſſus, multa feliciter, ingenioſeq; differebat, nec enim expectari ab Auguſtino poterat, quod pium, plenumque ingenii non eſſet. Verum evenit, ut cum aliud, ex alio ſereretur: paulatim cogitatio, diſputatióq; ad eruendum divinę Triados arcanum delapſa, ſe ipſam velut in immenſo pelago amitteret. Pergebat tamen Auguſtinus, & animum ratus intendi illac tenus poſſe, quo ad veri quandã ſimilitudinẽ conformaret, variè ſe, anxiéq; in omnẽ partẽ verſabat.

g Eccl. 7. v. 25. h S. Thom. in Epiſt. ad Romanos. c. 2, lect. 5. i Grego. Nazi. de Trinit.

k Thomas. cantiprat l. 2. apum. c. 48. §. 3. Chronicon Ciſtercin. l. 5. c. 3. Bidermannus acroam l. 2. acroam. 5. Stengelius de divinis Iudiciis tom. 1. c. 20. Carthagena de Trinit. l. 1, hom, 1.

Nec

Nec ſanè abſurdæ imagines occurrerant, quibus ad umbram ejus arcani, pertigiſſe ſe nonnumquam confidebat. Sed erant eæ mox ipſæ, cum penitius conſpicerentur, tam rudi penicillo ductæ, ut qua etiam acceſſiſſe proximè videbantur, infinitâ etiamnum diſſimilitudine recederent. Itaque aliud, ſuper aliud exorſus, ultra inſiſtere, vimque ſibi novam identidem inferre, & ſi quid ab ingenio etiam invito extunderet, laborare. Verum quanto impenſius illuc nitebatur; tanto repelli ſe longius à vero acceſſu ſentiebat. Cum in hoc tam pertinaci conatu, diu ſe Auguſtinus improbè fatigaſſet, neque tamen ut quicquid inceperat, exitum in re ardua reperiſſet: æger animi circumſpexit æſtuantisOceani campos,alibi quidem velut ſtrato æquore jacentes: alibi vero immenſis fluctibus, jam in alta montium, jam in vallium profunda, alternante fremitu recedentes. In eo ſpectaculo, cœpit animus, ut ſæpe fit, ab inſtituto, ad vaſtam Oceani magnitudinem imprudens divertere, nec deerat ſanè materies, quæ admirantis ingenio ſe indulgeret. Iam ipſa undarum congeries infinita,ad lunæ imperium exundans: jam perennis reciprocatio, qua pelago in ſe recedente, mox nudantur littora, panduntur vada, deſolantur navigia: quæ eodem mox evagante fluctu, rurſus omnia ſubruuntur.

Ad hæc belluarum ibi natantium monſtra, & inſularum immenſa ſpatia: & ſpumantibus undis colliſa Ceraunia, & diſcordium ventorum æterna prælia: hæc & hujuſmodi plus ſexcenta, ſeſe Auguſtino objiciebant, in quibus vel ſingulis, multorum admiratio laboraſſet.

Sed nondum ad ſe ita redierat Auguſtinus, ut ab Oceani multitudine, quam oculis emetiri deſperarat, diſcere per ſe ipſe poſſet, quid animus ſtatuere de metienda Triadis immenſitate deberet. Ea propter opus Magiſtro jam erat, cujus ille ductu ad magni Oceani penetrale deveniret.

Ecquem autem Auguſtinus, orbis Magiſter, magiſtrum hic exſpectaret? non Ariſtotelem opinor aliquem: quippe, qui ne unius Euripi ingenium, ita veſtigare potuerit, quin ipſum Euripus inter experimenta præfocaret. An potius de Socratis ludo alium, ipſo Socrate majorem? quaſi verò Platones ulli docere poſſint, quod diſcere nunquam ipſi potuerunt? Videte, quæſo, vos, & quà licet,etiam auſcultate novum Doctoris maximi,doctorem: Etenim cum de eo, quem demonſtravimus loco, maris æquor immenſum, Auguſtinus proſpiceret, videt forte ad extimi littoris crepidinem, ignoti oris, habituque ephebulum, venuſta cum primis, ac decenti formâ puerum: ſed eum ejuſmodi tamen, quem fari per ætatem vix etiamdum poſſe ſuſpicaretur: imperat ſibi vir gravis,ut propius juberet accedere, & quo Scipiones olim, Læliosque meminerat conchas in littore legiſſe, conſtituit, quas res in otio puer actitaret, ipſe velut in ludo obſervare. Is autem puerulus qui humi fortè conſederat, ſerius, attentuſque opus ætati congruens, in ſabulo moliebatur: opus id erat hujuſmodi. Aliquantulum ejus ſabuli ſoler

ſolerter identidem effodiebat, foſſumque cavâ manu tantiſper exhauriebat, quoad ſcrobem ibi modicum, palmari non majorem, excavaret: quam tamen ille rem non aliter agebat, quam ſi Iſthmum magnis ſudoribus eſſet perfoſſurus. Inde minuſculo vaſe, COCHLEARI *argenteo*, *aquam de mari hauriebat*, & in illam foſſam parvulam effundebat. *l* Contemplatus jam dudum Antiſtes, mox etiam admiratus, contentum pueri, irritumque ſtudium, quæ ſpectaret demum in joco, blandè, ſuaviterque percunctatur. Puer, qua decebat modeſtiâ, renidens: *Volo*, inquit, *totum mare iſtud exhaurire, & iſti foſſæ infundere*: *quo reſponſo, quaſi puerili, vir ſanctus in riſum decentiſſimum concitatus, reſpondit*: *& quomodo, inquit, ô Puer, hoc poteris? Ingens mare eſt, & parvum cochlear, quo exhauris, parva etiam foſſa, in quam infundis. Ex mox puer: poſſibilius, inquit, mihi eſt hoc facere quod intendo, quàm te implere quod cogitas Ad hoc, B. Auguſtinus mirabiliter ſtupefactus, quid hoc eſſet interrogat; & puer: cogitatu ait volvis, & æſtimas, volumine brevi (& intellectus ſinu) concludere, quid ſit illud* INDIVIDUAE TRINITATIS INEXPLICABILE SACRAMENTUM. *Et hoc quidem antequam poſſis, iſti foſſæ* parvulæ, potius totius maris undas infundam. Hoc dicto puer repente diſparuit. Beatus verò Auguſtinus Chriſtum in facto glorificans, quàm verum puer dixerat, mox advertit.

Neceſſe eſt in hoc argumento omnes digitum ori apponere, & infantiam ſuam fateri, ſic monentem audio Divum Ambroſium: m *tu quoque manum ori admove; ſcrutari non licet ſuperna myſteria.* Hipponenſis Præſul, inacceſſam Unius, Trinique Dei Celſitudinem contemplatus, eam prorſus ineffabilem profitetur: n *ſi Deus in cor hominis non aſcendit, quid ergo quæris, ut aſcendat in linguam?* Cui ſubſcribit magnus ille pater S. Martinus: p *mens humana intelligere non poteſt, nec oratoria lingua narrare, nec diffuſi ſermonis bibliothecarum Volumina*; quod multò ante, rex ſanctiſſimus ac vates diſertiſſimus David aſſeruiſſe videtur, dum cecinit: q *te decet hymnus Deus in Sion*; quod Hieronym. vertit: *tibi ſilentium, laus in Sion.* Vel ut alii: *tibi tacet laus in Sion*; hæc enim ſummæ excellentiæ, & auguſtiſſimæ Majeſtatis, laudabilis teſtificatio eſt, dum Orator eâ perſtrictus, ſacro quodam ſtupore, & venerando ſilentio obmuteſcit.

Sic tres illi diſcipuli, Chriſto à Secretis, in monte Thabor, ubi vox patris intonuit: *hic eſt filius meus dilectus*, tam novi myſterii arcano conterriti, & admiratione defixi, elingues corruerunt; qui Divinam corporis Chriſti Metamorphoſim videntes, non obmutuerant (imo Petrus alacriter clamabat: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*) nunc repente non ſolum terrore Majeſtatis: ſed reverentia myſterii (ubi vox Patris inſonuit, & Spiritus ſanctus in ſpecie Columbæ apparuit, turbati, voce deſtituti, quod audierant, proni adorant.

Veriſſimè S. Baſilius: r *admiratio quæ maxima eſt, non parit ver-*

l Cantiprat. cit.

m Amb. lib. 1. de fide c. 5. n Aug. in Pſal 85. p S. Marti. in Profeſſione fidei. q Pſal. 64. Hierony. ibid. r Baſil. lib. 7.

bum,

bum, ſed ſilentium. Hic itaque, maxima facundia eſt, ſilere cum reverentiâ; quare me hodie non perorantem, ſed admirantem, adorantem, credentem, ſperantem, amantem, non auditu corporis, ſed mentis auſcultate: ut affectus illos, & actus nobiliſſimos admirationis, adorationis, Fidei, Spei, & Charitatis circa hoc ſacroſanctum *Trinitatis* myſterium, in quibus fructus gratiarum, & meritorum (qui à paucis Eccleſiaſtis inculcantur, & à paucioribus audientium æſtimantur) ſupra omnia pietatis, & devotionis opera redūdant, exercere valeatis.

Hoc tam amabile, tam admirabile myſterium non rimari licet; ſed cumprimis mirari libet. *Doctor omnium exceptione major, & omnium ſuffragio irrefragabilis*, D. *Auguſtinus*, ut illum inſigni elogio compellat D. Cœleſtinus Papa. Hic epiſtola ad Ennodium, ſic ait: ſ *cauſæ admirationis ſunt, cum vel ratio cujuſcumque rei latet, vel eadem res uſitata non eſt, eo quod ſingularis, aut rara*, inſolita, inuſitata, rara, cujus cauſa latet, quam miſeri homunciones admiramur. Obambulas forum, & ipſa luce meridianâ ſolem obſcurari vides, Eclipſim ſtupes, & admiraris. Vir plebeius, vel agreſtis, palatium Principis ingreditur, ſublimibus alta columnis atria, ebore nitenti laquearia omnia auro & pretioſiſſimis periſtromatis veſtita cubilia, hianti ore miratur. *t* Novus Cometa ortus eſt, & *omnis vultus in cœlo eſt*, nemo non crinitum ſidus admiratur: fluxus, & refluxus maris reciprocus, æſtus Euripi ſumma ingenia in admirationem traxit, & abſorbuit, v *Magnetem mirabilem ferri tractorem*, ut loquitur Hipponenſis Antiſtes, Philoſophi omnes admirati ſunt. Tarantulam, Remoram, quis non admiratur: x *apis ædificia, formicæ ſtabula, bombicum ſtamina*, hæc etiam minutiſſima cœcis ac imperitis mortalibus admirationi ſunt; tum percunctatur idem Doctor: y *de quo* MIRARIS *homo indocte? tu* ADMIRARIS *Eclipſim ſolaris ſphæræ, quia ignoras interpoſitionem lunæ.* ADMIRARIS *Eclipſim lunæ; quia ignoras interpoſitionem terræ,* ADMIRARIS *adventum fulguris, quia ignoras modum incenſionis,* quia ignoras modum æſtus, modum ventorum, ac fontium, vim magnetis, aliarum rerum ſublunarium, ac terreſtrium, z quæ *admirari*, inquit Damaſcenus, *ignorantis* eſt. Nihilominus in ipſis etiam ignorantibus, omnis admiratio habet delectationem, quia, ut inquit Doctor Aquinas: a *licet admiratio adjunctam habeat ignorantiam, eſt delectabilis in quantum habet deſiderium addiſcendi cauſam.*

O mortales; ſi hæc tam abjecta, terrena, puſilla, & mox peritura, in ſtuporem, & admirationem rapiunt, b *deſiderio cognoſcendi cauſam*; quomodo non illa omnium *Creatrix, Trinitas*, in admirationem rapiet? in qua tanquam in lucidiſſimo fonte omnia relucent, in qua omnia vita ſunt, quæ prima cauſa omnium cauſarum eſt, non totos nos amabili ſtupore, & delectabili admiratione defiget? In qua illa

ſ Aug. epiſt. 101. ad Ennodium t Seneca l. 7. natur. quæſt. c. 1.

v Auguſt. l. 21. de civit. c. 4. x Tert. adv. Marcion l. 1. y Auguſt. Serm. 5. in Communib. z Damaſcen. l. 2. de Orthod. fide, c. 22. a S. Th. 12. q. 32. a. 8. b Ibid.

omnia

omnia caduca fixa, ſtabilia, æterna ſunt: ubi omnes Eclipſes ſine obſcuratione, palatia ſine vetuſtate, æſtus marini ſine perturbatione, arcana omnia naturæ, aperta ſunt, & omnium cauſarum mirabilium originem intuentibus, non amplius admirationi ſunt, propter ipſam in qua omnia intuentur cauſam primam, & *ſummæ Trinitatis* eſſentiam. c

Quidquid hic venuſtatis in floribus, ęſtimationis in gemmis, magnificentiæ in ſuperbis ſubſtructionibus, amœnitatis in ſpectaculis; quidquid pulchritudinis in univerſo *ſol & luna mirantur*, hæc in ſe mirabilis Deus, in una Trinitate, adeò mirabiliter complectitur, ut eadem in ipſo ſint. Quo ſit, ut etiam hic abjectiſſima quæque, viliſſima animalcula, & omnia quamtumvis nobis fœda, ſuper omnes pulchritudines creatas, in illo admirationi ſint. Rem hanc mihi adumbraſſe videtur Joannes à Roſmarino, qui in Petri Aloyſii Carafæ aulam adſcitus, pro gentilitia teſſera, ſibi vitrum trigonum aſſumpſit, hoc lemmate ſubjecto? *vel fœda niteſcunt.* d

e Non mirum, ſed miraculum naturæ hoc vitrum trigonum Sinenſibus viſum eſt, quod P. Matthæus Riccius Indiarum Apoſtolus ſecum aſportarat, Regique ut ſibi in ulteriores regni fines aditum patefaceret, dono dedit, hic autem ut & ſilvas, & rupes, & montes, & nubes, & terram ipſam, ac lutum in eo velut in auro vermiculata, omnia quamtumvis fœda, niteſcere vidit, ſatis contemplari, ſatis admirari non potuit, eóque in pretio habuit, ut ſupra quingentos aureos æſtimârit: atque ut vitro adderet majeſtatem, in argenteam thecam recluſit, & aureæ catenæ, in extremis nodulis alligavit, eamque gemmam, fragmentum eſſe, illius materiæ, è qua cœli conſtant, palàm decantavit.

Liceat mihi pro vitro trigono, admirandum vobis nunc, & oculis fidei contemplandum objicere ſpeculum *Sanctiſſimæ Triados*, in quo creata omnia, etſi quædam imagines Dei ſunt, tamen propter naturæ, aut materiæ fluidæ imbecillitatem, infinite perfectius quam in ſe ipſis exiſtunt; ſicut ſigillum artificioſiſſimè cælatum, ſigillato ſuo in arena, in aqua, vel luto impreſſo infinitis paraſangis antecellit. Verè Deus trinus & unus: f *valde admirabilis es tu!* quis non ſumma admiratione hęc contemplando delectatur, & ingenti delectatione admiratur? porro ſi veriſſimum ſit illud Principis Theologorum pronunciatum: g OMNIA ADMIRABILIA SUNT DELECTABILIA; *ſicut quæ ſunt rara, & omnes repræſentationes rerum, etiam quæ in ſe non ſunt delectabiles*, ut tragœdiæ, & horrendæ carnificinæ, quæ horrorem, & crudelitatem ſpirant: quam admirabilia omnia erunt delectabilia, in una illa, & trina eſſentia? in qua non ſolum ullæ erunt repræſentationes, quæ in ſe delectabiles nō ſunt, ſed omnes reprę ſentationes maximè delectabiles, poſſibiles, quæ cũ ſupra

c Trinitatis eſſentia. d Petra ſancta Symb. Heroica pag 56. e P. Trigautius de Chriſtiana expedit. apud Sinas lib. 1. cap. 4.

f Eſther. c. 15. v. 17. g S. Thom. 12. q. 32. a. 8.

æſti-

æſtimationem, inventionem, diſpoſitionem, ſplendorem omnem humanum, in ideis divinis infinitæ ſint, quam admirabile illud theatrum divinis mentibus intuentibus, & nobis futurum ſit, non niſi admiratione veneramur. *Tunc*, quod vel ipſe gentilis Philoſophus vidit: *intelligere nobis licebit, quàm contemnenda miremur: ſimillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio eſt. Miramur parietes tenui marmore inductos, cùm ſciamus quale ſit quod abſconditur, oculis noſtris imponimus.*

Sed avidos vos video intelligendi, quid cauſæ ſit, quod *omnia admirabilia, ſint delectabilia.* E fonte unde hauſi, rationem derivabo. ſic etenim D. Thomas: h *Admiratio eſt principium ſapientiæ, ut ait Ariſtoteles. In augmento deſiderii, fit augmentum delectationis, ſecundum quod fit etiam ſpes rei amatæ. Eſt autem admiratio, deſiderium quoddam ſciendi; quod in homine cõtingit ex hoc, quod videt effectum, & ignorat cauſam: vel ex hoc, quod cauſa talis effectus excedit cognitionem, aut facultatem ipſius: & ideo admiratio eſt cauſa delectationis.* Et quare hoc? *in quantum,* inquit, *habet adjunctam ſpem concipiendi cognitionem ejus, quod ſcire deſiderat, & propter hoc, omnia admirabilia ſunt delectabilia*; ubi primò expendendum occurrit, ſi deſiderium cognoſcendi, rei admirabilis cauſam, delectabile ſit; quantæ delectationis ſit omnium mirabilium, quæ infinita ſunt, cauſam cognoſcere; ut præ gaudio velut inſanientes nonnulli exclamarint: εὕρηκα.

Si mirabilia illa naturæ, non ſolum origines fontium, ventorum, i *quos promit de theſauris ſuis*; ſed & motum perpetuum, quadraturam circuli, lapidem Philoſophalem inveniſſe, ſupra omnes divitias & delicias delectabile eſt, quidni admiratio noſtra SS. hujus myſterii, habeat delectationem, *in quantum adjunctam habet ſpem concipiendi cognitionem ejus, quod videre deſiderat*? Te itaque ſolam, nec quidquam præter Te, *O beata Trinitas*, admirari delectat; qui te miratur, cætera omnia mirari deſinit; quod quàm præclarum ſit, Venuſinus vates cecinit:

> k *Nil admirari, prope res eſt una Numici,*
> *Soláque quæ poſſit facere, & ſervare beatum.*

Sic divus Cyprianus, aliis maximè miranda, ſe minimè mirari dictitabat: l *Non modò mundi hujus ſtaturam demiror, non ſtabilitatem terræ, cùm eam complectatur volubile firmamentum: non lunæ defectum, & incrementum: non ſolem ſemper integrum, & laborem ejus perpetuum: non temporum viciſſitudines*; ſed Te ô ſola, & ſuper omnia *Trinitas*, ſtupore & admiratione qua poſſumus veneramur, ut aliquando Te coram contemplari, & tota æternitate delectatione ineffabili admirari valeamus:

Nunc admiratio me totum impellit ad adorationem.

h S.Thom. cit.

i Pſalm. 134. verſ. 7.
k Horat. lib. 1. Epiſt. 1.
l S.Cyprian. Serm. de nativitate Chriſti.

§. I. *Abra-*

§. I.

Abraham TRES *vidit, &* UNUM *adoravit.* Gen. cap. 18.

MAgnus ille Patriarcha Abraham, cui Deus intima cordis ſui arcana revelavit, tres viros peregrinos conſpicatus, obviam iis proceſſit, ac divinitatis quid, in vultibus eorum obſervans, humi ſe proſtravit, manus junxit, & vultu demiſſo m TRES *vidit, &* UNUM *adoravit?* at quid hoc? num unum, ſine injuria duorum, venerari licebat? hic Pater multarum gentium, SS.mæ Triados myſterium contemplatus, in uno omnes tres veneratur, ſic docet ingeniorum aquila Auguſtinus: n *Abraham* TRIBUS *occurrit, &* UNUM *adoravit;* TRINA UNITAS, UNA TRINITAS; *in hoc quod tres vidit,* TRINITATEM *perſonarum, intellexit; quod autem quaſi unum adoravit, unum Deum in tribus perſonis eſſe cognovit.*

Confirmat Doctor Angelicus, dum dicit, & docet: o *Abraham poteſt dici intelligi, quod adoraverit adoratione latriæ Deum, qui in perſona Angeli apparebat;* qui cultus latriæ, ut eſt confeſſio ſummæ excellentiæ, ac ſupremæ Majeſtatis, cum infima ſubjectione noſtri conjuncta, nulli creaturæ ne angelicæ poteſt exhiberi, niſi ſoli Deo. Hinc addit: p *Secundùm reverentiam quæ debetur Deo, prohibitus eſt Joannes Angelum adorare, Apocalyp.* 22. *Cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui dixit mihi: vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum. Ad excludendum idololatriæ occaſionem;* unde ſubditur: *Deum adora.* Ipſi cœleſtes genii vident, eum ſibi honorem nulla ratione deberi, quoque altiori luce naturæ, ac gratiæ colluſtrati ſunt, eò clariùs perſpiciunt, ſe ut radios ab increato illo ſole dependere; quem proinde omni ſubjectione adorant, & venerantur.

Unde Hugo Cardinalis: q *Angeli nos nolunt ſibi ſacrificare, ſed ei potius, cujus & ipſi nobiſcum ſacrificium eſſe noverunt, ſcilicet Dei; cujus æternitate firmi ſunt, hoc ad Patrem refertur: & veritate certi, hoc ad Filium, & munere ſancti, hoc ad Spiritum Sanctum.*

Hoc ipſum ſenſiſſe videtur purpuratus Vates, dum ait: r *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus;* primam perſonam indicat, dicendo: *Benedicat nos Deus* Secundam verò: *Deus noſter,* qui noſtram naturam aſſumens, factus eſt noſter. Tertiam: *Benedicat nos Deus.* Ac ſubdit non ſine myſterio: *Et metuant eum,* non *eos,* omnémque illi cultum & venerationem exhibeant. Sic porrò Remigius Antiſiodorenſis: ſ *Benedicat nos Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus, ut tandem metuant eum omnes fines terræ, & tota* TERRA CREATOREM COLAT, NON CREATURAM.

Hæc *Diviniſſima Trias* nos benedixit benedictione mirabili, & inæſtimabili, dum infantes omni rationis uſu expertes, filios iræ, tetra originalis noxæ ſpecie deformes, ſalutari lymphâ, *in no-*

m Gen. 18. Gloſſa. n Auguſtin. Serm. 70 de temp. o S. Thom 2. 2. quæſt. 48. art. 1. p Ibidem.

q Hugo in Apoc. c. 22. r Pſalm. 66. ſ Remigius Antiſiod in Pſalm. 66. in Biblioth. vet. Patr. Tract. 9.

mine

mine Patris , *& Filii*, *& Spiritus Sancti* tinctos, luce gratiæ donavit, vitam animæ inſpiravit, & in filios Dei adoptavit.

Libet meminiſſe illius diei, quo hæc cœleſtis metamorphoſis, in anima cujuſque noſtrûm facta eſt, & ſi intueri vel nunc liceret, quiſque meritò exclamaret: pereat dies illa, qua in peccato nati ſumus, nec numeretur in diebus, aut menſibus anni; at illum natalem in honorem *SS.mæ Trinitatis* celebremus, quo per eam ſpiritualiter renati ſumus.

Hac pietate, & religioſo cultu excelluit B. Margareta de Arbouſe, Abbatiſſa Vallis Gratiæ, *t* quæ tertio per annum, diem baptiſmi ſui recolebat 1. In vigilia Paſchæ, dum fons baptiſmatis innovatur. 2. Tempore Pentecoſtes, ex deſiderio Baptiſmi flaminis, ſeu Spiritus Sancti. 3. Die quo per aquam in nomine *SS. Trinitatis*, è gentili, Chriſtianorum ac filiorum Dei albo adſcripta fuerat; omnes ceremonias in Baptiſmo infantis adhiberi ſolitas expendendo, ac *ſummæ Trinitati* ſe ſuáſque omnes potentias in holocauſtum offerendo.

Quid divini illi Spiritus, ac ſublimes intelligentiæ à primo beatitudinis momento, jam per tot ſæculorum millia: quid omnes cœlites, & nos cum iis tota æternitate acturi ſumus, quam laudem, & honorem, & gloriam, Uni, Trinæque Majeſtati deferendo, eamque hiſce vocibus adorando, concinere: *Sanctus, Sanctus, Sanctus?* ſic Iſaias teſtatur, viſum à ſe Deum in throno gloriæ ſedentem, cujus caput ac pedes, Seraphim alis velabant, clamantes alter ad alterum: *v Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Ubi Hugo Cardinalis inquit: *x Per hanc vocem* SANCTUS *tertio dictam, deſignari trinitatem Perſonarum, & per* DOMINUS DEUS, *eſſentiæ unitatem.* Quod autem alis ſuis velabant faciem Dei, ſeu ut S. Thomas, *y ſuam*, exponit Cyrillus, *z* ideo contegi, quod *Trinitatis myſterium* ab eis adoratum, ab creata intelligentia comprehendi nequaquam poſſe, proni faterentur. Hinc illud Antiſtitis Nolani conſilium, monentis: *a Noli ſcrutari; ſed crede, & adora*, ac triſagium illud *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, cum beatis mentibus adorabundus frequenter decanta.

Ad quod vel ipſum cœlum, non ſine ingenti UniusTriníque Numinis beneficio, mortales aliquando excivit: ſic etenim narrat Cardinalis Baronius. *b* Dum Cõſtantinopoli ędificia terręmotu ſuccuſſa horribili, paſſim corruerent, & urbs tota quateretur effusâ multitudine procul à laribus, mœnibúſque, mirabile accidit ſpectaculum. In agro erant Imperator Theodoſius, Proclus Patriarcha, Senatus, & vis ingens virorum, ac mulierum, cum parvulis ſuis, cùm ecce tibi, è ſinu multitudinis rapitur ad nubes puer innocens, auditque in ſublimi ea cœli regione, à cœleſtibus geniis decantari: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere noſtri.* Obſtupeſcentibus

t Barry devotiones erga Chriſtum die Pentecoſt. devot. 7. v Iſaiæ c. 6. v. 3.

x Hugo hic. y Thom. in Iſai. cit. z Cyrillus hic. a S. Nilus in inſtit. monach. b Baron An. Chriſti 446. Rhaderus Aula Sancta. P. Petra Sancta Thamaſ. Tom. 1. pag. 89.

omnibus

omnibus, & *Kyrie eleyſon* miſerando ac flebili ejulatu concinentibus, deſcendit puer, atque exhortatus eſt plebem, Triſagium illud alternatim cum cœlitibus canerent; paruit populus, & confeſtim à terræmotu civitas quievit. Puer autem ille ſtatim expiravit, atque ad harmoniam cœli, cui jam aures conſuefecerat, redivit.

Meminerunt de ea re Scriptores, hoc Triſagium ſuperos emodulatos eſſe, quo tempore Eutyches Hæreſiarcha fabrefecit ſuæ blaſphemię bruta fulmina, in officina Gehennæ adverſus Chriſti Divinitatem cuſa. Contra ejuſmodi ſacrilegos, & falſos diaboli adoratores, libet cum Bonaventura exclamare. c *Sanctus, Sanctus, Sanctus! quis ſimilis tibi magnificus in ſanctitate? terribilis eſt* PATER *in poteſtate; laudabilis* FILIUS *in veritate; mirabilia faciens* SPIRITUS SANCTUS *in bonitate* Joannis 4. v. 21. Æterna Patris ſapientia ſic Samaritanæ loquitur: d *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & Veritate: nam & Pater, tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & Veritate oportet adorare.* Hugo Cardinalis in hunc locum ait: e veri adoratores adorabunt *Patrem*, id eſt, inquit, DEUM TRINITATEM, *qui Pater eſt omnium.*

At quam multos reperire eſt hoc corruptiſſimo ſæculo falſos adoratores, qui aliam Trinitatem adorant, qui *Plutum*, *Bacchum*, *Venerem* adorant; quos diabolus aureis promiſſis ad idololatriam inducit: f *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me?* quàm multi corruentes ſtatuam auream adorant; ut divitias per fraudes & dolos, per fas & nefas ſibi acquirant, & accumulent? quam multi diabolum adorant, & potentes ſæculi, plus quam verum Numen adorant, ac venerantur, manus exoſculantur, veſtigia lambunt? de quibus Auguſtinus: g *Multa de cultu divino uſurpata ſunt, quæ honoribus deferuntur humanis, ſive humilitate nimia ſive adulatione peſtiferâ*, ut officia, honores, titulos, dignitates tam ſæculares, quàm Eccleſiaſticas, per corruptelas munerum, per ſimonias, per neſcio quas diabolicas artes adipiſci queant: h *Diabolus*, inquit ſanctus Thomas, *ſemper in id quod in principio appetiit, perſeverat*, affectando divinitatem; *unde inducit ad idololatriam homines, volens ſibi uſurpare quod Dei eſt.*

Quàm multi *Bacchum*, temulentiæ Deum colunt, & vino obruti, lumine rationis & gratiæ extincto, proni corruentes diabolum adorant? maxima verò pars mortalium *Venerem*, ejuſque Nymphas, id eſt, formas muliebres pro idolo adorant, atque eas adorando, omnes hi turpiter cadunt, nam ut ſcitè Doctor Angelicus: i *Nullus adorat diabolum niſi cadat, ſicut & ipſe cecidit*, in præcipitium peccati, & barathrum inferni; quod ut ipſe pater mendacii fatidico ore veriſſimũ profiteatur; tamen à caſu, & præcipitio nõ deterret, ut rectè divus Irenæus obſervavit: k *Ipſe diabolus confitetur, quoniam adorare eum & voluntatem ejus facere, cadere eſt à gratia & gloria Dei*, ab unius triniq; numinis conſpectu. Quare ſi qui ha-

c S. Bonaventura Dom. Trinit. Serm. 1. d Ioan. 4. e Hugo Cardinal. in Ioan. c. 4. f Matth. 4.

g Auguſtin. lib. 10. de civit c. 4. h S. Thom. in Matth. c. 4. i S. Thom. cit. k Irenæus lib. 5. c. 22.

hactenus hujuſmodi falſi adoratores extitère, nunc converſi à ſimulacris ad Deum verum, fiant veri adoratores, & *adorent Patrem in Spiritu, & Veritate.*

Remenſis Gubernator navis, ſanctus Remigius, qui remis uti maluit, quàm velis, quia nihil ab eo tam alienum, quàm tumor, ornatam purpura rexit navem, dum Clodovæum Francorum Regem ereptum naufragio, ad ſalutis portum advexit, hoc uſus felici tractu: [l] curavit ex una parte ſacri fontis, quo Rex tingendus, collocari Religionis noſtræ ſacra myſteria; ex altera vero idola, atque alia ſatanicæ ſuperſtitionis inſtrumenta. Tum converſus ad Regem dixit: *Incende quod adoraſti, adora quod incendiſti.* Fecit, atque omnem cultum, ac venerationem, quam falſis Diis impenderat, ad unum trinumque Numen adorandum convertit. Hujus exemplo, ſi quis hactenus fuit adorator pecuniæ, adorator amaſiæ, adorator creaturæ, ut ſe convertat, ſciendum eſt, quia [m] *una eſt excellentia*, TRIUM PERSONARUM, *unus honor, & reverentia eis debetur, & per conſequens una adoratio*; quæ à Theologis diſtinguitur in interiorem, & exteriorem. Hujus diſtinctionis rationem adfert D. Thomas ex Ven. Beda: [n] Quia *ex duplici natura compoſiti ſumus, intellectuali ſcilicet & ſenſibili, duplicem adorationem Deo deferimus; ſcilicet ſpiritualem, quæ conſiſtit in interiori mentis devotione; & corporalem, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliatione.*

Notandum autem, [o] *quod adoratio principaliter in interiori Dei reverentia conſiſtit*; quod eſt adorare in Spiritu. *Secundariò autem in quibuſdam corporalibus humilitatis ſignis, ſicut genuflectimus noſtram infirmitatem deſignantes in comparatione ad Deum. Proſternimus autem nos quaſi profitentes nos nihil eſſe ex nobis.*

Hunc externum adorandi modum cœleſtis magiſter nos docuit, dum, [p] *poſitis genibus*: quin etiam [q] *procidens in faciem ſuam* æternum Patrem adoravit. Atque ita benigniſſimus Dominus, qui in quantum Deus ab univerſis fidelibus adoratur adoratione ſoli Deo debita, adoravit ipſe, in quantum homo, æternum Patrem ſuum, [r] *docuitque nos*, inquit Franciſcus Arias, *adorare ſumma cum reverentia* PATREM, *& ipſum* VERBUM INCARNATUM, *&* SPIRITUM SANCTUM, *& totam* SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Et quamvis interdum expreſſè Patrem, aliàs Filium, aliàs Spiritum Sanctum adoramus, tamen quoties unam perſonam adoramus, veritas eſt nos omnes tres adorare: quia omnes tres, unus Deus, quem ſemper adoramus. Sic [ſ] *terna genuflexio ſignum eſt, ternarii perſonarum, non autem diverſitatis adorationum.*

De hoc exemplo, quod Chriſtus nobis dedit, adorando Patrem, Sanctus Gregorius Nyſſenus ait, [t] *humanus uſus eſt pronos terræ ſupplicare majoribus, unde ille qui noſtros languores portavit, per hominem quem ſumpſit, genuflectit*

l In vita. Cauſin. Parallela eloquent. lib. 14. c. 17. m S. Thom. 2. 2. qu. 84. art. 1. n S Thom. cit. art. 2. Beda lib. 4. orthodox. fidei. c. 13.

o S. Thom. cit. p Matt. 26. q Luc. 22. r Arias. Theſaurus in exhauſt. Tom. 2. pag. 226. ſ S. Thom 22. q. 84. a. 1. t Greg. Nyſſ. Luc. 22. in caten.

oran-

orando Patrem, ſanciens non eſſe ſuperbiendum orationis tempore ; ſed per omnia humilitati conformandum.

Fit etiam exterior adoratio, Lumina accendendo,&prꝺferendo : thus adolendo, odores offerendo,& divinas laudes dicendo: manus tollendo ac conjungendo, genua flectendo : caput aperiendo,inclinandoque.

Ita ſacer in Eccleſia uſus obtinuit, ut quoties ſolenni verſu, *Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto* , ſinguli Pſalmi terminantur,profunda capitis & corporis inclinatione *Divinæ Triadi* reverentiæ & adorationis ſignum exhibeatur. *v*

Quem Religionis & adorationis cultum, Sanctiſſima Dei Mater exemplo ſuo collaudavit, & comprobavit : nam vir ſanctitate conſpicuus, aliis in Eccleſiâ pſallentibus, vidit Beatam Virginem toties ſe profundè inclinantem,quoties verſiculus iſte *Gloria Patri* caneretur. *x* Cauſam verò ſciſcitanti,reſpondit Deipara : quotieſcunque hymnus ille in laudem *SS. Trinitatis* in eccleſiâ decantatur , totam curiam cœleſtem,eidem *Glorioſiſſimæ Triadi* ſe inclinare.

Incredibile verò eſt , ſi his externis actibus adoratio interior jungatur,quanta Dei gloria, & gratiarum, ac meritorum cumulus accreſcat. Hinc *Beata Joanna* ſolertiſſimè obſervârat , per annum,in officio divino , ſe cum aliis monialibus in choro facere quinquageſies mille,ducentas inclinationes majores , novemdecim millia , quingentas viginti quatuor minores: quæ conficiunt ſexaginta novem millia , octingentos , & vigintiquatuor actus adorationis, qui per annos exercitati, prope innumeri erunt. *y* Hujus exercitii amplificandi modum, eximius *Sacroſanctæ Trinitatis* zelator, perquam ingenioſum excogitavit, quo triſagium hoc: *Gloria Patri,& Filio & Spiritui Sancto* , ad mille milliones, centum mille myriades, ter mille,centum,& decem,uſurpari poteſt,brevi quod ſubjicio quadrato comprehenſum.

v Fornerus.in miſerere conc. 102.
x Raderus aula ſancta Theodoſii.C.42.

y Barrii Philagiæ pag.490.

QUANTUM POTES, TANTUM AUDE, QUIA MAJOR

G L O R I A P A T R I E T F I L I O
L O R I A P A T R I E T F I L I O E
O R I A P A T R I E T F I L I O E T
R I A P A T R I E T F I L I O E T S
I A P A T R I E T F I L I O E T S P
A P A T R I E T F I L I O E T S P I
P A T R I E T F I L I O E T S P I R
A T R I E T F I L I O E T S P I R I
T R I E T F I L I O E T S P I R I T
R I E T F I L I O E T S P I R I T U
I E T F I L I O E T S P I R I T U I
E T F I L I O E T S P I R I T U I S
T F I L I O E T S P I R I T U I S A
F I L I O E T S P I R I T U I S A N
I L I O E T S P I R I T U I S A N C
L I O E T S P I R I T U I S A N C T
I O E T S P I R I T U I S A N C T O

OMNI LAUDE, NEC LAUDARE SUFFICIS.

MON SEIGNEUR ET MON DIEU, AUTANT DE FOIS

Ie Crois en vous.
Ie vous Adore.
Ie vous Invoque :
I'Eſpere en vous.
Ie vous Deſire.
Ie vous Loüe.

Ie vous Aime,
Et mon Prochain.
Ie vous Remercie.
Ie me Reſigne.
Ie Renonce au mal,
Ie m'en Repens,

Ie m'en Accuſe.
Ie veux le Bien.
Vous me Plaiſés,
Ie veux vous Plaire
Ie ſuis à Vous,
Soyés à Moy.

Hanc vero praxim non modo Clerus, viri Religioſi ac Sanctimoniales in Choro ſibi familiarem reddere debent; ſed & ſæculares, maximè ſub auguſtiſſimo miſſæ ſacrificio, hanc gloriam Sanctæ Trinitati tribuendo eamque hic ſumma veneration[e] adorando.

Non

Non ſatis fuit amori divino, uni & trino numini, ſe per unionem hypoſtaticam *Verbo* unitum eſſe, & animæ Chriſti intimè conjunctum, ab Angelis, à Deipara, à S. Joſepho, à tribus Magis adorari; alias inventiones mirabiles excogitavit, quomodo z *Tota Trinitas* cum omnibus attributis, ſeu perfectionibus divinis nobis uniretur, & adoraretur: non ut ubique locorum præſens eſt; ſed modo prorſus mirabili, & ipſis intelligentiis divinis incogitabili: ut ſi per divinam Potentiam, *Deus trinus & unus*, ſecundum exigentiam naturæ, ubique non eſſet, in Euchariſtia, per unitatem naturæ exiſteret, atque omnes tres Perſonæ in hoc tremendo ac maximè reverendo Sacramento, per orbem univerſum in omnibus ſacris baſilicis adorandæ exponerentur.

Sic etenim clariſſimus Antiſtes Fulgentius ad Monimum, hæreticos inſectatus, qui ſacrificium miſſæ ſoli Deo Patri offerri dictitabant: a *Eccleſia*, inquit, *ſic ſacrificat Patri, ut ſimul omni ſacrificet* TRINITATI; quæ ut colatur, & adoretur, hoc monitum ſubjungit: *Si qui Catholici fideles, hujus ſacramenti nunc uſque videbantur ignari, deinceps ſcire debent, omne cujuslibet honorificentiæ, & ſacrificii ſalutaris obſequium, &* PATRI, *&* FILIO, *&* SPIRITUI SANCTO, *hoc eſt* SANCTÆ TRINITATI *ab Eccleſia Catholica pariter exhiberi.*

Hanc præſentiam *ſacroſanctæ Triadis* in Euchariſtia, ſtupendo prodigio expertus eſt ſanctus Edmundus, Præſul Cantuarienſis: b cùm enim vidiſſet in ſomnis columbam ſupernè ad ſe devolantem, & dominicum Corpus quod roſtro gerebat, ſibi in os inferentem, ſimul experrectus, ita de *Trinitate* diſſeruit, ut humani ingenii fines longè tranſiliiſſe videretur. Hanc diviniſſimæ Triados in ven. Sacramento præſentiam tradit Hugo Cardinalis, in illud Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam*; ubi ait: c *Hæc cœna dicitur magna, quia magnus Dominus eſt, id eſt,* DEUS TRINITAS.

Quin & in hoc limpidiſſimo Euchariſtiæ ſpeculo, non in ænigmate, dilectæ Chriſti Sponſæ, eam non ſemel contemplatæ ſunt; quas inter D. Catharina Senenſis cœleſti Synaxi refecta, à ſe, & à terra, mente & corpore in cœlum rapta, identidem exclamare audita eſt: *Vidi arcana Dei:* hæc autem non alia, quàm unius & trinæ Deitatis fuere myſteria: quæ cùm ſub ſpeciebus Euchariſticis adoraret in terris, meruit inſtar Pauli, revelata facie videre in cœlis.

Conſimile quid accidiſſe lego Agathæ de S. Cruce, tertii Ordinis ſancti Dominici, d quæ cum ſacris epulis accubuiſſet, tam dilucidâ ſanctæ Trinitatis notitiâ imbuta fuit, ut non credere ſe, quod in Euchariſtia adorabat, ſed cernere affirmaret.

Accedite & vos quoque, & illuminamini, non ſolum *Trinitatem* in ſacra Hoſtia venerando, & adorando, ſed etiam dum intra cordis cujuſque veſtri ſinum deliteſcit.

z Adoranda SS. Trinitas in Euchariſtia. a S. Fulgent. l. 2. ad Monimum.

b Hautin. de ven. Sacram. pag. 471. c Hug. Cardin. in Luc. c. 14. d Hautin. cit. pag. 472.

Monſtrate honorem
TRINITATI *hoſpitæ*, e
ut ſapienter monet divus Prudentius: eſt etenim inſeparabilis inexiſtentia mutua perſonarum, ut proinde immiſſo in nos per divinum cibum Dei *Verbo*, Pater, & Spiritus Sanctus deeſſe non poſſint. Quare quoties ſacram ſynaxim expoſitam veneraris, aut ſumpturus accedis, divinum illum hymnum concine:

Adoro te devote latens TRINITAS,
Quæ ſub his figuris verè latitas:
Tibi ſe cor meum totum ſubjicit,
Quia te amando totum deficit.

Adorationi tres pulcherrimas virgines, virtutes Theologales ſeſe comites adjungunt.

§. II.

Myſterium SS. TRINITATIS, *quod in nomine* PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI *hodie proponitur, vera & viva fide credendum.*

FElix Roma, cui quas nullus unquam pingere ſatis bellè pictor potuit, vivas virtutes ſpectare licuit; *fidem, ſpem, & charitatem*, S. Sophiæ filias. f Ex his maxima XII. altera X. natu minima IX. omnes paucos annos; ſed plurimas palmas numerant. Duello ſingulas aggredi urbi præfectus ſtatuit, & primò quidem *fidem*. Contra hanc flagris quidem pugnat; at tergum pro ſcuto objicit *fides*; ſartaginem admovet candentem ille, hæc ridet arietem; ubera reſecantur, & ſic virgo ſanguine lactat fideles. Caput reſcinditur, nec locus coronæ defuit.

Ergo *ſpem* aggreditur tortor, & nervos in virginem armat: at his ipſis fortior puella eſt, & ſub his fidiculis exultat, & ſaltat. Rogus accenditur; ſed *ſpes* non conſumitur: ipſos hoſtes *ſpe* dejectos depaſcitur; pice ardenti, & bitumine perfunditur: nempe ad novam luctam inungitur, atque in ſororis mortuæ amplexu, gladio transfixa anima exſpirat.

Jamque ad tertiam gradum facit Tyrannus, bis victus. Suſpenditur *charitas*, ab equuleo, laniatur flagris; *charitas* patiens eſt, omnia ſuffert, & hæc, & terebram, & gladium, & rogum, in quem ſuapte ſponte vis nominis compulit inſilire.

Quid ad hæc mater magnanima *Sophia*, quæ & filias præſentiâ ſuâ, & ſeſe filiarum virtute huc-uſque animaverat? aureum hoc illa acroama in cœlum extulit: g *O me felicem! ô vere beatam! quæ tribus filiabus* SANCTISSIMAM TRINITATEM *honorare merui.*

Quiſque veſtrum habet per baptiſmum ſibi genitas tres ſpecioſiſſimas filias, *fidem, ſpem, & charitatem*, quibus *ſanctiſſimam Trinitatem*, plus quàm ullo alio Religionis cultu *honorare* poteſt. Sic etenim glorioſiſſimus Doctor Auguſtinus: h *Colendus eſt*

e Prudentius f Surius 1. Auguſti.

g Metaphraſtes in vita S. Sophiæ.
h Auguſt. in Enchiridio cap. 3. & 4.

Deus

Deus FIDE, SPE, ET CHARITATE.

Hæ Theologicæ virtutes cuique cœlitus in Baptiſmo, in nomine unius trinique Numinis infuſæ, divinarum perſonarum ſimilitudinem referunt; *i* nam per *ſpem* (quæ teſte S. Thoma verſatur circa bonum arduum & difficile) *Pater* oſtenditur, cui poteſtas & fortitudo attribuitur. Per *fidem*, quæ lux mentis eſt, *Filius*, qui eſt *k* *lux mundi*. Et per *charitatem Spiritus Sanctus* intelligitur. O te felicem, cui hæ venuſtiſſimæ ſuper omnem pulchritudinem creatam, filiæ obtigerunt.

Nemo non felicem, ac beatum Huſſæum vatem deprædicat ex eo, quod benedixerit illi Dominus: *l* *Fuerunt ei ſeptem filii, & tres filiæ; non ſunt autem inventæ mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Job in in univerſa terra.* Gregorius Magnus, eruditione & ſanctitate maximus, per ſeptem filios, ſeptem dona Sancti Spiritus intelligit, & per tres filias, *tres virtutes* Theologales: *m* *Habent*, inquit, *in nobis ſeptem filii* dona Spiritus Sancti, *tres procul dubio ſorores ſuas, fidei, ſpei, & charitatis*; quarum naturam & proprietates, ipſa nomina filiabus impoſita, non tantum adumbraſſe, ſed dilucidè declaraſſe videntur: Et *vocavit nomen unius Diem, & nomen ſecundæ Caſſiam, & nomen tertiæ Cornuſtibii.* Gregorius Nyſſenus, aliique, hæc *n* nomina ab ipſa filiarum ſpecie, & formæ gratiâ, fuiſſe indita volunt: *n* *Sacræ paginæ filiarum Jobi pulchritudinem admiratæ, vocibus ipſis eximium hoc miraculum demonſtrant: cùm ajunt, unam appellatam eſſe* DIEM, *alteram* CASSIAM, *tertiam* AMALTHEÆ CORNU. Non quod hæ doctas fabulas ſecutæ; *ſed cum Jobi filiæ, laudem omnis generis virtutum tribuere vellent, eam ipſam hoc nomine velut oculis ſubjecerunt. Sic* CASSIA *puritatem ac fragrantiam ſtudiorum demonſtrat*; DIES *verò honeſtatem: quemadmodum & Apoſtolus, filios lucis ac diei, appellat eos, qui vitam puram agunt.*

Sed propriiſſime ad rem noſtram doctiſſimus Lyranus, qui Gregorio Magno ſubſcribit, dicens: *o* *Fuerunt ei tres filiæ per quas intelligi poſſunt tres virtutes Theologicæ: & vocavit nomen unius* DIEM, *per quam ſignificatur* FIDES, *quæ pertinet ad cognitionem: Et nomen ſecundæ* CASSIAM, *quæ eſt ſpecies aromatica, propter quod ſignificat* SPEM, *per quam reſpirantur cœleſtia: & nomen tertiæ* CORNUSTIBII, *id eſt, vas unguenti, quod iſta filia erat pulchrior cæteris mulieribus, quamtumcumque poſſent ſe decorare per artem ſuperadditam naturæ. Propter quod hæc filia Job, ſignificat* CHARITATEM, *quæ aliis virtutibus præcellentior.*

Conſimili prope ſenſu Nicetas *p*; qui dum has tres Jobi filias depingit, ipſas virtutum formas expreſſit. Primam, inquit, filiam *diem* nominavit, quia ab obſcuriſſima ærumnarum nocte, ad felicitatem reſtitutam divinitus, quaſi ad Dei lucem aſpiciendam Propheta revocatus eſt; & nos Deus ex obſcuriſſima gentilitatis nocte, & *de tenebris*, tot errorum, & hæreſium, *vocavit in admirabile lumen ſuum.* Secundam

i Cartag. de Trinit. hom. 6. k Ioan. 8 l Iob. 42. v. 13. & 15. m S. Gregor. lib. 1. mor. c. 13. Nati ſunt ei 7. filii, & 3. filiæ. Iob 42. v. 17. n Greg. Nyſ. orat. 9. in Cant.

o Liran. in Iob. 42. p Nicet. cit. à Liran.

Caſſiam appellavit, quod jam is odoris quadam ſuavitate, bonorúmque voluptate frueretur.

Et nos odor ſpei, Deo fruendi paſcit, & recreat. Tertiam *Amalthea cornu* vocavit, quod vitam deinde vixerit, omni bonorum genere affluentem.

Quis autem veſtrûm ignorat, charitatem inſtar cornucopiæ, omnium bonorum abundantiâ redundare? q *non ſunt autem inventæ mulieres ſpecioſæ, ſicut* (non dico filiæ Job) ſed ſicut filiæ Dei, quo nomine hæ tres ſorores aptè nuncupantur: quarum unicum officium, & diviniſſimum exercitium eſt, in ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio adorando, noctu diúque occupari; ſic etenim ſuaviſſimo flumine Ambroſius: ad illa verba Joannis 4. *In Spiritu & Veritate oportet adorare*, ait: r *Quid eſt Deum in Spiritu adorare, niſi in* CHARITATE, *&* FIDE PERFECTA, *&* SPE INDUBITATA?

Ut miſeranda noſtra trinitas, quæ ab illa *ter adoranda Trinitate* infeliciter & turpiter decidit, feliciter reſurgat. Ad hoc fortiter monentem, & ſuaviter moventem audio Hugonem Victorinum: ſ TRINITAS, inquit, *quæ cecidit: eſt memoria, ratio, voluntas.* TRINITAS *per quam cecidit: ſuggeſtio, delectatio, cõſenſus.* TRINITAS *in quã cecidit: peccatum affectus, effectus & conſuetudinis.* O deteſtanda ac diabolica Trinitas! at qua ratione, & divina commiſeratione *per ſacroſanctam Trinitatem*, Trinitas noſtra reſtituta ſit, ſubjungit: *Lapſum naturæ noſtræ reparavit* ILLA BEATA TRINITAS: PATER, FILIUS, *&* SPIRITUS SANCTUS. *Hæc* TRINITAS, *aliam* TRINITATEM *in nobis effecit*: FIDEM, SPEM, *&* CHARITATEM: *Pater fidem, Filius ſpem, Spiritus Sanctus charitatem. Per hanc* TRINITATEM, *velut per tridentem, de limo profundi, ad amiſſam beatitudinem*, INCOMMUTABILIS TRINITAS, *mutabilem & lapſam reduxit: nam* FIDES *illuminavit rationem*, SPES *erexit memoriam*, CHARITAS *purgavit voluntatem*; ei itaque tres potentiæ noſtræ per tres illas Theologicas virtutes dicandæ & conſecrandæ ſunt.

Fides hic cumprimis omnes ſuas, per ferventiſſimos actus, & affectus, vires exerat. Receptum illud Principis Philoſophorum axioma eſt: t *Diſcentem oportet credere.* Qui artem fabrilem addiſcere vult, credere debet magiſtro dicenti, hoc inſtrumentum dolabrã, illud ſerram, aliud terebram nuncupari, talem ac talem uſum habere; ſic accedentem, ut picturam, arithmeticã, muſicam aliáſque ſcientias addiſcat, credere oportet: ſi puer non crediderit primò dicentibus ſibi, hanc eſſe litteram A. illam B. alteram C. qua ratione copulari debeant, numquam legere diſcet, numquam intelliget litteraturam. Nec nos Scripturam, aut ulla fidei myſteria: unde monet Apoſtolus: v *Accedentem ad Deum oportet credere*, non diſcutere, non tergiverſari, non ſcrutari, non ratiocinari: quomodo credam, quæ non intelligo? quomodo intelligam quæ non capio? x *Dices*, inquit Auguſtinus, *quomodo iſtud creditur? quomodo iſtud capitur? ad hæc duo reſpondeo: quomodo capitur?*

q Iob cit. r Ambroſ. in Epiſt. ad Hebr. c. 6. ſ Hugo Victorin. lib. 3. miſcell. tit. 1.

t Ariſtot. 1. lib. poſter. cap. 9. v Hebr. 11. v. 6. x Auguſt. Tract. 36. in Ioan.

tur? rectè dicis. Quomodo creditur? non rectè dicis: imò ideo bene creditur, quia non capitur: nam ſi caperetur, non opus erat ut crederetur, quia videretur. Ideo credis, quia non capis, & credendo ſis idoneus ut capias. Hoc paucis verbis Iſaias tradidit: y *Niſi credideritis, nõ intelligitis*: quę idẽ Doct. ſic exponit: z *Noli quærere ut credas: ſed crede ut intelligas.*

Quid, quod in fide hæſitâſſe, labâſſe eſt, nec leves pœnas vindex Deus vel dubitantibus inflixit, ut bene Chryſoſtomus annotavit, qui cùm fidem Abrahæ probaſſet, dicens: a *Quid quæſo abſurdius fuerit, quam* b *parentem jugulare unigenitum filium ſuum? ſed tamen juſſus, non curiosè de mandato ſciſcitatus eſt.* Tum ſubjungit: *Contra verò alius juſſus à Deo,* c *Prophetam percutere, ac ſimpliciter non paruit, pœnas extremas dedit. Alia permulta exempla inveniet,* inquit, per quę docemur, divinorum mandatorũ rationem nequaquam exigendã: ſed credendum, & parendum.

Quod ſi periculoſum eſt, quæ ille mandavit, de iis curioſius indagare, extremumque ſupplicium curioſis propoſitum ſit; quam tandem defenſionem habituri ſunt, qui ea curiosè perſcrutantur, quæ ſunt his multò & ſecretiora, & horribiliora? verbi gratia: quomodo Deus Filium generavit, & quanam ratione? quibus perpenſis, rectè concludit: *Bonorum omnium parentem,* FIDEM *complectamur.* Deum trinum & unum, corde ac ore profiteamur.

Quæ fidei profeſſio, quam *divinæ Triadi* accepta ſit, hoc argumento eſt. *d* Mauritio imperante, ex Advocatorum grege, quidam Cõſtantinopoli ſceleratiſſimus præſtigiator, hominem adoleſcentẽ, cui nomen Meſites, ad ſpeciem in Notarium conduxerat, ignarum prorſus herilium Veneficiorum; quem ille perditiſſimus à ſalutis viâ avertere, & cacodæmoni devovere conſtituerat. Opportuno die equos conſcendunt, & ſolitudinis, ab omni hominũ cultu remotæ trivium petunt; ſoléq; jam in noctem declinante, adcaſtrum perveniunt, portis æratis egregiè munitum; pulſatis ab Hero foribus, ambo admittuntur. Viſunt intus magnificentiſſimũ, auróq; illuſtre fanum: cernuntlampadũ, ac luminũ frequentes ignes. ſubſellia, & diſpoſitos ad officia ex utroq; latere miniſtros omnes, in deformem Æthiopum atrorẽ degenerantes, unum reliquis proceriorem pari nigrore formidandũ, habituRegis in ſolio ſublimi reſidentem; qui cauſſidicum officioſè exceptum, ſalutavit: proptérq; ſuum tribunal juſſit aſſidere, & gratus inquit, adventus, familiariũ intime, germãiſſiméq; amice: ſtantẽ porrò famulum ponè ſellã Domini ſui, reſpectans dæmonũ Imperator: quamobrem, inquit, adduxiſti puerum hunc? mecum (inquit Magus) hic tuus, Domine, famulus eſt: & dæmoni: itane puer, tu meus famulus? ego (inquit adoleſcens) ſum famulus, *Dei Patris, & Filii, & Spiritus* S. unáque cum dicto, è regio tribunali inferorũ Rex, ritu fulminati, effuſus concidit; corruêre, & circumſedentes proceres, ipſéq; adeò Advocatus, & lumina, & arx everſa, ſimúlq; hauſti terrâ omnes, ſolúsque cum equis relictus juvenis, curriculo urbem repetit. Rogatus ubi herum reliquiſſet? abiit, abiit, inquit, in intimas Averni tenebras, ſeriémque inuſitati facti per ordinem expoſuit. Na-

y Iſai. 7. z Auguſt cit. a Chryſoſt. hom. 2. in Epiſt. ad Rom. c. 1. b Gen. 22. c 3. Reg. 20. d Cedrenus. Fornerus in miſerere conc 102. Raderus in aula ſancta Theodoſii.

Nactus inde idem ephebus meliorem Dominum, hominem nobilem, virum religioſum, in egentes effuſum, & virtutis cultorem ſingularem, cum eo, veſpere quodam jam in crepuſculum vergente, egreſſus ad ædiculam Salvatoris,quæ à Plethro nomen habet, ad heri precantis ſiniſtram in templo conſtitit;cùm ecce tibi imago Chriſti, à Domino averſa, ad puerum cœpit reſpicere. Re Patricius animadverſâ, puerum ad dextram revocavit (dubius an caſu imago ſiniſtrum latus ſpectaret) ſed effigies ſacra, mox reflexo lumine, adoleſcentulum aſpectu eſt ſecuta. Hic Dominus vehementiſſimè perturbatus, in terram ſe ejulabundus abjicit, ac in preces,& lamenta fuſus: Chriſte ſancte, ait, quare avertis faciem tuam à me ſervo tuo? tu mihi teſtis es, me numquam avertiſſe faciem meam à te in ſervis tuis, & in membris tuis, poſcentibus miſericordiam, & eleemoſynam. Hæc cùm diu flens, dolenſque ingeminaſſet, vocem ex iconeChriſti allapſam audivit: tibi quidem gratias habeo pro obſequio in meis, mihi præſtito, & acceptæ ſunt tuæ eleemoſynæ; ſed huic famulo tuo plus debeo, in ſummo terrore, me non neganti, ſed me palam, *ac Patrem, & Spiritum Sanctum* profitenti, quia ut benè ſanctus Ambroſius: *e* grande carmen illud eſt: *Gloria Patri &c. quo nihil potentius* ad fidem ſtabiliendam, & omnes verſutias diaboli enervandas, ac hæreſes confutandas: *Quid enim potentius, quàm confeſſio Trinitatis.*

e Ambroſ. lib. 5. epiſt. 32.

Quare ſi firmiſſimè credimus fide humana,hanc nobis matrem eſſe, hunc patrem, quia ſic nobis dictum eſt: Romam eſſe,& Conſtantinopolim, quamvis numquam à nobis viſam, ita (ut fides ex auditu eſt) per ſacras litteras, & per divinos Eccleſiaſtes, quos Chriſtus miſit, fide divinâ, omnia quæ Eccleſia credenda propoſuit (quæ inter eminet arcanum SS. Trinitatis myſterium) ſepoſitis omnibus quibus impugnatum fuit argumentis,firmiſſimè credamus,& defendere etiam exquiſitiſſimis tormentis parati ſimus.

Hæc ſubtiliſſimi Auguſtini ratiocinatio eſt, cùm inciperet *credere, quod non demonſtrabatur*: f *Paulatim*, inquit, *tu Domine manu mitiſſimâ, & miſericordiſſimâ pertractans,& componens cor meum, conſideranti quam innumerabilia crederem, quæ non viderem: neque cùm gererentur adfuiſſem: ſicut tam multa in hiſtoria gentium* (de Julio Cæſare, & Pompejo &c.) *tam multa de locis, atque urbibus, quæ non videram. Poſtremo quam inconcuſſa fide fixum retinerem, de quibus parentibus ortus eſſem, quod ſcire non poſſem, niſi audiendo credidiſſem.* Hominibus creditur, & fides Deo negatur,humana quæ ne viſu, nec ratione aſſequimur, certa & indubitata habemus; ea verò quæ æterna Veritas credenda proponit, niſi oculis videamus, & ratione capiamus, non credimus: parum conſiderantes, hoc pelagus exiguam habiturum profunditatem, ſi breves adeò pedes tranſvadare poſſent.

f Auguſt. lib. 6. confeſſ. c. 5.

Humanæ mentis ignorantiam, & myſterii profunditatem, quæ ſola fide vadari poteſt, ab Angelo ductus ad redundantes aquas, quę à latere domus Dei fluebant, Ezechiel declaravit his verbis: g *Cùm egrederetur vir ad orientem, qui habebat funiculum in manu ſua, menſus eſt mille cubitos, & traduxit me per aquam uſque talos. Rurſumque menſus eſt mille, & traduxit me per aquam uſque ad genua: & menſus eſt mille, & traduxit me per aquam uſque ad renes; & menſus eſt mille, torrentem, quem non potui pertranſire: quia intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſvadari.* Cognitio quidem, qua Deum eſſe, natura duce cognoſcimus, uſque ad talos rectè dici poteſt; notitia verò qua non tantum Deum eſſe intelligimus, ſed unum Deum omnipotentem, & æternum, uſque ad genua & renes aſcendit: illuc enim, & non ulterius mortalium quamtumvis ſumma ingenia tantummodo pertingere poſſunt; ſed *Trinitatis* in Deo uno cognitio, non valet ſine fide pertranſire torrentem difficultatum, quoniam aquæ profunditate myſteriorum exundantes, adeò intumeſcunt, ut humanus non queat intellectus emergere, niſi Petri naviculam aſcendens, proſpero fidei flamine, ad portum veritatis appellat.

Illud itaque, captivantes intellectum in obſequium fidei, cum Paulo exclamemus: h *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Doctor Angelicus pro concione, *tria hic in Deo notanda* expoſuit: i *Eſt*, inquit, *altus in natura: ſic enim habitat lucem inacceſſibilem, & plenus in virtute, ſic ſunt apud eum divitiæ ſapientiæ. Latus & immenſus in operatione; ſic ſunt judicia ejus incomprehenſibilia.*

In cujus rei figuram, inter famulos Iſaac, ex tribus puteis quos foderant, k ſuper duobus, non ſuper uno, orta eſt contentio: divina etenim quævis perſona puteus eſt profundiſſimus, & magnitudinis ac majeſtatis abyſſus infinita: non tamen de una perſona inter Catholicos, & hæreticos concertatio; ſed in additione duarum, quæ ſunt Filius & Spiritus Sanctus, tota quæſtio eſt. *Puteus altus* eſt, neque in quo hauriam habeo, cum hydria intellectus noſtri incapax ſit, & funes cogitationum noſtrarum non valeant ad fundum pertingere; unicus funis eſt, quo fundum penetrare valemus, de quo Gregorius: l *Fune* FIDES *exprimitur, Salomone teſtante Eccl. 4. funiculus triplex difficile rumpitur: quia fides quæ de cognitione Trinitatis texitur, fortis in electis permanet, in ſolo reproborum corde diſſipatur*, & rumpitur. m *Pelagus immenſum, & interminatum omnem tum corporis, tum naturæ cogitationem ſuperans*; in quo complures velificantis ingenii temeritate abrepti ad ſcopulos illiſere, & infelici naufragio, velis & remis ſtyga trajecere: dum, ut rectè Zeno, Archiepiſcopus Veronenſis monet. n *Non intelligimus miſeri, quoniam curioſitas reum efficit, non peritum*, juxta illud Proverbiorum capite vigeſimo quinto: *Scrutator Majeſtatis opprimetur à gloria.*

g Ezech. 47. v. 3. 4. 5. h Ad Rom. 11. i S. Thom. Serm. de Trinit.

k Gen. 28. l S. Greg. lib 33 in Iob cap. 9. m Nazianz. orat. 42. n Zeno Serm 2. de æterna filii generat.

Victor Pontifex O. M. ad lapſam Eccleſiæ diſciplinam inſtaurandam, & controverſias minorum Pontificum componendas, Legatum in Gallias, ubi potiſſimum laborabat Eccleſia, miſit Hildebrandum Subdiaconum, virum & prudentiæ, & pietatis fama celebrem, qui poſtea Pontifex Maximus. *o* Hic ubi Lugdunum pervenit, Epiſcoporum Conventum ex auctoritate Victoris indixit, & jam compluribus Archiepiſcopis, Præſulibúſque in concilio conſidentibus, ſurrexêre qui majorem quemdam Antiſtitem, Simoniana peſte infamem, reum peregerunt; erat is cætera doctus, & diſertus. Dimiſſis in primum diem Patribus, Archiepiſcopus omnes accuſatores ſuos, eadem nocte auro corrupit; poſtera die cum aliis in concilium reverſus ſurrexit, & ubi ſunt, inquit, qui me heri accuſatum venerunt? prodeant in medium ſi reum faciunt, aut damnatum cupiunt. Ibi tum cunctis non anginâ, ſed argentanginâ, ut olim Demoſthenes, laborantibus, & cunctantibus, ſynodi præſes Hildebrandus afflatu Numinis: age, inquit, dic Archiepiſcope: *Credis Spiritum Sanctum, cum Patre, & Filio, unam eſſe ſubſtantiam Deitatis?* & promptè affirmante Archiepiſcopo, dic ergo, inquit Hildebrandus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Hic Archiepiſcopus cum *Patrem*, & *Filium* expeditè pronuntiaſſet, hæſit in *Spiritu Sancto*, quem ſæpius conatus, nulla ratione potuit exprimere: perculſus ilico cœleſti ſententiâ, & animadverſione, ſe ad Hildebrandi pedes ſupplex abjecit, faſſus ſe eum eſſe, quem pridie accuſatores denotaſſent. Exauctoratus à Concilio, nullo negotio Spiritus Sancti nomen edidit: qua re cæteri, ſibi de eodem crimine conſcii, attoniti, ultro ſe abdicarunt; factúmque ut Hierarchæ, ſeu Epiſcopi quinque & quadraginta honore exuti, in ordinem redigerentur; Præſules & Præpoſiti ſeptem ſupra viginti loco moverentur. Nulla hæreſis ſubtilior, quia in una littera *p.* ὁμοούσιος & ὁμοιούσιος, totus cardo verſabatur, factumque ut *totus mundus* miratus ſit, ſe eſſe Arrianum; nec ulla periculoſior, quia, ut inquit Auguſtinus, *q* *nec laborioſius aliquid quæritur, nec periculoſius alicubi erratur.*

Unde nec ullibi ad myſterium hoc confirmandum illuſtriora exſtitere miracula.

Pudet referre Olympii Ariani ſacrilegam illam irriſionem, *r* quando nudus in thermis Palatii Heleniani geſtu inverecundo, atque execrando uſus: ecce inquit, *& ego Trinitatem habeo*; certe is ex calidarum balneo, vix ad frigidas aquas immigraverat, cum aliquis de cœlo adfuit, candidis amictus indumentis, ac ter affundens aquam ferventiſſimam: *ne maledixeris*, inquit: momento autem ille doloribus acerbiſſimis excruciari; in eiſque mox impiam animam exhalavit: linteóque intra quem fuerat obvolutus, carnes ejus adhæſerunt, ex oſſibus revulſæ.

Ut rei autem maneret recordatio,

o Baron. An. 1055. Aula S. Raderi, c. 14. in obſervat.

p Hieron. adver. Luciferian. q Auguſtin. lib. 1. de Trinit. c. 3. r P. Petra Sancta Thaumaſ. Tom. 2. pag. 12.

datio, ſ Anaſtaſius Imperator, ad Nerophorum, ubi hoc evenerat, pingi atque extare hiſtoriam ejus voluit, quaſi de Ariana perfidia trophæum. Nec tulit etiam impunè, neſcio quis auſus eam ſubmovere: nam orbatus oculis, atque afflictatus inſuper morbis, & doloribus aliis: nec immeritò, conſors videlicet ejuſdem Arianæ pravitatis: nam ut veriſſimè Hieronymus: t *Nulla venia conceditur*, TRINITATEM blaſphemanti.

Hæc hæreſis ut per orbem orthodoxis intentavit prælia, de ſe ubique etiam ceſſit memorabiles triumphos. v In Hiſpania Levigildo Rege Ariano contentio fuit de Religione; ſed quia codices ſacri, à viro Catholico aſſerti, haud omnino expugnaverant alterius ſectarii pertinaciam: *Age*, inquit ille, *& virtutem experiamur* INDIVIDUÆ TRINITATIS. *En in digito meo annulus eſt: in ignem conjicio: candentem arripiat is, qui veram fidem profitetur.* Arianus id tentare minimè auſus eſt: Catholicus verò manu eum innoxiè apprehendit, hæc prolocutus: IMMENSA TRINITAS DEUS, *ſi quid indignum te credidi, jam oſtende; at ſi recta potius eſt fides mea, in me incendia non prævaleant.*

Simillima diſceptatio inter Presbyterum Arianum & Diaconum orthodoxum, *dirempta* eſt annulo item arrepto ex aqua bullienti. Diaconus erat immerſurus brachium; ſed alter inunctum dixit magicis amuletis, & fraudem ſubeſſe, ut rem figmento eluderet, ac periculoſæ plenum opus aleæ declinaret: atqui ne ſuſpicioni color ſupereſſet, Diaconus alius Hyacinthus nomine, patria Ravennas, qui tum aderat, brachio nudato annulum extraxit, poſt quam eum diu perquiſiverat; cùm nihil præter teporem modicum ſenſiſſet. Arianus populi præſentiam veritus: *præſtabit hoc perinde*, inquit, *fides mea*: ſed caro ei miſerè, uſque ad cubiti internodia ſtatim defluxit. Hoc pacto veritas ter adorandi ac tremendi myſterii rurſus feliciſſimè conſignata eſt annulo, in quo utique non immeritò fuiſſe videatur, *digitus Dei.*

Poſt hæc tam manifeſta fidei noſtræ teſtimonia, poſt tam terrifica, arcanum hoc ſcrutantium naufragia; vela contrahens, & littus legens exclamat Valentinus Antiſtes: x *O altiſſima myſteria! & quis audebit pelagus tantum intrare? in hoc lacu profundiſſimo plurimi periclitati ſunt. In hoc periit Arius, in hoc Sabellius, Manichæus, Photinus, & innumeri hæretici perierunt; quia incautè intraverunt in hoc pelago.*

Aureum itaque illud cum Athanaſio ſymbolum identidem ingeminemus: *Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in* TRINITATE, *&* TRINITATEM IN UNITATE *veneremur Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Et in hac* TRINITATE *nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus; ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.*

Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de TRINITATE *ſentiat.* Fateamur & nos, & confiteamur cum

ſ Baron. An. Chriſti 494. t Hieron. lib. 3. de Spiritu Sancto. v Baron. An. Chriſti 583.

x Thom. de Villa nova conc. 1. de Trinit.

Au-

Auguſtino : y *Requiris à me quomodo uno nomine tres appellentur? neſcio, & libenter me neſcire profiteor. Quod Chriſtus voluit indicare, hoc ſolum ſcio, & quia in hoc Chriſtianus ſum, quia* UNUM DEUM IN TRINITATE *confiteor.* Quo fiet ut in extremo vitæ articulo,in confinio illo diſparis ęternitatis conſtituto, confidenter occini poſſit: *Domine ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum, quas ſuſcitavit furor,ſive fervor mali deſiderii : licet enim peccaverit;tamen* PATREM ET FILIUM ET SPIRITUM SANCTUM *non negavit, ſed credidit.*

Nunc in quem anchoram Spei noſtræ ſecurius, quam in hunc altiſſimum Sacroſanctæ Triadis oceanum projiciemus? *ex quo,per quem,& in quo ſunt omnia*: ſic etenim D. Hilarius : z *unus Pater ex quo omnia : unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia: unus Spiritus Sanctus, in quo omnia.*

Exundent tentationum fluctus ac procellæ, immugiat erebus, & omnes ſpiritus tenebrarum in nos diras ſuas evomant, ſi ſpes noſtra uni trinoque numini fixa ſit, nil eſt trepidandum.

Facit huc quod narrat Cæſarius: *a* Energumena variis exorciſmis exagitata, hæc de Lucifero, principe dæmoniorum protulit: Errant qui ferreis in inferno catenis principem noſtrum alligari autumant? tria verba poſita ſunt in ſilentio miſſæ, quibus ligatus eſt.Dum urgeretur, ut, quænam illa eſſent, proferret,nulla vi adigi potuit, nec proferre auſa fuit; ſed ait : adferte mihi Rituale miſſæ, & ego vobis illa exhibebo.

y Aug. Serm. 191. de temp. z S. Hilarius. Hæreſi. 66. a Cæſarius l. 5, c, 13. Raderus aula, 5. c. 14.

Allatum Miſſale, & clauſum ei porrectum eſt, utque librum primò aperuit, intento digito in hunc locum : *per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo*, quibus memoria recolitur *S. Trinitatis*, hæc inquit tria verba ſunt, quibus ligatus eſt magiſter meus; quod circumſtantes mirati, cum energumena litterarum prorſus ignara eſſet, in laudes *Sanctiſſimæ Trinitatis* exarſerunt, omnemque metum de poteſtate dæmonum abjecerunt.

Unde nullum, ad Imperium dæmonis coercendum, potentius remedium, quam hujus *Sanctiſſimæ Triados myſterium*, nullum in omni neceſſitate præſentius auxilium, ut fuſè apud auctores comprobatum eſt. Supereſt nunc, quæ fide & ſpe major eſt, *Charitas.*

§. III.

Cui è tribus Perſonis divinis plus obſtricti ſimus? cui cor noſtrum potius, affectu omni conſecrandum? b

COr nobis ſingulis non niſi unum eſt; & tamen tres ſunt, qui ſuo jure illud exigunt. Poſtulat cor *Pater* jure Creationis, petit *Filius* titulo Redemptionis, exigit *Spiritus Sanctus* nomine juſtificationis. Cui horum trium cor immolabimus? *Pater* nobis

b Garaſſus la ſomme Theologique. l. 2. ſect. 14.

mun-

mundum procreavit, naturæ theſauris in omnem partem locupletiſſimum. *Filius* Eccleſiam fabricavit, mundum gratiæ muneribus, & Sacramentorum præſidiis inſtructiſſimum. *Spiritus Sanctus* parvum illum mundum, cor noſtrum, Charitatis fulgore veluti inauravit.

Olim in Darii aula tres juvenes inter ſe altercabantur, quid horum trium eſſet fortius: c *Rex, veritas, an vinum?* conſimilis in diſſimili argumento hic oritur diſceptatio: quis fortius in amorem ſui allicit? Rex Sæculorum immortalis, hoc eſt *Pater*. An *veritas*, hoc eſt filius An *Vinum* germinans Virgines, *Spiritus Sanctus*? Quis iſtorum trium nos plus diligit? æſtimo quia is, qui plus donavit? Pater dedit filium unigenitum, quid potuit pretioſius? ita; ſed filius dedit ſe ipſum, quid potuit amplius? fateor; at Spiritus Sanctus impulit patrem, ut daret filium, movit Filium ut daret ſe ipſum, quid potuit ultra? ſunt mille argumenta, quæ *Patri*, totidem quæ *Filio*, nec pauciora quæ *Spiritui Sancto* ſuadent cor immolandum. Quid hic agam, ut unus hic ſim gratus tribus, nec ingratus uni? ſi uni cor offeram, duobus nego, non poſſum gratus eſſe uni, niſi ingratus ſim pluribus. Tres ſunt in cœlo qui cor meum exigunt in terrâ, d *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Aſſentio, ſed *hi tres unum ſunt*, non potes errare: das Filio cor, das & Spiritui Sancto, dum *Patri*: ſingulos amas, dum unum amas: tres amas, dum Patrem amas: quia *hi tres, unum ſunt*. Non opus eſt cor dividi, individua eſt *Trinitas*: non opus eſt tribus cordibus, una eſt *Trinitas*.

Docent Theologi, e cauſas poſſe cauſalitate totali in eundem effectum influere, ut dum Neomyſtæ, verba conſecrationis ſimul cum Epiſcopo pronuntiant ſuper eandem hoſtiam, conſecratio illius hoſtiæ dependet totaliter ab omnibus, & à ſingulis in particulari. Eſſentia noſtra, ſalus noſtra, Sanctificatio noſtra, corpus, & anima, & omnia cujuſque hominis, dependent totaliter ab omnibus perſonis, & à quaque in particulari, qui unam colit, omnes veneratur: qui unam amat, omnes amplexatur: qui unam offendit, omnes deteſtatur: qui unam ſibi infeſtam habet, huic altera, & tertia adverſatur: vita brutalis, f *vita carnalis, Dei injuria eſt, & in* TOTIUS TRINITATIS *injuriam redundat. Injuria ſiquidem Patris eſt, quod Filius conculcatur: injuria Filii, quod ſanguis ejus quaſi polluitur: injuria Spiritus Sancti, quod gratia contemnitur*. Econtra verò, qui unam ſibi propitiam habet, illi omnes favere, luculento exemplo comprobatur.

g Duo iiſdem parentibus, nobilitatis antiquitate, opibuſque claris, oriundi fratres, ad Pariſienſem Academiam amandati, egregiè oſtenderunt, ſe eodem ovo prodiiſſe, non eodem aſtro natos fuiſſe, ut enim inter primos fratres Abel, & Cain, & inter Jacob & Eſau, ita inter hos ma-

c Eſdras lib. 3, cap. 2, d 1. Ioan. ca p. 5.

e Garaſſus cit. f Balduinus in Allegor. Titulum. g Stengelii Exempla. c. 7. Carolus Abbas. in ſtemmat Chriſti. 15. Maii. ſpeculum Exemp. diſt. 4. Exemp. V.

magnum vitæ, morumque diſcrimen interceſſit. Minor majorem ingenio diligentia, pietate; Major minorem otio, luxu, vitæque licentia ſuperavit. Enimverò, quia, ut ait Seneca; h *deſidioſo ſtudere, torqueri eſt*, ſupplicii loco illi fuit litterarius labor, hinc diverticula quærere, pravis ſociis conſueſcere, ludis & calicibus epotandis ſtudere. Quæ cum frater ille minor dolenter ferret, ſuavibus eum verbis commonebat, ad ſe rediret, turpes illecebras deſereret, Spiritum Sanctum per ſe loquentem non ſperneret. Sed quaſi jaculum in rupem evibrâſſet, pro benevolentia, nil niſi convitia retulit: juſſit enim eum ſuas res agere, non curare alienas: non moris eſſe dictitans, ut minor majorem inſtruat, perrexitque longè liberius ac liberalius genio indulgere, ineptire, laſcivire, & poſthabito Deo, omnibuſque pietatis exercitiis, quo juvenilis ardor impellebat, effrenis ruere. Miſertus Iunior, cum fruſtra admonendum ſciret, non deſtitit quotidie *apud* SS. TRINITATEM *nunc* PATRI *ſupplicans, nunc* FILII *miſericordiam implorans, nunc* SPIRITUS SANCTI *in vota vocans opem*, ut fratri cœleſtis lux oboriri, & è cœno vitiorum emergere poſſet, ardenter exorare. Nec caſſæ fuerunt pii Fratris, cum gemitibus, & lacrymis fuſæ preces. Ut ergo propitium Numen, ſceleratum juvenem ſanaret, vulneravit: quemadmodum & Chirurgus ſolet, qui ſauciat, ut ſanet. In morbum itaque, & lectum adſternit inſanientem, & opportunos mittit monitores, conſcientiæ ſtimulos, mortis metum, diſtricti judicis horrorem, inferorum cruciatuum acerbitatem, aliaque hujuſmodi. At ille pungitur, non compungitur; cruciatur, non emendatur. Intuens igitur turbato mentis oculo, flagitiorum ſuorum multitudinem, criminumq; enormitatem, ultimam addidit coronidem impietatis, ut deſperaret. i *O deſperatio*, exclamat venerandus Antiſtes Pariſienſis, *ruina horrifica! O profundum perditionis! ô barathrum inferni! ô Dei contumelia intolerabilis! quid enim aliud eſt dicere deſpero, quam quod peccata mea vincunt Dei miſericordiam, ut Caini? O verbum ſempiterni opprobrii!* k unicum enim deſperationis peccatum, ut Chriſtus Catharinæ Senenſi ſignificavit, longè gravius eſt, ac plus injuriæ infinitæ bonitati illo infertur, quam per omnia ſcelera quæ peccator perpetravit.

Dum itaque miſer adoleſcens, partim corporis moleſtiis, partim animi intemperiis agitatus, nullam noctu quietem, neq; ſomnum oculis capere poteſt, ſoluſque ſe cruciat, anteactæ vitæ flagitia, ac futuræ flagella ruminando, vidit repente, inſolita luce cubiculum clareſcere, oculiſque cauſam perquirens, conſpexit ante lectum adſtare venerandi vultus virum: canities illi non in barbâ modò, ſed latè etiam per humeros diffuſa: ex oculis, velut geminis ſtellis, mirificus fulgor emicabat. Cætera omnia erant ad Majeſtatem compoſita; quæ tametſi ſola poterant metum incutere; ægrotus tamen truci aſpectu maximè exterritus, cœpit totis oſſibus contremiſcere: *cum ſit enim*, ut ſapien-

h Seneca. Ep. 27.

i Guilielm. Paris. libr. de morib. c. 39.

k Blaſius in monili c. 1.

pienter ſapiens, l *timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia.* Adhuc trepidabat, & tamen vim ſibi intulit, ut auderet interrogare: *quis ille ſenex eſſet, aut cujus rei gratia id noctis tempus elegiſſet, ad ſe terrefaciendum:* Cui ſenex reſpondit: *ego ut noris, cœleſtis ille ſum* PATER, *qui te de nihilo produxi. Ego corpus tuum his ſentiendi organis, animam intellectu, memoria, voluntate ornavi. Ego has quæ in cœlo lucent faces condidi, ut tibi famularentur; quo fine, & reliquas tibi ſubjeci creaturas. Ego te amavi, & poſtquam tu amori meo, odium repoſuiſti, per angelum, per fratrem tuũ, per conſcientiam, per varios piorum hominum ſermones admonui, ut à ſcelerata tua vita, ad frugem, ad pœnitentiam, ad ſalutem, ad ſinum miſericordiæ meæ redires. Omnia fruſtra. In lapidem duratus es: audire me noluiſti. Quando igitur omnes monitiones meæ in caſſum ceciderunt, & toties vocantem, toties contempſiſti, fatalem ſententiam denuntio: filium te eſſe æternæ damnationis.* Sic dixit, & videri deſiit. At Juvenis cœpit longè formidabilius trepidare, ac in ſudore ſuo natare; jam enim certò ſubibant animo, ſupplicia flammarũ ſibi accenſa: jã æternitas tormentorum, jam tota rerum fluxarum vanitas, ebrietates, blaſphemiæ, turpiloquia, deteſtandæ voluptates, in cruciatus numquam finiendos convertendæ. Atque ita hoc *cœleſtis Patris* vaticinio percuſſus, quod reliquum erat noctis, totumque inſequentem diem, ſine ſomno, ſine cibo traduxit: plenus anxietate, deſperatione, & expectatione triſtiſſimæ illius horæ, quæ eum ex hac vitâ ereptum, tranſmitteret in locum tormentorum funeſtiſſimæ æternitatis.

l Sap. 17.

Cum ecce proxima nocte, deſperato juveni, in tenebris trepidanti, neque ulla ſalutis remedia circumſpicienti, alius ſe ſtitit vir conſpiciendum, luce clariſſimâ refulgens; erat hic aſpectu longè junior priore: cæterum ab imagine, vultuque, priori non abſimilis, quamquam habitu atque ornatu longè diverſo: non enim longa illi palla, ſed nudo propemodum corpore incedebat: in capite ſertũ ſpineum, humeris trabalem crucem geſtans: è lateris plaga, tanquam è fontis perenni ſcaturigine, ſanguis illi ebulliebat. Hoc ſchemate ad ægrum, in lecto anxiè vigilantem, acceſſit, atq; voce haud obſcura interrogans, dixit: *noſtine me, qui ſum?* ô ovem verè errantem, quæ neque vocem, neq; vultum paſtoris ſui novit, Iuvenis enim interroganti reſpondit: *non novi, quis ſis; ſed niſi me fallant oculi mei, illi haud abſimilis es, qui funeſtiſſimo, heſterna nocte nuncio me exanimavit.* Cui is qui adſtabat: *ne mirare, ſi illi ſimilẽ me videas, cum quo una, eademq; divinitate, ſimilis mihi honor, gloriaque ſempiterna debetur. Sum etenim Jeſus Chriſtus, Dei filius, quem humani generis amore, infinita mea miſericordia è cœlo traxit, & ad redimendum hominem, vitam & ſanguinem, meque totum expendi; quæ cum tu omnia contempſeris, & pedibus conculcâris, arrepto plena vola; è Sacro latere, ſanguine, & in faciem ſparſo: hic*, inquit, *tibi in perditionem ſit, qui in ſalutem tuam, & aliorum effuſus eſt.*

Divina hac voce iteratò fulminatus

natus Adoleſcens, ſpe & animo deſtitutus, pallido vultu, horrifico aſpectu, totis artibus contremiſcens, ubi primum diluculavit, fratrem acciri jubet. Adfuit illico vocatus, & ſe vocari lætus ſibi pariter, ac fratri, ex animo eſt gratulatus. Verum ubi ejus tam miſerandum vultum conſpexit, ut videretur ſibi fratrem in fratre amiſiſſe, vehementer obſtupeſcens, in gemitus & lacrymas ſolutus eſt, atque aliquid hic cœleſtis prodigii, in tanta conſternatione interveniſſe ratus, liberè in hoc extremo vitæ articulo, ſic cum illo ſermocinatus eſt: *Heu mi frater Chariſſime, quantum mutatus ab illo, cujus formam omnes colebant, & matronæ, ac puellæ intueri gaudebant; quo omnia illa abiere? ubi nunc illecebræ? ubi Sodales, qui aures tuas obſcœnis jocis, mentem Cupidinibus replerunt? deſertum te vides ab omnibus; at ego frater, te fratrem non deſeram: ſed amabo, dic mihi, quidnam tibi adeò dirum ac terrificum accidit, ut mente prope emotâ, totus ſudore perfuſus, totus expaveſcas? ſi tremorem, ſudoremque hunc tibi vehementia morbi exprimit, bono ſis animo, nemo tam dejecta valetudine, qui convaleſcere non queat. Quod ſi anteactæ vitæ tuæ flagitia conturbent, præſtò eſt remedium, animarum medicum accerſe, de admiſſis dole, & virus emove, Deus peccatores recipit.*

Hæc blanda, & ſalubria fratris alloquia, animum deſperantis molliverunt. Ex ordine itaque omnia recenſuit quæ ſibi proximis duabus noctibus obvenerant: quo pacto ſcilicet *Pater cœleſtis*, eum pronuntiaverit damnatum; qua deteſtatione *Filius Dei*, ſanguinem de latere hauſtum, illi in faciem jecerit, eumque penitus perditum declarârit. *Quare*, inquiebat, *actum eſt de me, nihil mihi amplius prodeſt pœnitere, etiamſi ſanguinem fleam.* Ad hæc frater, comperta mali radice, his verbis cœpit animum deſperati erigere: *tametſi* COELESTIS PATER, *cum impœnitens, & obduratus perſiſteres, fatale damnationis theta tibi denunciavit, &* FILIUS *Sanguinis ſui fructu te merito indignum judicârit, nequaquam tibi, cui pœnitendi tempus conceditur, de ſalute deſperandum eſt.* DEUS CHARITAS *eſt, utrinſque &* PATRIS, *&* FILII, *imò & noſtri,* SPIRITUS SANCTUS *amor eſt. Senti bene de bonitate ejus, peccata deteſtare, & animum ſacra exomologeſi expiare non differas; ſi unam hanc è tribus divinam perſonam propitiam habueris, omnes experieris.* Obaudire viſus eſt, & in amaritudine animi fœditates ſuas recordari, ac deteſtari, in Spiritum Sanctum ſperare, imò & amare cœpit; cum tertia nocte, alius ſe illi veneranda ſpecie vir conſpiciendum præbuit, vultu prioribus haud abſimilis, ſtolâ candidâ amictus, cujus humero nivea argentei coloris columba inſidebat. Hic lecto propinquior factus, mitiſſimis oculis, vultu ſuaviſſimè renidenti, ægrum intuebatur; quo aſpectu animoſior Juvenis: *O Domine,* inquiebat, *quiſnam tu es, qui me terroribus præteritarum noctium exanimatum inviſere, ac tam amabili vultu ſolari non dedignaris?* cui ille: *Ego ſum* SANCTUS SPIRITUS, *qui à patre, filioque procedens, ejuſdem ſum cum illis potentiæ, ac divinitatis: atque idcirco ad te veni, ut tibi peccatorum veniam, atque*

que

que ſalutem æternam demuntiem. Quam poſt exactam uberrimis lacrymis totius vitæ, cooperante Spiritus Sancti gratiâ, confeſſionem, feliciter conſecutus eſt.

m O Sancte Spiritus, quis te non amet, qui tam amabilis, imò totus n *amor es*? qui ſine felle columba es: qui peccatori, ſanctitatis tuæ radium, & amoris ignem infundis, ut totus te amet, in te totus exardeſcat.

Advertitis, ut credo, auditores, quantum oratio pii fratris *ad SS. Trinitatem fuſa*, fratri perfido, & perdito profuerit: quomodo illum lecto dejecerit cœleſtis *Pater*, fatali ſententia terrendo conturbarit: *Filius* velut fulmine percutiendo percelluerit: quomodo o *divini amor numinis, Patris omnipotentis, proliſque beatiſſimæ Communicatio, omnipotens Paracletus* SPIRITUS, *mœrentium conſolator, & deſperantium ſalus jam cordis ejus penetralibus, potenti virtute illapſus, tenebroſa quæque laris neglecti latibula, coruſci luminis fulgore habitator lætificarit*, animando erexerit, & aſpirante cœleſti ſpiritus ſui favonio, in portum ſalutis deduxerit. *Benedicta ſit Sancta* TRINITAS, *atque* INDIVISA UNITAS, *confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.*

Verum ut & nos in ſpem vivam, interceſſione SS. Triados erigi, è vitiorum volutabro emergere, & illam, quæ eſt vita æterna, & omnis beatitudo noſtra, in æternum frui, adorare, admirari, & contemplari valeamus, opus eſt ut noſtra miſeranda, & execranda trinitas, quæ turpiter ab hac divina deſcivit, & cecidit, erigatur. Ad quod Doctor Mellifluus his verbis potenter hortatur: p *eſt* TRINITAS *à qua homo cecidit*: PATER FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS: *eſt & Trinitas quæ cecidit: intellectus, memoria, & voluntas: eſt & TRINITAS, in quam illa cecidit: impotentia, ignorantia, & concupiſcentia: eſt & TRINITAS, per quam TRINITAS cadens reſurgit ad TRINITATEM, de qua cecidit: ſcilicet Fides, Spes, & Charitas.* Hic eſt funiculus triplex qui non facile rumpitur. Hoc funiculo uni trinoque Numini affixus, clama cum Davide: *mihi adhærere Deo bonum eſt*; bonum eſt adhærere memoriam *Patri* per fidem: bonum eſt adhærere intellectum *Filio*, per ſpem: bonum adhærere voluntatem *Spiritui Sancto* per charitatem. q *Nihil tam ſimile eſt*, inquit Bernardus *illi ſummæ ſapientiæ, quam mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in illa TRINITATE ineffabili conſiſtit; conſiſtere autem non poteſt, niſi ejus meminerit: eamque intelligat, ac diligat: etenim cum Dei reminiſcor, in memoria mea eum invenio, & in ea de eo, in eo delector, ſecundum quod ipſe mihi donare dignatur* (quæ autem, & quanta, quamque multiplicia ea ſint, quis ſatis recolat?) *Intelligentiâ intueor quid ſit Deus in ſe ipſo, quid in Angelis, quid in Sanctis, quid in hominibus, quid in creaturis; Nihil tam ſimile Spiritui Sancto, quam voluntas, vel amor ſive dilectio, quæ ex-*

m Faſti Mariani feſto Pent. n Greg. hom. 30, in Evang. o Auguſt. medit. cap. 9.

p Bernard. Serm. 1, de parvis. q Bern. medit. cap. 1.

cel-

cellentior voluntas eſt, immergens ſe fonti ſummæ bonitatis, & omnis ſanctitatis.

Sed quoties hæc Trinitas humana, ſepararur à Trinitate divina. Eſt trinitas, quam amare iniquitas eſt, quam adorare, impietas eſt: cui adhærere, infelicitas eſt, *Mundus, Caro, Dæmon,* huic nemo adhæſit, quin exclamârit, mihi adhærere mundo, adhærere carni, adhærere Dæmoni malum eſt.

O divina Trinitas, hanc noſtram vitalem trinitatem quam in anima noſtra, tribus illis digitis, quibus, cæleſtia terreſtria, & inferna moderaris, expreſſiſti, tibi damus, dicamus, conſecramus: da ut memoria utiliter reſpiciat preterita, intellectus prudenter proſpiciat futura, voluntas fortiter deſpiciat præſentia, ut hæc tandem trina unius animæ facultas, ad te pertingat, ô una Trinitas! r *Patrem namque, & Filium, cum Spiritu Sancto cognoſcere, vita eſt æterna, beatitudo perfecta, ſumma voluptas.*

r Bern. cit.

OCTA-

OCTAVA SANCTISSIMI CORPORIS DOMINI JESU CHRISTI.

Notas facite in populis ADINVENTIONES *ejus.* I. Paralip. 16. v. 8.



Tanti artificis valet halitus oris. Juvenal. Sat. 10.

ARGUMENTUM.

Cum tanta ſint divini Amoris argumenta, tã recondita in hoc ſacratiſſimo Euchariſtiæ myſterio arcani cõ-

filii in-

inventa, quæ omnium non modo mortalium, ſed & cœleſtium mentium captum, nimium quantum tranſcendunt; ea minimè ſcrutari; ſed ſacro ſtupore admirari, ac viva fide, religione, ac dilectione venerari par eſt. Nuſquam nec in cœlis nec in terris Deus magis mirabilis & amabilis exiſtit; quid porrò mirabibilius, quam paucis Myſtæ verbis, uno velut halitu, & ſpiritu oris, quidquid Deus, & homo eſt, nobis ſiſti. Unde non jam admiror in vitriario, ſolo ſpiritu oris, quod naturæ miraculum, pellucidum cryſtalli orbem conflari; ſed miror, uno quaſi halitu, orbiculum hunc ſpecierum panis, tota Divinitate, Humanitate, cum ipſa SS. Trinitate animari: f *Tanti artificis valet halitus oris*. Quid verò amabilius, quàm ſub *Sacramento amoris*, omne bonum nobis uno bolo intimè communicari? *Notas facite in populis* ADINVENTIONES EJUS; quarum fructus ut comedere valeatis, eos vobis in diviniſſimo Hymno deguſtandos proponam.

§. I. *Anima Chriſti ſanctifica me.*
§. II. *Corpus Chriſti ſalva me.*
§. III. *Sanguis Chriſti inebria me.*
§. IV. *Aqua lateris Chriſti lava me.*
§. V. *Paſſio Chriſti conforta me. O bone* JESU *exaudi me.*
Intra VVL*nera* tV*a abs*C*on*D*e* M*e.*
§. VI. *Ne permittas me ſeparari à te.*
§. VII. *Ab hoſte maligno defende me.*
§. VIII. *In hora mortis meæ voca me: Et jube me venire ad te; ut cum Sanctis tuis laudem te in Sæcula ſæculorum. Amen.*

f Iuvenal. ſat. 10 1. Paral. 16.

OCTA-

OCTAVA SANCTISSIMI CORPORIS DOMINI JESU CHRISTI.

Notas facite in populis ADINVENTIONES *ejus.* 1. Paralip. 16. v. 8.

CUm benigniſſimus Redemptor noſter diſceſſurus, eſſet ex hoc mundo ad Patrem, cum diſceſſurus à nobis via longiſſima, *t* artificium excogitavit, & adinvenit, quod omnem induſtriam mortalium, omnem intelligentiam Angelorum, omnes conceptus, cogitata, & vota Seraphinorum, nimium quantum tranſcendit: ita à nobis diſcedere, ut ſimul nobiſcum, & in nobis maneret. O magne Deus, v *qui facis magna & incomprehenſibilia, quorum non eſt numerus.* verè, x *valde mirabilis es tu Domine*! nobiſcum, & in nobis velle manere! Etſi mundus ex puro puto auro conſtaret: etſi omnes ſylvæ, & plantæ ex cinnamomo, rupes omnes ex adamante forent, non dignæ eſſent ut tu in illis habitares, in illis maneres; & tu dignaris cũ Sacratiſſimo tuo corpore, quod artifice Spiritu Sancto efformatum, cum diviniſſima illa anima, cum eſſentia increata, cum omnibus infinitis perfectionibus, & attributis, nobiſcum, & in nobis manere? Etſi mortales ita ab omni ſorde peccati intacti forent, quàm ſtellæ firmamenti, ita cœleſti gratia fulgerent, quàm ſolis radii: etſi angelica niterent omnes puritate, non mererentur, ut tu immenſus, omnipotens, incomprehenſibilis Deus, nobiſcum, & in nobis maneres; & ſtatuiſti manere nobiſcum, tam mirabili, & amabili modo, *y uſque ad conſummationem ſæculi.* Quis hic non totus ſtupore attonitus exclamet: z *notas facite in populis adinventiones ejus.*

Olim in gratiam populi ſui Iſraelitici, tam ſtupenda, tam miranda patravit prodigia: a *fecit mirabilia magna*; non ſerere, non metere illis opus erat: nullæ ad conterendum triticum molæ, nulli ad ſubigendum fermentum piſtores, nulli ad coquendos panes furni illis erant, ſed panem

t Adinventiones Dei mirabiles in Sacramenro Euchariſtico. v Iob. 9. v. 10. x Eſther. c. 15. v. 17.

y Matt. 28. v. 20. z 1. Paralip. 16. v. 8. a Pſalm. 77.

de

de cœlo dedit eis, b *pluit illis manna ad manducandum*, in quo omnis dulcedo, omne condimentum, omnis guſtus, & ut ſapienter ſapiens: c *paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem*: ut enim panis à S. Iſidoro quaſi *Pan* dicitur, quod omnem eſcam ſignificet, ita *Man*, omnis cibi ſaporem in ſe continebat. Verum hoc obſcura umbra fuit, & mortua figura Euchariſtici panis, ac vivifici prototypi, divinæ illius eſſentiæ, quam hic præſentem in arâ habemus, ubi ſummus ille & infinitè bonus, increatâ ſuâ ſapientiâ, inexhauſtâ bonitate, & omnipotentiâ, in parvo bolo, ſeu minima buccella, nobis dat, & communicat quidquid poteſt, quidquid habet, quidquid eſt, nihil ſibi reſervando, d *omne bonum*. Ut præclarè ediſſerit Doctor Angelicus, dicens e *Redemptor totum quod ipſe eſt, & habet, cum Sancto Spiritu, in ſummo dedit. Divina natura totum, quod eſt optimum, naturaliter in ſe habet.*

Cum ergo corpus & ſanguinem filii ſui Deus Pater ſub Sacramento dedit, tunc corporalem ſubſtantiam in ſummo contulit; quando verò animam ejuſdem filii dedit, tunc ſpiritualem ſubſtantiam in ſummo tradidit; inſuper in eo totam divinam naturam obtulit, OMNE BONUM *in ſe naturaliter, & æternaliter continentem: ſe totum ad fruendum exhibet.* Non ut olim Moyſi dixit: *oſtendam omne bonum tibi*, quod multum eſt: ſicut ſi Aſſuerus f *oſtenderet divitias gloriæ Regni ſui*; ſicut gratiſſimo ſpectaculo fuit, dum Jojada Sacerdos, omni populo, quem mortuum credebant, g *oſtendit eis Filium Regis*; ſicut olim pſaltes regius deſiderium ſuum adimplendum clamabat: h *quis oſtendit nobis bona*? quia *non ſatiatur oculus viſu*, nec ſat vobis eſſet, oſtendi divitias, gemmas, & uniones, hortos, flores, palatia, ſi iis potiri non liceret: nec ſat eſſet *Filium Regis*, aut Principem in Regio Throno conſpicere, ſi ejus gratia, favore, beneficentia frui non daretur. Non ſic magnificus ac munificus Salvator noſter nobiſcum dumtaxat egit; ſed ſeipſum, & in ipſo i *omnia nobis donavit.*

Quid vos vel extenditis veſtram invidiam, vel prorogatis vota ad anteactas majorum veſtrorum ætates, & illa quæ ante quadraginta ſæcula eluxerunt tempora, quando qui unus erat omnium expectatio, expectatiſſimo ſuo è cœlis in terras & in animas noſtras deſcenſu, tantam toti hominum generi contulit felicitatem, quantam ſperare fuiſſet imprudentia, imò impudentia vel exoptare.

Summum quod optabant olim gentiles ill apud *Philippum*, erat videre *Jeſum*; de quibus ita diſcipulus, quem diligebat *Jeſus*, ſcribit. k *Erant autem quidam gentiles ex his qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto. Hi ergo acceſſerunt ad* PHILIPPUM, *&c. Et rogabant eum dicentes*, VOLUMUS JESUM VIDERE. hoc eſt, quod & vos tacitè expetitis, & per me diſertè

b Pſal. 77. v. 24. c Sap. 16. v. 20. d Exod. 33. v. 19. e S. Thomas opuſc. de beatit.

f Eſther. c. 1. v. 4. g 4. Reg. 11. v. 4 h Pſal. 4. v. 6. i Rom. 8. v. 32 k Ioan. 12. 20.

petiti

petitis, VOLUMUS JESUM VIDERE. Planè audax votum, ſed felices vos, ſi detur frui voto. Parumne vobis videtur, *videre Jeſum?* Neſcio an non opportunè, ad importunum hoc votum dixerim cum Chriſto: l *neſcitis quid petatis.*

Voluit *Jeſum* videre Abraham, voluit Jacob, prô quales, quantique viri! *& non viderunt.* Voluit eum videre Moyſes, voluit Joſue, voluit David, & non vidit. Denique, m *multi Prophetæ, & Reges voluerunt eum videre, & non viderunt.* Omnium oculi, atque ora vertebantur ad videndum *Jeſum*; omnium vota ferebantur ad faciem *Jeſu.* Unum erat omnium, noctes, dieſque, quod illos inquietos agitabat, deſiderium: n *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.*

An ſatis capitis, quod, quale, quantum, quam ex omni parte immenſum expetitis bonum, dum petitis videre *Jeſum?* attendite, totamque mentem, & cogitationes intendite, & tum demum rei hujus, qua de agimus, & quam vos petitis, amplitudinem capietis. Conferte vos ad condenſa nemoris in Ægypto umbroſi arbuſta, hic occurrent lares, ſtipulâ & arborum ramalibus tecti, ſilveſtri horrore opaci; hic invenietis eremicolas in aſperitate ſacci, in horrore cineris, inediâ pallidos, excubiis fractos, ſordibus obſcuratos, mœroribus dejectos, frigidâ, & paucis dactylis paſtos, ferarum luſtra, ac rupium antra incolentes, animum precibus, pectus gemitibus, cœlum queſtibus fatigantes. Hos interrogate, ut quid tanta in vos crudelitate ſævitis? Quod ſperatis inde, vel expectatis præmium? Quid vultis? *volumus Jeſum videre.* Tantíne emendum, videre Jeſum? deſcendite nunc in illum ſanguinarium circum, in quo illi laureati Chriſtianæ militiæ pugiles decertarunt. Deus immortalis, horror erit videre, ſtupor audire, pavor vel cogitare, quæ, qualia, quam atrocia pertulerint. Stant illi in campo telis horrente, ſago induti, tunica & lorica graves, ſudore madidi, pulverulenti inter bellorum fulgura, & coruſcationes, inter armorum ſtrepitus, & fragores, inter judicum minas, & Tyrannorum furias: unum illis eſt negotium cum ærumnis, & pœnis confli-ctari, ad quemcunque rerum adverſarum incurſum ſtare inconcuſſos, totas immanitatis vires infringere, inſultare ſuppliciis, & exprobrare tortoribus atrociter ſævientibus ignaviam; ad ardentes rogos, aculeatas rotas, ſtridentes catenas, candentes laminas, ferreas ungulas, nec ad latum unguem à conſtantiæ gradu diſcedere: ad turbam ferarum, quæ in viſcera immittantur, ad horrificam illam barbaræ crudelitatis pompam, & feralem tormentorum apparatum, coram quibus ipſa trepidaret fortitudo, titubaret conſtantia, expalleſceret magnanimitas, ad illa, inquam, quæcunque furiatis, aut furentibus excogitare licet, non mutare colorem, non emittere gemitum, non referre pedem; ſed impavido animo contra illa ire, & inter illa; atque ita toto

l Matt. 10. 20. m Luc. 10, 24.
n Pſal. 41. v. 3.

corpore,ac totius corporis membris omnibus excipere ſupplicia omnia,quæ vel ingenioſa in excogitandis pœnis immanitas, vel in decernendis iniquitas, vel in irrogandis iracundia poteſt machinari. Ab hiſce igitur ſciſcitemur,quid vos tot exquiſitis cruciatibus, quos pertuliſtis, intenditis? Quid quæritis? Quid vultis? Erit una omnium reſponſio: *Volumus Jeſum videre.* Videre Jeſum,eſt tota noſtra,pro qua patimur, merces; pro qua pugnamus,corona; pro quo currimus,bravium; pro quo laboramus,præmium; ad quod tendimus,centrum; ad quam anhelamus,quies; quam exſpectamus, gloria; quam ſperamus felicitas. Denique videre Jeſum, eſt finis, quò referuntur omnia, & quò feruntur omnes.

Quanta nunc, & quam invidenda omnibus, & optanda ſingulis eſt noſtra felicitas, quantóque præſtabilior, habere illum in Sacra pyxide, dum in ara exponitur,oculis ſuis non quidem ſpectabilem, ſed ſub figura panis abſconditum: p *Beati oculi qui vident,quæ vos videtis*: nihil enim eſſe poteſt nec in cœlo,nec in tota hac rerum univerſitate dignius viſu,quam ille,quem vident oculi veſtri in mirabili hoc, & amabili Sacramento.

q Unum erat, propter quod B. Coleta oculos ſuos magno habebat in pretio, cur exultaret ſe oculos habere. Quid illud? An quia oculis poterat ſuſpicere vas illud admirabile, opus excelſi, Solem? vel luminare illud minus, quod præeſt nocti, Lunam? vel igues illos minores, rutilantes illas facułas, ſtellas? An quia poterat aſpicere viridaria, & hortos tanta florum verſicolorum pompa,& viridantium herbarum decore collucentes? ab illis potius oculos, ne viderent illam vanitatem, occultavit; ſed ideo tantum gaudebat ſe pollere oculis, ideo æſtimabat oculos, *quod iis liceret ſibi ſpecies Euchariſticas intueri.* Quod ſi, ajebat illa, oculorum uſura ante mortem privarer, ob id ſolum eorum jactura acerba mihi foret, quod deinceps prohiberer divinas illas ſpecies, & Jeſu latentis tegumenta contemplari. Ideo dumtaxat, nec aliam ob cauſam vos gaudere oportet, vobiſque gratulari,quod habeatis oculos: quia illis poteſtis videre faciem Chriſti ſub ſpeciebus panis abſconditam.

At quantò magis exultandum, ac gratulandum,quod illum maximum in minimo, intra cordis penetralia hoſpitem, imò & colonum ac inquilinum habere valeatis? Stupetis fortaſſe, & doletis,quoties vel legitis, vel auditis, vel vobiſcum ipſi tacite expenditis,illos in Judæa,qui ſupra gregem ſuum excubabant opiliones, cum ad Bethlehemiticum mapale properantes, in aſpera, rudique ſtipula, & paleæ culcitra,viderunt infantem illum decumbentem, cui incumbit tota cœlorum,terrarumque moles. O quam auſpicato exiſtimatis fuiſſe ſidere natos, tres illos Nabathæos Reges, qui prodigioſi ſideris comitatu, ad cœleſte illud tugurium deducti, illum proni adorant omnes,præter unum, qui adoratur ab omnibus DEUM. O, fortaſſe exclamatis, quod no-

p Luc.10. b Barry Blanditiæ 446.

nobis non licuit eſſe tam beatis! ſed conticeſcat querula invidia, abſolvit vos invidiâ, qui vobis omnibus parem felicitatem, quid dico? imò longè, & optabilius, & præſtabilius, quam illis contulit beneficium, ille humaniſſimus DEUS, & diviniſſimus homo, verè Philanthropus, qui ſacris ſpecierum involucris, majeſtatis ſuæ ſplendorem ſupprimit, ut familiarius omnes amet, & fidentius ab omnibus ametur.

Quod quò omnibus manifeſtius fiat, notas faciam adinventiones ejus. Ingenioſus amor fuit quo Arthemiſia ferebatur in virum ſuum Mauſolum, Regem Cariæ, cujus demortui cadaver in cineres redactum, generoſo vino ſumptum, in ſe tumulavit, & intra viſcera ſua, quo poterat modo, arctiſſimè copulavit. Nobiliores, & multo ingenioſiores adinventiones æterna ſapientia excogitavit, ut nos ſibi, ſeque nobis intimè adunaret. Monet nos Propheta: r *notas facite in populis adinventiones ejus*; non etenim hic ſolummodo habemus ejus oſſa arida, & reliquias: non vultum ejus expreſſum in Linteo Veronicæ, ſ ad quem contemplandum, Romæ quandoque decem aut duodecim hominum externorum millia confluxêre: non corpus ejus mortuum, ſicut in monumento poſitum: non lacerum, diſciſſum, & ſanguine exhauſtum, ut è cruce ſine ſpecie & decore pendulum; ſed vividum, glorioſum, ſpecioſum ſuper omne quod in terris, & in cœlis eſt. Sub illa candidâ nube latet ille Rex gloriæ: t *dixit habitaret in nebula*; hic eſt abſconditus dilectus noſter, v *ſpecioſus forma præ filiis hominum*, cujus intuitu omnis pulchritudo cœlorum, omnium creaturarum, mera fœditas eſt. Ejus forma decora, & vultus plenus gratiarum, rapit in ſe omnes oculos, animoſque cœlitum, omnes angeli in eam intuentes tantam venuſtatem attoniti venerantur, quia excedit quidquid in cœlo aſpectabile, ac delectabile eſt: x *in ipſo habitat omnis pulchritudo divinitatis corporaliter*: minimus Sanctorum in Regno cœlorum, corpore glorioſo longè exſuperabit ſplendores Solis, qualiter ergo neceſſe ſit, ut fulgeat caput Sanctorum, & primogenitus reſurgentium, Dominus gloriæ?

Quid te, ô anima, allicere, capere aut rapere, poteſt, quàm hoc amabiliſſimum & perfectiſſimū omnis pulchritudinis objectum? ô amatores, & adoratores fallacis gratiæ, & vanæ pulchritudinis, quæ eſca abominanda vermium futura; quam excæcati, & inſenſati eſtis, qui oculos, cogitationes, deſideria, ludere finitis in tam fluxâ, & fœda pulchritudine formæ mortalis, ubi pulchritudo dilectiſſimi Jeſu, hic abſconditi, millies & millies excedit, omne pulchrum omnium mortalium, & cœlitum in unam formam conflatum; adeò ut ſi in cœlis non aliud eſſet beatorum objectum, quam amabilis illa humanitas Redemptoris noſtri, omnis Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum chorus, optimè labores,

r 1. Paralip. 16. 8. ſ Spondanus 1350. num. 2.

t 3. Reg. 8. v. 12. v Pſal. 44. v. 3. x ad Coloſſ. 2. v 9.

dolores, cruciatus ſuos collocatos dictitarent, ut hac creatâ pulchritudine frui, & potiri liceret.

Mirari ut miraculum naturæ ſolemus virtutem magneticam, y *mirabilem illum ferri raptorem*, quem Franci vocant *pierre aymant*; & non miramur quod ab illo z *Sacramento charitatis*, ut S. Thomas loquitur, cor noſtrum, etſi ferreum, ac chalybeum, non trahatur, & plus virium habeat electrum mundi, ut ſtipulas, & paleas vanitatis, ad ſe pelliciat? O gaudium Angelorum! O amator animarum! quid tibi lucri, aut emolumenti ex eo eſt, quod tam vilis, & abjecta creatura amet te; Exclamare libet cum Hipponenſi præſule: a *quid mihi ſum ipſe, ut amari te jubeas à me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, & minêris ingentes miſerias? Parvane eſt miſeria, ſi non amem te?* Si amari deſiderat, & ardentiſſimas mentes expetat, tot faces in beatis illis cœlitibus Cherubim, & Seraphim, omni æternitate flagrantes habet, quid nos frigidos, & algentes in amorem ſuum depoſcit? ut quid amorem noſtrum tam inſolitis, & inauditis adinventionibus procatur; tam amabili eſcâ, & buccellâ, in qua b *amor amorum*, *& dulcedo dulcedinum*, quaſi lenocinatur? niſi ut nos ſibi arctiori amoris vinculo, quam Seraphinos in cælo conjungeret, atque in ſui amorem inflammaret.

Hæc adinventio amoris, ad eò mirabilis & amabilis, ut ſi omnes intelligentiæ cœleſtes totâ Æternitate excogitaſſent modum, quo nos ardentius amare, & potentius in ſui amorem divina bonitas rapere potuiſſet, nunquam conſimile quid per omnem potentiam illis occurriſſet.

Si ulli ſanctiſſimæ animæ mortalium in hoc mundo hic favor, ea gratia exhibita fuiſſet, ut pro eâ ſolâ benigniſſimus Jeſus hoc amabile Sacramentum inſtituiſſet, ei ſe, & totum quod eſt, communicaſſet, quem ſenſum, quam opinionem, quod judicium de ejuſmodi perſonæ Sanctitate, de Chriſti in eum charitate & dignatione, conciperemus? Et quomodo talis anima, dilectione tantâ ſe non obſtrictam cenſeret? Et minus ego amabo, aut judicabo, quia tale, tantumque amoris teſtimonium mihi, aliiſque communicavit?

Singularis favor fuit, & ingenioſi amoris tractus, dum Chriſtus cor ſuum cum corde Virginis Senenſis commutavit: *adinventiones ejus mirabiles*; longè quid excelſius excogitavit, & excellentius donavit, dum cuique noſtrum totum corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum, divinam illam animam, cum divinitate, & totum ſe, tam amabili modo communicavit. Unde Chryſoſtomus hom. 46. ad pop. *cum ſuum in nos amorem indicare vellet Chriſtus, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim vehementer amantium eſt.* D. Bernardo hoc Sacramentum, ut dixi, *amor amorum*; quaſi diceret: ſi in unum omnes colligerentur amores, Euchariſtia, horum omnium eſſet amor, & amorum Princeps, cui nullus par eſſe

y Aug. lib. 21. de civ. cap 4. z S. Thom. 3. part. q. 75. art. 1. a Aug. lib. 1. conf. c. 5. b Bern. ſerm. de cœna Dom.

eſſe poſſet. Huic amori ut accineret D. Bonaventura, Seraphicus Doctor: ſic olim in hymno Sacratiore piè luſit & Seraphicè:

Moris eſt amantium,
Invicem ſitire.
Sic vult Rex regnantium
Charitatis miræ,
Cibando fidelium
Intima ſubire;
Ut arcana cordium
Poſſit introire.

Ingens fuerit privilegium, & inſolens divini amoris argumentum, è cœlis ſubmiſſum Seraphin, qui igneo telo cor Thereſiæ incenderet; verum, quid hoc ad incomprehenſibilis dilectionis inventum, quo Seraphinorum Dominus, ſeipſo utatur pro telo, ſe in nos ejaculetur, ut ingenioſo & negotioſo amore cor noſtrum penetret, & inflammet?

Divus Cyprianus, qui teſte Hieron. c *inſtar fontis puriſſimi; dulcis incedit & placidus*, nihil ſe nunc mirari omnium in mundo maximè Dei mirabilium aſſerit: d *O Domine* inquit, *verè tu es Deus, qui facis mirabilia! non modò mundi hujus ſtaturam admiror*, quod ingens illa moles terræ pendeat in aëre e *ponderibus librata ſuis*; ſed admiror hominem mortalem ſacerdotali charactere præditũ, qui duobus digitis teneat terræ, cœlique Dominum. *Non admiror Lunæ defectum, non Solem integrum, & laborem ejus perpetuum, non temporum viciſſitudines, non mirabiles elationes maris* f, fluxus & refluxus æſtus marini; ſed admiror, ſine ullo defectu, Solem illum Euchariſticum, ſine ulla temporum viciſſitudine integrum, & laborem quaſi ejus, vel potius amorem perpetuum, nunquam refluendo à nobis *uſque ad conſummationem Sæculi.* Non admiror ſub torrida æſtu ſolis terrâ, pretioſas illas latere aurifodinas; inter viles conchas gigni præſtantiſſimas margaritas; *ſed admiror* quod potens ille & dives Dominus, quem cœli cœlorum capere non poſſunt, in hac Hierothecâ, quaſi in aurifodinâ deliteſcat, & inter ſpecierum conchilia concludatur. *Miror omnipotentem in cunabulis: miror quomodo verbo Dei caro adhæſerit; quomodo incorporeus Deus corporis noſtri tegumentum induerit:* (miror denique maximum in minimo g *miraculum ab ipſo factorum maximum*) *hic ſolus me complectitur ſtupor, & cum Abacuc cano, conſideravi opera tua, & expavi.*

Non admiror h Sanctæ Cunegundis Auguſtæ, atque in conjugio Virginis; lapſam è manu chirothecam, ſolis radium excepiſſe, ac tenuiſſe in aëre ſuſpenſam, donec ab ea reciperetur. Erat verò illa tunc in templo ante aram proſtrata, & per templi feneſtram Sol illuceſcebat; ſed ab eo qui *in Sole poſuit tabernaculum ſuum*, divina virtute hæc prodigia patrabantur.

Nec admiror in ædibus privatis, i ad Solis radium, trabis inſtar, per feneſtram immiſſum, Sanctam Brigidam Virginem ex Scotia veſtem perfuſam imbribus appendiſſe, donec areſieret; *ſed* k *hoc miror, & hic ſolus me complectitur ſtupor*, ſpecies in aëre extra ſubjectum hærere,

c Hieronym. Epiſt. 13. d S. Cyprian. ſerm. de nat. Dom. e Ovid. 1. metam. f Pſal. 92. verſ. 4.

g S. Thom. opuſc. 57. h Silveſter Petra Sancta. Thaumaſiæ. tom. 2. cap. 14. pag. 108. i Ibid. k Cyprian. cit.

quod majus miraculum, quam radios præciſos à Sole in aëre ſervari, aut Solem pondus aliquo miniſterio radii ſuſtinere poſſe.

Adhuc amplius & amplius *l* notas faciamus *adinventiones ejus.* Divinus amor, tam mirabile, tam ineffabile inventum adinvenit, ut æterna ſua ſapientia nihil excellentius excogitare, nec infinita bonitas dare, nec omnipotentia patrare potuerit; dum in hoc amabiliſſimo Sacramento, duos uniones humanitatis & divinitatis ſuæ, Sanctiſſimi Corporis & Animæ, infinitè præſtantiores, quàm Cleopatræ, *m totus in uſus noſtros expenſus* & conſumptus, quodammodo liqueſcere fecit, ut ſic ſe nobis omnibus ſuis gratiis, perfectionibus, ſanctitate, bonitate, divinitate *n totum quod ipſe eſt, & habet,* realiter & eſſentialiter communicaret, & in uno bolo omnes divitias cœli & terræ porrigeret, ut *fructum adinventionum ejus comedamus*; quod fiet ſi juxta illum diviniſſimum hymnum, quem familiarem ſibi habuit S.P.N. Ignatius, *anima Chriſti ſanctificet nos, Corpus Chriſti ſalvet nos, Sanguis Chriſti inebriet nos, &c.*

§. I.

Anima Chriſti ſanctifica me.

o THeologos inter, nō levis, nec brevis per plures annos controverſia ventilata eſt, quænam inter omnes perfectiones, & attributa divina in ordine ad nos, (quia in Deo omnia æqualia, & eadem eſſentialiter) excellentiâ, & operatione ad extra, ut loquuntur, præcelleret; quod ut fuſum eſſet diſputare, an ſapientia omnipotentiæ: an juſtitia miſericordiæ, ut Doctor mellifluus ſuaviſſimè diſceptat, præferenda ſit, non ago; illud ad propoſitum noſtrum dixiſſe ſufficiat, *p* ut in Deo ſit ſapientia infinita, omnipotentia, immenſitas, immutabilitas, ſumma ſimplicitas, independentia omnimoda, cauſa cauſarum, aliaque attributa, & hæ omnes perfectiones admirabiles ſint, atque infinitæ; tamen omnes ſine Sanctitate (ſi modo ſeparari ab iis poſſet) non tanti æſtimandæ ſint, quàm una Sanctitas, ſolitaria. *q* Natura ipſa Dei eſt Sanctitas, quia quidquid eſt in Deo, eſſe debet inæſtimabile, & incomparabile, *quo nihil melius excogitari poteſt*; ſi eis deeſſet Sanctitas, carerent incomparabili excellentia. Sicut igitur inter omnia dona Dei, maximum eſt Sanctitas, *r* ſic inter omnes excellentias, atque attributa divina, quæ participari poſſunt (ſi inter res infinitas majus & minus concipi poteſt) omnium maximum eſt Sanctitas, per quam Deus ſpecialiter omnem naturam tranſcendit.

Hinc illæ Seraphicæ in omnem æternitatem ſine fine acclamationes: *ſ Sanctus, ſanctus, ſanctus*; quia nihil in Deo ſic mirantur, & venerantur, ut ejus Sanctitatem: non ſapientiam, non omnipotentiam, non juſti-

l 1. Paralip. 16. m Berri. ſerm. 3. in circumciſion. n S.Thom. opuſc. de beatit. Iſa. 3. v. 10. o Sanctitas Dei.

p Doutermans. amor increatus, pag. 364. q Anſelm. r Quid ſanctitas. ſ Iſa. 6. v. 3. Apoc. 4.

juſtitiam, ſed Sanctitatem unanimi voce proclamant, laudant, ac deprædicant: quia de nulla re magis, quam de ſua Sanctitate gloriatur; unde Sanctus Dionyſius *divinam Sanctitatem* appellat, & præcellentem cuncta ſapientiam: t *Deus*, inquit, *per excellentem cuncta excellentiam* SANCTUS SANCTORUM *prædicatur*: quod attributum cæteris præcellere, S. Ambroſius teſtatur: v *nos quoque nihil pratioſius invenimus, quo Deum prædicare poſſimus, niſi ut* SANCTUM *appellemus: quodlibet aliud inferius eſt Deo, inferius eſt Domino.*

Hæc autem Sanctitas Dei eſſentialis, eſt fons infinitus omnis Sanctitatis, & omni ſanctitate intelligibili ſuperior. Unde 1. Reg. 2. dicitur: x *non eſt* SANCTUS *ut eſt Dominus*; qui Sanctus à ſe, Sanctitate infinita, y *ſine defectione Sanctitatis.* Et ut Auguſtinus loquitur: z *non eſt* SANCTUS *ut eſt Deus noſter, qui eſt* SANCTUS SANCTIFICANS: *non eſt* SANCTUS *præter te: quia nemo niſi à te*, ac propterea Tu SOLUS SANCTUS, cujus intuitu, omnis creaturæ, & Seraphinorum, & omnium beatorum, ipſiuſque Sanctiſſimæ matris, *ad inſtar nihili eſt*, utpote infinitè ab excellentia ipſius Sanctitatis deficiens: quia a *Deus per ſeipſum, nimirum per eſſentiam ſuam* SANCTUS; *atque adeo Sanctitas Dei eſt omnino infinita, ut intenſivè & extenſivè: tantum enim ſe amat Deus, quantum eſt amabilis: tantaque eſt puritas in amore, quanta eſt in perfectione eſſentiæ.*

t S. Dionyſ. de divin. nom. cap. 12. v Amb. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. x 1. Reg. 2. v. 2. y Eccl. 30. v. 23. z Aug. lib. 14. de civit. c. 4. Leſſius de perfect. lib. 8. cap. 2. a Leſſius. cit.

Varios autem modos, quibus Deus dicitur Sanctus, doctiſſimus Leſſius ad hos quinque contraxit. b Primò *radicaliter*, quia „ eſſentia divina eſt prima radix, „ & originalis fons omnis Sanctitatis, & puritatis. „

Secundò *objectivè*, quia eſt „ objectum omnis Sanctitatis: „ omnis enim Sanctitas ſita eſt „ in amore & conjunctione cum „ Deo; quare etiam eſt *menſura* „ *totius, &* IPSIUS SANCTITATIS; „ unde nimirum Sanctitas ſuam ſpeciem, & modum accipit: Sanctitas enim eſt puritas animi ab omni contagione & labe peccati, ut breviſſimè & diviniſſimè docet S. Dionyſius lib. 12. de divinis nominibus: c SANCTITAS *eſt, ut more noſtro loquar, ab omni ſcelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas.* Talis autem puritas maximè convenit Deo; unde ſumma „ puritas conſiſtit in adhæſione „ cum Deo. Itaque cum ſumma „ puritas ſit Sanctitas, Deus eſt „ ratio objectiva, & menſura „ Sanctitatis.

Tertio dicitur *Sanctus exemplariter*, quia in hoc exemplar „ intuentes, & actus noſtros con- „ formantes, vera Sanctitas ſita „ eſt.

Quartò *formaliter*: Sanctitas „ enim formaliter eſt puritas af- „ fectus; puritas autem affectus eſt, „ amor Dei, quia eſt adhæſio cum „ eo, quod eſt puriſſimum & no- „ biliſſimum. Quare cum Deus ſit „ amor ſui, ipſe hac ratione *for-* „ *maliter eſt ſua Sanctitas*: Et quia „

b Leſſius cit. c. 1. c Dionyſ. l. 12. de divin. nom.

„ ſe amat infinitè, quantum nimirum amabilis eſt, ideo quoque *infinitè ſanctus eſt.*

„ Quintò dicitur *Sanctus eminenter, & cauſaliter*, tanquam „ fons,& principium omnis San„ ctitatis & puritatis in creaturis; „ quia ipſe eſt qui omnem ſan„ ctitatem tam in Angelis, quam „ in hominibus infundit; ipſe la„ bes abſtergit, gratiæ lucem, & „ omnem virtutem ſupernatura„ lem mentibus inſerit.

Quæ præmittere placuit, ut ex hac immenſa & infinita Divinitatis Sanctitate, omnibus liquidò pateat, *d* cum Deus homo factus eſt, ipſam & eandem admirabilem, & omni intellectui creato incomprehenſibilem Sanctitatem,per unionem hypoſtaticam, *animæ Chriſti* ſubſtantialiter communicatam fuiſſe: e *Chriſtus enim*, inquit Nazianzenus, *perfectus fuit non modò propter humanitatem divinitate delibutam; ſed etiam idem effectam, quod id, à quo peruncta eſt. Ea enim* (ut idem alibi) *humanitatis unctio fuit, non operatione, ut in alijs, Chriſtum ſanctificans, ſed totius unguenti præſentia. f* Tanta ergo cum puriſſimo ac ſimpliciſſimo Deo conjunctio, tantam beatiſſimæ illi animæ puritatem, & ſubſtantialem Sanctitatem contulit, ut quemadmodum divinæ eſſentiæ, utpote ſanctitatis omnis fonti, & radici, debetur perfectiſſima ſanctitas,& amoris puritas; ita animæ illi ſubſtantialiter Deo unitæ, & in qua plenitudo *divinitatis* habitabat; totius ſanctitatis plenitudo debebatur; & ut Origenes loquitur: g *ipſius verbi Dei in eo ſubſtantialis inerat plenitudo.*

Hæc de perfectione, & Sanctitate ſubſtantiali animæ Chriſti, per unionem hypoſtaticam, quia primo momento conceptionis verbi incarnati, viſione beatifica, ſupra omnes cœlites in infinitum glorificata eſt. Adeò ut ſi omnes omnium beatorum ac ſanctiſſimæ matris delicias, quas ex fruitione Dei percipiunt, in unam animam creatam infunderes, ad illam, qua *anima Chriſti* fruebatur, velut ſtilla eſſet ad immenſum oceanum, & ſcintilla ad infinitum incendium; & ſanctitati, ac puritati ejus comparata omnes juſtitiæ noſtræ, tanquam pannus menſtruatæ; ſic ſentit Origenes, hom. 9. in Ezech. h *Juſtitia mea*, inquit, *ex comparatione multiplicis juſtitiæ, iniquitas reputatur; propterea non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Fuerit licet juſtus Abraham, & juſtus Moyſes, juſtus unusquiſque illuſtrium virorum; ſed ad comparationem Chriſti, non ſunt juſti. Lux eorum cum ejus luce compoſita, tenebræ reperiuntur; quo modo lumen lucernæ, ad Solis radios obſcuratur*, & ut ſtellæ, inquit, ac luna,ad ortum ſolis tenebreſcunt, quod S. Gregorius in ſanctiſſima animâ Chriſti, ſolerter annotavit, ad illud Cant. 1. *quia decoloravit me ſol.* Ubi ait: *i* quia quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Chriſti, fulgorem amittit.

Sunt quippe nonnulli, qui in hac nocte mundi,velut ſtellę hominibus fulgent, & luminaria proximis apparent; ſed mox, ut *juſtitiæ Chriſti ſe comparant, quaſi*

d Sanctitas animæ Chriſti, per unionem verbi. e Nazian. orat 42. f Gaudier. de perf. pag. 134. g Origenes 2. periac. c. 6

h Origenes. hom. 9. in Ezech. i S. Greg. in cant, c. 1.

ſine

ſine luce ſunt. Idem ſanctus Pontifex, exponens illud 1. Reg. 1. c. 2.: *non eſt ſanctus, ut eſt Dominus,* k ſummam Chriſti ſanctitatem à nemine adæquandam, ex eo demonſtrat, quod omnes quotquot ſanctitatis ſtillicidium aliquod ſunt adepti; è Chriſti fonte hauſerunt: quia ut Origenes in illud: *non eſt ſanctus ut eſt Dominus*, ait: *ille largitor SANCTITATIS eſt, ille fons.* Ad hunc, dum libet, & vos accedere, & haurire, voſque totos immergere poteſtis.

Decuit inſuper l in anima Chriſti omne genus gratiæ & ſanctitatis inveniri, ut non intenſivè modò, quod haberet per ſolam gratiam unionis; ſed extenſivè quoque eſſet ſanctiſſimus per plenitudinem gratiæ infuſæ, & habitualis, aliaſque virtutes infuſas, donorum nomine expreſſas; ut ſanctus fuerit non ſolum per verbi unionem, ſed & per S. Spiritus ſanctificationem.

Amor increatus *Spiritus ſanctus*, & omnis ſanctitatis origo, nuſquam, nec unquam in ſacris litteris hoc nomine *ſancti* nuncupari reperitur, niſi quando *verbum caro factum eſt*, & corpus de Virgine, inenarrabili, ſed maximè amabili artificio architectatus, anima illa omnibus gratiis, & ſcientiis, ac divinitate ſanctiſſima informavit. Hæc ſolerter Rupertus obſervavit, in cap. 1. Matthæi, ubi ait, quod divinus hic Spiritus, antequam opifex fuiſſet hujus omnis ſanctitatis Sacramenti, quandoque *Spiritus Domini: Spiritus Dei: Spiritus fortitudinis: Spiritus ſapientiæ &c.* dictus ſit; ſanctus autem non niſi dum cœleſtis legatus illud à ſæculis inauditum Virgini nunciavit: SPIRITUS SANCTUS *ſuperveniet in te*, &c. ſic etenim ait: m *Maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus eſt, claruit hic Spiritus Domini, quod vere* SANCTUS *ſit.* Concinnatio Humanitatis Verbi Spiritum Sanctum, quis, qualiſque ſit, quam maximè manifeſtavit.

Idem confirmat S. Bernardus, ſuper Miſſus expendens illud de Chriſto dictum: quod naſcetur *ex te* SANCTUM *vocabitur*, ipſa infinita plenitudine Spiritus Sancti; ſic enim diſſerit: n *ut quid ita ſimpliciter* SANCTUM, *& abſque additamento? credo, quia non habuit quid propriè, dignéve nominaret, quod de puriſſima videlicet virginis carne CUM SUA ANIMA unico Patri erat uniendum. Si diceret, ſancta caro, (vel ſancta anima) vel ſanctus homo, quidquid tale poneret, parum ſibi dixiſſe videretur. Poſuit ergo indefinitè,* SANCTUM: *quia quidquid illud ſit, quod Virgo genuit,* SANCTUM *procul dubio, ac SINGULARITER SANCTUM fuit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem.* Egregiè idipſum verſat Chryſoſtomus in illud pſalmi 44: *diffuſa eſt gratia in labiis tuis,* ubi præfatus hæc dici de humana Chriſti natura, ſubdit: o *gratiam hic dicit, quæ venit ad carnem: omnis enim gratia effuſa eſt in illud templum* animæ Chriſti: *non dat enim illi Spiritum in menſura. Nos enim de ejus*

k Idem in l. reg. 1. cap. 2. & lib. 18. mor. c. 34. l Sanctitas animæ Chriſti per plenitudinem gratiæ infuſæ. v. Raynaud. Chriſt. homo. l. 4. c. 4. n. 72.

m Rupert. in c. 1. Matth. n Bern. hom. 4. ſuper Miſſus. o Chryſoſt. in Pſal. 44.

Plenitudine accepimus ; illud autem templum integram, & univerſam accepit gratiam. Hoc Iſaias quoque ſignificans, dicebat : requieſcet ſuper ipſum Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, Spiritus conſilii & virtutis, Spiritus ſcientiæ & pietatis. Sed illic quidem eſt integra, & univerſa gratia; in hominibus autem, parum quid, & gutta ex illa gratia. Propterea non dixit : do Spiritum, ſed effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.

Cum ergo animæ Chriſti, gratia non ad menſuram infuſa ſit, graviſſimi Doctores, & SS. Patres eam immenſam, & infinitam fuiſſe aſtruunt. S. Thomas part. 3 quæſt. 7 art. 11. & de veritate. quæſt. 29: *gratia Chriſti ſecundum conſiderationem gratiæ, poteſt dici INFINITA, eo quod non limitatur : & non datur ei ſecundum aliquam certam menſuram. Joan. 3. Deus non ad menſuram dat Spiritum filio*: idipſum docet in 3. diſt. 13. quæſt. 1. art. 2. quæſtione. 2. tradens in Chriſto eſſe maximam gratiam poſſibilem. Idem evincunt teſtimonia PP. è quibus, ne longior ſim, B. Petrus Damiani Cardinalis : p *quod Joannes aſſerit non ad menſuram Spiritum dari, de redemptore noſtro procul dubio debet intelligi; in quo videlicet habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* ; ubi autem capacitas infinita eſt, & ſimul plenitudo eſt, infinitum eſſe, neceſſe eſt, ut in vaſe infinito, ſi plenum ſit, manifeſtum eſt. Hæc autem gratia ſanctificans, q non per partes, aut ſtillas, aut ad menſuram; ſed tota ſimul copioſiſſimè & largiſſimè primo conceptionis momento infuſa, ac communicata fuit animæ Chriſti, ut floridè & ſolidè probat Raynaudus noſter ; *Chriſtus homo*. lib. 4: c. 4. lect. 1. num. 91. Scitè Guarricus : r *bene ſimul vocatur germen, & flos, & fructus, qui ſine gradu profectus, ab initio conceptus ſui, omni virtute & gratia in ſeipſo extitit perfectus.* Hujus diſcipuli mellifluus magiſter, Chriſtum ſpecie viri à fœmina circumdati deſcribens, ait: ſ *ſive igitur latens in utero, ſive vagiens in præſepio, ſive jam grandiuſculus interrogans Doctores in templo, ſive jam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus ſpiritu ſancto : nec fuit hora, in quacunque ætate ſua, qua de plenitudine illa, quam in ſui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur; ſed à principio perfectus, à principio inquam, plenus fuit Spiritu ſapientiæ & intellectus, Spiritu conſilii & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, & timoris Domini.* Creviſſe verò dicitur ſapientia & gratia, in ordine ad nos, ſicut ſol ſemper in ſe idem, dicitur creſcere ad perfectam diem, ut alias diximus. t

Quæ ubi, diviniſſimam hanc animam intra cordis tui ſinum excepturus, ardenter recolis, in piiſſimos hos affectus confuſionis, compunctionis, humiliationis, admirationis, adorationis, gratulationis, & glorificationis erumpe, & optimo zelo *beatum Gaſparem Bonum* è maxima minimorum familia æmulare: v qui totos dies & noctes nil aliud cor-

p Pet. Dam. Serm. 67. q gratia animæ Chriſti tota ſimul infuſa.

r Guarricus Serm. 2. de annuntiatione. ſ Bern. hom. 2. ſuper miſſus. t v. lux Evang. part. 1. Dom. 1. poſt. Epiph. v Barry. Canneæ Saincte. part. 2, le jour. de paſques, devotin. 8.

de

de verſare, nil ore proloqui audiebatur, quam hæc ſuaviſſima verba: *adoramus te, quoniam TU SOLUS SANCTUS, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus, Jeſu Chriſte*, quas adorabiles voces in ſingulos dies ducenties ingeminabat; unde à ſuis non rarò audiebat: *TU SOLUS SANCTUS*? revera, quia à ſe per divinitatem, & per unionem Verbi, infinitè ſanctus, omniſque ſanctitatis fons, & origo, x *cujus anima omnibus Angelis, & ſanctis animabus perfectior gratia in omni ſanctitate.*

Hac igitur poſita ſanctitate ineffabili, & incomprehenſibili, & gratia immenſa, ac infinita, qua diviniſſima Chriſti anima ſupra omnem omnium Sanctorum, ipſiuſque Dei Matris, infinito intervallo excelluit, ſupereſt demonſtrare, qua puritate, & Sanctitate nitere poſſint ac debeant, qui animæ Chriſti intimè copulantur, & quodammodo informantur, ac animantur. Nemo hic veſtrum eſt, ſi ſingulos compellaro, qui non velit eſſe ſanctus; ſed ex centenis, qui hęc audituri, aut ex millibus qui lecturi, paucos credo eſſe, qui ſciant quid ſanctitas ſit: in quo conſiſtat, & potiſſimum, quomodo vera & perfecta ſanctitas (quod perfectiſſimum deſiderium, & diviniſſimum votum eſt) acquiri poſſit, & debeat.

y Sancti paſſim à ſcriptoribus novæ legis appellantur Chriſtiani, fonte baptiſmatis expiati, ut ad Rom. 1. v. 17. *omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, VOCATIS SANCTIS.* Et cap. 12. v. 13: *neceſſitatibus SANCTORUM communicantes.* Tum 1. ad Timoth. 5. v. 10: *ſi SANCTORUM pedes lavit*, ac alias ſæpius: Idipſum probat S. Lucas Actor. 9: *quanta mala SANCTIS TUIS fecerit.* Imò hoc illis nomen tot retro ſæculis, prophetico afflatus ſpiritu, indiderat Iſaias: z *Et vocabunt eos POPULUS SANCTUS, redempti à Domino.*

Altero modo ſanctum dicitur, quod eſt Deo conſecratum, ac divino cultui dicatum, atque ab omni uſu profano alienum; ſic Levitici 22. v. 6: *SANCTI erunt Deo ſuo.* Et Exodi. 19. v. 6. *Eritis mihi GENS SANCTA.* Hinc ortum ut templa, aræ, vaſa, quæ divinis uſibus mancipata, ſancta nuncupentur. Audiendus hic doctor angelicus: a *nomen ſanctitatis*, inquit, videtur duo importare: „ uno quidem modo munditiam, & huic ſignificationi competit nomen græcum: dicitur enim AGIOS id eſt ſine terra. Alio modo importat firmitatem, unde apud antiquos *ſancta* dicebantur, quæ legibus munita & ſancita, ut violari non deberent.

„ Poteſt etiam ſecundum latinos hoc nomen *ſanctus*, ad munditiam pertinere, ut intelligatur *ſanctus*, b quaſi ſanguine tinctus, eo quod antiquitus, illi qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tingebantur, ut Iſidorus tradit. Et quomodo tu non *ſanctus*, qui toties ſanguine ſacratiſſimæ hoſtiæ tinctus, ut infra, dicemus? pergit porrò S. Thomas, dicens Et utraque ſignificatio competit, ut *ſanctitas* attribuatur

x S Thom. opuſc. de beatit. y Quid ſanctum ſignificet.

z Iſa. 62. v. 12. a S. Thom. 22. q. 81. art. 8. & 1. part. q. 10. b S. Iſidor. lib. 10. Etymolog.

„ buatur his, quæ divino cultui „ applicantur, itaque non ſolum „ homines (ut ſunt ſacerdotes; de „ quorum puritate, & ſanctitate „ alias egi) ſed & templum, & „ vaſa, & alia ejuſmodi *ſanctifi-* „ *cari* dicuntur, ex hoc quod cul- „ tui divino applicantur.

Hinc tanta olim in veneratione, c *ſancta ſanctorum*, ex præcepto Domini habita ſunt, ut omnem ſuperet admirationem.

Quæ cum moraliter ad ſanctitatem & puritatem animæ referenda ſint, quæ *ſanctum ſanctorum* cum diviniſſima Chriſti anima exceptura eſt, qua ratione per hanc ſanctificari, ac purificari poſſit & debeat, in tenui umbra, & levi figura adumbrabimus. Oraculum, ſeu ſanctum ſanctorum in interiori parte templi à Salomone exædificatum, juxta illud Levitici 10. v. 18. & 3. Reg. 6. v. 16: *fecit interiorem domum oraculi, SANCTUM SANCTORUM.* Illud autem à ſummo uſque deorſum puro auro contectum eſt, ut ſacri Regum annales referunt 3. Reg. 6. v. 19. *Oraculum autem in medio domus, in interiore parte fecerat, ut poneret ibi Arcam Fœderis Domini. Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, latitudinis, & altitudinis: & operuit illud, atque veſtivit auro puriſſimo.* Et ne quis putaret fortè ſ perficietenus inauratum, addidit: d *fecit quoque domum SANCTI SANCTORUM, & laminis aureis texit eam, quaſi talentis ſexcentis. Sed & clavos fecit aureos, ita ut ſinguli clavi ſiclos quinquagenos appenderent. Cœnacula quoque texit auro. Fecit quoque in domo* SANCTI SANCTORUM *Cherubim duos, & texit eos auro. Alæ Cherubim 20. cubitis extendebantur. &c.* Quæ ſi ad calculum revocare voluero, e quinquaginta ſicli, moneta noſtra ſummam ducentorum quinquaginta coronatorum conſtituent, ſexcenta verò talenta, faciunt ſeptem milliones, & quingenta millia aureorum. Parum hoc, omnia inſuper vaſa ſancta templo dicata, erant ex auro puriſſimo: decem millia menſarum, & totidem candelabra, thuribula, litatoria, viginti millia. Crateres ad ſexaginta millia: Phialarum centum millia, omnia ex auro. Summa vaſorum ex auro, ut oculatus teſtis Joſephus teſtatur, quadringenta, quadraginta millia: Rationem hanc init Villalpandus noſter, dicens: f conſumpta ſunt in his vaſis, centum & octo millia auri talenta, ac præterea bis mille quingenti auri ſicli; quod aurum univerſum in ea vaſa conflanda expenſum, ad formam cubicam revocatum, efficit cubitos cubicos (ſeu quadratos) quingentos, quarum maſſam vix caperet cubiculum quadratum decem cubitorum. Argentum vero quod David Deo legavit (in fabricam) ad cubicam rationem revocatum, implere potuit totam domum Oraculi, ſeu *ſancta ſanctorum.*

Quæ omnia ut ad ſplendorem & majeſtatem Numinis maximè contulerint, ita ad venerationem & ſanctitatem, ponderis habuere quam plurimum; nam *ſancta ſanctorum* abſque feneſtris, omn-

c Sancta Sanctorum deſcribuntur. d 2. Paralip. c. 3. v. 8. & 9. 10. 11.

e Drexelii Salom. c. 11. §. 7. f Villalpand. in Ez. tom. 2. p. 2. l. 5. diſp. 4 cap. 61. Idem in Ezech. cap. 41. lib. 4 cap. 18.

lumine excluſo, ſemper inacceſſa & clauſa, non niſi ſemel in anno, ſummo ſacerdoti pervia erant; ſi quis ſæpius ingredi auſus, pœna mortis plectebatur. Sic Levitici. 16. v 2: Deus ad Moyſem: *loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur ſanctuarium, ut non moriatur.* Quæ omnia ad ſummam reverentiam, religionem, & ſanctitatem Philo Judæus retulit, his verbis g: „ Pontifex ingrediebatur jejunii „ tempore, tantum odores incen„ ſurus. De cætero, ſi quis, non „ dico plebeius, ſed Sacerdos; vel „ à ſummo proximus, imò is ipſe „ Pontifex, duobus anni diebus, „ ſi introierit, capite luet abſque „ venia. Tum illud Epiphonematis loco ſubjungit: *tantam Religionem adytorum voluit eſſe Legislator, ut hæc ſola inacceſſa, intactaque ſervarentur.*

Sed quorſum hæc omnis illius loci veneratio? quorſum illa non ſolum aditu, ſed vel aſpectu humano, quid intus lateret, vel ipſi ſummo ſacerdoti ingredienti occultatio? jubebatur enim thymiama offerre, & fumo ac nebula totam domum ſanctam complere, ut patet exodi 16. v. 12. & 13. ſcire vultis, unde *ſancta ſanctorum* dicta ſint, quid celarint, quo omnia hæc ſpectarint? continebatur illis arca, atque in ea *tabulæ Moyſis, manna, & virga Aaronis.* Quis non videt hic latere myſteria, ex umbra hac divinum ſolem, & ex figura ipſam veritatem eluceſcere? Perappoſitè enim Sophronius, h Chriſtum hic *SANCTUM SANCTORUM*, ſignificari aſſerit: *quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur, Filius Dei.*

g Philo de legatione ad Caium.
h Villalpan. in Ezech, tom, 2. p. 551.

Unde illa SANCTA SANCTORUM dicebantur, quæ figuram aſſervabant. Optimè rem hanc complexus Doctor gentium: i *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id eſt non hujus creationis: neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum; ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel IN SANCTA, æterna redemptione inventa: ſi enim ſanguis hircorum & taurorum, & vitulæ aſperſus, inquinatos SANCTIFICAT ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum, Deo, emundabit conſcientiam noſtram*, id eſt animam noſtram? in quem locum k Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, & Ribera, reſpondent, hoc tabernaculum, ſeu Sancta Sanctorum eſſe corpus & carnem Chriſti: Hæc enim eſt amplius tabernanaculum; quia in ea eſt, & habitat Deus Verbum & omnis Spiritus Sancti plenitudo. Et eſt perfectius, quia majora facit, quam vetus Moſaicum tabernaculum: *Et accedentes ad ſe SANCTIFICAT*, ſalvat.

Hoc tabernaculum, non eſt manufactum, nec hujus creationis, ſed Spiritus Sancti artificium.

In eundem ſenſum propè S. Thomas: l *Per tabernaculum poteſt corpus Chriſti* (cum ſanctiſſima anima) *intelligi, per amplius, quia in ipſa habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ſemel in anno; Chriſtus autem per totum tempus, quod eſt quaſi unus annus.*

i ad Hebr. 9. v. 11. k v. Corn. à lapide ad Heb. 9. v. 11. l S. Thom. in Epiſt. ad Heb. 9. v. 11.

Quæ

Quæ ut ad mores referamus,& *m* ſanctitatem animæ noſtræ, ex anima Chriſti acquiramus; primum occurrit, ut anima veſtra, *ſancta ſanctorum* exprimat, neceſſum eſſe ut auro charitatis, & ſplendore gratiæ fulgeat, in qua vera Sanctitas conſiſtit, & animam auream, ac ſupra omne aurum templi Salomonici, pretioſam facit. Sic ſentit ſanctitate & eruditione Pontifex maximus Gregorius: n *appellatione AVRI, in ſacro eloquio, aliquando divinitatis claritas, aliquando charitas, aliquando pulchritudo SANCTITATIS accipitur. AVRI enim nomine, ipſa intima divinitatis claritas deſignatur. Et quia nil in metallis AVRO fulgentius, ſponſi caput, AVRVM dicitur, quia ejus humanitas ex divinitatis ſuæ nobis claritate principatur. Rurſum AVRI nomine charitas intimatur, & SPLENDOR SANCTITATIS. Hinc* o *Iudaicum populum à ſplendore juſtitiæ, ad nequitiæ tenebras commutatum Hieremias deplorat: quomodo commutatum EST AVRVM, mutatus eſt color optimus?* Quæ ne in vos querela potiori jure retorqueatur, *p* aurum charitatis, & ſplendor ſanctitatis refulgeat.

Servabatur olim intra Sancta Sanctorum Arca, in qua urna aurea, habens manna, ut Apoſtolus tradit ad Hebr. 9. v. 3. *poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum quod dicitur SANCTA SANCTORVM: habens arcam teſtamenti, circumtectam ex omni parte* AVRO, *in qua* URNA AUREA *habens manna.* Unde aureo ore Chryſoſtomus, in eos qui vaſa aurea in uſum S. Euchariſtiæ offerebant: q *ſi vis*, inquit, *honorare Sacrificium* (corpus ſacratiſſimum, & animam diviniſſimam) *offer animam*: HANC FAC AUREAM; *ſi verò plumbo maneat, & teſta deterior, vas aureum* (quod offers) *quid habet utilitatis?* quaſi dicat; in comparatione charitatis, quæ animam facit auream, omne materiale aurum ut plumbum, ac lutum reputabitur.

Imò ſi poſſibile eſſet, eo charitatis auro anima noſtra veſtiri, & exornari deberet, quo ſancta, ac beata Seraphim in cœlis, ante conſpectum Domini reſplendeſcunt, & ardeſcunt.

Cœleſtem illam Jeruſalem oculatus teſtis Sacer Evangeliſta totam auro ſtratam depingit: ipſa civitas r *aurum mundum.* Sed quid per aurum, quo cœlum refulget, intelligendum: charitas, inquit Hugo Victorinus: ſ *auro civitas illa ſternitur, quia puritate dilectionis undique veſtitur*: ſanè, ibi Deus ſolum aſſolet immorari, ubi omnia charitatis & ſanctitatis auro conveſtita ſunt. Pſalmo 67. *Deus in loco ſancto ſuo*; quæ divus Hieronymus ſic exponit, t *in anima fideli; ſemper Deus in ſanctis ſuis inhabitat* (per gratiam) *ubicumque ſanctitas, ibi eſt habitaculum Dei*, quæ quantum omni auro pretioſior ſit, ſapientiſſimus mortalium tradidit: v *ſalus animæ in ſanctitate juſtitiæ, melior eſt omni auro, & argento.*

Quare ſi Regi, aut Principi terreno, abaci, & menſæ, vaſis ac poculis aureis reſplendeant, par pro-

m Quomodo moraliter anima noſtra ſancta ſanctorum effici queat. n Greg. in c. 41. Iob. l. 34. mor. c. 13. o Thren. 4. p auro charitatis & ſplendore gratiæ fulgeat.

q Chryſoſt. ſerm. 60 ad popul. r Apoc. 21. ſ Hugo de S. Victore. de clauſt. animæ c. 27. t Hieron. in pſal. 67. v Eccl. 30. v. 15. v. interp.

profectò eſt, ut ubi divinus hoſpes, & ſanctificans illa anima, habitaculum animæ noſtræ ingreditur, ut nobiliori auro ſanctitatis & charitatis refulgeat, quod eleganter expendit Philo, x *Tullius Chriſtianus*; ut eum Hieronymus nuncupat: *Quoties*, inquit, *Reges excipiendi ſunt, magnificentius excolimus ædes proprias, nihil negligendo quod ad ornatum pertineat: Regi Regum, & hujus mundi rectori Deo, comitatis, atque humanitatis cauſa dignato ſuam creaturam inviſere, qualem tandemdemum oportet inſtrui? abſit enim ut lapideam, ligneamve, quod vel dictu nefas. NAM ETIAMSI TOTA TERRA AVRVM, AVT SI QVID AVRO PRETIOSIVS, ne ſandalium quidem ejus pedibus poſſet fieri.*

Ferunt Hiſtorici Juſtinianum Imperatorem, triclinium habuiſſe omnino aureum, parietes aureos, laquearia aurea; hoc totum, ſcabello pedum domini, aut arcæ ligneæ fœderis ſervire potuiſſet; ſed ubi umbram fugat veritas, aliud ſibi multò pretioſius y *RECLINATORIVM AVREVM media charitate conſtravit*; z hoc autem reclinatorium, & propitiatorium, inquit doctiſſimus Origenes, *indicat ſanctam illam & puram JESV ANIMAM*, quæ charitatis auro fulgentiſſima ac flagrantiſſima, animam tuam, ferreà ſit, aut lutea, valet inaurare; ſic enim Gilbertus: *a* RECLINATORIUM AUREUM *non invenit, ſed reddit.* Quare, O anima pauper, & inops, in has ardentiſſimas deſiderii flammas erumpe: ANIMA CHRISTI SANCTIFICA ME, charitatis tuę immenſæ fulgore irradia me, & nobiliſſimo auro Sanctitatis tuæ infinitæ inaura me. Ad hoc ultro te invitat, & clamat: b *ſuadeo tibi emere à me* AURUM IGNITUM, *probatum, ut locuples fias*; ubi perappoſitè Richardus Victorinus: *ſuadeo, inquam, tibi à me emere aurum, id eſt charitatem, luce intimi ſplendoris fulgidam, fervore dilectionis ignitam, in electis meis per fornacem tribulationis probatam.*

In hunc ſenſum Salazar, ex- „ ponens illud: *aurum ignitum*, ait: c In græco eſt, *aurum ex igne*; quod referendum ad verbum *eme*, ut conſtructio hujuſmodi ſit: accede ad fornacem *in qua ardet aurū purum putum.* Unde illud Plinii: d *auri experimento ignis eſt, ut ſi-* „ *mili colore rubeat quo ignis, atque* „ *ipſum obryzum.* (ſeu puriſſi- „ mum vocant.) Emere igitur ex „ igne, erit accedere ad inflam- „ matam Dei charitatem (ad ani- „ mam illam, *in qua ardet aurum* „ *purum & putum*) & oblato pre- „ tio poſtulare, *ut illius auri igniti* „ *particula mihi concedatur*: neque „ enim hoc aurum aliter poſſide- „ tur, niſi homo accedat ad ipſum „ Dei ignem, & ejus flammas ſen- „ tiat.

Emptionis verò metaphora „ poſtulat, ut ad hujus auri com- „ parationem, omnino velit ho- „ mo carere, quibus ad majorem „ Dei gloriam (& perfectam cum „ anima Chriſti unionem) care- „ re, neceſſe eſt, ſed quia vilia val- „ de ſunt, quæ homo relinquit, ſi „ comparentur cum divitiis, „

x Philo. l. de Cherubin. y Cant. 3. v. 10. z Orig. l. 3. in Epiſt. ad Rom. c. 3. a Gilbert. ſerm. 18. in cant.

b Apoc. 3. v. 17. c Salazar. in apoc. c. 3. v. 17. d Plin. lib. 33. cap. 3.

quas

„ quas lucratur,ideo dicitur Iſaiæ „ 55. v. 1. *Emite abſque argento, & „ ulla commutatione.*

Notandum autem eſt, quàm aptè dicatur tepido, ſi velit eſſe dives, opus eſſe ut Dei charitate inſtammetur, & *aurum charitatis* & cum rerum terrenarum diſpendio poſſideat. Omnia quæ olim per figuram in Sanctis Sanctorum, in arcâ, in urnâ exhibebantur aurea, jam præ auro Charitatis, & Sanctitatis viluerunt.

Hæc Magiſtri Theologorum ſententia eſt: e *Ipſe* (nempe Chriſtus) *ſignificatur per arcam: quia ſicut arca erat conſtructa de lignis Sethim* (id eſt imputribilibus) *ita corpus Chriſti de membris puriſſimis* (quæ non viderunt corruptionem;) *erat autem DEAVRATA, quia Chriſtus fuit plenus ſapientia, & charitate, quæ PER AVRVM ſignificatur. Intra arcam autem erat VRNA AVREA, id eſt* SANCTA ANIMA; *habens manna, id eſt, omnem plenitudinem Sanctitatis, & Divinitatis.*

Quod ut plenius ac planius omnibus innoteſcat,& ardentiori charitate cor noſtrum ardeat, & Sanctitate fulgeat,ulterius diſquirendum, quibus f donis, & perfectionibus naturalibus, ac ſupernaturalibus,potentiæ intellectus, memoriæ, ac voluntatis, diviniſſimæ illius animæ præditæ fuerint; quod non Angelicæ, nedum humanæ intelligentiæ inveſtigate, conceſſum eſt.

Non diſputo hic ut verbo unita, viſione beatificâ fruebatur: nam ſi de Beatis veriſſimè dixerit M. Gregorius, g *quid eſt, quod non vident, qui videntem omnia vident?* Quid non de intellectu illo Chriſti, Verbo æterno hypoſtaticè unito, omnium Beatorum ſupremo, ſentiendum eſt? ſed præter hanc intellectionem divinam, fuit & in Chriſto, ut viator fuit, etiam naturalis,& ſcientia rerum omnium infuſa,ut doctè & diſerte Suarez; ex eo, quod neceſſe ſit, eam perfectionem Chriſto non negare, quæ fuit in Adamo, & Salomone, quibus hanc ſcientiam fuiſſe conceſſam, fuſe probat lib. 3. coſmop. cap. 9.

Acceſſit & alia ſcientia ſupernaturalis infuſa, idonea ad fundandum meritum, à primæ conceptionis momento, qualis eximiis Sanctis, ac ipſi Deiparæ ex privilegio conceſſa, etſi infinitis paſſibus à Chriſti ſcientiâ diſtans. Ut ſcite B. Anſelmus. lib. 2. *cur Deus homo.* cap. 3. & Origenes hom. 19. in Lucam, tractans illud: *plenus ſapientia*, ubi ſic ait: h *Hoc hominum natura non recipit; ut ante duodecim annos ſapientia compleatur. Aliud eſt partem habere ſapientiæ, aliud ſapientia eſſe completum. Non ambigimus ergo divinum aliquid in carne* (& anima) *Jeſu apparuiſſe*;

Nos humanas ſcientias per gradus, & ſcholas, labore & lucubratione longâ ſenſim acquirimus,quod eleganter expendit D. Maximus, cum exponit veſtem Chriſti deſuper contextam per

e S. Thom. 1. 2. q. 102. a 4. ad 6. S. Hilar. in pſal. 131. f perfectiones potentiis animæ Chriſti communicatæ. De intellectu, & ſcientiis infuſis.

g Greg. lib. 4. dial. c. 33. h B. Anſelmus l. 2. cur Deus homo. cap. 13. Orig. hom. 19. in Lucam.

totum

totum : i *veſtimentum ejus*,inquit, *quod non erat conſutum , ſapientiam ejus cœleſtem poſſumus approbare , quia ait , erat de ſuperiori contextum : noſtra enim ſapientia , hoc eſt humana conſuitur:aſſuitur enim,cum liberos damus ad ſtudia grammaticis, tradimus Philoſophis , erudimus ut ſapientia in illis quæ non erat , acquiratur. Domini autem ſapientia non aſſuta eſt, non quæſita non enim didicit à magiſtro , ſicut ipſi Judæi dicunt :* QUOMODO HIC LITTERAS NOVIT, CUM NON DIDICERIT ? *Et ipſe dicit : mea autem doctrina non eſt de hoc mundo; ſed ejus, qui miſit me. Hoc eſt , quod ait, de ſuperiori contextum.* De hac quoque ſcientiâ accipiendus eſt Damaſcenus, *k* ſimultaneam Chriſti ſapientiam aſtruens.

Ad hanc ſcientiam , & perfectionem intellectus per ſe infuſam ſubſtantialiter ſupernaturalem, ſpectant dona Spiritus Sancti , quæ ad intellectum pertinent, de quibus dubitare non licet, Iſaia teſtante : l *flos de radice ejus aſcendet* (Chriſtus) *& requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, Spiritus conſilii, Spiritus ſcientiæ* ; quas omnes perfectiones, animæ Chriſti ſimul infuſas, docet S. Gregorius: m *nullus hominum operationes ſancti ſpiritus ſimul omnes habuit, niſi ſolus mediator Dei, & hominum:alius namque prophetiam, alius ſcientiam , alius virtutes , alius genera linguarum , alius interpretationes ſermonum , juxta diſtributionem ſancti ſpiritus accipit;ad habenda verò cuncta ejuſdem Spiritus munera , nemo pertingit , niſi ſolus mediator Dei & hominum.*

Inſuper & aliæ gratiæ gratis datæ, per ſe infuſæ ſunt , ut donum prophetiæ ; diſcretio Spirituum , &c. nam Deuteron. 18. Chriſtus Propheta denuntiatur mittendus, quem locum , abſque hæretica pravitate , non poſſe de alio quam de Chriſto accipi cenſuit Auguſtinus *n.* Ipſe item Chriſtus, ut idem Doctor tradit , tract. 5. in Joan. ſe Prophetam aliquando nominavit , cum de ſe ipſo dixit : *non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua* & Lucæ 14. diſcipuli de Chriſto dicunt : *qui fuit vir Propheta* Huc ſpectat cognitio præteritorum , & futurorum contingentium , etiam conditionatorum , internarum cogitationum, atque ſecretorum cordium , ut Samaritana teſtatur : o *dixit mihi omnia quæ feci.* Unde rectè pronuntiarat: *Domine, video quia Propheta es tu.*

p Quæ ſcientia arcanorum negatur omnibus puris creaturis, etiam Angelis ; concedi tamen Chriſto debuit, quia ipſe eſt Rex univerſorum , futuruſque aliquando judex cordium. Unde congruentiſſimum fuit, ut etiam quatenus viator , ea clare , æque ac alia naturalia, intueretur, quæ in cordibus volvuntur , ut reipſâ ab eo factum variis ſcripturæ locis comprobatur , & patet ex teſtimonio Principis Apoſtolorum: q *Domine qui corda noſti omnium* , in quæ verba Theodoretus : r *is autem ipſum citavit*

i D. Maximus hom. in pſal. 21. k Damaſc. in oratione. quomodo ad imaginem Dei facti ſumus. l Iſaia. cap. 11. m Gregorius lib. 29. mor. c. 30. nunquid conjungere valebit 7. Plejadas.

n Aug. lib. 16. contra Fauſtum c. 18. o Ioan. 4. p Raynaud. cit. n. 149. q Act. 1. v. 24. r Theodoret. orat. de charitate.

ad

ad ſuum in eum amorem teſtificandum, Domine enim inquit, tu ſcis quia amo te. In animis enim hominum inſides, & apertè ſcis motus cogitationis: nec te aliquid latet in rebus humanis: noſti enim omnia, & antiqua, & extrema; noſti omnium mortalium, à juventute ſuâ, occultiſſima delicta, ſecreta cordium, affectus, deſideria, *noſti enim omnia*, noſti ignorantias meas, noſti delicta juventutis meæ, noſti omnia prava deſideria, omnes cogitationes, & arcana cordis, omnia commiſſa, & omiſſa à me.

Quid hic agam, quid dicam, dum tam oculatum inſpectorem omnium intra me hoſpitum habeam? *delicta mea paveſco, & ante te erubeſco.* O ANIMA CHRISTI SANCTIFICA ME, illumina, & clarifica intellectum meum; ut *noverim me, & noverim te*; noverim me abyſſum miſeriarum, noverim te abyſſum miſericordiæ: noverim me viliſſimum terræ vermiculum, noverim te Deum Majeſtatis, & Regem gloriæ, ſub ſpeciebus Euchariſticis maximum in minimo: ſ noſſe enim & amare te, Sanctitas eſt: per hæc ad te accedunt cœleſtes Spiritus, tibique uniuntur vitali vinculo, & in tuam puritatem faceſſunt.

Sunt non pauci, quos tenet dubitatio, ut quid in hac ſolennitate, Eccleſia uſurpet illud Proverb. 9. t *ſapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem?* quæ de anima Chriſti, v *in qua ſunt omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri abſconditi*, & ſeptem donis Spiritus ſancti, velut tot columnis, ceu periſtylio adornata, pulcherrime exponit Gillebertus: x *ſi ſedes ſapientiæ, anima juſti; multò magis domus ſapientiæ,* ANIMA CHRISTI, *amplius dicere debui, ſi amplius dicere potuiſſem: quia enim ſapientia in ea habitat, ideo domus dixi; ſed quia corporaliter habitat, ideo amplius dicere debui*: Proſequitur hæc, & ſubdit: *Dei igitur habitaculum dignum, pura* CHRISTI ANIMA, *quamvis aſſumpta; ſapientiæ tamen unita, ſcientiæ plenitudinem habuit, & hoc ſine menſura.* Tum columnas cœleſtis hujus domus deſcribit: *ſapientia ergo ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Quænam ſunt iſtæ columnæ? Spiritus* DOMINI: *Spiritus ſapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, ac timoris Domini. Ecce habes columnas ſeptem in domo Domini, ſed unde ſunt exciſæ? de monte umbroſo & condenſo, de monte Æternitatis, de monte divinæ Majeſtatis.*

Quiſquis es, ô homo, *anguſta & ruinoſa eſt domus animæ tuæ*, debilibus nixa columnis: ut non capiat, non ſapiat, quæ ſunt Spiritus, quæ cœleſtia, nec dulcedinem in hac arca reconditam: nihil in ea ſani conſilii, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum: nihil roboris aut fortitudinis, vix mica pietatis ac timoris Domini. Quare ſub tectum *domus ſapientiæ, quæ eſt anima Chriſti*, te recipe, ut fulciri, ac ſtabiliri valeas.

Venio nunc ad alteram animæ Chriſti facultatem, humanam

ſ Leſſius de perfect. Div. lib. 8. cap. 4. t Proverb. 9. verſ. 1. v Coloſſ. 2. verſ. 3.

x Gillebertus altercat. Synagogæ & Eccleſiæ cap. 20.

nem

nempe illius voluntatem, *y* in „ qua fuêre perfectiones actuales „ cujuſvis ordinis, naturæ, in- „ quam, gratiæ, & gloriæ. Ita ut „ nullus ſit voluntatis actus per- „ fectus, & cum ſtatu Chriſti „ conſentiens, quo honeſtatam „ fuiſſe ejus voluntatem negare debeamus, ut Raynaudus noſter fusè deducit. Honeſtarunt hanc Sanctiſſimam voluntatem, virtutes morales infuſæ, tum præter dona Spiritus Sancti, octo inſuper beatitudines, habituales æque ac actuales.

Origenes hom. 38. in Lucam: *z omnes beatitudines, quas locutus eſt in Evangelio Jeſus, ſuo firmat exemplo*: BEATI, *inquit* MITES; *huic ſimile eſt de ſemetipſo*: DISCITE A ME, QUIA MITIS SUM. BEATI PACIFICI; *Et quis alius ita pacificus, ut Dominus meus Ieſus, qui eſt pax noſtra, qui ſolvit inimicitiam, & in ſua carne deſtruxit?* BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR PROPTER IUSTITIAM; *nemo ſic perſecutionem paſſus eſt propter Iuſtitiam ut Dominus Ieſus, qui pro peccatis noſtris crucifixus eſt. Omnes igitur Beatitudines in ſemetipſo Dominus oſtendit.*

Ad quam ſimilitudinem etiam illud dixerat: BEATI FLENTES, *ipſe flevit, ut hujus quoque beatitudinis jaceret fundamenta*; quæ omnes virtutes & perfectiones in eminentiſſimo Sanctitatis gradu exiſtentes in animâ Chriſti, a *ſi ſcribantur, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Ecquis enim animo, nedum calamo complectatur flagrantem illam Chriſti infinito amore voluntatem, *b* in qua nocte *tradebatur*, in qua nocte tot ſannis & ludibriis impetebatur, tot plagis & vulneribus conſcindebatur, tradidiſſe corpus ſuum in cibum, ſanguinem in potum? ad quod perficiendum, quanto cor ejus deſiderio æſtuarit, his verbis conteſtatur: c *deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, & quomodo coarctor donec perficiatur?*

Hoc Chriſti deſiderium flagrantis & anhelantis, ut ſe nobis in Euchariſtico epulo communicaret, tot inflammatas ad illud divinum Epulum animas excitavit, quibus ut nos tepidi & toti frigidi accendamur, has faces ſubdo: Catharina Senenſis, fortè cum ſancto Raymundo Confeſſario ſuo peregrè ad religioſam aliquam familiam ſummo manè viſerat, quando domum reverſa, æſtus ſuos continere non valens, in has voces erupit: *O ſi ſcires, Pater, quantam eſuriem patiar!* Raymundus etſi probè noſſet, quem cibum eſuriret, jam ſerius eſſe, eamque nimis ex itinere defatigatam prætexere; at illa inſtare, opportunè, importunè flagitare. Fecit, ſubque ipſo ſacrificio, tanto deſiderio Catharinæ mens flagrabat, ut ſacra Hoſtia è manu Sacerdotis in os Catharinæ, amabili ſponſi prodigio, quo ardori illius, & ſuo ſatisfaceret, involarit.

Sic *d* B. Franciſci, à Puero Jeſu voluntas accenſa fuit, qui ipſo die

y Perfectio & Sanctitas voluntatis humanæ in anima Chriſti. Raynaudus Chriſtus homo l. 4. c. 4. ſect. 2. n. 223. idem l. 4. cap. 5. n. 272. 276. z Origenes hom. 38. in Luc. a Ioannis 21. verſ. 25.

b 1. ad Cor. 11. c Luc. 22. v. 15. d Barry practique de la perfection. c. 17.

die communionis, ſacra fame velut rabidus querebatur, tam tardas horas,& longas moras, antequam pane Angelorum veſci daretur: atque ad ſonum horologii exiliebat, clamitans: adhuc ſeptem horæ, adhuc quinque, tantum unica ſupereſt, ut ad menſam eamus. Nemo famelicus ſic corporales epulas eſurit, ut ipſe divinas: e *oportet namque ut Sancti deſiderii ardor præveniat faciem ejus, ad omnem animam, ad quam ipſe eſt venturus.* Joannes Berchmannus ita hoc f *pretioſum & admirandum convivium, ſalutiferum, & omni ſuavitate repletum* eſuriebat, ut ſi feſtum in Dominicam incidiſſet, totus triſtitia, melancholia obrueretur, ſuiſque ſociis amarè quereretur, occaſionem ſibi præreptam, frequentiùs cœleſti hoc epulo fruendi. Quod ſi ad integram hebdomadam (quod feſta non occurrerent) expectandum, clamabat ſe fame emori, mille ſibi annos videri, quibus ſacra illa menſa privabatur. O ſi his tam Sanctis faculis voluntas noſtra exardeſcat, ea fames, ſitiſque animam exurat, ut ſicut cervi ad fontem curramus, aut ut parvuli ad ubera matris anhelemus! ad hoc Chryſoſtomus nos aureo ſermone inflammat: g *nonne videtis qua promptitudine parvuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt? accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc menſam, & ad ubera poculi Spiritalis; quin imò cum longè majori trahamus, tanquam infantes lactentes, Spiritus gratiam: & unus ſit nobis dolor hac menſa privari;* una ſit nobis cauſa, inſtar infantum plorandi, ab his uberibu[s] ablactari; nullis incommodis, au[t] lenociniis contingat nos ha[c] privari.

e Bernardus hom. 31. in cant. f S. Thom. opuſc. 57. g Chryſoſtomus hom. 60. ad pop.

h Hoc ardore non ita priden[1] inflammatus adoleſcens uni è ſocietate famem ſuam expoſuit, dicens: hujus cœleſtis menſæ ve[l] unicam refectionem, non omitterem pro omnibus deliciis, quibus fruuntur mortales, & omnibus gaudiis, quibus perfruuntur cœlites: nemo hæc capit, qui non ſapit.

i Seraphica Thereſa dicere ſolita: nullus exercitus armatorum, nullæ cœli injuriæ, nec pluviæ, nec tonitrua aut fulgura impedirent mihi aditum ad templum, dum dies eſt Sacræ ſynaxeos; at quot hoc tempore reperire eſt, quos vel villa ſuburbana, vel aura pluvia, vel levis capitis, aut ſtomachi dolor, ab his divinis epulis remoratur?

Si Exempla tam ardenter amantium vos non exſtimulent, charitas Chriſti urgeat vos. Animęporrò Chriſti flagrantiſſimam charitatem, qua voluntas ejus à primo conceptionis momento exarſit, adeò incenſam fuiſſe conſtat, ut præ ea non modò & ardentiſſimi Auguſtini, & Seraphici Franciſci, Bonaventuræ, Dominici, Ignatii, Xaverii, Thereſiæ, aliorumque Sanctorum ardores; ſed & Cherubinorum & Seraphinorum ignes frigeſcant; *tam incredibilem & inexplicabilem in modum Dei amore*, ANIMA CHRISTI *exardeſcebat*, ut tradit vitæ ſpiritualis magiſter eximius *k*

h Barry cit. i ibid.

mius *k*. Amplificat eundem pro veritate & dignitate Ludovicus Bloſius *l*: dum ſtatuit in unum convenire omnes cœleſtes intelligentias,& animas rationales ab Orbe conditas, idque collato ſtudio ſuſcipere, ut unam è Chriſti perfectionibus charitatem, qua flagravit in nos, & corpus ſuum ac animam nobis donavit, calamo exprimerent:Inque eam vult ſuppetere ſingulis hominibus, & angelis velociter ſcribentibus, tantum atramenti, quanta eſt totius Oceani vaſtitas: ampliſſimam autem cœli molem in pellem pergamenam extenſam; quo poſito aſſerit fore, ut prius atramentum omne deficiat, & cœli vaſtitas adeò oppleta ſit characteribus, ut ne apici amplius locus eſſet, quam ut vel decimam perfectionis prędictæ partem deſcribant, imò vel unicum charitatis actum; ut enim omnes tot millium Sanctorum, totque millionum perfectiſſimos charitatis actus, qui propemodum infiniti, exararint,ne unum animæ Chriſti, qui longè altioris ac ſublimioris ordinis, adæquarint.

Quis nunc aſſequatur innumeros diviniſſimæ illius animæ actus omnes virtutum à primo momento ad extremum Spiritum, nullo plane tempore vel momento, ne ſomno interruptos?

m Non itaque Compoſtellam ad venerandum. S. Jacobi reliquias excurrendum eſt,non Aſſiſium ad corpus ſancti Franciſci Sanctitatis prodigium, non Goam ad S. Xaverium Indiarum Apoſtolum,quorum ſacræ exuviæ, omnem quam ſpirant Sanctitatem, & venerationem merentur, ab ipſa quæ informavit animâ, accepêre.

Unde ReligioſusDoctor Campenſis miratur catholicos tam parvæ fidei, ut multi excurrant ad extera loca, ad Sanctorum SacraLipſana luſtrandum,neglecto omnis Sanctitatis theſauro, qui in venerabili reconditur: n *currunt multi ad diverſa loca pro viſitandis reliquiis Sanctorum*, curioſitate ſæpe non ſancta, fructu nullo, aut exiguo, *& mirantur auditis geſtis eorum, ampla ædificia templorum inſpiciunt, & oſculantur ſericis & auro involuta ſacra oſſa ipſorum. Sæpe in talibus videndis curioſitas eſt hominum, & novitas inviſorum, & modicus reportatur emendationis fructus; maximè ubi eſt tam levis,ſine vera contritione diſcurſus. Et ecce tu præſens es hic apud me* (& intra me) *Deus meus*, SANCTUS SANCTORUM. Intra cordis mei domicilium requieſcit illa o *arca ſanctificationis* Sacratiſſimi corporis tui: & *urna aurea*, p id eſt teſte S. Thoma, SANCTA CHRISTI ANIMA, quam Rupertus præclaro elogio, paradiſum omnium cœleſtium deliciarum appellat, dicens: q *quod mirabile, poſuit ſpiritus ſanctus in homine Deo. Attamen cui mirum hoc videbitur ritè perpendenti amplitudinem* ANIMÆ EJUS? *nec enim parva amplitudinis eſt* ANIMA, *in qua plenitudo divinitatis inhabitat. Igitur*

k Ioan. Avila tract. in illud audi filia cap. 78. 79. l Bloſius in conſolat. Puſillan. imit. 5. de immenſo Dei erga homines amore. m Raynaud. cit. lib. 4. c. 4. n. 267.

n Thomas à Kempis, de imitat. Chriſti, l. 4. c. 1. §. 9. o Pſal. 131. p S. Thom. 12. q. 102. a. 4. ad 6. q Rupert. l. 1. de oper. Spiritus Sancti cap. 18.

ut

ut verius dicam, ipſa TALIS ANIMA, PARADISUS DELICIARUM DEI FACTA EST. *Intra ſe plantatum continet lignum vitæ, id eſt ipſam Verbi æterni ſubſtantiam: lignum quoque ſcientiæ boni & mali.*

Ut autem ſciatis *r* in quo potiſſimum omnis ipſius Dei, & animæ Chriſti, ac voluntatis ejus Sanctitas ſita ſit, ut & illa ſanctificari poſſitis, tertium modum aſſigno, quo propriiſſimè *Sanctum* dicitur, quod eſt purum, incontaminatum, & ab omni labe immune, ut de Chriſto dixit Apoſtolus: *ſ* SANCTUS, *innocens, impollutus*; ad cujuſmodi Sanctitatem fideles hortatur, ad Epheſ. 1. v 4. *ut eſſemus* SANCTI ET IMMACULATI, intuentes in exemplar ejus, qui *t* SANCTUS SANCTORUM eſt, ut Princeps Apoſtolorum commonet: *& ipſi in omni converſatione SANCTI SITIS; quoniam ſcriptum eſt, SANCTI ERITIS, quoniam ego SANCTUS SUM.*

Sic Sanctitatem definit, t *divinis in rebus conſiderandis & explicandis excellentiſſimus Dionyſius,* his verbis: v *SANCTITAS, ut ſecundum nos dicatur, eſt ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata munditia*; ſecundum hanc ſanctitatis definitionem, dixit Paulus ad Epheſios 5. v. 25: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea* (corpus & animam) *ut ILLAM SANCTIFICARET, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi; ſed ut SIT SANCTA ET IMMACULATA*; quæ verba non ſolum de Eccleſia in cœlis triumphante; ſed & in terris militante Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus intelligunt, dum ea accipiunt de Sanctitate vitæ, & animæ, quæ quamvis non in omnibus, in multis Eccleſiæ membris reperitur.

Hæc autem ſanctitas, ſeu perfecta puritas à Sancto Thoma in tres gradus diſtinguitur, ſic etenim docet in commentario S. Dionyſii de divinis nominibus c. 12. x *In his verbis tres gradus munditiæ deſignantur, qui ad SANCTITATEM requiruntur. Quorum primus eſt, libertas ab omni immunditia*; quodvis autem peccatum vel minimum veniale, immunditia quædam eſt; qua inquinati in conſpectum Dei venire, & Cœlum ingredi, non poſſunt; quia illuc y *nihil coinquinatum intrabit.* Cum ergo quodvis veniale ſit quædam impuritas, & immunditia maculans animam, directè opponitur ſanctitati, cui intrinſeca eſt perfecta munditia. Quare z cum Deus ſit ipſa ſanctitas, ſummè illi diſplicet omne peccatum, nam ſicut luci adverſantur tenebræ, & pulchritudini deformitas, & puritati contaminatio, & rectitudini obliquitas, ita ſanctitati repugnat, ac exoſum eſt omne peccatum. In hanc rem, occurrit illud Divi Bonaventuræ, exponens illud *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus*, ubi de Chriſto ſic ait: a *SANCTUS in Corpore,*

r Vera ac propria Sanctitas in quo conſiſtat: ſ Ad Heb. 7. v. 6. 1. Petri 1. v. 15. t Damaſc. quæſt. 4. ad Antioch. v Dionyſ. de divin. nomin. c. 12.

x S. Thom. commentar. in D. Dionyſ. c. 12. Tres gradus Sanctitatis. gradus primus. y Apoc. 21. z Leſſius de perfect. divinis l. 8. c. 4. a S. Bonav. dom. in oct. Pentecoſt. de SS. Trinitat.

re, *SANCTUS in Anima*, *SANCTUS in Divinitate. SANCTUS eſt Chriſtus in Corpore*, *Pſalm.* 64. *SANCTUM eſt templum tuum,templum utique Corporis*, *de quo Ioannis* 2. *Solvite templum hoc. SANCTUS in Anima, Pſalm.* 98 : *cuſtodi animam meam*, *quoniam SANCTUS ſum. Propriè hoc convenit Chriſto : cuſtodit Dominus animas SANCTORUM SUORUM* ; *& quia Anima Chriſti præ omnibus eſt SANCTA, IDEO PRÆ OMNIBUS DETESTATUR QUIDQUID SANCTITATI CONTRARIUM EST.* Hinc ſanctæ animæ, quotidiana delicta ſua, licet minuta, conſiderantes, veritæ ſunt ad hanc omnis puritatis, & ſanctitatis arcam accedere.

Secundus gradus munditiæ eſt, inquit ibidem S. Thomas, *ut ſit munditia perfecta. Perfectum autem eſt, cui nihil deeſt. Contingit autem quandoque, quod aliquis immunditiæ quidem non ſubjacet; deeſt tamen ſibi aliquid ad munditiam, in quantum paſſionibus immunditiæ inquietatur, quæ cum tolluntur, ſit perfecta munditia.*

Motus autem paſſionum nos inquietantium, intelligendi ſunt voluntarii vel in ſe, vel in cauſa; ſunt enim actus inordinati contra rectam rationem, adeoque peccaminoſi, & illibatæ illi puritati, ac integerrimæ ſanctitati contrarii. Hos autem qui frænaverit, iiſque animam prorſus mundam, & immaculatam ſervarit, quis eſt hic? Hercule nemo. Non tamen deſperet; ſed omni macula peccati mundam, & nullo paſſionum motu inquietatam Chriſti animam oret, & exoret : ANIMA CHRISTI SANCTIFICA ME, per manſuetudinem tuam, ne motus iracundiæ in me exardeſcant, & verbo aſpero, aut lingua offendam : ne ulli malum pro malo reddam; qui pretioſam animam tuam poſuiſti pro hoſtibus tuis, & pro perſecutoribus exoraſti. *b* Per humilitatem tuam,ne evaneſcam in cogitationibus meis, aut quidquam mihi amore tui, honori meo adverſari ſentiam, qui poſuiſti animam tuam non tantum in compedibus,ſed & expoſuiſti omnibus ſannis & opprobriis, etiam in hoc auguſtiſſimo ſacramento, gentilibus,hæreticis, atheis, perfidis chriſtianis ſaturatam. Per benignitatem tuam, qua benigniſſima anima tua ſeſe omnibus ſine invidia communicat, ne paſſio invidiæ & diabolicæ æmulationis, de bono alterius in anima mea locum habeat;

Quæ nequitiæ ſunt etiam in cœleſtibus, ne hæc religio præter alia concurſum habeat; & inter ſanctimoniales, ac filias Deo devotas, dum hæc præ alijs apud Patrem ſpiritualem gratia valere, frequentius & diutius audiri,frequentius ſacram menſam accedere deprehenditur. Ut æmulari poſſimus chariſmata meliora, unam Dei gloriam, quam anima Chriſti, ſancta in omnibus operibus ſuis ſpectavit, æmulantes.

Per divinam corporis & animæ tuæ, ſupra omnes Angelos, puritatem, extingue in me omnes illicitos motus concupiſcentiæ, ut tibi caſto corpore & anima placeamus, & amplexibus tuis jungamur. Et ſic de cæteris.

b Ara tria animæ Chriſti, ut Ionathæ Davidis.

Ter-

Tertius gradus munditiæ eſt, ut ſit omnino immaculata; erit autem immaculata munditia, cum non ſolum in ſeipſo aliquis puritatem habet; ſed etiam nihil eſt exterius quod eum ad immunditiam trahere poſſit; in quo ſumma ſanctitas, omnium qui in terra miraculis, & divinis prodigiis claruere, & in Cœlo gloria ſublimati ſunt, conſiſtit; ſi nempe ea puritate animæ non ſolum præditæ ſint, ut ab omni nævo, & macula peccati prorſus illibatæ ſint; ſed & inſuper ea ſanctitate præditæ, ut *nihil exterius* adveniens, aut à carne, vel mundo, vel dæmone *ad immunditiam trahere poſſit*: non tentationes, deſolationes, tribulationes, non affectus parentum, propinquorum, non illecebræ carnis, non honores, aut divitiæ: ſed cum ſanctiſſimo Apoſtolo dicat, & ſentiat: *quis nos ſeparabit à charitate* Chriſti?

Concludo cum S. Thoma: *in his tribus munditiæ gradibus*, RATIO SANCTITATIS PERFECTÆ CONSISTIT; qua qui præditi ſunt, eò pertingunt, ut divino omnis puritatis & ſanctitatis fonti intimè uniantur, & animæ Chriſti, arctius quam anima Jonathæ & Davidis conglutinentur: c *munditia* enim, ut ſcitè Doctor Angelicus obſervat, *neceſſaria eſt ad hoc, quod mens Deo applicetur: quia mens humana inquinatur ex hoc, quod inferioribus rebus conjungitur; ſicut quælibet res ex commiſtione pejoris ſordeſcit, ut argentum ex commiſtione plumbi*: d ſanctitas enim puritas „eſt; ſicut autem impuritas na-„ſcitur ex contactu inferiorum, ut cum facies aut veſtis luto „aſpergitur, vel cum anima per „affectum inferioribus inordi-„natè inhæret; ita puritas oritur „ex contactu ſuperiorum, cum „affectus ad ſublimiora & nobi-„liora aſſurgit, & iis inhæret.

Itaque *cum ſumma puritas ſit* „*ſanctitas*; illa ſita eſt in puro & „perfecto amore, & conjunctio-„ne cum Deo. Unde ſubdit di-„vus Thomas: e *oportet autem* „*quod mens ab inferioribus rebus ab-„ſtrahatur; ad hoc quod ſuprema* „*rei poſſit conjungi; & ideo mens* „*ſine munditia Deo applicari non* „*poteſt. Unde ad Hebræos.* 12. *dici-„tur: Pacem ſequimini cum omni-„bus, & SANCTIMONIAM, ſi-„ne qua nemo videbit Deum*; ubi „ad perfectam unionem cum „Deo, qua per viſionem ſancti, „puritatis fonti junguntur, ſum-„ma ab omni labe puritas requi-„ritur; ita & in nobis, ut per gratiam, & ſanctimoniam ſacratiſſimo illius corpori, & animæ copulemur.)

Quare, ô anima mea, dum ad hæc Sancta Sanctorum accedis, ſolve calceamenta tua omnium terrenorum, & carnalium affectuum: depone omnem humanam cogitationem, omni mundanâ affectione te exſpolia, omnem exue amorem proprium, ut ſolius Domini tui ſapientia intellectum tuum occupet, ejus unius voluntas te afficiat, ſolius ejus amor in corde tuo regnet. Hac videlicet ratione, idem cum Chriſto ſapiendo, & volendo idem cum eo Spiritus, & una quodammodo anima fies, omnique pariete medio ſublato, unc in corpore, eodemque corde

c S. Thom. 22. q. 81. art. 8. d Leſſius, de perfect. divin. l 8. c. 1. n. 5.

e S. Thom. cit.

cum

cum ſanctiſſima Chriſti anima commorari, & arctiori ac nobiliori vinculo quam anima Jonathæ Davidi,illi intimè conglutinari poteris.

Notum eſt apud mundi ſapientes, quomodo per ſimilem judiciorum, voluntatum, atque affectuum conſpirationem, duobus etiam in corporibus, duabus ex animabus, unam amicitia conflat: quanto magis eodem in corpore id charitas præſtabit? *O anima Chriſti*, haud mearum id eſt virium, ut unus Spiritus, & una anima ſiam; ſed Patris tui, quem diſcipulis valedictura, pro hac in te credentium unione verbis illis diviniſſimis compellaſti: f *ut omnes unum ſint ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint.* Utinam precum harum efficaciam, mihi in te credentium minimo applicare digneris, ut in intimam tecum unionem, adeoque cum Patre, & cum Spiritu Sancto admittar! ideo claritatem quam dedit tibi Pater, te nobis dediſſe (in hoc præſertim mirabili & amabili Sacramento) eodem in ſermone declaraſti, ut hæc unio conſummaretur in nobis. Per gratiam igitur tuam, conglutinetur tibi anima mea, ut ſic amborum animæ, eodē in corpore unanimes cōmorentur. Aut potius, cede corpore anima mea, ſuo illud jure anima Chriſti occupavit; unum non capit duas. Cede tuo creatori ac Domino, & forinſecus potius, qua per oſtia aut cancellos licebit, inter cœleſtium aulicorum turbam, ſupplici poplite tantum hoſpitem adora.

O anima animæ meæ, per quam vivo, ſine qua mortua eſt anima mea; Purifica me, & anima me, ut certius, quam olim Paulus, uſurpare poſſim: g *vivo autem non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

Unde & illa ſingularis prærogativa accedet, ut ipſa animæ Sanctitas in corpus redundet, ac ſe diffundat; nam ut ait Auguſtinus: h *fieri non poteſt ut ſanctificato Spiritu, non ſit ſanctum etiam Corpus, quo ſanctificatus utitur Spiritus.*

Unde ſit, ut corpus inſtar Hierothecæ venerandum ſit; quodque magis ſtupendum, ac ſuſpiciendum ſit, ut Martyribus, Doctoribus, Virginibus, ſua peculiaris laureola eſt, ita & ſingularis iis tribuatur in Cœlis, qui ſæpius divino corpori & animæ per ſacram communionem intimè uniti ſunt. Hæc graviſſimorum Theologorum ſententia eſt. Lorinus ſic ait: i *non defuere, qui affirmarunt his, qui Chriſti corpus ſumpſerint, tribuendum in corpore peculiarem quaſi ornatum IN SIMILITUDINEM LAUREOLÆ, cum immortalitas ipſa corporis, tanquam porprius effectus Euchariſtiæ cenſeatur.* Addit Vega: ideo forſan in hujus rei typum, olim altare laureola cingebatur, ut hanc ritè communicantium Laureolam exprimeret; cui cògitationi adſtipulatur Celada in Judith. Tom. 1. verbo *Euchariſtia.* Hautin. de Sacramento amoris.

f Ioan. 17. v. 21.

g Galat. 2. v. 20. h S. Aug. l. de bono viduit. c. 6. i Lorin. act. 2. v. 11. apud vegam Theol. mariana palæſtra. 21. certam. 5. n. 1487.

Ccc § II Co-

§. II.

Corpus Chriſti ſalva me.

MIrabile fuit commentum, inſolens inventum, & inauditum teſtamentum glorioſiſſimi Antiſtitis Genuenſis, S. Franciſci Saleſii, *k* qui cum adhuc adoleſcens Patavii, ubi juriſprudentiæ dabat operam, acuta febri propè ad extrema deductus, cerneret præſcindi ſpem (quam ingentem conceperat) bene de republica merendi dum viveret, voluit ſaltem prodeſſe poſt mortem, quà poſſet; ideoque Univerſitatis illius medicis proprium ſuum corpus ad anatomiam legavit; credo ut ex eo omnes aliorum latentes in corpore humano morbos explorarent, & ſic omnium ſaluti, impendio corporis ſui conſuleret. At quantò nobiliorem & excellentiorem *l* anatomiam amor Jeſu in ſalutem noſtram inſtituit, qui ſacratiſſimum corpus ſuum, quod tranſiit benefaciendo, & ſanando omnes, tradidit vivum crudelioribus manibus judæorum quam Anatomicorum, per omnes nervos & fibras dilaniandum; nec ſemel tantum: ſed & amabili teſtamento, hoc millies & millies ſaluti noſtræ donavit, ut ex eo, non ut multi qui indigne tractant, crudeli laniena rurſus crucifigentes filium hominis; ſed ſpirituali anatomia in ſano ac ſancto hoc corpore, omnes animarum noſtrarum morbos ſcrutemur, atque inde medelam, & ſalutem conſequamur.

Offert hic ſeſe mihi primum, m *caput* illud auro optimo præſtantius, quod quo in pretio habendum, qua veneratione excipiendum, paucis videamus. Inter humani corporis membra, caput præſtantiâ & dignitate principatum obtinet, & arcis inſtar, ac capitolii, cæteris præeminet; unde naturæ ocellus Plinius: n *hanc habent ſenſus arcem, huc venarum omnis à corde vis tendit, hic deſinit. Hic culmen altiſſimum, hic mentis eſt regimen.* Eodem ſpectat illud Principis Philoſophorum, o qui *CAPUT* aſſerit *membrorum omnium humani corporis eſſe præcipuè divinum, & ſacrum, cum ſit principium cogitationis,* & operationum omnium. Hinc Varro *caput* dictum credidit, quod ab eo *nervi initium capiant*, per quos in corpus, omnes vitæ ſenſus, & motus derivantur. De quo præſtat audire ſanctiori ſtylo Divum Ambroſium ſic diſſerentem: p *CAPUT eſt, quod fovet membra omnia, dirigit, atque implet ſenſibus; inde ductus venarum, meatuſque Spiritus, ſanguinis vires in totius partes corporis derivantur: luſtrat omnia, ornat omnia. Sublato capite, corpus ſine nomine eſt: non agnoſcitur, nec ulla ſupereſt uſura vivendi;* propterea qui in aliquo damnantur crimine, tanquam ii qui propoſito humanæ moderationis exciderint, formam quoque humanæ conditionis jubentur exuere: reciſo enim capite, reliqui corporis truncus, beſtiarum corpori com-

k S. Franc. de Sales corpus ſuum legat medicis in anatomiam. l Anatomia ſpiritualis Corporis Chriſti.

m Caput Chriſti. n Plinius l. XI. c. 37. o Ariſt. l. 1. de nat. animal. c. 11. p Amb. in pſal. 118. octav. 20.

pa-

paratur: & ſapientiæ arce fraudatur, qui ſapientiæ rationem tenere non potuit: q *in capite enim eſt vigor vitæ, in capite eſt gratia venuſtatis.*

Quæ omnia, ut veriſſima in corpore humano experimur, longè potentius caput Chriſti, quod noſtrum eſt, cujus membra ſumus, in animas noſtras operatur. r *ipſe eſt CAPVT corporis Eccleſiæ*; ubi idem Doctor: *MYSTICVM CAPVT Chriſtus eſt, quia omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt CAPVT Corporis Eccleſiæ. Hoc CAPUT qui amiſerit, vivendi uſum habere non poterit.* Tum ſimilitudine ſerpentis inducta, *hoc CAPVT, humani ſervate ſerpentes. Etiamſi omnia membra cædantur, totum uratur corpus incendiis, mergatur profundo, hoc tamen CAPITE CVSTODITO, vita integra eſt: nemo enim poteſt perire, cui non ſublatus eſt Chriſtus CAPUT; Ex quo omne corpus per compaginationem, & colligationes ſubminiſtratum & copulatum, creſcit in incrementum Dei.* Hoc caput arca eſt omnium theſaurorum Dei, hoc caput fons & ſcaturigo eſt omnium gratiarum, hoc caput paradiſus eſt deliciarum, & hortus ſanctarum animarum. Hoc caput gloria eſt generis humani. ſ *Caput illud* inquit Bernardus *angelicis Spiritibus tremendum denſitate ſpinarum* (pro te) *coronatum*, caput dignum cingi roſis & liliis, quia ipſe eſt *flos campi & lilium convallium.* Caput illud dignum coronari lauro & auro, *corona aurea ſuper caput ejus*, quia omnia ipſius ſunt. Caput illud dignum redimiri, gemmis & adamantibus, *corona de lapide pretioſo*, quam Martyribus promiſit: quia ipſe eſt caput Martyrum. Hoc caput dignum coronari *corona ſtellarum duodecim*, circumdari ſolis radiis. Hoc caput, hic vertex ſpinis coronatus, *factus eſt tibi ſpeculum patientiæ, & præmium patientis.* Hoc dum in ara cordis tui conquieſcit, attentius contemplare animula vana & vaga, quæ tot horas ante fragile cryſtallum fallacem formam tuam ſpeculando, criſpando, calamiſtrando, ceruſſando, floribus caput tuum adornando, inſumis: noli poſthac ſequi filias hujus ſæculi, in opprobrium Dei luxuriantes, & clamantes: t *coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*; ſed omni capitis ornatu depoſito, cum S. Eliſabetha, erubeſce *ſub ſpinoſo capite membrum fieri delicatum*, & verticem geſtare ornatum. Dic cum mellifluo Bernardo:

v *Salve CAPUT CRUENTATUM*
Totum ſpinis coronatum,
Conquaſſatum, vulneratum,
Et tam dire verberatum.
Meum hoc quam diſparatum!

Queſtus olim, & etiamnum benigniſſimus Jeſus: x *vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos; filius autem hominis non habet UBI CAPUT SUUM RECLINET*; fractis & conſciſſis omnibus membris, caput illud ſpinis lacerum, nullam invenit mollem culcitram, non olorinum cervical, in quo reclinet.

Reclinatorium & quidem *au-*

q Ibid. r Ad Coloſſ. 1. verſ. 18. Amb. cit.

ſ Bern. ſerm. 77. in cant. ſap 2. v. 8. t Bern. ſerm. 5. de omnib. Sanctis. v Bern. in Hym. de paſſ. x Luc. 9.

reum, ſtratum charitate, optat animam tuam, cervical ſibi commodum, poſtulat cor tuum; ſed quia ibi nidificant & habitant Spiritus nequam, ſuggeſtiones & affectiones pravæ, *non HABET UBI CAPUT RECLINET.* S. Ambroſius: y *volucres Cœli*, Dæmones intelligit, *quæ frequenter ad nequitiæ ſpiritualis ſimilitudinem derivantur, veluti nidos quoſdam ſtruunt in pectoribus improborum; & ideo Filius hominis, quia abundavit iniquitas, non habet ubi CAPUT SUUM reclinet*; z ſed ubi mentem candidam, animam innoxiam, cor immaculatum nactus fuerit, ibi aptum capiti ſuo pulvinar reperit: *CAPUT enim Chriſti, Deus eſt: qui ubi mentem probavit innoxiam, ſuper illam quodammodo vim ſuæ Majeſtatis inclinat.*

In anima, in domo; ubi nidificat invidia, ira, diſcordia, non habet Deus pacis & dilectionis, *ubi Caput ſuum reclinet.* Tu Antiſtes in diœceſi caput es, tu Prætor in republica caput es, tu Paterfamilias in domo, uxoris tuæ, & domeſticorum caput es, ſubditos inter ſe, & domeſticos vides diſſidentes, rancore, & furore omnia perturbas, dum caput illud, cujus membra ſumus, cogitat cogitationes pacis, cui in pace factus eſt locus, ubi caput ſuum reclinavit.

a Quando Gregorius IX. Vir ſanctiſſimus, populi tumultum ſedare nequiret, ſed cum perfido Imperatore Frederico in caput ſuum, totiuſque Eccleſiæ conſpirarent, Apoſtolorum *Petri & Pauli capita* ſumpſit in manus, & è ſublimi cunctis exhibens ſpectanda, orationem habuit commiſeratione plenam, fluentibus ubertim lacrymis, tantum Theſaurum civibus commendans, ne ſinerent in Barbarorum rabiem devenire. Qua potenti peroratione, & pathetica ſanctorum Capitum ſcena, omnes tumultus ſedavit, animoſque ad ſacra illa pignora ſuo ſanguine propugnanda, inflammavit. Quam mortua & arida Apoſtolorum capita urbi Romanæ pacem & tranquillitatem peperere; non potuit illud etiamnum ſpirans, Sacroſanctum Chriſti caput in domum tuam, in animam tuam, expulſo omni livore, rancore, & perturbatione tranquillam pacem inducere? ſi non veſtri, ſaltem ipſius amantiſſimi Sponſi miſeremini, ne illum diutius ante oſtium pulſantem, præ tumultu qui intus eſt, non audiatis, & ſub dio, & frigore, tam charum & pretioſum caput excludatis.

Sponſus ardentiſſimè optat introitum ad cubile Sponſæ ſuæ, pulſat & clamat: *Aperi mihi ſoror mea Sponſa*; nec modò Cant. 5. v. 1. amatoriis blanditiis allicit; ut in penetrale cordis tui admittatur; ſed efficaci perurget argumento, ex iis quæ foris patitur incommodis, à Gentibus, Judæis, Hæreticis, & perfidis Catholicis; quorum aditu excluſus, indigna patitur, Aptè ad rem noſtram Rupertus: b *dilectus meus foris eſt, ſub dio eſt, tectum non habet. Domum ergo jam non habens ſuam, & nondum adeptus alienam; id eſt à Iudæis jam repulſus, & gentibus nondum cognitus* (& à pravis Catho-

y Sanctus Ambroſius in cap. 9. Lucæ z Ambroſius ibidem. a Sapiens fructuoſus lib 4.

b Rupert. l. 5. in cant.

licis excluſus) *quodammodo ſtans foris, & pulſans, rogat intus ſuſcipi, & hæc vox dilecti mei pulſantis,* c *APERI MIHI SOROR MEA. &c. Quam ob cauſam? videlicet quia CAPUT MEUM PLENUM EST RORE, & cincinni mei guttis noctium:* d *Extraneus quippe fratribus meis & peregrinus filiis matris meæ. Et ſicut ejus qui foris eſt, & tectum non habet, CAPUT PLENUM EST RORE, & cincinni pleni ſunt guttis noctium, ita opprobria exprobrantium ceciderunt ſuper me. Et ſicut me extra portas ſuas, ut crucifigerent, ejecerunt; ita de cordibus ſuis longè fecerunt. Et ſicut faciem meam conſpuerunt, ita pertinaciter blaſphemias in caput meum jactitant, & cincinnos meos commaculant.*

Hoc venerandum caput ſputis deturpatum, calumniis dehoneſtatum, ſudore, & ſanguine oppletum, nonne tibi cœleſti rore plenum videtur? quid illum per menſem, & annum ſub dio ſtantem, pulſantem, clamantem ſub tectum tuum non admittis? e HOC EST CAPUT ILLUD, inquit Ambroſius, *quod æſtu mundi neſcivit areſcere.* HOC CAPUT *ſibi abundat; rorat aliis; & bene abundat* CAPUT CHRISTI, *qui plenus eſt, nec liberalitatibus exhauritur ſuis, aut diuturna deficit largitate.* Tum capillos & cincinnos Nazareni noſtri deſcribit, è quibus vel unicus crinis, hoc tam divino rore madens, ſat eſt ut cor noſtrum vulneret, quia mille mundis pretioſior. Hoc pulcherrimum capitis capillamentum hos cincinnos amore invicem colligatos, & gratiæ, omniumque virtutum fulgore radiantes, *non calamiſtris compoſitos, & varia arte digeſtos* ait; *ſed multiplici criſpante virtutum nitentium gratia refulgentes.* Quare aperi, & remove peſſulum pigritiæ, puſillanimitatis, anxietatis, quod dignus non ſis, ut veniat ſub tectū tuum. Fateor, ſed aperi, ut animam tuam aridam, cœleſti rore, quo caput ejus plenum, irriget, & gratiæ fluentis reficiat: f *Aperi mihi ſoror mea, inebriabo te guttis meis; non accedo ſterilis, ſed madens ſuaviter, illabente rore gratiarum. Ros tibi fluet, & Deitatis meæ inſtillabo arcana.* CAPUT MEUM PLENUM EST RORE: *ipſe eſt ros, ipſe illabitur animæ, & ejus medullas irrigat.*

Hoc tam venerandum & amandum caput, ubi ſub Euchariſticis ſpeciebus, cor tuum ſubit; viva fide, firma ſpe, ardenti charitate complectere, & omni pronus reverentia venerare. g Felix anima, *felix membrum,* clamat Bernardus, *quod huic adhæſerit per omnia* CAPITI, *& ſequetur illud quocumque ierit;* ſive per conſolationes ſive per deſolationes duxerit. Et mox: h *mihi omnino adhærere tibi bonum eſt.* O CAPUT GLORIOSUM, ET BENEDICTUM IN SÆCULA, *in quod & Angeli proſpicere concupiſcunt.*

Quanta in veneratione & honore, quanto populi concurſu i caput S. Joannis Baptiſtæ præ-

c Cant. 5. v. 2. d Pſal. 68. v. 9.
e Amb. l. 3. de Virgin.

f Gillibal. ſerm. 43. in cant.
g Bern. ſerm. 1. in cap. jejunii.
h ibid. i Ferrandus de reliquiis.

curſoris domini Ambiani viſitur, & frequentatur mortuum & exſangue, ob præſtantem quæ illud inhabitavit animam, & organum fuit cœleſtium operationum.

Sed de hoc diviniſſimo capite, vivido, ſpiranti, glorioſo, quid ſentitis? multis inaudita, quæ de Doctore Seraphico referuntur. k Cum Martinus Sueſſanus orationem panegyricam haberet in laudem divi Bonaventuræ; recenſitis pluribus prodigiis, id ſubjunxit! non committam ut ſilentio prætercam, ſtupendum ac memorabile quiddam: dum corpus hoc venerabile, transferretur ad novam Eccleſiam, centeſimo & ſexageſimo ab obitu ejus anno, reliqua corporis ejus parte alioqui exeſâ, atque corroſa, *CAPUT tamen ſolidum habens, capillamentum, labia, dentes, & lingua in nullo à vitali ſtatu, aut colore demutata, reperta ſunt.* Erat profecto divinæ clementiæ, illud caput cœleſtium ſcientiarum, & divinarum cogitationum arcem, & os illud à putredine ſervare, quod in ſalutem fidelium, & laudes Deo concinendas celeberrimum fuit.

Ecquis non beatum ſe exiſtimaret, ſi hoc ſacrum caput oculis contueri, oſculo venerari, manibus contingere daretur? Aliud, & infinities majus, ac excellentius vobis conceſſum eſt, ut diviniſſimum Chriſti caput, in quo tota divinitas, & *Sanctiſſima Trinitas* conquieſcit, non dico oſculo venerari, manibus contrectare, ſed intra intima viſcera recipere, ulnis animæ complecti, & cordis ſinu recondere valeatis; quo omnes corporis ſenſus; & mentis facultates advocandæ, ut excellentiſſimos admirationis, agnitionis, humiliationis, proteſtationis, venerationis, adorationis actus eliciatis.

Lucent in hoc Deitatis capitolio, l *oculi* Domini, duæ feneſtræ lucis æternæ; nam ut Hieronymus teſtatur: m *igneum quiddam, & ſiderium radiabat ex oculis ejus, & divinitatis Majeſtas relucebat in facie.* Optici, & Anatomici, oculum cum ſuis tunicis, fibris, humore cryſtallino, aqueo, vitreo, conſiderantes, miraculum naturæ appellant; Hæc organa perfectiſſimè à S. Spiritu efformata, divinitate informata fuere, & immenſus eſſem ſi iis immorarer. Dixiſſe ſufficiat: n OCULI DOMINI *multò plus lucidiores Sole;*

Teſtis oculatus religioſus ſacerdos, ut gravis auctor commemorat, ingenti deſiderio ſcire exoptabat, quid ſibi vellent ea verba Gen. 49: o *pulchriores ſunt* OCULI *ejus vino.* Voti cœlitus compos factus: dum Sacris operatur, vidit in ſacro calice, Chriſti faciem, ejuſque oculos tanto lumine radiantes, ut mundum univerſum, etiam in mediis tenebris, longè uberius quam vel *mille Soles* poſſent illuſtrare.

Hi oculi, ubi omni lucernâ clariores, interiorem Jeruſalem ſcrutantur, & omnes angulos, ac receſſus luce ſua luſtrant, & colluſtrant, quanta neceſſe eſt, tibi confuſio, pudor, erubeſcentia ſuboriatur: quas non ſordes, quæ monſtra effrenium paſſionum, brutorum affectuum, quæ Augyæ ſtabula reperiet; ſed confidite:

k P. Petau, Annal. anno. 1274. n. 29.

l Oculi Chriſti. m Hieron. in Matt. cap. 21. n Eccl. 23. o Corn. à lapide in c. 43. Ezech. pag. 383.

ocu-

oculos illos immenſa ſua charitate in morte clauſit, diſſimulans peccata hominum, ut eos redivivus Patri pro nobis aperiat, & in hoc amabili Sacramento divinis ſuis oculis potentius, ac penitius, quam olim Zachæum è ſycomoro, Matthæum in telonio, Petrum in Caiphæ domo reſpiciat.

Chryſologus oculorum Chriſti vim, & virtutem deſcribens, in illa verba Matth. 9: *vidit hominem ſedentem in telonio* ait: p *vidit hominem Jeſus*; *ſed plus* DIVINIS OCULIS, *quam humanis*: quem ut vidit Dominus, ita Matthæum perſtrinxit, & radiis ex iis emicantibus everberavit, ut ad omnia humana caligaret, & ſolum Jeſum agnoſceret: q *vidit illum Deus, ut ille videret Deum.* Quid mirum, omnem animi noxam evaneſcere, r ubi oculi Domini multò plus lucidiores Sole, in eum evibrantur? ſ vidit illum Dominus miſericordiæ oculo; non juſtitiæ cenſorio ac ſevero, *ut peccata hominis non videret.* Blandæ matris indulgentia, in filio, quem nimio amore deperit, nævos, & maculas non videt: aut ſi videt, diſſimulat, & connivet.

O Domine Jeſu, quando dignaris vile cordis mei tugurium ſubire, hoc benigno oculo me intuere: t *reſpice in me, & miſerere mei*; quæ potiſſimum ſub epulis Euchariſticis ardentiſſimè expendit, & ingeminando proponit Divinus Doctor Auguſtinus: v *de Deo dicimus*, RESPEXIT ME, *quid eſt* RESPEXIT ME? *ante enim te non videbat? aut rurſum attendebat, & precibus tuis commotus eſt, ut in te* OCULOS *mitteret? videbat te & ante: ſed reſpexit me, dicis, dilexit me, & homini qui te videt, dicis, & rogas eum, ut miſereatur tui,* RESPICE ME! *quid eſt* RESPICE ME? *dilige, attende, miſerere mei.* Reſpice me Domine, ut diligam te. Ante faciem Solis, vides nivem colliqueſcere, glaciem reſolvi; ſed oculi Domini faciunt etiam ſaxa liqueſcere, rupes molleſcere. Supra omnem glaciem, & cryſtallum, in duriſſimam petram, pectus PETRI obriguerat: x *converſus Dominus* RESPEXIT PETRUM, derepente omnem rigorem, inſtar nivis, ac ceræ, in amariſſimas lacrymas fecit colliqueſcere; magno quippe teſte Gregorio: y *cordis duritiem, cum reſpicit, emollit.*

Quantumvis obdurati corde, & animo inſenſibiles, ante hunc Euchariſticum Thronum gratiæ vos proſternite, & amabilem hunc Dei oculum vobis intentum, & intima cordis penetrantem, attendite: z *hic ſolus inſenſibilitatis veſtræ duritiem, cum reſpicit, emollit*; quo fiet, ut cum Zachæo, & Matthæo, eum cordis hoſpitio excipere mereamini.

Qui volet, ad hujus amabilis hoſpitis a *os*, & labia contemplanda ſe impendat, & clamet cum Sponſa: b *oſculetur me oſculo ORIS SUI*; quod dum ardenter expetit, non aliud quam eum in Euchariſtia ſuaviari, & amplexari concupiſcit: c *ne quis*, ait Theodoretus, *oſculorum vocabulo per-*

p Chryſol. ſerm. 30. q Ibid. r Eccl. 23. ſ Chryſolog. cit. t Pſal. 24. v Aug. in pſal. 63. ſub finem.

x Luc. 22. v. 61. y S. Greg. l. 8. mor. c. 8. z Ibid. a Oſculum Chriſti in Euchariſtia. b Cant. 1. v. 1. c Bern. Theodor. in cant. v. 1.

turbetur, conſideret, quemadmodum myſtico Sponſi tempore, SPONSI CORPUS *ſuſcipientes complectimur, & o*SCULAMUR, *atque oculis cordis imponimus, & animo, & cogitatione quaſi* COMPLEXUS *quoſdam effingimus, atque ipſum nos amplexari putamus, &* SUAVIARI.

In eundem ſenſum Lucas Abbas, *d* non aliud aſſerit eſſe Communionem corporis, & Sanguinis Domini, quàm Chriſtum oſculari? OSCULUM CHRISTI inquit, *per corporis & ſanguinis guſtum, anima ſuſcipit.*

Ferventer verò, & frequenter hoc oſculum deſiderantibus, favet verſio Hieronymi, qui legit: *oſculetur me oſculis oris ſui.* Quorſum hoc? quoniam caſtum illud, ac divinum oſculum, præ ſuavitatis dulcedine, & amoris ardore, tantum abeſt ut exoſculantem ſatiet, ut majori deſiderio inflammet, & accendat. Ideo ait Lucas Burgenſis: e *Carnali amore vigenti, ac viventi, non ſatis eſt aliquando expectet conjunctionem cum amato ſuo, ſed frequenter expetit, nec facile poteſt ſatiari. Quanto minus ſufficere nobis deberet, ut caſtam illam, puram, dulcem, atque amabilem noſtri cum pulcherrimo, benevolentiſſimo, & amore digniſſimo Sponſo Chriſto aliquando ſolum requireremus? oporteret nos quotidie altaribus & pyxidibus ſacris ſupplices adhærere, conſtanter precari Sponſum, donec in ejus amplexus, atque* OSCULA *daretur irruere. Atque idcirco Sponſa non ait, oſculetur me oſculo, ſed* OSCULIS, *numero plurali.* Diſertè Ambroſius cum Origene: f *non unum oſculum quærit, ſed plura oſcula, ut deſiderium ſuum poſſit implere.*

Mirum, & ſtupendum eſt, quod Simon Leproſus, Chriſtum domi ſuę excipiens, à lepra mundatus non ſit. Relationem deducit D. Gregorius Nyſſenus ex verbis Domini, ſic eum redarguentis: *intravi in domum tuam*: OSCULUM *mihi non dediſti.* Ubi ſanctiſſimus Antiſtes: g *neminem vult eorum qui ſalvi fiunt, expertem eſſe* HUJUS OSCULI: *eſt enim* OSCULUM (divinum) *purgamentum cujuſque ſordis. Quamobrem mihi videtur Dominus hoc exprobraſſe Simoni leproſo,* OSCULUM *mihi non dediſti. Revera enim fuiſſet emundatus ab ægritudine, ſi ore attraxiſſet puritatem.* Convaluiſſet utique.

Nam ſi Romualdus, *h* cujuſdam intolerabilem morbum *uno pepulit oſculo,* quid faciet oſculum Chriſti? quid caſti amplexus, quibus anima in ſacro illo Euchariſtiæ Epithalamio unitur. Divinè, ut addecet, in hoc amoris myſterio S. Ambroſius: i *veniſti ad altare, vocat te Dominus Jeſus, vel animam tuam, & ait:* OSCULETUR ME OSCULIS ORIS SUI. *Vis ad Chriſtum* (hæc) *aptare? nihil gratius? vis ad animam tuam? nihil jucundius. Oſculetur me. Videt te mundum ab omni peccato, ideo te Sacramentis cœleſtibus dignum judicat, & ideo invitat ad cœleſte convivium, animam, quæ ad altare Dei poſſit accedere. Quid enim eſt altare, niſi forma corporis Chri-*

d Lucas Abbas cant. 1. l. 2. e Lucas Burg. ſerm. 13. de divin. unione.

f Amb. l. de Iſaac & anima c. 3. Orig. in cant. c. 1. g Greg. Nyſſ. hom. 1. in cant. h Petrarcha de vita ſolit. l. 2. t. 3. c. 16. lib. 5. i S. Amb. ſerm. de Sacram. ad Neophitos, c. 2.

ſti? videt mirabilia magna, & ait : OSCULETUR ME OSCULIS ORIS SUI, *hoc eſt, oſculum mihi ſponſus Chriſtus infigat;*

Ad hoc oſculum toto deſiderio exæſtuans virguncula Agnes, Agno nupta, clamabat : k *quem cum amavero caſta ſum, cum tetigero* (& oſculata fuero) *munda ſum; cum accepero, virgo ſum.* Origenes verò ſic ait : l *hoc eſt verius, propriuſque, & ſanctius* OSCULUM, *quod à ſponſo, Dei verbo porrigi dicitur Sponſæ puræ, ſcilicet animæ perfectæ : cujus rei imago eſt illud oſculum, quod in Eccleſia ſub tempore myſteriorum nobis invicem damus*, quo innuitur caſtum oſculum, & virginei amplexus, qui inter Chriſtum & animam, in hoc ſacro Epithalamio intercedunt.

Oſcula amantum, maxima amoris incentiva ſunt, & fomenta, dum ſpiritum & animam ſibi mutuò inſpirant, quæ Auguſtinus inter amicitiæ argumenta, & unionis mutuæ documenta potentiſſima deſcribit : m *his atque ejuſmodi ſignis, à corde amantium, & redamantium, procedentibus, per os, per linguam, per oculos, & mille motus gratiſſimos, quaſi gemitibus conflare animos, & ex pluribus unum facere.* Quod autem ſuum alter alteri ſpiritum, & animam, per oſcula inſpirent, ſic tradit Ambroſius : n OSCULUM *eſt, quo invicem amantes ſibi hærent, & velut gratiæ interioris ſuavitate potiuntur. Per hoc* OSCULUM *adhæret anima Deo Verbo, per quod Spiritus transfunditur* OSCULANTIS : *ſicut etiam hi, qui ſe* OSCULANTUR, *non ſunt labiorum prælibatione contenti; ſed ſpiritum ſuum ſibi videntur infundere.*

Nemini hic carnalis oſculi, ac libidinoſi amplexus cogitatio obrepat : nemo dum caſta animæ, & verbi oſcula in nuptiis Euchariſticis tractamus, mentem ad obſcœna, & ſpurca advertat : carnalia enim oſcula, vel ipſi gentiles, ut fomenta libidinis deteſtanda cenſuerunt. o Socrates, ut ſcribit Xenophon, *pulchrorum oſcula, & obtutus vitare penitus jubebat; utpote quæ pejus ſcorpionibus, & phalangiis venenum infundant.*

Memini me legiſſe illud; p ut frater fratrem carcere detentum, ſupplicio eximeret, extremum illi quaſi valedicturus, inter oſculandum, nucem avellanam præſenti toxico plenam, ori impulſuit, qua confractâ venenum hauſit, & exſpiravit. Potentius, per oſcula, virus Dæmon inſpirat, ut animam interimat. Exemplo Socratis utitur S. Iſidorus Peluſiota : q *cum Socrates quemdam formoſo adoleſcenti* OSCULUM *figentem conſpexiſſet : hic, inquit, facile gladiatorum cuſpidibus innataret, atque in ignem inſiliret : qui ſcilicet tantum in ſeipſo incendium, per* OSCULUM *incitare minimè dubitavit.*

Sanctus Eucherius, ex ipſo Cicerone, appellat oſculum, r arrham peccati, additque eſſe *morſum Diaboli*, maximè venenatum,

k Breviar. Rom. 21. Ian. l Origen. hom 1 in cant m Aug. l. 4. conf. c. 8. n Amb. l. de Iſaac & anima.

o Xenophon. l. 1. memorab. dict. Socr. p D'Ancre L'in conſtante du monde. q Iſidor. peluſiot. l 3. ep. 66. r S. Eucherius hom. initio quadrag.

& mortiferum. Et S. Baſilius, lib. de vera Virgin. Ethnicorum auctoritate fultus: *formoſorum*, inquit, OSCULA *cavere oportet, non ſecus quàm animalium venenatorum morſus: diffunditur enim venenum ex* OSCULO *per totum corpus.*

Quare longe ab hoc divino Epulo, à caſtis ſponſi amplexibus arcendi, qui carni & ſanguini ſerviunt. In hos acuto ſtylo exſurgit Hieronymus: ſ *dic Sacerdos, dic clerice, qualiter eidem labiis filium virginis* OSCULARIS, *quibus* OSCULATUS *es labia meretricis? cùm Juda,* OSCULO *Dei filium tradis.*

Quod & ad communicantes ſpectat; nemo qui fœtentem habet animam, cum viro honeſto propius agere, nedum oſculari auderet. Chryſoſtomus hom. 3. in Epiſt. ad Epheſ. t *Regem utique non audeas* OSCULARI, *ſi quidem os tuum oleat graviter; & Regem Cœlorum impudens* OSCULARIS, *anima tua vitiis olente.* Celeberrimus iſte religione & eruditione Cancellarius Galliæ, Joannes Gerſon: v *Quare non recogitas ſacerdotium tuum? ratione cujus fas eſt quotidie filio Dei, & hominis,* OSCULA *dare, & amplexus cingere, ipſum geſtare, contrectareque manibus, qui mutavit te in ſe, ut ſis ipſe in eo, & ipſe in te. Væ mihi, quantum vereor illud improperium frequenter impingi poſſe mihi. O Juda?* OSCULO FILIUM HOMINIS TRADIS. *Prohibeat à ſervis ſuis hoc improperium Deus, faciens ut homo dignitatem hujus* OSCULI SACRAMENTALIS *ſemper attendat eminentiorem eſſe, quam fuerit præſentiæ corporalis*, dum ſe matri Virgini, & caſtiſſimo ſponſo Joſepho dedit exoſculandum.

Quemadmodum electis Chriſti ſponſis accidiſſe legimus, quas inter, ſanctiſſima Gertrudis ſic de ſeipſa loquitur: x feriâ tertiâ „ Paſchæ dum communicans de- „ ſideraret à Domino, ut per idem „ Sacramentum vivificum reno- „ vare dignaretur in anima ejus „ matrimonium ſpirituale, quo „ ipſi in ſpiritu erat deſponſata: „ Dominus blandâ ſerenitate re- „ ſpondit: hoc, inquiens, indu- „ bitanter faciam, ſicque dignan- „ tiſſimè inclinatus ad eam, blan- „ diſſimo affectu eam ad ſe ad- „ ſtringens, *oſculum prædulce animæ ejus infixit*; *per oſculum* qui- „ dem renovans in ea interiorem „ ſpiritus unitatem; per ample- „ xum verò imprimere videbatur „ pectori ejus monile quoddam „ ſplendidiſſimum, gemmis pre- „ tioſis mira vermiculatione ex- „ ornatum; per quod reformavit „ in ea quidquid caro vitiaverat, „ & quidquid neglexerat in exercitiis ſpiritualibus. Exclamare hic libet cum B. Laurentio Juſtiniano, Patriarcha Veneto: y *cujus vel ferreum pectus, aut adamantina mens non liqueſcat præ devotione, cum Deum ſibi, & ſe Deo ſenſerit corporaliter unitam? non capit cor, lingua deficit, humanuſque ſopitur ſenſus, ad inveſtigandum tanti arcana myſterii. O quantæ ibi deliciæ, quantus ardor, qualia verba, quam vehemens amor, quam* CASTI AMPLEXUS *guſtantur*, & oſcula delibantur? ad quæ, omnes carnales deliciæ viles, & bru-

ſ Hier. citat. à Suate. 3. part. q. 66.
t Chryſoſtom. hom. 3. in Epiſt. ad Epheſ.
v Gerſon. ſuper magnificat. t. 2. Alphab. 81. lit. 2.

x l. 4. divin. inſinuat. c. 29. y Laur. Juſtinian. lib. de diſciplina monaſt. cap. 19.

tales, horrori ſunt, & abominationi.

Ita refert Bloſius, z Chriſtum „prædictæ Gertrudi dixiſſe: „quando me tibi communico in „Sacramento altaris, blandior tibi per amplexus, & oſcula. Atq; „hæc delectatio major eſt, quam „ſint omnes delectationes, quas „unquam aliqui potuerunt experiri in amplexibus, & oſculis „humanis: nā delectatio illa vilis eſt, atq; cum tempore tranſit; ſuavitas verò unionis illius, „qua mihi uniris in Sacramento „altaris, nobiliſſima, atque puriſſima eſt, nec unquam deficit, „aut tepeſcit; ſed quanto ſæpius „renovatur, tanto efficacius viget in æternum.

Quæ domeſtico exemplo libet confirmari. *a* Jacobus Alvarez de Paz, inſigne lumen Societatis noſtræ, rerum ſpiritualium ſcriptor eximius, cum alias ſæpè ſublimis à terra, & igneo quaſi fulgore, corpore circumfuſus apparuit, tum maximè cum ad aram faceret. Quondam ſacra celebrantem, viſus eſt Chriſtus *ſuaviſſimè amplexari*: & faſſus ipſe eſt, affectus vehementiâ ſe tum propè fuiſſe confectum.

Ulterius ſcrutari in hac divina anatomia libet ſacratum pectus, quod à Bernardo dicitur b *Thronus Trinitatis*, *arca lætæ charitatis*, & in eo, amabile c *cor Jeſu*, pharetram illam ardentium jaculorum, officinam charitatis, fornacem amoris, cujus ignes cum celare non poſſet, adhuc calente mortui corpore, in apertum erumpi voluit. Redemptor noſter gravido parturiebat pectore cœleſtem cupidinem, dum ecce, *d* unus *lancea latus ejus aperuit*; quod ſubtiliter ſcrutatur Auguſtinus, dicens: e *vigilanti verbo Evangeliſta uſus eſt*, ut non diceret, *latus ejus percuſſit*, *aut vulneravit*, *aut quid aliud*, *ſed aperuit. Ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur*; quo amor corde concluſus, in lucem prodiret; ut in ardenti ecſtaſi mellifluus Bernardus cor Jeſu, cordi ſuo apprimens, exclamavit f *propterea vulneratum eſt COR CHRISTI*, *ut per vulnus amoris inviſibile videremus.*

O ſi hoc amabile cor Jeſu in terris etiamnum ſpectabile aſſervaretur, quod *cor apertum ad diligendum*! in ultimam Thulen, ad diviſos orbe Britannos pia mortalium turba, ad illud contemplandum excurreret, & in has tenerrimi amoris voces erumperet: g *quis illud COR tam vulneratū non diligat? quis tam amantem non redamet?* hoc enimverò potiori jure uſurpare poteſtis, dum citra longa ac moleſta itinera, non ad contemplandum; ſed amplexandum cor Jeſu in Euchariſtico epulo vobis porrigitur.

Prodigium eſt, non naturæ, ſed divinæ gratiæ, & ineffabilis in ſponſam ſuam indulgentiæ, cor Seraphicæ Thereſiæ *h* quod etiamnum Abulæ, cryſtallo includi & contineri haud poteſt: fervet perpetuo, atque ebullit, amoremque ſuum adhuc exhalat, proindeque carcerem ſuum veluti frangit, ut exæſtuare liberius poſſit, atque adhuc, vel ſine anima Deum amare.

z Bloſius in conclavi animæ fidel. c. 6. a Alegambe in Bibl. ſcr. ſoc. b Bern. in hymno de paſſ. c Cor Chriſti.

d Ioan. 19. e Aug. tr. 120. in Ioan. f Bern. ſerm. de paſſ. c. 3. g Bern. cit. h Silv. petra ſancta. Thaumaſiæ to. 3 c. 12

Nec minus ſtupendum cor Auguſtini, ſedes & domicilium ſacri amoris, à morte in cineres non redactum, ſed quotannis aræ impoſitum ſubſilire, & palpitare conſpicitur; ad quæ miranda ſpectacula, & ſpectanda miracula, infinita hominum confluit multitudo.

Sed vobis intento digito hic præſentem ipſam amoris fornacem, unde flammas conceperunt, in arâ oſtendo, & ipſe Auguſtinus non aliunde ſe exarſiſſe diſertè fatetur: i *quid eſt hoc quod ſentio? quis eſt ignis, qui calefacit COR MEUM? quæ eſt lux, quæ irradiat COR MEUM* (& quidquid in angulis latet, manifeſtat) *O ignis, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! accende me. O lux, quæ ſemper luces, & numquam obſcuraris, illumina me. O utinam arderem ex te!* væ iis qui ardent alio igne, & *non ex te!* Has faculas è corde tuo, cœleſti quodam enthuſiaſmo ejaculare. Hoc ardentiſſimum cor, cordi tuo frigidiſſimo viva fide, & ardenti charitate apprime, hoc pientiſſimo affectu k *totum COR MEUM flamma tui amoris accendat: nihil in me relinquatur mihi, nec quo reſpiciam ad meipſum; ſed totus in te, tanquam inflammatus à te.* O bone Jeſu, quando ignea illa fornax cordis tui, intra cordis mei anguſtias exarſerit, quidquid eſt fœni carnalis concupiſcentiæ, quidquid ſtuppæ vanitatis, quidquid fomitis amoris mundani, & affectus creaturarum, hic ignis conſumens, totum exurat, & abſumat, *ut nihil in me relinquatur mihi, niſi inflammatum à te.*

i Auguſt. ſoliloq. cap. 34. k Auguſt. in Pſal. 127.

Quiſquis frigus cordis ſui incuſat, quiſquis gelu pectoris ſui liquefieri deſiderat, recipiat ſe intra cor Jeſu, illic moretur, & ſedem figat, experietur illud Bernardi: l *O quam bonum, & quam jucundum habitare IN CORDE hoc*; dicamus & nos cum divo Bonaventura, cujus latus præ deſiderio apertum, ut hoc ſacratiſſimum cor acciperet: (l) *bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula*, memoriæ unum, tam ingentis amoris monumenta recolendo; intellectui alterum, appretiando & expendendo; voluntati tertium, ferventiſſimè tantum amorem diligendo: *ibi* inquit, *volo quieſcere, & vigilare: ibi loquar ad cor ejus, hic erit requies mea in ſæculum ſæculi.* Iſtic loquar ad cor amoris fontem, ardoris Ætnam, & dicam:

m *Cordis mei COR DILECTUM,*
In te meum fer affectum:
Nullum modum das amori,
Mille mortes optas mori
Flamma deſiderii.

Scrutare, & rimare hoc dilectiſſimi Jeſu corculum, quod primo conceptionis inſtanti, tanto dolore, & angore oppletum fuit, quantum in horto pertulit: & Mariani uteri clauſtris prorumpi exardeſcebat, ut omnibus venis ſuum nobis ſanguinem propinaret, & amorem teſtaretur, ac tandem n *cum in ſumma crucis eſſet amaritudine, nihil exivit de* EJUS CORDE *niſi dulcedo*, quæ nobis communicatur.

Si fortè ad hæc mutus, & elinguis es, nec habes quod ad tam amabile cor loquaris, excitet te

l Bern. c. 3. de paſſ. (l) Bonav. in Stim. part. 1. c. 1. m Bern. in hymn. n Bern. de paſſ. c. 12.

ardor

ardor S. Philippi Nerii, qui cum ad aram eò deveniſſet, ut hoc Jeſu corculum intra ſuum ſumpturus eſſet, ſecedebat è ſacello domeſtico miniſter, ſecedebant & qui aderant; tum clauſis probè feneſtris omnibus, clauſo & oſtio, per duas horas, eoque amplius in ſuaviſſimos affectus, in inflammata deſideria, in calidas lacrymas, & ſuſpiria, in flagrantia eloquia prorumpebat, ut non rarò illud Pſaltis regii uſurpare poſſet: o *cor meum dereliquit me*, & cordi Jeſu locum cedit.

Ita habebat quod loqueretur ad cor Jeſu B. Joanna, Princeps Luſitaniæ, p dum triduo ſanctioris Hebdomadæ, quo ſanctiſſimum Sacramentum expoſitum, noctu & diu, amores ſuos ad conſpectum ſolum paſceret, & loqueretur, & viciſſim cor illud, ad cor ſuum loqui avidiſſimè auſcultaret, atque omne hoc tempus, illi breve videbatur; facundam faciebat amor. Et nobis, ô probrum! vel unum horæ quadrantem ad cor illud amantiſſimi Jeſu loqui, audire, & reddere voces, tædio, & faſtidio eſt, dum interim amatoribus hujus ſæculi, marito cum chara conjuge, corculo ſuo, ſponſo cum ſponſa corculo ſuo, horæ, & dies, & noctes breves ſunt amantibus. Quare clama cum Bernardo:

q *Summi Regis COR aveto,*
Te ſaluto corde læto:
Te complecti me delectat,
Et hoc meum cor affectat,
Vt ad te loquar, animes.

Hic eſt Gazophylacium omnium cœleſtium divitiarum, hic eſt Theſaurus divinitatis, & omnium gratiarum, nam, ut Chryſoſtomi verbis utar, r *dicendo Euchariſtiam, omnem benignitatis Dei Theſaurum aperio.* Si verum illud, *ubi eſt Theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum,* quid ni illud hic ſit?

ſ Mechtildis quondam abrepta ſpiritu, mentis oculis Theſaurum conſpexit ex lignis cedrinis, intus miro candore, argenteis laminis inductum. Aureo hic peſſulo pandebatur, in quo contemplando dum hæret defixa, cœlitus edocta eſt, hunc pretioſiſſimum Theſaurum eſſe *Cor Domini Jeſu,* de quo, ut non ſemel audita eſt referre, tanta in ſe cœleſtium bonorum copia profluxit, ut ſi vel enumerare vellet, in volumen Orbis maximum excreſceret.

Perſpexerat illud pridem Doctor mellifluus, qui nos ad amorem hujus cordis inflammare non dubitat: t *bonus Theſaurus, bona margarita* COR TUUM BONE JESU, *quam foſſo agro tui corporis inveniemus. Quis hanc margaritam abjiciat? quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, jactans omnem cogitationem in* COR DOMINI MEI JESU. O Deus, poſt hac cor cordis mei, tibi cor meum fœdere perpetuo, ſed quam impari commutatione, ſummo cum rubore, offero; & quod mirandum, hoc pactum amabile, & fœdus optabile acceptat nam, ut inquit Auguſtinus: v COR *quærit Deus,* COR *inſpicit, intus teſtis eſt, judex, adjutor, coronator.*

Quæris fortè, ut quid ſibi ſponſa blandiatur de ſponſo, dicens:

o Pſal. 39. v. 13. p Barrii Lanned. Sainčte. q Bern. cit.

r Chryſoſt. hom. 24. in 1. Cor. 10. ſ Lib. 2. gratiæ. c. 29. t Bern. de paſſ. c. 3. v Aug. in Pſal. 124.

dile-

dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur? cur non applaudat ſibi, ſi eum ulnis geſtare, brachiis complecti, aut collo inhærentem oſculari liceat? rationem hanc reddit Doct. mellifluus: x *dicitur, inter ubera mea commorabitur: ibi enim eſt* COR, *& ubi eſt* COR, *ibi eſt dilectio, & ubi dilectio, ibi dilecti manſio*; ibi quaſi in regiâ ſuâ inambulare, illic habitare deſiderat, ut Africanus Antiſtes pulchrè annotavit: y *Ecce Domine, ait Propheta: cœli cœlorum te non capiunt, & quem non capiunt ſpatia cœlorum, capiunt ANGUSTIÆ CORDIS HUMANI, ipſo dicente: inambulabo in illis & habitabo.* Quid ni igitur dicas, & ex corde cum Davide in has voces erumpas: z *DEUS CORDIS MEI*, quod illi præ omnibus norat eſſe in deliciis, & præ omnibus titulis, in amoribus.

At quantò nos potiori jure, illum Deum cordis noſtri compellare, & æſtimare debemus, dum ipſe in Euchariſtico epulo cor ſuum nobis communicat, & intimos cordis ſinus penetrat, ut illud totum poſſideat? quod ubi amans anima ardenter conſiderat, præcepto opus non eſſe clamitat, ut Deus cordis ſui, ex toto corde diligatur. Noris tu anguſtum ſtratum cordis tui, quod alterum amantem non recipit: ſic etenim Petrus Bleſenſis de cordis humani anguſtiis loquitur: a *anguſtus eſt lectus, & pallium breve utrumque operire non poteſt: nec bene conveniunt, & in una ſede morantur, majeſtas Dei, & amor mundi*; cumque cor Dei immenſæ latitudinis ſit, intra cordis tui anguſtias alium hoſpitem à ſe non admittit; quod piè & eruditè B. Petrus Damiani obſervavit: b *magnus hoſpes in diverſorii ſui anguſta quærit deſcendere; atque idcirco ſolus vult, & ſine conſortibus habitare: quem enim cœli, terræque non valet vaſtitas capere, quo pacto in* EXIGUO TUI CORDIS ANGULO, *niteris illi peregrinos ad cohabitandum ſocios adhibere?* Peregrinos appellat, carnem, mundum, & Diabolum.

Noli cor tuum inter ſpiritum & carnem, inter cœlum & terram, inter amorem creaturæ & creatoris dividere, ut olim meretricula illa impudenter vociferabatur: *dividatur*; ejuſmodi non minus verè, quam ſeverè Oſeas interminatur: c *diviſum eſt* COR *eorum; nunc interibunt.* Ille totum cor ſuum, & totum ſe tibi tradit, & tu tam exile cor tuum in vagos & vanos amores, in partes infinitas divides? d *dilectus tuus* (ait Thomas ille Aſceticus) *talis eſt naturæ, ut alienum non velit admittere; ſed* SOLUS VULT COR TUUM HABERE, *& tanquam Rex in proprio Throno ſedere.* Quare omnes alios affectus, & omnia auferat à te, modo illi ſoli cor tuum ſerves: e *aufer à me Domine, ſi velis ſubſtantiam, manus, pedes, oculos, ſolum relinque* COR, *quo te diligam; hoc enim ſolo tibi placebo*, & aram cordis mei adornabo omnium virtutum floribus, hortante Divo Remigio, qui exponens illud Pſ. 25: *circumdabo altare tuum Domine*, id eſt, inquit, f *aram* COR DIS MEI *ornabo variis virtutibus.* Dum ergo Jeſus realiter cor ſuum intra intima viſcera ad cor veſtrum

x Bern. Ser. 2. in Cœn. Dom. y Aug. lib. de Symb. t. 4. z Pſal. 72. a Pet. Bleſenſis. ſerm 2 de adv.

b Pet. Dam. opuſc. 12. c. 4 c Oſeæ 10. d Thom. à Kempis de imit. Chr. l. 2. c. 7. e S. Anſelm. med. f Remigius in pſ. 25.

demit-

demittit, nolite immani ſacrilegio, cor dare carni, mundo, & diabolo: mundus cor graviſſimè afficit, caro fœdiſſimè inficit, dæmon crudeliſſime interficit, Chriſtus corde ſuo ſuaviſſime reficit.

Ideo ſi vos ad cor Chriſti loqui non poteſtis, audite quid intus loquatur ad cor cujuſque, & nolite obdurare corda veſtra: g *dabo*, inquit, *vobis* COR NOVUM, *& ſpiritum novum in medio veſtri: & auferam cor lapideum, & dabo vobis* COR *carneum*. Quam divina hæc metamorphoſis; cor novum? dicit præco veritatis: h *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes &c. quæ coinquinant hominem.* Hæc omnia cor Chriſti innovare ſolet, qui dat *cor novum*, de quo exeant cogitationes bonæ, & ſanctæ, pietatis ſuſpiria, deſideria caſta, vota cœleſtia, quæ ſalvant & purificant hominem.

Ad hæc quondam Virginem Senenſem, divinus ſponſus inflammavit, dicentem: i COR UNIUS CUJUSQUE CREATURÆ RATIONALIS, *ex amore ſolvi deberet, quo Deus pios afficit, dando nobis ſuum corpus & ſanguinem in SS. Euchariſtiæ Sacramento.* Experta didicit, quæ docuit: contigit enim quodam die, ut ſingulariter obſecraret Dominum, ut auferret ab ea cor proprium, & omnem propriam voluntatem; cum illi cœleſtis ſponſus apparuit, qui latus ejus ſiniſtrum aperuit, ſublatoque corde ejus receſſit; & revera non potuit illa aliud ſentire, quam ſe corde deſtitutam eſſe, duravit hoc ad aliquot dies, & ecce dum mente in dilectum tota rapta, & deliciis cœleſtibus difflueret, apparuit ei Chriſtus multa luce circumfuſus, *ferens in manu* COR *quoddam rubicundum: & illuſtre: propinſque accedens, illud ſiniſtro Virginis lateri inſeruit, dicens: en filia mea chariſſima,* HABES PRO CORDE TUO COR MEUM; clauſitque latus ejus, & ne putaretur phantaſma, illo loco cicatrix permanſit. Hoc ſemel cœleſte prodigium huic Chriſti prædilectæ ſponſę contigit; vobis verò toties cor ſuum tradit; ſed unum deſideratur, ut veſtrum auferat & cum ſuo commutet. Ut dicere quiſque poſſit, *dilectus meus mihi & ego illi.*

Sic S. Mechtildis miro quodam deſiderio ſuſcipiendi intra ſe Chriſtum accenſa, ad templum acceſſit, communionem ſanctam perceptura: cumque jam ſummo ſacro intereſſet, illud ardenti ejus deſiderio tam longum videbatur, ut ingenti dolore confixa, à lacrymis abſtinere nequiverit, anhelans toto corde ad Chriſtum ſuſcipiendum, & ſacrum ejus cor, ſuo comprimendum. Interim uberrimis lacrymis colliqueſcebat. Tandem ubi optata illa hora venerat, & ſponſum ſuum intra cordis thalamum recepiſſet, ſubitò Chriſtus lacrymas omnes abſterſit, dolorem fugavit, lætitiâ complevit, eique hæc verba clarè pronuntiavit: *Mechtildis, tu in me, & ego in te, & in æternum non derelinquam te.* O amorem ineffabilem! *ego in te*! ô miſericordiam incomparabilem! *tu in me*! ô gaudium ſuper omne gaudium! *& in æternum non derelinquam te.*

g Ezech. 36. v. 26. h Matt. 5. v. 19. Cath. ſen. Dialog. 111.

Adeſſent

Adeſſent hic omnes, optarem, illi mundi aſſeclæ, & vanitatum ſectatores *levi corde*, qui putant viros religioſos, ac ſanctimoniales, viles animas, à Deo quaſi derelictas, vitam miſeram, & triſtem agere; ſcitote, auditores, plus ſolidi gaudii, & liquidæ lætitiæ, plus conſolationis, & voluptatis illos percipere ſpatio unius quadrantis, illo brevi, & optabili tempore, quo Chriſtum in Euchariſtiâ in corde ſuo recludunt, quam omnes homines ſimul, qui cor ſuum mundi vanitatibus, & carnis voluptatibus affixum habentes, per mille & mille annos poſſunt percipere. Experto credite dicenti:

k *Quando cor noſtrum viſitas,*
Tunc lucet ei veritas:
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Verum non cujuſque eſt, ad cor illud altum, & ad oſculum oris aſcendere: l *recenti adhuc reſperſus pulvere, ora ſacra continges? heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præſentaris? Per MANUM tibi tranſitus ſit illa prius te tergat, illa te erigat. Quomodo erigat? dando unde præſumas. Quid illud? decor continentiæ, & digni pœnitentiæ fructus, quæ ſunt opera pietatis; hæc te de ſtercore erigent.* Anima mea, quales illæ Chriſti *m* manus ſint, attentius contemplare. Oculos ſponſa in manus dilecti conjecerat, & in ſpiritu rapta, exclamat: *MANVS ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*; quæ verba ſi de ſacro altaris miniſtro, dum conficit Euchariſtiam, dicta velim, non fallar: quia manus ſacerdotis manus Chriſti ſunt, quæ inviſibiliter extenſæ, totam perficiunt Sacramenti veritatem. Audi Chryſoſtomum. n *Cum ſacerdotem videris offerentem, ne ut ſacerdotem putes hoc facientem; ſed Chriſti MANVM inviſibiliter extenſam.* Atque iterum in eandem rem alibi: *quando Sacerdotem corpus tibi præbere videris, noli ſacerdotis, ſed* CHRISTI MANUM *ad te porrigi, arbitrari.* Clarius, & enucleatius Abbas Rupertus: o *hoc ſolæ operantur* MANUS CHRISTI *tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis:* MANVS *inquam Chriſti hoc operantur per manus ſacerdotis, quæ* MANIBUS SUIS *confortatæ ſunt*; quare cum manus Sacerdotis in ſacrificio, ſint manus Chriſti, eumque manibus ſuis teneat, rectè cenſentur *aureæ & plenæ hyacinthis* omnium meritorum pyropis, ac gratiarum unionibus, quas per ipſas apertas plagas, Chriſtus copioſiſſimè nobis largitur. *Quo non oportet igitur eſſe puriorem, quo ſolari radio non* SPLENDIDIOREM MANUM, *carnem hanc dividentem?* p

Inſigne fuerit elogium quod Thomas Bricotus, Decanus Pariſienſis de Franciſco Galliarum Rege, in ſolenni ejus inauguratione tulit, dum egregiam ejus liberalitatem, & regiam munificentiam collaudans, dixit, eum inſtar S. Franciſci (cujus nomen ſortitus fuerat, Chriſtumque imitabatur) ſtigmata, ſeu plagas geſtare, quod manibus velut terebratis, nihil continere poſſet. At Chriſti manus perforatæ, omnem omnium Regum munificentiam, ac magnificentiam infinito intervallo

k Bern. in hymn. de paſſ. l Bern. ſer. 3. in cant. m Manus Chriſti. cant. 5.

n Chryſoſt. hom. 60. ad popul. idem hom. 51. in Matt. o Rupert de divin. off. l. 2. c. 5. p Chryſ. hom. 60. ad pop.

tervallo exſuperant, quod Pſaltes Regius expendens ait: *Aperis tu* MANUM TUAM, *& imples omne animal benedictione*; non benedictione dumtaxat de rore cœli, & de pinguedine terræ, benedictione frumenti & olei; ſed longè ampliori, & excellentiori: *ſe dat* SUIS MANIBUS; nam ut Eccleſia in ſacra lithurgia: *accipiens Jeſus panem in* SANCTAS AC VENERABILES MANUS *ſuas*, &c. ſeipſum diſcipulis tradidit: q *miraculum ab ipſo factorum maximum*, idem donum, & donator.

Prodigium quorundam ſanctorum fuit, uti S. Dionyſio, aliiſque SS. Martyribus divinitus conceſſum, ut ſuum ipſi caput, perſecutoris gladio decuſſum, ſuis ipſi manibus ad aliquot milliaria portarent: ſed inſolens, & inauditum, ut quis ſeipſum portet ſuis manibus.

Cum olim David fugeret ad Gethæos: r *immutavit*, inquit textus, *os ſuum coram eis, & collabebatur inter* MANUS EORUM. Divus Auguſtinus conc. 1. in pſal. 33. legit: ſ *&* FEREBATUR IN MANIBUS SUIS. Et ſtatim quæſtionem movet: *Quis portatur* IN MANIBUS SUIS? *manibus aliorum poteſt portari homo*, MANIBUS SUIS *nemo portatur*. Et reſpondet. *Quomodo*, inquit, *hoc intelligatur in ipſo David ſecundum litteram non invenimus, in Chriſto autem invenimus: ferebatur enim Chriſtus* IN MANIBUS SUIS, *quando commendans ipſum Corpus ſuum, ait*: hoc EST CORPUS MEUM. Tunc manus ſuas aperuit, & replevit omne animal benedictione.

q S. Thom. opuſc. 57. r 1. Reg. cap. 21. v. 13. ſ Auguſtin. in pſal. 33. conc. 1.

Audi Prophetam de vaſta illa Cœlorum machinâ, ad quam contemplandam exardeſcebat, differentem: t *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum*, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti; ſed ut quid venuſtiſſimam hanc molem, opus digitorum Dei appellavit? nec manum ad hanc excelſam ſubſtructionem admoviſſe dixit? reſpondet Chryſoſtomus: v *non quod habeat Deus digitos; ſed minimæ operationis eſſe oſtendit*; uſque adeò mirabilis eſt Deus in operibus ſuis, tantâque fretus potentiâ, ut ad formandos Cœlos, quibus noſtris oculis nihil majus, nihil pulchrius, nihilque admirabilius objici poteſt, non utramq; manum, non dexteram, non ſaltem ſiniſtram, ſed digitos adhibuiſſe ſcribatur. Forte ne mortalis infirmitas, in iis condendis, omnes potentiæ ſuæ vires exhauſiſſe arbitraretur; cum aliud opus manuum ſupereſſet, in quo omnem potentiæ ſuę vim ita impenderit, ut eo aliud majus, aut excellentius, per infinitam ſapientiam, & omnipotentiam, & immenſam charitatem facere non poſſit, corpus ſuum & ſanguinem, & quidquid Deus eſt, manibus ſuis largiendo. Hoc opus utraque manu adhibita, mirabiliter confecit; quod ſolum opus, omnem Dei ſapientiam abſorbuit, & omnes potentiæ vires exhauſit, ut numquam ad majora progredi poſſit:

x *Quid* enim, inquit S. Iſidorus, *melius corpore, & ſanguine Domini?* Ac ſi diceret, hec omnia quę crea-

t Pſal. 8. v. 4. v Chryſoſt. in pſ. 8. x S. Iſidor. l. 6. c. 19. Etymol.

creata ſunt, quantumcumque pulchra, ac ſpectabilia, opera digitorum ejus, cum hoc diviniſſimo opere manuum comparanda non ſunt. Et quæ major benedictio, quæ amplior munificentia excogitari poteſt, qua quidquid terra & cœlo continetur, theſauros omnes humanitatis & divinitatis ſuæ elargitur, dum totum *ſe dat ſuis manibus.*

Et hæ tam profuſæ, & prodigæ Chriſti manus, à te impetrare non poterunt, ut y *manus tua ſit ad dandum porrecta, & ad accipiendum collecta?* munificus Deus per ſuas perforatas manus tantam gratiarum copiam, tantos etiam divitiarum cumulos in manus tuas dimittit, & inde vix obolum in pauperem, qui Dei perſonam refert, ſinis diffluere, quaſi manum aridam haberes; quod Mediolanenſis Antiſtes potenti ſua ſuada exaggerat ſerm. 8. de manu arida ſanata z *Tu qui putas te* MANUM *habere ſanam, cave ne avaritiâ contrahatur; quin potius extende eam pro miſericordia frequenter ad pauperem. Obſerva quod ait Propheta:* a *ne* SIT MANUS TUA *ad accipiendum porrecta, ad erogandum contracta*; ſed exemplo Domini largitoris extende, & aperi eam. Quod ipſum divus Nazianzenus inculcat: b *Si prius* MANUS TUA *quæſtu exaruit, ac parſimonia, hodiè extendatur cum diſtributione, & miſericordia. Pulchra eſt medela ægrotantis manus, diſtribuere, & dare pauperibus.* Non petit, ut clavis manus perforentur, & ſanguine ſtillent, ſed vel hauſtum frigidæ largiantur. Quis hic manum contractam habebit, ubi intra ſe habet manus Domini apertas? Has venerare, exoſculare, & imitare:

c *MANUS clavis perforatas,*
Et cruore purpuratas
Corde premo præ amore,
Sitibundo libens ore
Cruoris ſtillicidium.
MANUS SANCTÆ vos complector,
Et gemendo condelector:
Grates ago plagis tantis,
Clavis duris, guttis ſanctis
Dans lachrymas cum oſculis.

O Domine, d MANUS TUÆ *fecerunt me*, ne repellas me, & e *opus* MANUUM TUARUM *ne deſpicias.* Video me, non calamo; ſed trabali clavo; non atramento, ſed pretioſo ſanguinis tui minio in manibus tuis exaratum, ut ipſe fateris: f IN MANIBUS MEIS *deſcripſi te*; agnoſce ſyngrapham tuam. Da mihi clementiſſime Deus in extrema, dum tartarei leones irruent, ut rapiant animam meam, illam & g ſpiritum meum in MANUS TUAS *Domine* benignè ſuſcipias. Non commendo tibi opes, & facultates meas, non corpus meum, aut quidquam quod in mundo eſt: ſed unicam, & pauperem animulam meam in manus tuas Domine.

h *Tuæ ſanctæ MANUS iſtæ,*
Me defendant Jeſu Chriſte,
Extremis in periculis.

Eſt hic forte peccatrix anima,

y Eccl.4.v.36. z Amb. ſer.1. de manu arida ſanata. a Eccl.4.v.36. b Nazian. orat. de ſanct. Lavacro.

c Bern. in hym de paſſ. d Iob.11. v.8. e Pſal.137.v.8 f Iſa 43. v. 16. g Luc.23.v.46. h Bern. in hymn. de paſſ.

qu æ

quæ non audet ad hoſpitis ſui os accedere, eique oſculum figere: indignam ſe etiam agnoſcit, quæ vel manus tangat; quid agat? *i* Talis, inquit Bernardus, non temere *aſſurgat ad os ſereniſſimi ſponſi: ſed* AD PEDES *ſereniſſimi Domini mecum pavida jaceat.* Qui vitam ſuam aut ſaltem primum juventæ florem, non uno immani ſcelere inquinavit, non ſtatim nimia familiaritate in collum involet, & ori ejus oſculum figere præſumat; ſed ad pedes cœleſtis convivæ, ſeſe cum rubore, & lacrymis adſternat, & vetera peccata, ac delicta juventutis plangat: *k non tibi, ô quæcumque talis anima, non tibi ille locus vilis, aut deſpicabilis videatur: ubi ſancta peccatrix peccata depoſuit, induit ſanctitatem: ibi æthiopiſſa mutavit pellem, & in novum reſtituta candorem.* Quod Magdalena palam in convivio Phariſæi, hoc tu clam in animæ triclinio perage; nec minus promptè in hoc convivio divino elues etiam omnium criminum reatum, & uberem gratiam invenies. *l Hujus ergo pœnitentis exemplo proſternere & tu, ô miſera, ut deſinas eſſe miſera: proſternere & tu in terram,* AMPLECTERE PEDES, *placa oſculis, riga lacrymis; quibus tamen non illos laves, ſed te: & fias una de grege tonſarum, quæ aſcendunt de lavacro; ita ſanè, ut ſuffuſum pudore, & mærore vultum non ſuſtollere audeas, quam audias & ipſa:* DIMITTUNTUR TIBI PECCATA *tua.*

Dum Chriſtum pedibus tenes, quid non rogare, quid non ſperare, quid non impetrare poteris? pedes illi ambularunt vias difficiles, ut te ovem perditam quærerent, & ad pinguia paſcua reducerent: pedes illi in quamcunque domum ingreſſi, pacem intulerunt: pedes illi vicos, & plateas tranſeundo, omnibus ſaluti fuere: *m* Pedes illi, quorum *terra ſcabellum eſt*, pro te clavis transfixi, ut fontes gratiarum tibi impertirent. Eja ergo,

> n *Dulcis Jeſu, pie Deus,*
> *Ad te clamo, licet reus:*
> *Præbe mihi te benignum,*
> *Ne repellas me indignum*
> *DE TUIS SANCTIS PEDIBUS.*

Hæc paucis, de præcipuis ſacratiſſimis corporis Chriſti membris attigiſſe ſufficiat: infinitus enim ſim, ſi ſingulos nervos, & fibras, & oſſa divinitate informata, membratim proſequar; cœleſtem hanc anatomiam illis mentibus indicaſſe ſufficiat, quæ ubi hoc divinum corpus acceperunt, ſteriles ſe, & aridas fatentur, nec habere quo ſe occupent. Ad propoſitum igitur meum reverſus, ſi in ſingulis membris ea vis, & virtus inſit, corpus Chriſti omni veneratione adoro, & clamo: *corpus Chriſti ſalva me.*

Ecquis non ſalutem ſperet ab eo, qui o *operatus eſt ſalutem in medio terræ*, quid non aget, quid non operabitur in medio veſtri? Quid non agit, & operatur? totum corpus occupat jam in obſequium veſtrum. Illa brachia, quæ in crucem extenſa olim fuêre, animam veſtram amplexantur. Illæ manus, quæ Apoſtolorum quondam pedes abluerunt,

i Pedes Chriſti. Bern. ſerm. 3. in cant.
k l Bern. ib.

m Iſaiæ 66. n Bern. in hymn.
o Pſal. 73. v. 13.

runt, jam animam veſtram ſordibus expurgant,& ſuper nivem dealbant. Illi oculi, qui à judæis velati,ſanguine è capite ſtillante rubuere, nunc animam veſtram totam pulchram, & formoſam contemplantur. Illud pectus ſacratiſſimum,ſuper quod recubuit dilectus ejus diſcipulus Joannes, veſtro pectori incumbit. Illud cor,quod lanceâ apertum, cordi veſtro agglutinatur. Illud caput, in quo reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, in ſinu cordis veſtri reclinatur.

Magna hæc & mira Chriſti Corpus operatur, à quo,quis non ſalutem ſperet intimo contactu, ubi mulier illa hæmorrhoiſſa, vel fimbriam veſtimenti attingens, ſalva facta eſt? Hiſtoriam deſcribit S. Lucas: p *contigit dum iret* (Chriſtus) *à turbis comprimebatur. Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam,nec ab ullo potuit curari: acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus.* In quo prodigioſo beneficio, ad rem noſtram,obſervandum eſt, quod ſequitur,*& ait Jeſus: quis eſt qui me tetigit? negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: præceptor,turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: quis me tetigit? Et dixit Jeſus: tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiiſſe*: Quis hæc primo ſenſu capiat, & non hallucinetur? Quomodo turbæ Chriſtum comprimant, & non tangant? S. Thomas: q *neſcientibus diſcipulis quod quærebatur; ſed putantibus de ſimplici tactu dicere, Domino reſpondent: vides turbam, &c. At Dominus diſtinguens tactum: non eſt verè tangere,ſi infideliter tangatur.*

Vides feſtis ſolennioribus, & in plenariis indulgentiis confertam hominum turbam, quæ corpus CHRISTI quaſi comprimunt; ſed qui infideliter accedunt, non tangunt, ſed trudunt, & affligunt: qui animo rancorem reſervant,pellicem domi alunt,injuſtum lucrum poſſident, occultum peccatum corde tegunt,infideliter accedunt, non verè tangunt,ſed trudunt. Mulier hæc fide vivâ fimbriam tetigit,& ſalutem conſecuta eſt: r *Jeſus converſus,& videns eam,dixit: confide filia,fides tua te ſalvam fecit,& ſalva facta eſt mulier ex illa hora.* Quem locum aureo ſermone pertractans Chryſolog. ait: ſ *ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum, &c. tetigit veſtimentum mulier,& curata eſt, & ab antiquo eſt abſoluta languore.* Fruſtra omnes in pharmaca, & medicinas expenſi ſumptus,ſola fimbria viva fide contacta ſalutem contulit: *poſt certamina deſpecta medicorum,poſt medicamina ſumtuoſa, poſt inanem, & antiquiſſimam curam, ubi ars & peritia defecerat, ubi languentis omnis jam conſumpta ſubſtantia,mulier inter comprimentes,ut neſciretur, retro accedit,& præſumpſit furari ſe poſſe curam fide ſola*; quæ,quam potens ſit apud Deum, effectu patuit: *curavit fides intra ictum temporis, quod duodecim annis ars humana curare non potuit.*

Tum aſſurgit ſanctiſſimus hic

p Luc. 8. v 4. q S. Thom. in Luc. cap. 8. v 45.

r Matt. 9. v. 22. ſ Chryſolog. ſerm. 33.

Ravennatum Antiſtes; & eos inſectatur, *t* qui toties manibus ſuis ipſum Chriſti Corpus contrectant, & qui frequenti communione illud ore, & corde totum in ſe accipiunt, nec à ſuis languoribus curantur: *miſeri*, inquit, *qui* QUOTIDIE CORPUS DOMINI TRACTAMUS, ET SUMIMUS, *& à noſtris vulneribus non curamur* Cauſam reddit: *non Chriſtus infirmantibus, ſed fides deeſt: nam multò magis modo in nobis manens poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem ſic curavit.*

De quo quis ambigat, quin Corpus Chriſti in hoc amabili Sacramento plus virtutis intimo tactu apud nos manens conferre dignetur, quam ſola fimbria prætereuntis? Quare ſi corporis & animi veram aſſequi velimus ſalutem, viva & vera fide cum hac muliere, ad SS. Chriſti Corpus accedamus, & dicamus: *Corpus Chriſti ſalva me.* Ad quod idem Chryſologus his verbis hortatur: *v mulier de ſummitate fimbriæ, pervenit ad totam deitatis ſummam. O quid iſta mulier vidit habitare in interioribus Chriſti quæ in Chriſti fimbria, divinitatis totam vidit inhabitare virtutem! ô quam docuit mulier, quantum ſit* CORPUS CHRISTI, *quæ in Chriſti fimbria tantum eſſe monſtravit.* Ac tandem concludit: *Audiant Chriſtiani, qui quotidie* (aut frequenter) *Corpus Chriſti attingunt, quamnam de* IPSO CORPORE *ſumere poſſunt medicinam, quando mulier rapuit de ſola* CHRISTI *fimbria ſalutem.*

x Corpus Chriſti hic in terris paſſibile, & mortale, contactu ſuo mortalibus contulit ſalutem; ſed eam multo præſentius, ac frequentius jam impaſſibile, & immortale, non corporibus dumtaxat, ſed & animis illud piè tractantibus, & ſumentibus in Euchariſtico Sacramento.

Luculento hic exemplo eſt S Gregorius Nazianzenus *y* qui morbo dejectus, cui nec medicorum induſtriâ aut medelâ ullâ occurri poterat: jamque viribus exhauſtis; & extremum prope trahens ſpiritum, ſacra ſynaxi, ſeu viatico munitus eſt; cum ilico melius habere cœpit, ac priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

Idem accidit ſpectatæ ſanctitatis viro Camillo de Lellis, Ordinis Miniſtrantium infirmis Conditori, qui affirmavit, ſe cùm febri, ſimulque dyſenteria laboraret, ſacræ confeſſionis & Euchariſtiæ uſurpatione, aliquoties ſanatum fuiſſe. *z*

Vultis in infirmiori ſexu id comprobatum? Ægrotabat graviter B. Catharina Genuenſis, adeò ut nil edulii admittere poſſet, & propè à mortis faucibus abeſſet; cum fidenter illi aſſeruit, quem à confeſſionibus habebat, unicam ſalutis medicinam ſupereſſe, ſi per tres dies divino Chriſti corpore reficeretur; quod ubi factum, ſtatim illa convaluit, uti & Cœleſtinarum Fundatrix, Maria de Victoria, quæ eo, quo Chriſti corpore refecta, die, melius ſe habuiſſe teſtabatur. *a*

Non alio pharmaco beata Euſtochium

t Chryſolog. ſerm. 33. v Idem ſermon. 34.

x Corpus Chriſti in Euchariſtia ſanat morbos corporis, y Greg. Naz. in nat. de fun. z In vita. a In vita. Ferdinandus meltio.

ſtochium,ordinis S. Claræ, contra morbos corporis utebatur: *b* quoties ægrotabat, ſumpto Chriſti corpore, morbum abigebat. *c* Epidemia, ſeu lues urbem invaſerat, & ipſa quoque jam correpta erat,glandula in gutture nata,certiſſimo lethalis morbi ſigno. Rogat itaque Sanctiſſimum ad ſe deferri Sacramentum, quod ut cordis ſinu recepit, evanuit glandula,ſubitóque convaluit ab infirmitate. Ad hæc tam manifeſta SS. Corporis Chriſti teſtimonia,ſanitatem operantis, mirum eſt complures adhuc modicæ,aut nullius fidei reperiri, qui morbo correpti, non modo in animum non inducunt, ſe præ omni humanâ medelâ, recepto Chriſti corpore curandos, ſed & ipſi,& domeſtici,hoc ipſo, de ægro conclamatum arbitrantur; qui abuſus graviſſimus,& ſumma in Deum, cœleſtem medicum, injuria, ob quam jure puniendi.

Sed parum eſt in corporis morbo certa fide & fiducia abEuchariſtico epulo ſanitatem ſperare, & inclamare, *Corpus Chriſti ſalva me*; potentius ac libentius ſalutem confert, & contulit ægrotanti animæ. Hos autem interiores & graviores morbos, ac calidiores febres deſcribit Ambroſius,dicens: d *diverſarum cupiditatum immodicæ ſunt illecebræ, nec minorem febrem amoris eſſe dixerim,quam caloris: hæc corpus,illa animum inflammat. Febris enim noſtra,avaritia eſt:febris noſtra, libido eſt: febris noſtra, luxuria eſt: febris noſtra,ambitio eſt,&c.* e Contra has omnes,una, & unica eſt corporis Chriſti medicina,ut magno ſuis,ac nobis ſolatio exponit Doctor mellifluus,dum ait: f *ſi quis veſtrum non tam ſæpe modò,non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ,luxuriæ,aut ceterorum hujuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini: quoniam* VIRTUS SACRAMENTI *operatur in eo: & gaudeat quod paſſionum ulcus ad ſanitatem accedat: duo namque* DIVINUM ILLUD SACRAMENTUM *operatur in nobis, ut & ſenſum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino conſenſum.*

Rei confirmandæ ſervit, quod non ita pridem S.TheologiæDoctor, atque Eccleſiæ Taurinenſis Canonicus, civem Ferrarienſem ſibi narrantem audivit:cum gravioribus carnis ſtimulis etiamnum adoleſcens urgeretur,&non ſemel in fœdum libidinis peccatum rueret,quo ſaluti ſuæ conſuleret,conſilii cauſa virumReligioſum convenit; qui illud præſens remedium præſcripſit, uxorem duceret. Duxit, & paucos poſt annos viduus, veritus ne in priſtinas ſordes devolveretur, & ex altera parte matrimonium, ut ſummam ſervitutem exoſus, aliud conſilium cepit,plenum altioris ordinis, & prudentiæ, ut animum frequenti exhomologeſi expiaret, & divino corporis Chriſti pabulo reficeret; quo factum ut omnis fomes libidinis ſit reſtinctus; & ſeipſum admirans, & ſuperioris ætatis ſortem deteſtans, exclamarit: heu me miſerum! O ſi olim in hujuſmodi cœleſtis conſilii Angelum incidiſſem, qui non uxorem ducere,

b in vita. c Wadingus in annal. ad ann.1491.n.34. d Amb.lib. 4 in Luc. e Corpus Chriſti ſanat morbos animæ.

f Bern.ſerm.1.de cœna Dom.

re, carni, & ſanguini ſervire; ſed frequenter pane Angelorum, & frumento electorum, & vino quod germinat virgines, paſci ac enutriri ſuaſiſſet! Libet hæc Angelici Doctoris firmare teſtimonio: g *Dominus dicit Joannis 6. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur; quod quidem manifeſtum non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur quod hoc Sacramentum præſervet à morte ſpirituali, quæ eſt peccatum: nam per hoc quod Chriſto conjungit per gratiam, roborat ſpiritualem vitam hominis, tanquam cibus, &* SPIRITUALIS MEDICINA; *ſecundum illud Pſ.* 130. *Panis cor hominis confirmans. Et Aug. Tract.* 26 *in Joan ſecurus accede, panis eſt, non venenum*; ſed medicina, antidotum, alexipharmacum, & præſens contra omne peccatum amuletum. Hinc Tridentinum dixit: h *Sacramentum hoc eſſe antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis* (ut fusè S. Thomas, Amb. Auguſt. Gregor. Suarez. Lugo, &c.) *& à peccatis mortalibus præſervamur.*

Venenum & toxicum mortis à protoplaſto noſtro, & ab uberibus matris liberaliter hauſimus, ſed benignus Deus providit *pharmacum immortalitatis.* i

Curioſè quis ſciſcitari poteſt, quare Deus à primis mundi incunabulis, dum homines ſolis herbis veſcerentur, non dederit ſacrum corporis ſui pabulum; aut jam communi cataclyſmo, quaſi renato & baptizato, dum animalium carnes in eſcam conceſſit; ſed ægro jam ac ſeneſcente, atque in interitum vergente mundo? Reſpondet Paulus de Palacio: k *in prima mundi conſtitutione datur homini herba in eſcam; mundo poſt diluvium deſtructo, novoque ſuccedente, dat Dominus carnes in cibum; mundo verò terreno per Chriſtum velut abolito, & novo Spirituali renaſcenti, jam non herbæ, nec pecudes dantur in cibum; ſed ipſemet Deus. Videlicet, quantò magis mundus procedit, infirmior eſt, & ideo majora quærit alimenta, fortiora exigit fulcra, periculoſior infirmitas, pretioſiora requirit* MEDICAMINA! Hic in ſe quiſque deſcendat, cui periculoſior infirmitas, ne labatur, & relabatur in fornicationem, adulterium, perjuria, blaſphemias, detractiones, & his ſimilia, quæ *pretioſa* Corporis Domini *requirunt medicamina*, de quibus Cyrillus Alexand. l *Hic cibus non mortem ſolum, ſed morbos omnes depellit: ſedat enim, cum in nobis maneat Chriſtus, ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ſicut Paſtor bonus, qui animam ſuam pro ovibus poſuit, ab omni nos erigit caſu.* m Fit autē hoc, inquit Lugo, Eminentiſſimus purpurâ & ſcientiâ Cardinalis, diminuendo fomitem, & ardorem concupiſcentiæ, quod partim fit dæmones fugando, & reprimendo humorum vires, mitigando ardorem, &c. ut fusè ex ratione, & auctoritate Patrum, apud ipſum videre eſt. Unus mihi divus Thomas, omnium inſtar eſt: n *Sacramentum hoc*, in-

g S. Thom. 3 part. q. 79 art. 6.
h Trident. ſeſſ. 13. c. 2. i S Ignat. M.

k Paulus de Palacio in Matt. c. 26.
l Cyrill. Alexand. lib. 4. in Ioan. c. 17.
m Lugo de Euchariſt. diſput. 12. ſec. 5. n. 100. n S. Thom. 3. part. quæſt. 79. art. 6. ad 3.

quir,

quit, *diminuit fomitem, in quantum auget charitatem: quia ſicut dicit Auguſtinus. lib. 83. quæſt augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.*

Ceſſent itaque querelæ juvenum, conjugatorum, & caſtarum animarum, quæ ſi phantaſiis, & motibus carnis infeſtentur, laborant, ſudant, anguſtiantur, cum medicinam in promptu habeant, quæ eſt *augmentum charitatis, & diminutio cupiditatis*. Solatio illis ſit ſuaviſſima lacte & melle manans Bernardi ſententia: p *quis poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum ulceris ejus ferre queat? confide, quia & in hoc gratia ſubvenit, & ut ſecuri ſitis, Sacramenti* DOMINICI CORPORIS *&* SANGUINIS PRETIOSI *inveſtituram habetis*. Quod ipſum argumentum fuſius proſequemur paragrapho ſequenti, ubi vinum ſanguinis Chriſti, germinare Virgines oſtendemus.

Sed cum hæc *Corporis Chriſti medicina ſpiritualis*, ut Ambroſius loquitur, adeò efficax ſit, qui fit, ô panis vitæ, qui nos reficis, & numquam deficis, tot adhuc morbidos, & infirmos reperiri? non aliam cauſam reddit Apoſtolus, quam quod hoc cœleſte pharmacum aut faſtidiant, aut ſocordiâ & deſidiâ, aliiſque pravis affectibus imbuti, ſumere dedignentur: q *ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles.*

O anima Chriſtiana, tam infirma & debilis es, ut nec conſiſtere, nec pedem in progreſſu virtutum movere valeas, quia *oblita es comedere panem tuum*. Vides venuſtam mulieris formam, concupiſcis, & corruis: Audis obſcœnas cantilenas, & tentaris, & cadis: aſperius quis tibi verbum, aut injuriam impingit, iraſceris, & cadis: inter convivia & ſympoſia, eſt qui ad æquales hauſtus invitet, qui verba laſciva, injurioſa proferat, commiſces te illis, & turpiter cadis. Non unus eſt ex his ſtantibus, qui ex alto tam præceps corruit, ut cum Propheta Regio queri meritò poſſet, r *quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea*; quid remedii? non aliud, quam ſicut ex alto cadentes, luxatis oſſibus, vellere ovis inſuuntur; ita immaculati Agni vellere vos involvatis, *qui colliſos redintegrat* ſ. Duodecim effectus, ſive fructus Corporis Chriſti, contra noſtros 12. languores, vide apud D. Thomam opuſc 58. cap 22.

Ex dictis patet, quali, & quantâ in omnibus corporis, & animæ morbis, fiduciâ ſanctiſſimum Chriſti Corpus ſuſcipiendum ſit, quod *tranſiit benefaciendo, & ſanando omnes*: quid enim non operabitur manendo, & habitando in nobis?

Actorum 5. narratur, *t* Corpus Divi Petri ea virtute præcelluiſſe, *ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem UMBRA illius, obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Quod ſanctus Auguſtinus expendens, ait: v *ſi tunc opem ferre potuit* UMBRA CORPORIS, *quantò magis nunc plenitudo virtutis? ſi tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quantò magis gratia nunc permanentis? ſi inanis*

p Bern. ſerm. de cœna dom.
q 1. Cor. 11. v. 30.

r Pſal 6. ſ S. Cyrill Alex. cit. t Act. 5. v. 15. v Aug ſerm. 29. de ſanctis.

inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere poterit in ſe vim ſalutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis, ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis? Quid non ſperandum ab umbra, imo ab intimo contactu, & complexu SS. Corporis Domini? ſi hac virtute valuit umbra Petri, quid non ſub ſpeciebus panis, quaſi umbra, operabitur Corpus Chriſti? de hac vaticinatus olim Oſeas. cap. 14. x *convertentur ſedentes in UMBRA EJUS, vivent tritico.* Eleganter, & præſtanter ad rem noſtram hunc locum exponit divus Bernardinus: y *convertentur ſedentes in UMBRA EJUS, in tritico, id eſt* IN DOMINICI CORPORIS SACRAMENTO, *quod quidem* SACRAMENTUM UMBRA DENOMINATUR, *quia ſe præbet Dominus, in ſecreto myſterio, ſub accidentium velamine occultatus: in quo ſedentibus quaſi ad menſam, proponitur triticum cœleſtis panis, & ipſo cibati, convertuntur in cibum, hoc eſt in Chriſtum. Fit autem hæc unio per ſaporoſitatem amoris.* Putida cenſeri poſſet Georgii Corcyrenſis Epiſcopi aſſentatio, qui ut imperatoris Emanuelis Ducæ benevolentiam captaret, hæc ad eum verba dedit. z Eodem die, quo ab oculis meis diſceſſiſti Domine Imperator, diſceſſit etiam à me modica illa corporis valetudo, quam fueram adeptus: fortaſſe enim, quemadmodum audimus de Apoſtolis Dei præconibus, factum, quod *ſola ipſorum umbra* infirmorum ægritudines curabat, ita etiam de meâ corporis infirmâ valetudine ego poſſem in Chriſto gloriari!, *quod tua umbra*, imperatoris ſcilicet mei, à Deo cuſtoditi, mea membra quam primum firmat, & corroborat, & quaſi cadaver quoddam corpus meum, in vitam revocatur, & quaſi paralyticus alter, ego exulto; idque non ſemel, aut iterum mihi evenit, ſed etiam tertiò; ut hinc aptè conjiciam, quod gratia quædam divina corpus tuum (potentiſſime Domine) conſequatur. Quod hic aſſentando, ut Emanuelem Ducam ſibi demereretur, falſò pronuntiavit, hoc nos ſanctè affirmando, de corpore Chriſti, quod æſtus omnes libidinis reſtinguit, & animi febres refrenat, ſentire debemus: ſic etenim S. Ambroſius: a CARO CHRISTI UMBRA FUIT, *quæ noſtrarum æſtus refrigeravit cupiditatum: quæ compeſcuit inſolentiam vitiorum: quæ reſtinxit ignes libidinum: quæ avaritiæ, diverſarumque paſſionum incendia temperavit.*

Et quid dicam de VMBRA DOMINI, quando Apoſtolorum VMBRA ſanabat? Ad ſolis æſtus vitandos umbra refrigerio eſt, & b *dulce viatori laſſo, in ſudore levamen*, at longè potentius divina corporis Chriſti umbra, *noſtrarum æſtus refrigerat cupiditatum*, ut diſertè Theologorum Princeps Aquinas, agens de Euchariſtia: c *nam* DE CORPORE CHRISTI MANAT UMBRA GRATIÆ, *quæ nobis defenſaculum eſt contra incentiva vitiorum, & carnalis concupiſcentiæ.*

x Oſeæ 14. v. 8. y Bernardin. tom. 2. ſerm. 58 art. 3 c. 2. z Cauſſin. parallela eloquentiæ lib. 8. c. 20.

a Ambroſ. ſerm. 19. in pſalm. 118. b Catullus. eleg. 69. c S. Thomas opuſc. 58. cap. 21.

Ddd Quæ

Quæ omnia paucis Bernardus: *d* UMBRA EJUS, CARO EJUS.

Ad hanc itaque umbram frequenter confugiamus, & ſub ea quieſcamus, potiſſimum dum illum corde noſtro recipimus, dicamus cum Sponſa: *e* SUB UMBRA ILLIUS, *quem deſideraveram, ſedi*; quo autem fructu, & guſtu, attendite: f *meritò ejus deſideraverat* UMBRAM, *de quo & refrigerium eſſet, & refectionem pariter acceptura. Nam cætera quidem ſylvarum ligna, etſi* UMBRAM *ſolatii habent*; *ſed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos ſalutis: unus enim eſt vitæ auctor Chriſtus Jeſus, qui dicit Sponſæ ſuæ*, SALUS TUA EGO SUM. *Propterea ergo Chriſti potiſſimum deſideraverat* UMBRAM, *quod ſolus ſit, qui non ſolum ab æſtu refrigerat vitiorum*; *ſed & replet delectatione virtutum*. SUB UMBRA ILLIUS, *quem deſideraveram, ſedi*. UMBRA EJUS, CARO EJUS. O umbra amabilis, umbra delectabilis, in qua ſanctæ animæ poſt ſumptionem corporis Domini, per plures horas requieſcebant, delectabantur, paſcebantur, nec avelli poterant, de quibus illud Jeremiæ vatis verificatur: *g* IN UMBRA TUA VIVEMUS.

h B. Magdalena de Pazzis, cum ob teneram ætatem communicare non poſſet, eo die quo Mater Chriſti corpore refecta fuerat, numquam à latere diſcedebat, optans ſub umbra illius, quem receperat, requieſcere, juxta illud Virg.

i *Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.*

d Bern. ſerm. 48. in cant. e Cant. 2. f Be ſerm. 48. in cant. g Thren. 4. v. 20. h Barrii, i Virg. lib. 2. Georg.

k *Tu ergo vide ut vivas in umbra ejus, ut quandoque regnes in lumine ejus: non enim tantum* UMBRAM *habet, habet & lucem.*

Sed cum non detur indies, aut pluries de die, ſacro Chriſti corpore veſci, altera praxis eſt, ad hanc umbram ſæpius recurrendi, & ſub ea quieſcendi, per frequentem viſitationem, & recurſum ad SS. Sacramentum. Ubi imprimis laudabile videtur deſiderium magiſtri, ac Doctoris Avilæ, talem ſitum domicilii ſui optantis, ut per feneſtram Venerabile Sacramentum conſpicere liceret. In quo ipſo Religionis genere, non modica laus, ac felicitas exſtitit B. Franciſci, Borgiæ, qui quoties à negotiis ſe publicis eripere, partemque demere poſſet, Romæ, & cæteris in Collegiis Societatis, imminentem aræ cellulam, aliamve ſedem vicinam frequenter adibat, & ubi non exſtabat, exſtrui curabat, ut ſeſe quaſi ex æſtu, ad hanc ſalutarem umbram reciperet, & ſub hac ſe proſterneret. Quod crebrius ac commodius viris religioſis, ac ſanctimonialibus, ſingulari quadam prærogativa conceſſum, qui Chriſtum in Euchariſtiâ domeſticum habere meruerunt; de quo eximio, ſupra omnia humana, privilegio, Maria de Victoria, Cœleſtinarum fundatrix, grates Deo medullitus agebat, & ad agendas, religioſas ſorores pro tanto Theſauro ſibi concredito ardenter incendebat, quod interdiu, noctuque, ad dilectum acceſſus pateret; adeò autem ipſa hac amabili umbra recreabatur, ut cum ſacra pyxis ad precem 40. horarum, Chriſtum

k Bern. cit.

ſpe-

ſpectantibus exhiberet, è choro abſtrahi non poſſet.

Deteſtandum profectò, & execrandum ducebat, vitæ ſanctimoniâ celebris Balthaſar Alvarez, dum ſacras ædes, & dominum dominantium illic degentem deſertum videret, Principum domos, & atria aulicis, magnatum umbris referta eſſe. Praxes, & modos utiles viſitandi V. Sacramentum, vide apud Antonium Gaudier de perfectione, ſexta parte cap. 1. 2. 3. Iacobum Hautin. de Sacramento amoris. num. 1036. &c.

Unum hoc æternæ ſapientiæ dixiſſe ſufficiat: l *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*; has autem fores, Janſenius non Iprenſis ille, ſed Gandenſis, nobilis interpres, portas templi intelligi vult, in quo verbum Patris corporaliter requieſcit. Et favet huic ſententiæ, quod proximè conſequitur: *ſapientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam*, Euchariſticam ſcilicet.

Beati igitur, qui ut aquilæ congregantur, & ubi eſt corpus, illic convolant, ut *hauriant ſalutem à Domino*; ubi è contra heterodoxi, velut tartareæ Harpyjæ unguibus ſuis illud lacerare nitentes, & bubonum inſtar, ad divinum hunc ſolem cæcutientes, æternam hauriunt cum Juda damnationem: illud Phariſaicum & Judaicum aſſiduo ingerendo: m *quomodo hic poteſt nobis ſuam carnem dare ad manducandum*? Quæris quomodo? dic Judæe, quomodo tu Ægypto exiviſti? *Quomodo* uberes fontes è ſilice emanarunt; *Quomodo* manna habuit omnis ſaporis delectamentum? Quæris Calvine, *quomodo?* reſponde *quomodo* aquam in vinum commutarit? quomodo panem quo veſcimur, & vinum, quod bibimus, in carnem & ſanguinem noſtrum convertat? quæris ulterius *quomodo*? ex nihilo quomodo omnia creavit; n *qui poteſt facere quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, mutare in id quod non erat? non enim minus eſt dare rebus novas, quam mutare naturas*; quæ Cornelius in 1. Cor. 11. v. 30. acutè contra hæreticos proſequitur; ego ne longior ſim, ipſa forma conſecrationis, divino invento, nullo charactere addito, aut dempto, ſed puro Anagrammatiſmo velut ſyllogiſmo te confutabo:

l Prov. 8. m Ioan. 6. v. 53.

Forma Conſecrationis.

Hoc eſt enim corpus meum.
Hic eſt enim calix ſanguinis mei,
Novi, & æterni teſtamenti: myſterium fidei,
Qui pro vobis, & pro multis effundetur
In remiſſionem peccatorum.

Anagramma.

Calvine, non eſt rei figura:
Luthere, non eſt panis: eſt corpus Dei,
Optimi, maximi, effusè mihi ſemetipſum
Communicantis in cibum,
Noſce quo ritu, & myſterio
Te reum redemit.

n Amb. lib. 4. de Sacram. c. 4.

San-

§. III.

Sanguis Chriſti inebria me.

QUid eſt hoc, Domine, quod in veteri lege gravi præcepto, & pœna ſanxiſti: o SANGUINEM *univerſæ carnis non comedetis, quia anima carni* s IN SANGUINE EST: *Et quicumque comederit illum, interibit*; in nova verò per filium tuum mandas: p *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & BIBERITIS EJUS SANGUINEM, non habebitis vitam in vobis.* Quod illud utriuſque teſtamenti diſcrimen, ut in uno ſub mortis interminatione ſanguinem vetes; in altero ſi vivere velint, præcipias? Fallor, Domine, niſi in prædictis verbis id lateat: *Anima carnis, ſive ejus vita*, IN SANGUINE EST: Hic enim neceſſarium ei humorem, caloremque ſuppeditat, & vitales ſpiritus profert, ſine quibus nec vigor, nec operatio, nec vita eſt. Hugo Cardinalis Auguſtinum citans, ait: q *aliquid vitale eſt* IN SANGUINE: *quia per ipſum maximè in hac carne vivitur, qui per omnes corporis venas diffunditur, ipſamque corporis vitam vocavit animam.* Inter varias autem rationes hujus præcepti Levit. 17. S. Thomas hanc aſſignat, r cautum fuiſſe veſci ſanguine *propter reverentiam divinam: quia* SANGUIS *eſt maximè neceſſarius ad vitam, ratione cujus dicitur:* ANIMA EST IN SANGUINE, atque adeò ſanguinem brutorum bibendo, homines quodammodo feritatem, ac vitam belluinam, humanitate omni exuta, induiſſent. Tum perappoſitè ad rem noſtram ſubjungit: *quia per hoc figurabatur* EFFUSIO SANGUINIS CHRISTI, in quo ſalus, & vita eſt. Nolebat populum ſuum vitam agere carnalem, & animalem, fieri ſicut equum, & mulum, quibus non eſt intellectus, volutari in carne & ſanguine, nec ullum numen, niſi DEUM ventrem adorare. Sic ſentit purpuratus ſanguine ſuo martyr, Cyprianus: ſ *oportuit, ne ſanguini humano, ſanguis pecudum miſceretur; ne putaretur vita hominis eo modo tranſitura, quo vita pecudum inaneſcit.*

o Levit. 17. v. 14. p Ioan. 6. q Hugo Card. in Levit. 17. S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8.

Ex quibus Cypriani verbis ita colligo: ſi illi qui belluinum potabant ſanguinem, belluinam vivere vitam cenſebantur, quid mirum, ſi Chriſtiani divinam agant vitam, qui divino Chriſti ſanguine potantur? unde addit: t *bibimus autem de* SANGUINE CHRISTI, *ipſo jubente, ut nos ad ſocietatem vitæ æternæ* SUO SANGUINE *reducat*; hoc eſt, ut nos ejuſdem ſecum vitæ participes efficiat: cupit enim Chriſtianos, fideles ſuos vitam ducere ſpiritualem, ſapere quæ ſunt ſpiritus, filii ſui diviniſſimos mores & indolem imbibere; ideo longè alium propinavit nobis ſanguinem, qui per divinitatem ſanctificatus v *emundet nos ab omni peccato*, & ex Chriſti corde, nobiliſſimis charitatis, cæterarumque virtutum ſpiritibus imbutus

ſ Cypriau ſerm. de cœna Domini. t Ibid. v 1. Ioan. 1.

butus,ac plenus, eos undique per ritè ſumentium animas, omneſque facultates, & vires, vigorem & vitam diffundat.

Memini me alias hanc ex Leſſio quæſtionem moviſſe; *x* an licitum ſit homini ſeni, effœto, & exhauſto, ad vires reſtaurandas, & ſpiritus ſuppeditandos, bibere ſanguinem è venâ juvenum emiſſum? & an prodeſſet? Reſpondet: *licitum eſt haurire* SANGUINEM HUMANUM, *ex vena adolſcentis detractum, ut concilietur vigor corpori ſenili; unde quidam medici, ut Marſilius Ficinus. lib. de ſanitate tuenda, hoc tanquam ſingulare medicamentum ad illum finem præſcribit.* Nemo quiſquam hic inficias iverit, quin ſanguinis Chriſti plus vigoris, vel unica gutta contineat, quam quidquid è corpore quantumvis vegeto, elici poſſet. Joan. 6. *qui manducat meam carnem, & BIBIT MEUM SANGUINEM, habet vitam*, non ad plures menſes, & annos; ſed *æternam*; qui cibus, & potus, ut Auguſtinus loquitur, y *immortales facit, & incorruptibiles*, ac corpori Chriſti configuratos: nam dum puriſſimo, nobiliſſimo, ac diviniſſimo Chriſti ſanguine paſcimur, & potamur, CHRISTI CONSANGUINEI *efficimur*. z

Jactet ſe nobilitas, è ducum, Principum, ac Regum ſanguine oriundam; altius, & ſublimius gloriari poteſt, etiam vel tenuis opilio, vel vilis cerdo, qui illud audax, ſed verax Antiſtitis Alexandrini effatum uſurpare, & filio Dei, à Patre æterno genito dicere poteſt: a *Æquè bono Patre, &* SANGUINE *me glorior eſſe.*

Non ſine divino conſilio, & arcano myſterio dicitur beniigniſſimus redemptor noſter inter omnes complexiones humanas, melancholicam, phlegmaticam, cholericam, elegiſſe *ſanguineam*, utpote, omnium perfectiſſimam, ut probat Ariſtoteles *b*: tum quia hoc temperamentum ſanguine abundat, *quod potius elegit ſibi Dominus Jeſus, ut* PLUS SANGUINIS PRO NOBIS EFFUNDERE POSSET. *Rurſus* SANGUINEUM TEMPERAMENTUM *pronus eſt ad amandum, magiſque amabilem hominem reddit, experientia magiſtra.* Ita Chriſtophorus de Vega, Theologiæ in Aragonia Profeſſor. Hic ſanguis bulliit in venis, & foras prorumpere geſtiebat. *c*

Omnes porro noſtis, è duodecim Anni menſibus Martium à Chriſto electum, ad ſanguinem ſuum fundendum, & moriendum pro nobis, ſed cur Martium, non Auguſtum, aut Decembrem? non alia de cauſa, inquit ſacer Eccleſiaſtes Bernardinus, quam quod eo menſe ſanguis in corpore efferveſcere & ebullire ſoleat, ut eum ſic pro ſalute hominum, æſtu amoris, totum effunderet; ideo Martium ſpecialiter eligere voluit: *d cum enim in tali tempore* SANGUIS EBULLIAT, *ut totum verſaret*,

x Leſſius de jure lib. 5. c. 3. dub 2.
y Auguſt. tract. 29 in Ioan. z S. Cyrill. Ieroſolym. Catech. Myſtagog. 4.

a S. Clem Alexanad. lib. 1. Pædag. c. 6.
b Ariſt. lib. de longitudine & brevitate vitæ. c. 3. c Chriſtoph. de Vega. Theologia Mariana. Palæſtra 6. certamen. 7. numer. 651. d S. Bernardin. tom. 3. ſerm. 41.

& effunderet pro nobis,& nihil in eo remaneret: quia ipſo ebulliente, de facili emittitur; quemadmodum in olla, aut vaſe bulliente, quidquid liquoris eſt, æſtu aſſiduo effunditur.

Hos ardentiſſimos amoris ſui æſtus indicaſſe videtur, in nuptiis Canæ Galilææ, hiſce verbis: e *quid mihi, & tibi mulier? nondum venit hora mea*. S. Maximus opinatur, Chriſtum poſtulationi matris ſuæ amabiliter indignatum fuiſſe: f *hæc verba*, inquit, *indignantis eſſe quis dubitet?* Verum qui omnibus benefaciendo, ultro ſuos favores communicare propendebat, quomodo chariſſimæ matri roganti, ut humanis neceſſitatibus proſpiceret, ſuccenſere poterat? nequaquam id Matri denegandum putavit; ſed impotens ſui patiendi deſiderium celare nolebat, quo optabat non vinum, ſed ſanguinem ſuum peti. Divum Maximum audiamus: g *idcirco reor* (ſic matri reſpondiſſe) *quia de defectu carnalis poculi ei ſuggerebat, qui venerat totius orbis gentibus novum ſalutis æternæ poculum propinare: nam quod petebat Maria, erat gratiæ temporalis, quod Chriſtus parabat, gaudii ſempiterni.*

Unde ſenſus verborum Chriſti hic erat: ut quid, chariſſima mater, modicam hanc à me gratiam poſtulaſti, cum nihil tibi negare poſſim, cur non rem grandem rogaſti? Cur non pro ſalute mundi, ut ruptis omnibus venis ſanguinem meum propinarem, efflagitaſti? *Etenim, etſi nondum venit hora mea*, ut in horto per omnes corporis poros ſanguinem ſudem, ut columnæ alligatus, laceris omnibus membris largo imbre, in atrio Pilati ſanguinem pluam: ut puriſſimum è ſpinoſo vertice fundam: ut è cruce quinque novos fontes aperiam; etſi *nondum venit hora* illa; tamen illa à me diu deſiderata, ſolicitè amata, cor meum præ deſiderio exæſtuare facit, ut non quieſcam, niſi dum perficiam, & ad ultimam guttam, ſanguinem meum homini impendam.

Hinc, ne quid remaneret ſacri cruoris in corpore, velut in torculari premi voluit, ut per Prophetam prædixit: h *torcular calcavi ſolus*, quod cœli civibus percunctantibus, *unde rubrum eſt veſtimentum tuum*, glorioſus Triumphator reſpondit i Hieronymus, & Oleaſter, hæc Iſaiæ verba, ſenſu paſſivo exponunt: quia ſub gravi crucis torculari preſſus, & conculcatus fuit, & licet una gutta mille mundis redimendis ſufficeret, *hoc non contentus, voluit conculcari, ut quidquid ſanguinis, quidquid ſucci in corpore ſuo latebat, exiret ad lavacrum noſtrum*; cumque totum jam, qui in venis abditus, effudiſſet, norat reſiduum aliquem in corde remanſiſſe, quod ideo, ut totum daret, lancea aperiri voluit, atque ità, inquit Cyprianus: k *Quidquid reſidebat ſanguinis in corde, emiſit*, & ut loquitur D. Bernardinus: l *totus ſanguis in illo divino corpore defluxit*. O ſatis eſt, mi Jeſu, abundè ſatis eſt. m At reſpondentem audio: *ſatis eſt ſaluti, ſed non amori*,

e Ioan. 2. v. 4. f S. Maximus. hom. in Epiph. g Ibid.

h Iſa. 63. i Hieronym. hic. Oleaſter hic. k Cyprian. de duplici Martyrio. l S. Bernardin tom. 1. ſerm. 55. art. 2. c. 3. m Aug. Chryſol. ſerm. 128.

quod

quod ſufficiebat redemptioni, non ſatis erat amori, quem ſemel pro ſalute mundi ſanguinem fudi, ne hoc tibi fortè adhuc parum videatur, optem illum millies, & pro quoque veſtrum (n *votum in amante novum*) prodigialiter prodigus impendere, quod & reipſa præſtitit, & Seraphinorum cogitata, & mortalium vota excedens, dum carnem ſuam in cibū, & ſanguinem in potum, in amabili & mirabili Sacramento, cuique noſtrum, uſque ad conſummationem ſæculi communicare voluit: o *quaſi non ſufficeret amoroſo Jeſu ad inebriati amoris ſui oſtenſionem, quod* SEMEL SANGUINEM SUUM SACRUM *pro nobis realiter effudit in ligno, niſi nobis* QUOTIDIE EFFUNDAT IN SACRAMENTO.

p Sanguis ſanctorum martyrum, quibuſdam in locis, certo tempore ebullire conſpicitur, quo cœleſti prodigio innumera confluentium undique populorū turba excitur. Sic Neapoli ampulla vitrea plena ſanguine S. Stephani Protomartyris, à Gaudioſo Epiſcopo illuc delata, dum Wandali Africam vaſtarent, quotannis, ut aræ imponitur, ſanguis reſolvi, & bullire incipit omnibus inſpectantibus; ut & S. Joannis Baptiſtæ, ac S. Ianuarii, de quo Breviarium Rom. 19. Septemb. præclarum illud, quod ejus ſanguis, qui in ampulla vitrea concretus aſſervatur, cum in conſpectu capitis ejuſdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, & ebullire, perinde atque recens effuſus, ad hæc uſque tempora cernitur.

Mirabile illud quoque, & amabile, quod de S. Patritia Virgine refertur. *q* Neptis hæc fuit magni Conſtantini, jam centum annis defuncta, dum quis ex ſacro corpore, venerationis ergo, dentem extrahere nititur, copioſè ſanguis effluxit, qui quoties denti apponitur, liquefieri cernitur. *r* Addit idem Auctor, agens de miraculis perpetuis, ſanguinem quem ſub cruce legit Magdalena, ter in Anno, die veneris ſancto, feſto circumciſionis, & inventionis ſanctæ crucis liqueſcere, & ebullire. Verum enimvero quid hæc ad pretioſum Chriſti ſanguinem, qui non ſemel in anno, non uno in loco, ſed indies, & milles, non concretus, ſed vividus fervet, & bullit in venis ejus, & quod omnia excedit, etiam in intimis venis tuis, & cordis penetralibus.

Multorum vota, & deſideria ſunt: ô ſi licuiſſet mihi cum Magdalena, ſub cruce, ſacrum cruorem, etiam terræ glebis immixtum, aut è ſacro corpore ſtillantem colligere, eum non alabaſtro, ſed & auro & gemmis tam inæſtimabilem Theſaurum reconderem, quo merito ſe Brugæ Flandrorum felices glorientur, & omni in pretio, ac veneratione habent. *ſ* Anno etenim 1148. Comes Flandriæ Theodoricus Elſatius Brugas, jam tum celeberrimam urbem,

n Ovid. l.3.metam. v.343. o Bern. tom.2. ſerm. 54.art.1.c.2. p Marchant hortus Paſtor.tom.2 pag.150.V. Ferrandum diſquiſit, Reliquiar. l.2.part.1.c.2. pag. 418. Silveſt. Petra ſancta, Miracula perpetua.

q Silveſt. Petra S. Thaumaſię.tom.3. pag.74. r ibid. ſ Sanguis Chriſti à quo, & quomodo Brugas delatus. Breſſerus de conſcientia lib 6.c.22.n.304. Mayerus in annal. Fland l. 5. Molanus.

Hieroſolymis detulit, donavitque notabilem partem ſacroſanċti cruoris Chriſti (ſibi donati à Rege Jeroſolymitano Balduino, Antiſtitis, & Principum conſenſu, ob res fortiter, & feliciter geſtas) & abſterſi è cruento Chriſti Corpore, cum de cruce fuit depoſitum, ut teſtantur Mayerus, Molanus, pluresque alii. Etiamnum is viſitur rutilo, & vivido ſanguinis, etſi condenſati, colore, & laudabili, ac conſtanti Brugenſium pietate colitur; præſertim 3. Maji, feſto inventionis S. Crucis, Brugis dicto *ſacroſanċti ſanguinis*, quo circumfertur ſolemniſſima ſupplicatione, ut tantæ populi pietati ſatisfiat. Oſtenditur ſingulis diebus veneris, quibus ſolet ebullire, quod teſtatur ipſe pontifex Clemens V. peculiari bulla, qua ejuſdem cultum approbat, etſi labentibus Annis, occulto Dei judicio, ceſſarit.

Vota tua benigniſſimus Jeſus tranſcendit, qui non particulam ſacri cruoris, ſed omnem qui in corpore eſt & numquamferveſcere, & bullire ceſſat, tibi largiſſimè propinat. Quis non illud benevolentiæ, ac cœleſtis favoris ſtupendum teſtimonium exiſtimârit, Chriſtum hoſpitem habere, eidem cum illo menſæ accumbere, & ex eodem calice bibere? Quis non ſe mortalium feliciſſimum dictitaret, & liquidiſſimis gaudiis totus diffueret, cui illud cœlitus beneficium obtingeret? Hoc conceſſum lego B. Angelæ de Fulginio *t* (cujus corpus adhuc integrum ſpectatur Fulginii, non ſine ſtupore amabili, & intimo piæ voluptatis ſenſu) quæ cum Sponſo ſuo agens familiarius, petiit aliquando: *Ecqui eſſent filii Dei?* Et audiit eos eſſe, qui ad cœleſtes invitati nuptias, ubi caro in cibum, & ſanguis in potum porrigitur, ad illas etiam veniſſent. Ad quas cum unicè anhelaret, Chriſtus illi viſus eſt aſſidere menſæ, ſed divinæ: *viſus deinde è calice bibere liberalius*, ac deinde illi aſſidere alii non pauci, *& ex eodem calice bibere*; nec ſine ſenſu, ac voluptate amabili, quæ etiam ex oculis, ex vultu ſpirabant.

Hæc ſuſpicimus, & admiramur, & ut animas cœlo delapſas ejuſmodi veneramur, nec immeritò; at quis eſt, qui ſuo pondere & momento expendat, quanto excellentioris amoris, & diviniorís favoris foret, ſi tibi ſoli, aut uni mortalium, unâ in orbis urbe, etiam Jeroſolymis id beneficii contuliſſet, ut ſub Euchariſticis ſpeciebus te ſolum, ſuo tempore paſcere, & ſanguine potare dignatus fuiſſet? Quid de Deo tuo, quid de te ipſo, quid omnes mortales ſentirent? Hæc autem cum immenſa ſua charitate, ſine ullo tui diſpendio, ſed gratiæ incremento, aliis quoque communicarit millies, & millies, v *illa miracula Corporis Domini*, JAM ASSIDUITATE VILUERUNT. Non ſic Domine, non ſic, ſed ad prodigè ſanguinem tuum pro me effuſum totus rubore ſuffuſus exclamo: x *quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

Pſaltes Regius, ut ait Origenes, anxius hæſitat, & quærit, in his omnibus, quæ illi ſuppetebant, quod-

t Bollandus 4. Ianuarii in vita.

v Auguſt. tract. 24. in Ioan. c. 6.

x Pſal. 115. v. 13. Corderius hic.

quodnam tanto Domino, ac donatore, dignum donum reperiret; An ſacrificia, an holocauſta? Quin ipſam vitam per ſanginem Deo offert effundendam. Hæres & tu anxius, qui communia cum Davide munera accepiſti, & inſuper infinitò præſtantiora, quid ni ſanguinem pro ſanguine reddas? dic cum Pſalmiſta: *calicem ſalutaris accipiam.* y Hieronymus ex Hebræo vertit: *calicem Jeſu accipiam.* Hugo Cardinalis: z *Calicem ſanguinis Domini, ſeu EUCHARISTIAM intelligit.*

Hunc calicem non modò ſitiebat ſponſa, nec ex eo dumtaxat liberalius ſemel haurire; ſed & in ipſam cellam vinariam introduci cupiebat, ut omnino ſobria & ſancta temulentiâ inebriari poſſet; ſic etenim Divus Gregorius Nyſſenus: a *neque ad ſedandam ſitim ſatis eſſe putat, ſi totum creatorem in os infundat; ſed rogat ut deducatur ad ipſam cellam vinariam, & ipſis torcularibus os ſubjiciat.* Hæc autem cella vinaria, eſt altare, ſeu ædes ſacra, in qua ſacerdotes conſecrant, & hauriunt, & propinant vinum Euchariſticum. unde ſubdit: b *cupit ingredi domum, in qua eſt vini myſterium, ac Sacramentum.* Divinè Doctor Angelicus. Opuſc. 58. c. 30. c *cella vinaria eſt Eccleſia, ubi propinatur* CALIDUM VINUM SANGUIS CHRISTI, *ad accendendum corda dilectione Dei, & proximi.*

Ad hanc cellam vinariam, ſeu domum vini, inducitur à Chriſto, ceu Sponſo, fidelis anima, ut bibat de calice Domini, eoque piè ebria æſtuet; ſed æſtu divini amoris, atq; in has ecſtaticæ mentis voces erumpit: d *calix tuus* INEBRIANS, *quam præclarus eſt:* quam potens eſt, quam amabilis, & mirabilis eſt? Quo lingua ſanguine Chriſti tingitur, & ut Poëta celeberrimus:

e *Purpureo bibit ore nectar:*

Atque omnium rerum terrenarum oblitus, quaſi impos mentis, homo totus in Deum abripitur. Experto credite Divo Cypriano: f *quam præclarus eſt calix iſte, quam religioſa eſt hujus potus* g EBRIETAS, *per quam excedimus Deo, & quæ retro ſunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes ſenſum hujus mundi; ſed divitis purpurati delicias contemnentes, cruci hæremus,* SANGUINEM SUGIMUS; *& intra ipſa redemptoris noſtri vulnera figimus linguam, quo interius, exteriuſque rubricati, à ſapientibus hujus ſæculi judicamur amentes;* ſed cum ſapientia à ſapore nomen mutuetur, quibus hic cœleſtis potus ſapit, ſanctâ inſaniâ ſapienter deſipiunt.

Diſpares planè effectus, & operationes habet ſana & ſancta ebrietas, ab illa inſana & brutali, quam D. Bernar. deſcribens, ait: h EBRIETAS *corpus dibilitat, mentem illaqueat.* EBRIETAS *generat perturbationem mentis, auget furorem cordis ebrietas nutrit flammam fornicationis.* Hæc oriuntur de uva fellis hujus ſæculi, & botris amariſſimis; *ſed calix Domini* INEBRIANS, divini Spiritus ebrietatem inducit, *potentem*

y Hierony. z Hug Card in Pſal. 115. v. 13. a Greg. Nyſ. in cantica hom 4. b Ibid. c S. Thom. opuſc. 58, c. 30.

d Pſal. 21. v. 5. e Horat. Carm. lib. 3, od. 4. f Cyprian ſerm de cœna Dom. g De ebrietate ſancta. h Bern. lib. de modo vivendi. c. 25.

quidem, inquit Theodoretus i; *ſed non diſſolventem*, quæ copioſius, & ingenioſius deducit Divus Cyprianus: k *EBRIETAS DOMINICI CALICIS ET SANGUINIS*, *non eſt talis*, *qualis* EBRIETAS *vini ſæcularis*; *cum diceret Spiritus Sanctus in Pſalmo*: *Calix tuus* INEBRIANS, *addidit*, *quam optimus*; *quod ſcilicet*, *calix Dominicus ſic bibentes* INEBRIET, *ut ſobrios faciat*: *ut mentes ad ſpiritualem ſapientiam redigat*, *ut à ſapore iſto ſæculari*, *ad intellectum Dei unuſquiſque reſipiſcat*: *Et quemadmodum vino iſto communi mens ſolvitur*, *& anima relaxatur*, *& triſtitia omnis deponitur*, *ita* EPOTO SANGUINE DOMINI, ET POCULO SALUTARI, *deponatur memoria veteris hominis*, *& fiat oblivio converſationis priſtinæ ſæcularis*: *Et mœſtum pectus ac triſte*, *quod prius peccatis angentibus premebatur*, *divinæ indulgentiæ lætitia reſolvatur*; ut ſatis ſuperque feſto 2. Pentecoſtes tractavimus, ubi omnes proprietates diſparis ebrietatis expoſuimus.

Hic dumtaxat dixiſſe ſufficiat, l *vinum* hoc ſanguinis Chriſti, *germinans virgines*, flammam libidinis, omnemque fomitem reſtinguere, caſtaſque mentes ſanguine Agni immaculati ſalubriter potari, & dealbari.

Vinum hujus mundi, Ariſtophanes *m* vocat, *lac veneris*. Pontianus: *malorum omnium metropolim*. Hieronymus lib. 2. adv. Jovinianum: *Eſus carnium & potus vini*, *ventriſque ſaturitas*, SEMINARIUM LIBIDINIS *eſt*. Alibi verò: n *venter*, inquit, *mero æſtuans*, *citò deſpumat in libidines*, non ſecus ac olla fervens exæſtuat; *in vino luxuriâ*, *in luxuriâ voluptas*, *in voluptate impudicitia eſt*. Unde in fervore adoleſcentiæ, & juventutis, à vino maximè abſtinendum: quia o *vinum & adoleſcentia*, *duplex incendium*; *quid oleum flammæ addimus*? nec minus luculenter Ambroſius: p*Ebrietas eſt fomentum libidinis*, *incentivumque inſaniæ*; per ſe hic ignis in juvenum venis, ac cordibus ſatis ardet, fomento non eget; ſed potius,

Subtrahe ligna foco, *ſi vis non ardeat ignis*.

Dæmonium temulentiæ, cum altero luxuriæ, tam arcta Societate ſibi connexa ſcribit Tertullianus, ut ubi unum intrat, alterum ſubſequatur, neceſſe ſit: q *Veneri*, inquit, *& Libero convenit*. *Duo iſta dæmonia conſpirata*, *& conjurata inter ſe ſunt*; *ebrietatis*, *& libidinis*. Quod alibi probat *r* ex illo Pauli ad Rom. 13. *quam ſocietatem*, *& Apoſtolus ſciens*, *cum præmiſiſſet*, *non in* EBRIETATIBUS, *nec in commeſſationibus*, *adjunxit*: *nec in cubilibus*, *& libidinibus*. Loth, quem Sodoma non perdidit, nec ſulphur de cœlo afflavit, per ebrietatem, ſcelere turpiſſimo ſe contaminavit. Origenes hom. 5. EBRIETAS *decipit*, *quem Sodoma non decepit*: *uritur flammis mulierum*, *quem flamma ſulphurea non uſſit*. Quod ipſum Doctor maximus confirmat his verbis: ſ *Loth per TEMULENTIAM*,

i Theodoret. in pſal. 22. k Cyprian. Epiſt. 63. l Vinum ſanguinis Chriſti germinat virgines. Zachariæ 9. v. 17. m Apud Athen. l. 10.

n Hier. Ep. 83. ad Oceanum. o Idem de cuſtod. Virg. p Amb. l. de Elia & jejunio c. 6. q Tertull. l. de ſpectac. c. 10. r Idem de jejuniis adverſus Phyſicos. ſ Hier. Ep. 83. ad Oceanum.

TIAM,

TIAM, *neſciens libidini miſcet inceſtum, & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt.*

Quot mariti, velut equi adhinnientes, quæ ſobrii nunquam cogitaſſent, temulenti alienas adamarunt? In hanc rem, horrendam narrat Africanus Præſul tragœdiam. t *Accidit*, inquit, hodie terri-
,, bilis caſus, ut omnes audiſtis,
,, propter quem ad Eccleſiam
,, Hipponenſem etiam fœminas,
,, & infantes congregari præcepi.
,, *Ecce præclariſſimus civis noſter, &*
,, *fere dilectus ab omnibus Cyrillus, fi-*
,, *lium habebat, ut ſcitis*; *ecce hodie*
,, EBRIETATEM *perpeſſus, ma-*
,, *trem prægnantem nequiter oppreſ-*
,, *ſit, ſororem violare voluit*; *Patrem*
,, *occidit, & duas ſorores vulneravit*
,, *ad mortem.*

Quid non ebrietas vitiorum omnium mater parturit? v *nox & amor, VINVMQVE nihil moderabile ſuadent.* Baſil. Hom. adv. Ebrioſos: VINO OBRUTUS, *familiariſſimos ſuos non agnoſcit, ſæpè ad extraneos tanquam ad ſuos accurrit*: *unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* Unde alibi ſubdit: in c. 1. Epiſt. ad Titum: *nunquam ego ebrium, caſtum putabo.* Hinc illa ſevera Pauli admonitio: x *nolite* INEBRIARI *vino*, *in quo eſt luxuria*; ſed inebriamini vino in quo eſt caſtimonia, in quo Angelica mentis & corporis puritas: y *Inebriamini vino*, *quod germinat Virgines*, *non apoſtatare faciens etiam ſapientes.* Ad illud vinum planè divinum, vos conjuges, adoleſcentes, & adoleſcentulas, hodie invito verbis Hieronymi, qui expendens illa verba Cant. 2. *quam ſpecioſa ſunt ubera tua vino!* ſic diſſerit: z *quod illud vinum eſt, quod ſponſæ mamas pulcherrimas facit, & pudicitiæ lacte fœcundat? nempe illud, de quo Sponſus in conſequentibus loquitur*: *bibi vinum meum cum lacte meo*; *unde & Apoſtoli dicebantur muſto pleni. Et pulchrè ſubdit*: *hoc eſt vinum, quod* CUM INEBRIAVERIT ADOLESCENTES, ET PUELLAS, STATIM VIRGINITATEM SITIUNT, *& expletur illud vaticinium Zachariæ, juxta Hebraicam veritatem de virginibus Eccleſiæ*: *complebuntur infantibus, & puellis ludentibus, plateæ ejus*: *Quid enim bonum ejus, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum*, & VINUM GERMINANS VIRGINES.

Hujus tam præſtantis liquoris inventor, non infamis ebriorum Deus Bacchus, ut Poetæ fabulantur, aut fœtens Hircus; ſed Agnus immaculatus exſtitit.

Narrat Ludovicus Vives, a dum Paſtor Staphylus, Oenei Regis Filius, capellas pabulatum deduceret, notavit unam præ cæteris ſecedentem à grege, lætiorem eſſe, & ſerius ſemper ſaliendo redire ad præſepia, cujus rei ut cauſam agnoſceret, ponè eam inſequitur, & in remota ſtirpe uvas edentem conſpexit, quem fructum ante hoc hominibus incognitum legit, regique Oeneo obtulit, qui expreſſo ſucco, ſapore delectatus, vitem excoli juſſit, atque ita ab Oeneo, vinum Græcè οἶνον, & uva à Staphylo, σαφυλὴ,

t Auguſt. ad fratres in Eremo. c. 33. v Ovid. x Eph. 5. y Bern. ſerm 3. in Pentec.

z Hieron. l. 1. adverſus Iovinian. c. 17. a Lud. Vives in Auguſt. de civit. Dei lib. 10. c. 12.

dicta eſt, quam prius Agnellus adinvenerat. Ut hæc fabula ſit, hoc fidei eſt, vinum illud Euchariſticum, quod germinat virgines, ab Agno ſine maculâ inventum eſſe, nobiſque in ſacro epulo largiter propinari.

Vinum, ait Varro, inde dictum vult, quod *ex vite natum*; quidni vinum illud optimum, quod ex vite, in qua omnia vita ſunt, dimanavit, b *vinum porrò ex ea vite eſſe*, inquit S. Cyrillus, *quæ ait: Ego ſum vitis, vos palmites*;

Contra cerbereum illud libidinis virus, nullum præſentius antidotum carne, & ſanguine Domini; unde divinæ adinventiones illius fuêre, qui feliciter hoc aſſecutus: EUCHARISTIA, anagramma VIS THERIACA. Caro noſtra viperino, & lethifero veneno infecta, hâc divinâ medicinâ, cui vis ſupra omnem theriacam, omni veneno expurgatur.

Hinc & illud complures obſervarunt, atque hos inter, *c* Pater Juſtinelli è Societate noſtra, primis illis Eccleſiæ temporibus, ideo tot præſtantiâ ac numero floruiſſe virgines, quod frequenter divino hoc poculo reficerentur, & ab omni turpitudine cuſtodiret. Suaviſſimè more ſuo hoc argumentum pertractat Ambroſius: d *ſed vis manducare, vis bibere? veni ad convivium ſapientiæ, quæ invitat omnes cum magna prædicatione, dicens: venite & emite panes meos, & bibite vinum quod miſcui vobis. Delectant cantica quæ epulantem demulceant? Audi cantantem Eccleſiam: manducate proximi mei, & bibite, & INEBRIAMINI Patres mei. Sed hæc EBRIETAS ſobrios facit: hæc* EBRIETAS GRATIÆ, *non temulentiæ eſt. Lætitiam generat, non titubantiam; nec verearis, ne in convivio Eccleſiæ, aut grati odores tibi, aut dulces cibi, aut diverſi potus, aut convivæ nobiles deſint, aut decentes miniſtri. Quid Chriſto nobilius, qui in convivio Eccleſiæ & miniſtrat, & miniſtratur ei? iſtius convivæ recumbentis, annecte te lateri, ac te Deo conjunge.* Et poſt pauca: *ſapientia ædificavit ſibi domum,* &c. *In hac domo epulaberis animæ cibo, potuque mentis, ut poſtea non eſurias, neque ſitias unquam: Qui enim manducat, manducat uſque ad ſatietatem, & qui bibit, uſque ad* EBRIETATEM BIBIT. *Sed hæc* EBRIETAS PUDICITIÆ CUSTOS EST. *Illa vini ebrietas, fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viſcera, animus igneſcit.*

Compello vos auditores, quid eſt quod etiam hoc ſæculo nequam, tot Virginum choros poſtremis hiſce temporibus orbis dedit? Quid tot modeſtiſſimis viduis caſtæ orbitatis, ſtudium inſeruit? Quid tot pudicis conjugibus, amorem integritatis conjugalis indidit, & thorum immaculatum ſervare fecit? nonne calix ille inebrians ſanguinis Domini? e *bona menſæ ſpiritualis EBRIETAS*, exclamat Ambroſius, quæ alios planè affectus, alia deſideria in mente excitat, quam vinum hujus mundi. Quare, inquit *f*, quiſque veſtrûm *veniat ad cibum corporis Dominici, ad epulas Sacramenti, ad illud poculum quo fidelium* INEBRIATUR AFFECTUS, *ut lætitiam induat de remiſſione peccati: curas ſæculi, metum mortis, ſoli-*

b S. Cyrill. Hieroſol. Catecheſi. 17.
c Caſſian. coll. 7. 30. d Amb. de Cain. & Abel. l. 1. c. 5.

e Amb ſerm. 13. in pſal. 118. v. 7.
f Idem ſerm. 15. in Pſal. 118. v. 4.

citu-

tudineſq; deponat.Hac ergo EBRIETATE *corpus non titubat ; ſed reſurgit animus ; non confunditur , ſed conſecratur.*

Quod ſi quis ulterius cauſam ſciſcitetur, cur in Societate Jeſu, hactenus Angelica viguerit caſtitas, etiam inimicorum, & Heterodoxorum calculo comprobata? eam in ſtudium frequentandæ Euchariſtiæ, ejuſque cultum referendam dico. Ut auream hic uſurpare poſſim Divi Algerii ſententiam, g Euchariſtiam eſſe *Sacramentum Societatis Jeſu* Quiſquis ejus rei experimentum deſiderat, hoc epulum frequenter , & hoc ſalutari poculo ſæpe mentem reficiat.

Plurimorum querelæ ſunt, graves ſe carnis ſtimulos , ac frequentes luxuriæ motus pati , luctam ſibi aſſiduam eſſe, ne ſuccumbant : atque ea propter ſeſe matrimonii vinculo colligare ; quo ſe illigatos , poſtea amariſſimis lacrymis, & lamentis deplorant, ut ſupra diximus. Vos adoleſcentes , & adoleſcentulæ , ne idipſum etiam ſerò deploretis , ſaniori ac ſanctiori conſilio , quod Carthaginenſis Antiſtes,& purpuratus Martyr , Cyprianus ſuggerit, acquieſcite , qui ſic ait : *h* HÆC EBRIETAS *non accendit ; ſed extinguit peccatum : in hoc vino non eſt luxuria , nec movetur ad ludum poſt hunc potum laſcivia ; cum ſopivit oblivio cuncta carnis ludibria, mira ſunt, quæ ſentit,magna quæ videt, inaudita quæ loquitur*; hoc poculo ebrius , motus non ſentit pravos , obſcœna non videt, inhoneſta non loquitur. Vulgò vinum optimũ, inquit Cornelius *i*, vocatur, *vinum cos.* Quod ſcilicet habet egregium *colorem,odorem,&* *ſaporem* ; Quale, inquit S. Hieronymus , eſt illud Sponſæ dicentis : k *dabo tibi poculum ex vino condito,& muſtum malorum granatorum.* Sanchez vertit *florere faciens*, alii *procreans Virgines.*Pagninus:*Vinũ cantare faciens Virgines*; l

Hic enim divinus potus inebriat,ut in Dei hymnos,& laudes erumpant. Unde olim poſt ſacram ſynaxim , fideles quaſi ſanguine Chriſti , ejuſq; amore temulenti,canebant cantica ſacra;imo ſubinde enthuſiaſmo , & Spiritu Sancto correpti , arcana & ſublimiſſima myſteria miris modis &odis eructabant, juxta illud : *implemini Spiritu Sancto , loquentes vobiſmetipſis in pſalmis , & hymnis , & canticis ſpiritualibus,cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.Sic*

m *Ille liquor docuit voces inflectere cantu.*

Ita S. Monica , ſumptâ ſacrâ ſynaxi, quaſi ebria , canebat : *cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*Et quandoq;ſuſpirabat *: volemus in cœlum,* linquamus terram,volemus in cœlum. Sic Franciſcus Seraphicus, de quo Bonaventura : n *flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis , fervore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo illam chariſſimã dignationem, & dignantiſſimam charitatem.Sæpe communicabat, & tam devotè , ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni deguſtationẽ ſuavem , quaſi* SPIRITU EBRIUS , *in mentis ut plurimum rapiebatur exceſſum.*

Sed , ut unde paulum divertimus , revertamur , concludo

g Alger l. 1 c 3. h Cypr. ſerm. de cœna Dom. i Corn. in Zachar. c. 9. v. 17.

k Cant. 8. v. 2. l Corn. cit. m Tibull. l. 1. n Bonavent. in vita c 9.

D. Hiero-

D. Hieronymi teſtimonio, in illud Zachariæ 9. *frumentum electorum, & VINUM GERMINANS VIRGINES:* ubi ait: o *Eſt frumentum electorum, ſive juvenum* (quod ſodalibus omnibus inculcatum velim) *Ipſe eſt & vinum, quod lætificat cor hominis, & bibitur ab his virginibus, quæ ſunt ſanctæ & corpore & ſpiritu, ut INEBRIATÆ, atque gaudentes ſequantur Eccleſiam, & dicatur de eis: adducentur Regi Virgines poſt eam, proximæ ejus afferentur tibi: afferentur in lætitia, & exultatione. Quomodo enim lætitiam non habebunt, quæ* INEBRIATÆ *poculo Salvatoris, generantur in Virgines, & audent dicere: introducite me in cellam vini, & confortate me unguentis?* Et mox: hoc VINO INEBRIATI SUNT, *qui ſequuntur Agnum Dei, quocumque vadit, veſtiti candidis veſtibus: quia ſe cum mulieribus non coinquinarunt, Virgines enim ſunt.*

Caput generis humani, ac primus parens Adam, artifici manu à Deo formatus è terra Virgine, corpus habuit ab omni fomite, & fuligine peccati integrum, & illibatum; ſed exiguo lapſu temporis, & ſuo, ſuorumque poſterorum, virgineam illam terram infecit, & ignem concupiſcentiæ ſubdidit, quem omnes mortales etiamnum in venis ſuis efferveſcere ſentiunt. Secundus Adam, Chriſtus, ut hunc ignem, à gehennâ incenſum, reſtingueret, & refrigerium adferret, ipſe corpus ſibi aptavit, & illud quidem è terra Virgine, hoc eſt, è Matre Virgine, & hoc, ut ſui communione, Virgines faceret, animas nempe puras, caſtas, virgineas, ab omni carnis & veneris illecebris illibatas. Imò & corpora, itaque p *antiquam plaſmationem, in ſe reſtauraret,* ut annotavit D. Irenæus, & in novam formam, ac pulchritudinem reſtitueret. Quo ſpectat illud Zachariæ Prophetæ, animam à Chriſti corpore formoſam, ac decoram reddi, dum appellat q *pulchrum Dei.* At unde amabo, *pulchrum* illud, niſi ex eo, de quo idem ipſe vates ſubdit: r *quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, &* VINUM GERMINANS VIRGINES? Quem locum, cum explicat Paſchaſius, vult ſ animas à Chriſti Corpore, & Sanguine, *candore lilii, & rubore ſanguinis, decorari.* Cœleſtis illa Aquila Joannes, t *non uſitata penna* ſcribit, eas v *in ſanguine Agni dealbari*; hoc enim & eluuntur, & dealbantnr. Quod dum de ſtolis dicit, corpora intelligit, quibus animæ veluti amiciuntur, & teguntur, quæ ſi forte ſordidâ libidinis maculâ infecta, fuligine omni deterſa, ſuper nivem dealbantur.

x Solenni die, dum ſacra hoſtia per compita deferretur, comitabatur Philippus II. Hiſpaniarum Rex, aperto capite, funali prælucens: atque ut æſtus erat eo die ſummus, monitus ab aulicis, ut ſi non operto capite incedere vellet, umbella ſaltem ſibi ſolem, æſtumque defendi pateretur, quibus ille dignam objecit Catholico Rege ſententiam: *innocens hodiernus ſol eſt, qui ab Euchariſtici ſolis radiis temperatur,* nudoque vertice ire perrexit. Si Sol ille aſpe-

o Hierony. in Zachar. c. 9.

p Irenæus. l. 3. c. 31. q Zach. 9. v. 17. r Ibid. ſ Paſchaſius. in Zach. cit. t Horat. v Apoc. 7. v. 14. x P. Rho. virt. hiſt.

cta-

ctabilis & ardor caniculæ innocens fuit, quia eo die lucebat ille, & ardebat, qui *in ſole* Euchariſtico *poſuit tabernaculum ſuum*; jure dixero, neque tibi nocere poſſe tartareos ardores, atque incendia, ſeu à carne excitari voles, ſeu à malo genio, luxuriæ præſide, ſi tibi luceat, ardeatque *in venerabili*, Sol melior, & purior.

Quod ſi alias minus feroces animi perturbationes, & ferventiores mentis, & corporis ardores, ſacrum *corporis Chriſti* antidotum temperarit, & divini latices *ſanguinis ejus* reſtinxerint, iiſdem & veneris faces reſtinguendas confidite.

Exemplo vobis ſit quod ſubjicio, & finio: *y* Leoni Pereriæ, Adoleſcenti nobiliſſimo, & præfervido, Gregarius miles colaphum impegerat, & fugam arripuerat in obvium fortè templum, velut aſylum: eum ibi aſſecutus Pereria, injecta in collum una manu, altera pugionem jugulo admovebat; cui miſellus ille, viſa quam fortè ſacerdos, vicinam ad aram ſuſtulerat de more, hoſtia divina: *per hanc te*, inquit, *obſecro, parce*; ſimul precantis vox, ſimul & nolæ pulſus, juvenis animum, iraſque fregit: exclamavit enim ilico: *hæc te juvat*; ſimulque pugionem vaginæ reddidit. Nempe edomitus ab Euchariſtiæ præſentia furor. Quod ſi edomitus ille fractuſque furentis iræ ardor, audeo dicere & edomandas, & frangendas, ſagittas omnes, & tela ignea, quæ è feroci, fatalique pharetra emittet Cupido, emittet & infernus ipſe; ſi modo ad ſacratiores aras, ad Agnum Euchariſticum acceſſeris.

y P. Ioan. Rho variæ virt. hiſt. l. 3. c. 1.

Sed dum hic uberrimus fructus ſanguinis Chriſti, in fervidos quorundam Laicorum, & ſanctimonialium animos influit, non paucis ardor inceſſit, eum cum ſacerdotibus etiam ſub vini ſpecie participandi, & indiſcretis deſideriis agitati, quæſtionem movere, cur Sacramentum quod Chriſtus ſub utraque ſpecie panis & vini inſtituit, & primitivæ Eccleſiæ in uſu fuit, ſibi denegetur? quæ diſceptatio, cum primos Hæreſiarchas, & perturbatores Eccleſiæ exagitarit, ut & illos confutem, & pias animas ſub una ſpecie totum Chriſtum, corpus & ſanguinem, æquè ac ſacerdotes recipere, confirmem, breviter è ſcripturis, Conciliis, ſanctis Patribus, & ratione, demonſtrandum duxi *z*. Quamvis ſub una ſpecie panis, Catholici omnes & corpus & ſanguinem Domini participent, ſacerdotibus tamen Chriſti ſanguis ſub ſpeciebus vini propriè communicatur, illudque beneficium ſingulari prærogativa huic altiori Ordini ſacerdotali collatum. Quod in ſcypho Ioſeph apud Benjaminum reperto, non ſine myſterio adumbratum, obſervavit Divus Ambroſius: *a triticum*, inquit, *multis datur*; *Scyphus uni, qui ſacerdotali donatur munere*, quique ad ſacrificium hoc peragendum, & ſanguinem Chriſti recipiendum, velut vaſa quædam aptantur, & conſecrantur: quare inquit S. Thomas *b*, *populus non accipit ſanguinem ſub ſpecie vini, ſicut ſacerdos; quia requiritur vas congruum hujus ſanguinis contentivum. Sicut enim vi-*

z Digreſſio cur Laicis non detur ſanguis ſub utraque ſpecie. a Amb. l. de Ioſeph. c. 11. b S. Thom. opuſc. 58. c. 29. num. 3

num, vas ſpecialius & diligentius præparatum in quo ſervetur exigit, quam panis; ſic ſub ſpecie vini, ſanguis Chriſti, ſumendum ſolum ſacerdotibus conceditur, tanquam vaſis Domini ad hoc ſpecialiter conſecratis, & ſacra Religione conſtrictis, & virtutum pulchritudine excellentius praornatis. Illud autem Matthæi 26: *bibite ex hoc omnes*, ſolis Apoſtolis dictum eſt, qui tum ad menſam cum Chriſto ſedebant, ut rectè D. Thomas obſervat, dicens: c *hinc eſt quod Dominus in cœna Apoſtolis paucis, & ut ſuis Sacerdotibus, non ſolum corpus in ſpecie panis, ſed & ſanguinem in ſpecie vini dedit.* Quod ne Laici æque ſibi conceſſum arbitrarentur, ſubdit: *multitudini hominum in deſerto, panem ſine potu diſtribuit.* Idque aliis pluribus ſcripturæ teſtimoniis confirmatur, ubi prima Veritas de ſolo pane loquitur. Joannis 6: *qui manducat me, vivet propter me.* At non manducatur Dominus, niſi in ſpecie panis, ergo in ſpecie panis non eſt ſolum corpus; ſed totus Chriſtus. Et iterum: d *qui manducat hunc panem vivet in æternum. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.* Diſcipulis in Emaus dedit ſolum panem, e *& cognoverunt eum in fractione panis.* Actorum 2. *Erant autem perſeverantes in Doctrina Apoſtolorum & communicatione FRACTIONIS PANIS.* Accedit, Chriſtum, & Angelos, variis ſanctis communionem ſub ſpeciebus panis detuliſſe.

Quid, quod in quibuſdam orbis partibus, vini rarior, aut nullus uſus ſit, ut in Japonia, ubi vix tantum vini, quod miſſæ ſufficiat, inquit Bellarminus *f* Nobilis ſcriptor Joſephus Acoſta in hiſtoria Indica refert, vidiſſe ſe lagenam vini exiguam, 300 ſcutatis emptam. Tam rarum illic vinum, ut in hanc rem ait Florimund. Remond de ortu hæreſios lib. 4. c. 5. ſcribit, ex Volaterrano lib. 7. geograph. ab Innocentio VIII. Pontifice conceſſum Norwegis, ut ſine vino ſacrificent, quod vinum in Norwegia non creſcat, & aliunde allatum, ſtatim aceſcat.

Uſum interim receptum communionis ſub una ſpecie, impugnavit, Petrus Dreſdenſis ex hæreticis Waldenſibus, & Sacramentariis, *g* qui non agnoſcunt concomitantiam ſanguinis Chriſti; & moderni hæretici, allegantes illud Joannis 6: *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Reſpondet Bellarminus, & Ariaga eximius Theologus, *h* illud *&*, ſignificare *vel.* ut Act. 3. *argentum & aurum non eſt mihi*, id eſt, non eſt mihi argentum vel aurum. Et Levit. 20. v. 9. *qui Patri, Matrique maledixit*, præmiſit enim *aut.* reſpondet 2. etiam ſub una ſpecie, verè bibi ſanguinē, quia ſub qualibet ſpecie totus Chriſtus, corpus nempe vivum, cum ſanguine & anima continetur, quod habebat, cum diceret, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*; quod idem & nunc glorioſum, non mortuum & exangue Catholicis tra-

c S.Thom.cit. d Bellarm. controv. tom.3 de Sacram.Euch.l.4,c.21. e Luc. 24.v.42.

f v.Bellarm.cit.c.24. g Bellarm.cit. c.28. h Bellarmin. c.24.3.part.de Euchar.diſp.42.ſec.1.Ariaga cit.

ditur.

ditur. Ad hoc nobiliſſimum adducit teſtimonium Paſchalis lib. de corp. Chriſti c. 14 (quem citat Suarez) ubi comparat Euchariſtiam cum manna, in quo etiam optima vina ſapiebant: i *ſi ergo*, inquit, *in figura unicum alimentum omnia præſtabat, quanto magis, ipſum Chriſti corpus ſanguine plenum, unica ſpecie ſumptum, omnia perficiet*; alioquin Chriſtus dilectas ſuas ſponſas, & devotum fœmineam ſexum, totque viros pios multum fraudaſſet. Eodem ſpectat illud D. Thomæ: k *ſicut ſub ſpecie panis eſt corpus Chriſti per tranſubſtantiationem, ita ibi eſt ſanguis ejus veraciter per annexionem*. Et ſimilitudinem adducit de botro, ſeu uva, qua vinum continetur: Cant. 1. *botrus Cypri dilectus meus mihi. Duo ſumo in botro, uvam ſcilicet corpus Domini in cibum, & ex uva ſugo dulcem ſanguinem in potum*: Deuteron. 32. *conſtituit eum Dominus ut ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum*. Pluribus controverſiam hanc vide ſolidè tractatam per Florimundum Raemund. de ortu Hæreſeos. lib. 4. cap. 5.

His ita contra Hæreticos, breviter ſtabilitis, ſolatio Catholicis eſſe debet, *l* quod Laicus ſub una ſpecie idem, ac tantum ſumat, quantum Sacerdos ſub utraque, ut Eccleſia per orbem univerſum in Hymno illo divino Doctoris Angelici concinit:

m *Caro, cibus, ſanguis potus;*
Manet tamen Chriſtus totus
Sub utraque ſpecie.

i Idem ſect. 3. k S. Thom. opuſc. 58. c. 29. in fine. l Sub una ſpecie, idem tantum ſumi quantum ſub utraque. m S. Thom. in hymn. de ven. Sacrament.

Non enim duæ ſpecies dum ſumuntur, duo conſtituunt Sacramenta, ſed unum: nec qui de calice participat, plus ſibi blandiri debet, quam qui ſimul plures hoſtias, aut majorem cæteris ſumat. Ne igitur habeant ſæculares, ac Sanctimoniales, quod querantur ſubtracto calice, ſibi aliquid Sacramenti fructus deperire, ſic tradit Theologorum omnium Princeps, ac Magiſter: n *ſicut ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti ſacramentaliter de calice, ſic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti, id eſt* EIS TAM UTILIS, ET TAM DULCIS, UT SACERDOTIBUS, QUI SUMUNT EUM SUB SPECIE VINI DE CALICE.

Non eſt itaque quod pii Laici Sacerdotibus invideant, præſertim iis qui rarò celebrant, cum ipſi frequenti communione, & gratiâ, & fructu eos exſuperare valeant.

Auctoritate divi Thomæ nixus eminentiſſimus Card. Bellarminus, quæſtionem hanc inter Theologos multis ventilatam, an ſub utraque ſpecie Sacramentum ſumptum, plus gratiæ, & fructus conferat, ſic reſolvit, tenet, & probat: *o* nihil ſpiritualis fructus capitur ex duabus ſpeciebus, quod non capitur ex una. In quem finem adducit Tridentinum. ſeſſ. 21. can. 3. ubi dicit: ſub una ſpecie ſumi integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem: ſignificat enim his verbis ſub una ſpecie ſumi omnem gratiam, quæ ex Euchariſtia ſumi poteſt.

In concilio etiam Baſileenſi, ea conditione conceſſus fuit

n S. Thom. opuſc. 58. c. 29. o Bellarm. cit. cap. 33.

calix

calix Bohemis, ut Ruardus teſtatur, ut crederent non plus fructus ſumi ex duabus ſpeciebus, quam ex una. Quam ſententiam Bellarminus oſtendit eſſe plurium, & antiquorum ſcholaſticorum, Bonaventuræ, Cajetani, Soto &c. Vos itaque piæ, & ſanctæ animæ, æque de ſanguine Domini participatis, ac ſacerdotes, ut ſcitè & eruditè S. Thomas *p* ex illo Jobi 39: *pulli aquilæ lambunt ſanguinem; pulli aquilæ ſunt ſubditi Eccſiæ, hi lambunt ſanguinem Chriſti, non de calice, ſed de ipſo corpore Chriſti.*

Denique Chriſti ſanguinem ſub ſpeciebus panis in vivifico Redemptoris corpore contineri, *q* teſtantur divina oſtenta, & loquuntur miracula à Deo oſtenſa, etenim non ſemel ex ſacra Hoſtia ſicis Judæorum, ac Hæreticorum inflictis plagis, copioſus ſanguis manavit. Exempla perilluſtria videre eſt apud Breſſerum de conſcientia lib. 6. cap. 22. Vincentium in ſpeculo hiſtor. Alexandrum Alenſem. 4. part. q. 53. memb. 1. &c.

His poſitis, & à quibuſdam Theologis controverſis, ſupereſt, ut quid Laicis uſus calicis denegetur Hic iterum recurro ad fontem Aquinatem, è quo omnes, qui ſapiunt, & ſentiunt, biberunt, hic ſæpè citatus, & ſemper è pulpitis, & cathedris citandus, præter primam rationem ſupra adductam, quod ſacerdotes ſint vaſa DEO conſecrata, alteram adducit *r* *Ad præcavendum erroris periculum: ſi enim populus rudis acciperet ſanguinem ſub ſpecie vini, vix crederet illum eſſe ſub ſpecie panis*, invenire etenim etiamnum eſt adeò hebetes, quos novi, qui in ablutione ſe ſanguinem ſumere exiſtimarunt: quis non error timendus, ſi de calice Domini participarent? Tum ne irreverentia committatur:

ſ *Tertia ratio eſt vitandi periculum effuſionis, propter multitudinem quæ ſe circa altare comprimit.* Et probat Bellarminus, quia Eccleſia diligentiſſimè ſemper cavit, ne mica aliqua conſecrati panis in terram decidat. Major autem eſt irreverentia in effuſione ſanguinis, qui rurſum colligi nequit. Quare Chryſoſtomus Epiſt. 1. ad Innocentium, inter maxima mala numerat, quod ex quodam militari tumultu, intra Eccleſiam facto, ſanguis Domini in militum veſtimenta effunderetur. Fieri autem non poteſt, ut ſanguis Domini miniſtretur tantis populorum turbis ſeſe trudentium, quantæ in Paſchate, quin ſæpius effundatur; præſertim cum multi ſenes tremuli, ruſtici qui vix ad bibendum de manu alterius, accommodare ſe norunt. 3. In delatione ad ægrotos, & moribundos ſine periculo effuſionis, commodè adminiſtrari non poſſet, quin & labris, ac barbæ facile ſtillicidia aliqua adhæreſcant, aut decidant.

Has rationes, & potiſſimam ab ipſius Sacramenti reverentia petitam, cardinalis de Lugo complexus eſt, *t* propter quam multa videmus omitti, quæ ali- „

p S. Thom. opuſc. 58. cap. 32.
q Bellarm. cit. cap. 21.
r S. Thom. cit. cap. 29.

ſ S. Thom. Bellarm cit c. 28.
t Lugo de Sacram. Euchariſt. diſp. 12. ſect. 3. n 81.

quam

„ quam ſuſcipientium utilitatem „ impediunt. ideo inquit hoc „ Sacramentum non poteſt una „ die bis ſumi, licet majorem fru- „ ctum afferret duplex commu- „ nio quam unica. Ideo negatur „ parvulis baptizatis etiam in „ articulo mortis, quibus procul „ dubio gratiam augeret, & per „ conſequens gloriam etiam eſ- „ ſentialem. Item hanc ob cau- „ ſam non datur perpetuis amen- „ tibus etiam baptizatis, neque „ iis ægrotis in quibus timetur „ periculum vomitus; quamvis „ utrique priventur fructu Sacra- „ menti. Imò propter eandem „ reverentiam, non permittitur „ ægrotus ſumere de laici manu „ Sacramentum, abſente ſacer- „ dote, judicante Eccleſia minus „ inconveniens, quod moriatur „ ſine viatico, quam tangi Eu- „ chariſtiam manu laicâ, abſente „ ſacerdote. Quibus poſitis re- „ ctè infert ad propoſitum no- „ ſtrum: *quid mirum, quod propter REVERENTIAM SANGUINIS CHRISTI, priventur etiam Laici illo fructu ſecundario, & minus principali, quem ex calice perciperent: erat enim frequens periculum effuſionis in tanta communicantium multitudine: difficultas etiam conſecrandi, & miniſtrandi omnibus: Repugnantia multorum ad potum vini: periculum etiam erroris, quo aliqui cogitabant, non eſſe totum Chriſtum ſub ſingulis ſpeciebus*; propter quæ, & alia, juſtiſſimè Eccleſia prohibuit uſum vulgarem calicis. Hæc Lugo.

Supereſt, ut qui toties ſanguinem divinæ uvæ, hoc eſt corporis Domini bibimus, amantiſſimo Jeſu, cauſam non demus amariſſimæ hujus querimoniæ: v *quæ utilitas in* SANGUINE MEO? velificari hic paulum libet ad mores, non ſacrilegos qui x *ſanguinem teſtamenti pollutum duxerint*, quibuscum hic nihil mihi negotii; ſed Catholicos, ut appareant, probos inſectando, qui pretio ſanguinis abutuntur, magis ad domos ſuas, & poſtes eo tingendo, quā animas exornando. In ejuſmodi detonat, & fulgurat vates Jeremias: y *væ qui ædificat domum ſuam in injuſtitia, qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pingit ſynopide.* ubi Gloſſa inquit, S. Thomas ſic habet: *qui domum ædificat materialem de malè acquiſitis, vel ornat ſuperflue de* SANGUINE CHRISTI, *graviter peccat; ſed multò gravius, qui domum ſpiritualem, id eſt, familiam pravam, ut pravas mulieres, filios, filias, quaſi partes domus, ut feneſtras per quas Diabolus, & fures intrant, & laquearia, quaſi laqueos Diaboli, injuſtè ædificat, & pingit, id eſt, veſtit, vel ornat* SANGUINE CHRISTI. *His dicitur væ, id eſt, gravis increpatio, & æternæ pœnæ comminatio.*

Quin potius impari commutatione, demus ſanguinem pro ſanguine, & quod Apoſtolus monet, z uſque ad ſanguinem reſiſtamus, adverſus peccatum repugnantes. Si quis aureo ariete juſtitiam impugnet, uſque ad ſanguinem repugnantes. Si quis pudicitiam blanditiis, lenociniis, ſplendidis promiſſis, ſub ſpe opulenti matrimonii labefactare tentet, uſque ad ſanguinem repugnantes: ſi quis maledicâ, aut laſcivâ lingua, vel geſtu, aliis ſcandalo eſt, uſque ad ſanguinem

v Pſal. 29. v. 10. x Ad heb. 10. v. 29.
y Ierem. 22. v. 13. z Heb. 12. v. 4.

guinem

guinem repugnantes. Si quis pudicitiam blanditiis, lenociniis, ſplendidis promiſſis, ſub ſpe opulenti matrimonii labefactare tentet, uſque ad ſanguinem repugnantes: ſi quis maledicâ, aut laſcivâ lingua, vel geſtu, aliis ſcandalo eſt, uſque ad ſanguinem repugnantes. Quod ſi quibuſdam tantum animi robur non ſit, hoc ad extremum Abbas Cellenſis efflagitat, ut ſaltem de admiſſo ſcelere, per ſacram exomologeſin erubeſcentes, ſanguinem è corde, ad genas evocetis, ut vel ſic citra effuſionem, levi tormento, ſanguinem pro ſanguine tam copioſè pro quoque veſtrum effuſo rependere velitis: a *ſanguinem pro ſanguine repone, ſcilicet pro fuſo in ara crucis, effuſum in rubore confeſſionis*; nam licet Chriſtus omnem ſuum amore tui ſanguinem profuderit, nil à te, ô peccator, exigit, quam ut verecundiæ & erubeſcentiæ ſanguine, genas tuas tinxeris, & ſic ſanguinem reponas pro ſanguine.

§. IV.

Aqua lateris Chriſti lava me.

ELementum aquæ, quod apud mortales ſua copia vileſcit, & nullo in pretio eſt, quia

Uſus communis aquarum,

neceſſitate ſua, utilitate, & dignitate omnibus elementis antecellit. Aqua terram fœcundat, ſine qua ſterilitas, & fames hominum, ac jumentorum. Calorem naturalem temperat, & ſitim, quæ tormentorum extremum omnium, ſedat. Si vires ſpectes, audi Romanum Philoſophum in quæſtionibus naturalibus: b *Aqua, ait Thales, valentiſſimum elementum eſt*, quod denſiſſimos aggeres, arces, & urbes evertit: Si antiquitatem, *ignis exitus mundi eſt, humor primordium.*

Quodque hic potiſſimum probandum ſuſcepi, aqua omnia lavat, purgat & emundat, atque ad diviniſſimas operationes, & nobiliſſimos effectus à Deo aſſumpta eſt, Hugo à S. Victore: c *Aquarum uſus eſt ad potandum, ad cibos coquendos, ad lavandum; ſic aqua ſpiritualis* (de qua agimus) *ſitienti ſalutem, fit fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et igne Spiritus ſancti coquit cibos mentis, & in ſenſus ſpirituales convertit. Tertiò, immundum à ſordibus purgat criminum*, ut mox oſtendam, ubi quædam in laudem aquarum encomia præmiſero.

Tertullianus, teſte Lactantio, d *omni genere litterarum præditus*, cothurnato ſuo ſtylo librum edidit adverſus Quintillam, e quam *viperam monſtroſiſſimam nuncupat, quod venenatiſſima doctrina ſua pleroſque rapuit, imprimis baptiſmum deſtruens, plane ſecundum naturam: nam feræ viperæ, & aſpides, ipſique reguli ſerpentes, arida, & inaquoſa ſectantur.* Ad quem deteſtabilem errorem exſtirpandum, adducit ea, quæ Deus mirabilia ex aquis, in aquis, & per aquas perpetravit. Ac primum quidem, f *quod utique iſta materia tantæ dignationis meruerit officium*, ex antiquitate, & uti-

a Pet. Cellenſis de part. c. 1.

b Seneca l. 3. natur. q. c. 13. c Hugo de S. Victore tom. 3. eruditiones Theolog. ex miſcell. 11. l. 1. tit. e 124. d Lactant. l. 5. inſt. divin. c. 1. e Tertull. l. de baptiſmo adverſus Quintillam. cap. 1. f Cap. 3.

utilitate, & dignitate probat: *in primordio* inquit, *fecit Deus Cœlum & terram: terra autem erat inviſibilis, & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum, & Spiritus Dei ſuper aquam ferebatur. Habes homo inprimis ÆTATEM VENERARI AQUARUM, quod antiqua ſubſtantia. Dein DIGNATIONEM, quod divini Spiritus ſedes, gratior ſcilicet cæteris tunc elementis: nam & tenebræ totæ adhuc ſine cultu ſiderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imparata, & Cœlum rude; ſolus liquor ſemper* MATERIA PERFECTA, LÆTA, SIMPLEX, DE SUO PURA, DIGNUM VECTACULUM DEO *ſubjiciebat*. Quod ſi fœcunditatem ac utilitatem ſpectes: g *primis aquis præceptum eſt animas proferre: primus liquor quod viveret, edidit, ne mirum ſit in baptiſmo, ſi aquæ animare noverunt*, unde & præmiſit: *ſed & nos piſculi, ſecundum* ἰχθὺν *noſtrum Ieſum Chriſtum, in aqua naſcimur*. Quid ad excellentiam, præſtantiam, potentiam aquæ, dici ſubtilius, vel excogitari poteſt ſublimius?

Ne igitur mirum ſit, cum aqua materialis ad tantam virtutem divinitus elevata ſit, ſi aqua lateris Chriſti, Deitati unita & longè mirabiliora in mentibus noſtris operetur?

Tertullianum ſecutus Hieronymus, idem argumentum more ſuo doctiſſimè, ac diſertiſſimè proſequitur: h *de ſchola Rhetorum, aquarum laudes prædicemus*. Rudis „ mundus, necdum Sole rutilan- „ te, nec pallente luna, nec aſtris „ micantibus, incompoſitam, & „ inviſibilem materiam, abyſſorum magnitudine, & deformi- „ bus tenebris opprimebat. Solus „ ſpiritus Dei, in aurigæ modum, „ ſuper aquas ferebatur, & na- „ ſcentem mundum in figura baptiſmi parturiebat. Primum de „ aquis quod vivit egreditur: & „ pennatos fideles de terra ad „ Cœlum levat. Peccat mundus, „ & ſine aquarum diluvio non purgatur. Alias, in veteri lege, aquæ operationes, quas adducit, longum eſſet recenſere.

In lege nova, ipſe Salvator poſt ſanctificatas ſuo lavacro „ Iordanis aquas, Regnum Cœ- „ lorum incipit prædicare. Pri- „ mum ſignum ex aquis facit Sa- „ maritana vocatur ad puteum, „ ſitiens invitatur ad potum. Ni- „ codemo dicit occultè: niſi quis „ renatus fuerit ex aqua, & ſpiri- „ tu ſancto, non intrare eum in „ regnum cœlorum. Ac tandem „ concludit: *quia ab aquis cœperat, finivit in aquis. Latus Chriſti percutitur lancea, & baptiſmi, atque Martyrii pariter Sacramenta funduntur*. Ita Deus à primis mundi incunabulis, uſque ad opus redemptionis conſummatum, mirabilia in aquis perpetravit, & ut inquit Tertullianus i *nunquam ſine aquis Chriſtus*. Unde quanto in pretio aquæ habendæ ſint, Beatus Petrus Cardinalis Damiani oſtendit, dum per proſopopœiam, ſic aquam, virtutem ſuam & effectus planè divinos deprædicantem, & perorantem inducit: k *ipſa te velut vivæ vocis invectione conveniat, & ingratum te ſuis eſſe beneficiis, convincat. Ego te per vir-*

g Cap. 1. h Hieronymus Epiſt. 83. ad Oceanum c. 3.

i Matt. 28. Tertull. l. de Bapt. contra Quintillam c. 9. k Pet. Dam. Epiſt. 23. ad Guiliel. Monachum.

tutem

tutem ſancti Spiritus, qui me conſecraverat, de ſervo Diaboli, fieri feci Filium Dei: ego te de poſſeſſione gehennæ, produxi regni cœleſtis heredem, &c. Ipſe mihi teſtis es, quia cum ſeptem originalibus vitiis in meum gremium deſcendiſti, & mox purificatus, & nitidus, abſque ulla peccati contagione prodiiſti. Ego te ſordidum, fœtidumque reperiens, non dubitavi animam ſimul & corpus abluere: & tu me nunc dedignaris ſaltem labiis adhibere? ego te divinis facio adhibere conviviis: & tu me ab humanis non erubeſcis abjicere menſis. Tum facundia pluſquam Tulliana, ad effectus & operationes naturales dilabitur: *ut de ſpiritualibus ſileam, ego tibi corpus, & veſtimenta, & cuncta, quibus uteris, abluo. Ego tibi arva ad proferendas fruges irrigare non ceſſo: ego navigiis iter præbeo, cuncta terræ animantia recreo: poma quoque, & olera, quibus veſceris, ad incrementa perduco. Sed cur in brevibus immoror? totam terram cœleſtis ignis exureret, niſi noſter mador incendii vires temperaret.* Quin & vim, ac fortitudinẽ ſuam probat potenti argumento, & experimento, quo vaſtas moles, & molas agitare, & rotare cernitur: *fortaſſe quia liquidam cernis carere viribus, invalidam credis? ſed ſi vobis mea fortitudo deeſſet, quis rogo ad terendas fruges, gravia molarum ſaxa rotaret? non eſt ergo virtus contemnenda liquoris.* Denique ne longior ſim, quo omnia complexus eſt, ſubjungit: *ut jam excellentiſſimum meæ dignitatis privilegium pandam, ſuſpenſo in cruce Domino,* EX IPSO CREATORIS MEI LATERE PRODII.: *&* *omnem terrarum orbem* SOCIATO MIHI PRETIOSISSIMO EJUS SANGUINE CONSECRAVI.

Videtis quantis virtutum encomiis, etiam aquę naturalis præſtantiam commendet, & extollat, ut tandem *excellentiſſimum* aquæ *dignitatis*, quæ è Creatoris latere prodiit, *privilegium pandat*; de qua quiſque veſtrum gloriari poteſt: hac aqua ablutus, *mox purificatus, & nitidus abſque ulla peccati contagione prodii. Hæc me ſordidum, fœtidumque reperiens, animam abluit.* Hæc me ſic mundatum, dignum fecit, *divinis adhibere conviviis.* Hæc, ne ignis concupiſcentiæ, aliorumque vitiorum, mentem exureret, *incendii vires temperavit.* Plura non addo, nam *ſi univerſa proſequar, quæ de elementi iſtius auctoritate commemorem, quanta vis aquæ, aut gratia, quot ingenia, quot officia, quantum inſtrumentum mundo ferat, vereor ne laudes aquæ potius, quam baptiſmi* (quam aquæ lateris Chriſti) *videar congregaſſe. l*

Ad fontem itaque omnium gratiarum, qui è latere Chriſti profluxit accurramus, de quo divus Cyprianus: ſerm. de paſſione Domini: m *de latere tuo fons egreditur, in vitam æternam proſiliens*; ex eo etenim omnia Sacramenta in nos derivata, doctiſſimus Suarez noſter *n*, Patrum auctoritate aſtruere non dubitavit, cum dicant Patres, per hoc myſterium indicatum eſſe, omnia Sacramenta de latere Chriſti manaſſe; quod Divus Thomas ex Auguſtino confirmat, in illud Joannis 19 *unus militum lancea latus ejus aperuit*, ubi ait: *o* vigi-

l Tertull. de baptiſm. c. 3. m S. Cypr. de paſſione Dom. n Suarez. in 3. part. tom. 2. q. 51. diſp. 41. ſect. 1. o S. Thom. in caten. in cap. 19 Ioan. Auguſt. tract. in Ioan.

lanti

lanti *verbo Euangeliſta uſus eſt, ut non diceret, latus ejus percuſſit, aut vulneravit; ſed aperuit: ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde* SACRAMENTA ECCLESIÆ MANARUNT. Ex eo fons egréditur, qui non modò fœdam originis maculam expiavit, ſed & relapſos ab omni ſcelerum labe, compunctionis lacrymis emundat, inſuper ſuaviſſimos in animam miſericordiæ ac pietatis rivos derivat: *ex hoc* etenim *fonte, non tantum ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Chriſtum, undas haurimus; ſed & compunctionum, & lacrymarum perennes effluunt rivi, miſericordiarum ſuavitas, & totius pietatis affectus emanat.* p

Quæ omnia, ubi intra te fontem receperis, alta contemplatione ruminanda ſunt, ut rectè Hugo de S. Victore, dicens: q *Triplicem ſanguinem ſuum nobis appoſuit Chriſtus. Plorat ſuper Lazarum, & ſuper ſanctam civitatem Hieruſalem. Et hæc eſt aqua pura. Sudanti, imminente hora paſſionis, non tam ab oculis, quam à toto corpore, manat aqua cum ſanguine mixta. Tertia eſt, quæ pariter cum ſanguine de ejus latere fluxit. Verè pœnitens primam habet, ſi in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito, maculas ſuorum diluit peccatorum Sic enim pellem mutabis Æthiopis, lamentando deles inveteratas literas mortis. Secundam aquam habes, ſi in ſudore vultus tui, labore pœnitentiæ corpus diſſolvis, & concupiſcentiæ flammam reſtinguis. Jam verò ſi perfectè cœperis uſque ad devotionem tui, in divinam profluere contemplationem,* TERTIAM È LATERE CHRISTI AQUAM EBIBISTI; in qua, anima ſancta, contemplatione, dum hanc aquam ſibi influere, vera ac vivâ fide perſentiſcit, quos non ex plenitudine cordis, affectus eructabit; quomodo non ſacro ſtupore cum Pſalte Regio exclamabit: r *Aquæ quæ ſuper Cœlos ſunt, laudent nomen Domini*, quandoquidem eædem è ſanctiſſimo Sacramento, in animam largiſſimè ſcaturiant?

Theologorum, ac ſacrorum interpretum ingenia non parum exagitavit locus ille Geneſeos 1. ſ *Fiat firmamentum in medio aquarum & dividat aquas ab aquis. Et pſal.* 148: *Aquæ quæ ſuper Cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* t Ubi graviſſima Doctorum controverſia, ut quid aquæ illic violentè aſſerventur? Pererius *t* quæſtionem non modò difficilem, ſed quorundam judicio *inexplicabilem* dicit. Cæterum cum Divus Auguſtinus v *hanc diligentiam, conſiderationemque laude digniſſimam ducat*, paucis quid SS. Patres de iis cenſuerint audiamus. Juſtinus martyr, Baſilius, Theodoretus, *x* ad ſiderum ardorem, & igneæ ſphæræ virtutem attemperandam, aquas ſupra Cœlos repoſitas affirmant; quemadmodum canit Eccleſia:

Immenſe Cœli conditor,
Qui mixta ne confunderent:
Aquæ fluenta dividens,
Cœli dediſti limitem.

Idque *Ut unda flammas temperet.* Venerabilis Beda, *y* in eum finem illic aquas collatas ſcribit,

p Cypr. cit. q Hugo de S. Vict. tom. 3. erudition. Theol. ex miſcell. 11. l. 5. tit. 49

r Pſal. 146. ſ Gen. 1. v. 6. t Pererius in Gen hic. v Aug. de Gen. ad lit. l. 2. c. 84. x Iuſtinus. 93. quæſt. orthod Baſil. hom. 3 in Gen Theodor. q. 11. y V. Lorin. in Pſal. 148.

ut

ut laxatis Cœli cataractis, generali orbis diluvio ſervirent. Alii alia comminiſcuntur, & nullas elementares aquas ſuper Cœlos eſſe, aſtruunt, & ſolidis argumentis ſe evincere aſſerunt. Miſſâ quæſtione de aqua elementari; eſſe ſuper Cœlos aquas, ubi ſacratiſſimum Chriſti corpus eſt, è cujus latere *exivit ſanguis & aqua*, nemo credo diffitebitur, qui in Chriſti corpore optimè temperato, nihil ſuperabundaſſe cognoverit. Quod dum ſumimus, apertum patet latus, *& fons patens*, ut animam irriget, fœcundet, ardores temperet, & ab omnibus ſordibus emundet.

Quæ ne ſingula proſequamur, inſtituti noſtri memores, acceſſuros ad ſacrum epulū, aqua lateris Chriſti lavādos eſſe, ut toti mundi inveniātur, demonſtrabimus. Diſcipulis olim Chriſtum ſciſcitātibus quo in loco vellet parari Paſcha, ſignū illis prębuit Dominus, nō leviter expendendū: [z] *Ecce* inquit, *introeuntibus vobis in civitatē, occurret vobis homo*, AMPHORAM AQUÆ *portans: ſequimini eū in domū, in quam intrat*. &c. D. Ambr. ad eū locū, exiſtimat Sacramētū baptiſmi in aquę amphora adumbratū: [a] *O* AQUA, ait, *quæ* SACRAMENTUM CHRISTI ESSE MERUISTI: QUÆ LAVAS OMNIA, *nec lavaris*. Et paulo poſt ſubdit: *per te fœtor rabidæ carnis aboletur: per te arentibus æſtu corporibus, dulcis ad gratiam, ſalutaris ad vitam ſuavis ad voluptatem, potus infunditur*. Ita ille, ſtylo nectare, & ambroſia manante.

Sed amabo vos, ecquid homo, qui baptiſmi lympham myſticè portabat, duxit in domū, ubi mēſa Euchariſtica ſternenda erat? [b] illa mihi, inquit Mēdoſa, ratio occurrit ad rem præſentem opportuna, ut ſumma innocentia ad ſacram Euchariſtiam ſuſcipiēdam requiſita deſignaretur. Unde olim renatis fonte baptiſmatis [c] Sacra Euchariſtia miniſtrari conſuevit, teſte S. Dionyſio, ut horum innocentia ad hunc panem Angelorū manducandū oſtenderetur. Hoc liquidò demonſtravit, qui è latere Chriſti [d] *exivit ſanguis & aqua*; quæ verba D. Chryſoſt. hom. ad Neophytos, neſcio quos ſecutus codices, inverſo ordine legit: [e] *Exivit aqua & ſanguis*, & ſic legendum non modò ſentit, verum etiam opportunū præſenti inſtituto myſteriū inducit, dū in aqua Sacramentum Baptiſ. in ſanguine Sacramentum Euchariſtiæ recognoſcit: [f] *Ideo*, inquit, *non ait: Exiit ſāguis, & aqua; ſed exiit aqua primū, & ſanguis: quia prius baptiſmate diluimur, & poſtea myſterio dedicamur.*

Ex quo eruitur, ad Euchariſtiā requiri non ſolū quò ad ſubſtantiam, cum ſit janua omniū Sacramentorum ſed etiam quo ad effectum, innocentiam & munditiā. Quod & cœleſtis illa Aquila ſuo ungue expreſſiſſe videtur 1. Joan. v. 5. [g] *Hic eſt qui venit per* AQUAM, *& ſanguinem Ieſus Chriſtus; non in* AQUA *ſolū, ſed in* AQUA *& ſanguine*: ut prius anima baptiſmali quadā innocentiâ mundetur, quam Euchariſtico ſanguine potetur. Ad quod facit illud Tertulliani, ubi loquitur de aqua & ſanguine, è Chriſti latere profluentibus: [h] *hos duos baptiſmos, de vulnere perfoſſi lateris emiſit, ut qui in ſanguine ejus crederent*, AQUA LAVARENTUR: QUI AQUA LAVISSENT, ETIAM SANGUINEM POTARENT; qual

z Luc. 22. v. 10. a Amb hic. b Mendoſa tom. 2. in 1. reg. c. 6. annot. 22. ſec. 2.

c Dionyſ. de Eccl. Hierarch. c. 4. d Ioan. 19. v. 35. e f Chryſ. hom. de Neophy g 1. Ioan. v. 5. h Tertul. l. de Bapt. c. 1

no

non apti eſſent ad potum, qui prius quaſi modò geniti infantes, per Baptiſmum, innocentiæ, & vitæ puritatem non haberent.

Certè multas pias animas ſubiit attenta illa contemplatio, quam libenter amabilis Jeſus in aurorâ ſurgentis Eccleſiæ, infantiũ Neophytorum animis in Euchariſticâ mẽſâ illaberetur, & modò in prima parvulorũ Innocentium Cõmunione, candidis mentibus ſeſe inſinuet. Plus à vobis exigit Doct. Max. D. Hieron. cui non ſatis eſt, ut immaculati ſitis, ſed & Sancti, omnium virtutũ ornatu decorati: i *inter ſanctum, & immaculatum, hoc intereſt* inquit, *quod Sanctus & immaculatus quoque intelligi poteſt; immaculatus verò, non ſtatim & ſanctus. Parvuli quippe immaculati ſunt quia integro corpore nullum fecerunt peccatum; & tamen non ſunt ſancti: quia Sanctitas voluntate & ſtudio cõparatur: & quod immaculatus dici poteſt ille, qui peccata nõ fecit: ſanctus autẽ is, qui virtutibus plenus ſit.* Quo, quid aliud innuitur, quam ut is qui panem Angelorum manducaturus accedit, non ſolum immaculatus; ſed & Sanctus ſit.

Hanc ſummam corporis, animique munditiam, Euchariſticis epulis præmittendam indicavit Chriſtus, dum dixit ad Petr. k *qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet: ſed eſt mundus totus.* At ſi totus mundus eſt, quid indiget ut *pedes lavet*? Reſpondent Interpretes, eũ qui totus mundus eſt à gravioribus culpis, & emerſus è cœno vitiorum, dum inter humana graditur, fieri vix poſſe, quin aliquo infirmitatis, aut vanitatis ſæcularis pulvere aſpergatur; quod vel de ipſis Religioſis mentibus S. Leo Pont. Max non diffitetur: l *dum per varias actiones vitæ hujus ſolicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano pulvere, etiam religioſa corda ſordeſcere, quantò magis ſæcularium?* Petrus, ipſo primæ Veritatis teſtimonio, mundus erat à gravioribus delictis, ſed quodam pulvere nonnihil exuberantis choleræ, zeli indiſcerti, aut alicujus infirmitatis humanæ aſperſus, *non indiget, niſi ut pedes lavet.* Non eſt quod turberis Petre, Filius gratiæ es, dilectus Chriſto es, & charus ejus diſcipulus; ſed pedes tergendi ſunt. Divus Bernard. hæc in Clara Valle ſua, alta meditatione ruminatus, ſic ſuos alloquitur: m *Lotus eſt, qui gravia peccata non habet: ſed pedes, qui ſunt animi affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi eſſe non poſſunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curioſitati, pluſquam oportet, cedat animus vel ad horam.*

O Sanctæ animæ, ô mentes Deũ timentes, & peccatum mortale, pluſquam gehennam: quæ aqua baptiſmatis dealbatæ, primã ſtolã innocentiæ, ab omni graviori macula hactenus illibatam ſervaſtis, mundæ eſtis, ſed non omnes, nec omnino, ne vel una, quæ non eget, ut pedes lavet; quibus enim non aſpergitur pulvis vanæ gloriolæ, curioſitatis, ac ſenſualitatis propriæ, labecula invidiæ, motus iracundiæ, nævus ſocordiæ &c? hi ſunt pulveres qui ante aditum ad immaculatum Agnum ſuſcipiendum, abluendi ſunt.

n Petrus, teſte Ambroſ. *non advertit hoc myſterium, & ideo mini-*

i S. Hier. tom 1. cap. 1. ad Epheſ.
k Ioan. 13. v. 10.

l S. Leo Serm. 4. in quadrag. m Bern. Serm. 1. in cœn. Dõ. n Amb. in Pſ. 48. v. 6

ſterium recuſavit: quod ut cognovit, exclamavit: *Domine non ſolum pedes, ſed & manus & caput.* Clamo & ego infixus in limo profundi: o AQUA LATERIS CHRISTI LAVA ME, lava caput, quod tibi adeo rebelle, lava caput, quod adeò elatum & ſuperbum, & tanto vanitatis pulvere aſperſum: lava caput, quod tot fœdis cogitationibus, concupiſcentiis, & deſideriis deturpatum. Lava manus meas, quæ plenæ ſanguine viduarum, & pupillorum oppreſſorum, quæ injuſtitiis ſordidæ, impuro contactu ſordidatæ. Lava pedes meos, qui ambulârunt vias lubricas, & lutoſas, qui cucurrerunt ad obſcœna ſpectacula, ad popinas, & proſtibula. Fateor ſæpe ſæpius lotus ſum; ſed rurſus inquinavi pedes meos. *Amplius lava me* Domine, aqua lateris tui, & ſuper nivem dealbabor, ut totus immaculatus, merear albis pedibus intromitti ad cœnam Agni immaculati, & albis pedibus menſæ illius accumbere, qui eſt cibus, & conviva: nam ut rectè obſervat Antiſtes Mediolanenſis, quid magis optandum, quam ut à minimis quoque maculis abluamur? p *Quis*, inquit, *præferendus magis videtur eſſe, quam Chriſtus, qui pedes ſuis lavare conſuevit hoſpitibus: & quoſcumque ſua receperit domo, pollutis non patiatur habitare veſtigiis: ſed maculoſos licet vitæ, prioris, in reliquum tamen dignetur mutare proceſſus?*

Hæc in lege veteri præfigurata videntur, ut victimarum pedes lavari juberentur. Levit. 1. v. 9. ſcilicet, ut quidquid labis ex terrena concretione pedibus, ſeu affectibus adhæreret, totum id antequam ad Sacrificium pateret acceſſus, expurgandum doceretur. Ita ſentit Philo Hebræus q. Et Exodi 19. v. 10. præcepit Dominus Moyſi: *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras, laventque veſtimenta ſua: in die enim tertia deſcendet Dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai.* En quanta Sanctitas, & mundities, ut in conſpectum Angeli vices Dei gerentis populus compareat? quod expendens Ambroſius, ait: r *caſtificabatur populus per biduum, aut triduum, & lavabant veſtimenta ſua, & non aliter ad hoſtiam accedere permittebatur.*

Sed ſi in figura, tanta populo obſervantia jubebatur, quanta in ipſa veritate ſacerdotibus (& ſacram hoſtiam ſumentibus) *tenenda eſt? diſce igitur, O ſacerdos, & Levita, quid ſit lavare veſtimenta, ne inquinato corpore, quo anima veſtitur, Majeſtatem tanti myſterii temerare præſumas;* quæ puritas veſtimenti, longè magis de interiori habitu, ad infimam fimbriam, ab omni nævo expurgandam intelligenda eſt. Hæc enim omnia non aliò ſpectarunt, quam ut omnis poſſibilis mundities, & puritas, omnis puritatis fonti, in divino Sacramento, vel minutiſſimos nævos abluendo pararetur.

Huc ſpectat illa quam indies oculis cernitis, & fortè non capitis, ſacerdotis ceremonia, qui antequam ad Corporis Chriſti

o Qua corporis, animique munditia accedendum ad Euchariſtiam. p Amb. lib. 6. in Luc. c. 9.

q Philo lib. de victimarum generibus. r Ambroſius lib. 1. offic.

con-

conſecrationem accedat, aut illud contingat, extremos dumtaxat digitorum articulos lavat. ſ *non ſine myſterio*, inquit jam olim Divus Dionyſius Areopagita, *ut qui jam antea lotus eſt, nullam aliam, niſi tantum ſummitatum, extremitatumque ſuarum lotionem adhibeat. Per quam profectò ſupremam munditiam, illud conſequitur, ut caſtiſſimo in habitu divinæ ſpeciei conſtitutus, ad divinæ bonitatis imaginem prodeat, vinculis omnibus mortalium affectionum liber, atque expeditus.* Tum appoſitè ad rem noſtram proſequitur: *Eos qui ad Sacramenta Cœleſtia conficienda* (quin ad ſuſcipienda) *accedunt, ea oportet eſſe munditia, ut ipſas quoque animæ extremas imagines* (imo & imaginationes, & cogitationes) *purgatas habeant.*

Quibus omnibus, non aliud inculcatur, quam ut ea puritate, qua renati aquâ Baptiſmatis, ad Euchariſtiam, accedamus.

Parum hoc, ſunt qui velint animam quæ poſt ſuſceptum baptiſma, vel venialibus noxis dumtaxat aſperſa eſt, piacularibus purgatorii flammis prius expurgandam, quam ad nuptias Agni accedat, & puriſſimum Chriſti corpus, & animam, ſibi intimè conjungat. Fundamentum & argumentum ſumitur ex illo Chryſoſtomi, qui eandem puritatem requirit ad Chriſti corpus ſuſcipiendum, ac ad viſionem beatificam, ideò dixit: t *qui autem videre Deum dignus non eſt, neque communione dignus eſt Dominici Corporis.*

Probat id Euſebius noſter manifeſta viſione: v cuidam enim fidiſſimæ Jeſu Chriſti ſervæ, oſtenſa eſt ingens pulchritudo cujuſdam animæ jam penè purgatæ expiatoriis ignibus, quam Dominus amplecti volebat; ſancta autem anima refugit. Miranti hoc famulæ Dei, reſponſum eſt, refugiſſe Sanctam illam animam amplexus divinos, quia nonnihil adhuc expiandum ipſi reſtabat, quod eam pudore, & horrore quodam, à Sponſo ſuo arcebat; idem profectò cuique noſtrum ſuboriretur, ſi oculis mentis intueri liceret, quantum vel minima labecula, fonti omnis puritatis adverſetur.

Hinc rectè mihi, vir Spiritû „ Dei plenus, ſenſiſſe videtur, qui „ exclamat: x utinam ante hoc „ Sacramentum ſuſcipiendum „ præceſſiſſet purgatorium! ſed „ quia non antecedit, oportet me, „ diligentiſſimè diſpicere, præparare, & mundare omni culpa „ leviſſima, & debito cujuſvis „ pœnæ, & diligentia ex amore „ ardenti ſupplere, quoad poſſum, purgatorii ignes. Mox „ ſubdit: tanta huic myſterio „ debetur munditiēs, ut magis „ debeas curare puritatem, quam „ ſi ſtatim moriturus eſſes: plus „ optes, plus te ſolicites præparare ad Euchariſtiam (quæ & „ phaſe ac tranſitus eſt) quam ad „ mortem. Imò quadam fructuoſa ratione: Plus quam ſi in gloriam Dei ingreſſurus eſſes. „

Quod hiſce comprobat argumentis: Jeſus lavit pedes diſcipulorum, etiamſi mundi jam „

ſ Dionyſius. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 3. t S. Chryſoſtom. hom. 8. de pœnitent.

v Euſeb Nierenberg Doctrinæ Aſceticæ l. 2. doct. 5. c. 30. x Nierenberg de adorat. in Spiritu l. 3. c. 11.

,, eſſent, cum Corpus ſuum con-
,, ceſſurus erat illis; at verò cum
,, eos miſit ſicut agnos inter lu-
,, pos, in apertum mortis diſcri-
,, men: cumque eos aſſumpſit in
,, montem Thabor, ad manife-
,, ſtandam gloriam ſuam, lotio-
,, nem non adhibuit, nec iſtam
,, munditiam ſpectavit. Deinde
,, ſufficiens ad mortem præpara-
,, tio cenſetur, ſi quis in ſtatu gra-
,, tiæ è vivis excedat: Veniales
,, enim nęvos piacularibus flam-
,, mis eluit, antequam in conſpe-
,, ctûm Domini veniat. Denique,
cum unio, & complexus animæ cum verbo, in ſumptione Eucharistica arctior ſit, quam Sanctorum cum Deo per viſionem beatificam, quis non videat majorem puritatem jure requiri?

Facit huc, quod S. Odo, pro hujus reverentia myſterii, prodidit memoriæ, libro ſuarum collationum ſecundo. *y* Contigit, ſicut Abbas Berno refert, ut Sanctæ Gualburgis Reliquiæ, ſuper altare per aliquot dies manerent; ſed mox miracula ceſſarunt. Tandem verò ipſa Virgò cuidam ex infirmis apparens: Idcirco, inquit, non ſanamini, quia Reliquiæ meæ ſunt ſuper altare Domini, ubi Majeſtaş divini myſterii debet ſolummodo celebrari.

Quod cum ille cuſtodibus referret, tulerunt capſam, & protinus miracula fieri cœperunt. Si ergo ob illius myſterii reverentiam, inquit S. Odo, nec ipſa ſua pignora Sancti volunt propius admoveri, quid cenſendum de immunditiis vel minimis; hinc Deus per Moyſen minatur: *dic,* inquit, z *ad filios Aaron, & ad poſteros eorum: Omnis qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino. Ego ſum Dominus. Et certè illa nihil aliud erant, quam umbra iſtorum. Si ergo ad umbram non licebat immundum accedere, quanto minus ad ipſam veritatem? Ex quo in finem prohibitionis concludit, dicens: Ego Dominus. Ac ſi dicat: Ego ſcrutans corda, ego ipſe ſacerdos, qui diſcerno qualis unuſquiſque accedat.* a

Sed his poſitis, cum hoc lavacrum ignis, ſeu purgatorium præmitti non poſſit, nec baptiſmus reiterari, aliud vobis ſuavius balneum ſuppetit è latere Chriſti, è quo fons aquæ vivæ emanat; ad abluenda omnia delicta veſtra. Hoc piè à Chriſto Sponſo edocta fuit B. Magdalena de Pazzis, ut ſcribit Puccinus ejus Confeſſarius, quæ conſiderans illa Evangelii verba: *Exivit ſanguis, & aqua, b* vidit magnam multitudinem animarum in latere Jeſu, tanquam ſplendentes gemmas, quæ ornant regiam coronam, & dicebat illa: Sic animæ noſtræ ornatæ (abellitæ Italicè, id eſt pulchræ factæ), ſanguine, fiunt corona Verbi. Vidit inſuper animas, quæ intrant hanc cavernam amoroſam, facere duos affectus: primò transformant ſe per amorem *in ſanguine*, poſtea *in aqua* per dolorem.

Sed Deus complacet ſibi plus in anima viatrice, quæ ſe transformat per dolorem, quam illa, quæ per amorem, (quod ne cui peregrinum aut paradoxum

y S. Odo lib. collat. Nierenb. doct. aſcet. cit.

z Levit. 22. verſ. 3. a S. Odo. c b Puccinus in vita lib. 4. c. 29.

„ videatur ; ſubdit) quamvis a-„ gnoſcam, *O Verbum*, quod dolor, „ quem ſentit anima ex offenſis „ tuis, non poteſt naſci niſi ex „ amore, quem habet erga te. Dolor hic inſuper ex amore, extendit ſe directè non ſolum ad propria, ſed totius mundi delicta, aqua lateris Chriſti, admixtis lacrymis compaſſionis expianda; ideo, inquit, adhuc placet ei in his viatoribus magis exercitium „ doloris, quam amoris: quia il-„ lud eſt ſpecies Martyrii, quo „ animæ fiunt ſimiles ei in cruce „ pendenti, & compati poſſunt „ ejus pœnis, & flere amoris la-„ crymis ejus Paſſionem: Et cum „ dolor ſit afflictivus, purgat ani-„ mam ab ejus culpis, atque hinc „ fit, ut Deus ſibi magis compla-„ ceat in dolore, quam amore. Complacet ſibi in compaſſionis lacrymis, quæ fluunt ex amore Jeſu vulnerati, & tam indigna paſſi: complacet ſibi in doloris lacrymis, quæ fluunt ex amore ardentiſſimi cordis ipſius, è quo *exivit ſanguis & aqua*, ut hoc ſalutari balneo, noſtris pœnitentiæ, & amoris lacrymis admixtis, abluamur. Nam ut inquit Ambroſius: c *de latere ejus aqua fluxit & ſanguis*, AQUA UT MUNDARET, *ſanguis ut redimeret.*

Nemo de ſcelerum ſuorum enormitate, aut multiplicitate deſperet, cum & latro pœnitentiâ ductus hac aqua mundatus, ac baptizatus ſit; ſic etenim os aureum: d *Exivit* SANGUIS ET AQUA: *neque ſic exierunt, ut ſimpliciter fluerent*; *ſed cum impetu*; quare non promanarunt leniter, & tardè, ſed continuò, & magna vi erumperunt? Reſpondet: *ut latronis* (jam animam agentis) *corpus aſpergerent, ut latronem aſperſum baptizarent*, qui colluſtratis fidei lumine oculis, Chriſti divinitatem confeſſus, ſcelerum ſuorum, veniam exoravit, & lavacro aquæ & ſanguinis expiatus eſt. Cur non prius Paradiſi fores Dominus latroni aperuit, quam ſacri lateris aquis tingeretur? cauſam hanc ſubjungit Chryſoſtomus: e *Pronuntiarat Salvator, niſi quis renatus fuerit* EX AQUA ET SPIRITU SANCTO, *non intrabit in Regnum Cœlorum. Ideo inquit Exivit* SANGUIS ET AQUA, *ut latronem aſperſum baptizaret*; atque ita renatus ex aquâ & Spiritu Sancto, in Paradiſum, quem promiſerat, intraret. Clama & tu peccatrix anima: *Aqua lateris Chriſti lava me*, cui ſi ex amore pro te fuſæ, doloris ac pœnitentiæ lacrymas affuderis, ab omni inquinamento mundaris, ut totus mundus ad Virginum Sponſum accedas.

Cum Deus olim Moyſi traderet ritus conſecrandi ſacerdotes: f *Aaron*, inquit, *& filios ejus applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii: cumque laveris Patrem cum filiis ſuis AQUA*, *indues Aaron veſtimentis ſuis*; quam ceremoniam Beda interpretatus: g *notandum*, inquit, *quod conſecraturus eos Moyſes*, *PRIMO LAVIT AQUA*, *& ſic habitum illis ſacri gradus imponit: quia nimirum neceſſe eſt, ut qui ad officium altaris promovendus eſt, majoribus ſe ſolito lacrymarum fluentis abluat, ut quo mundior ad gradum accipiendum acceſſerit, eò perfectius acceptum conſummet.*

c Amb. de Sacramentis lib. 5. cap. 5.
d Chryſoſt. hom. de Latrone.

e Ibid. f Exod. 29. v. 4. g Beda. lib. 3. de tabernaculo. c. 9.

Si ergo ad induendas veſtes ſacerdotales neceſſe eſt, ut prius omnes corporis maculæ eluantur; quid ni ſumma cordis munditiès adhibeatur, & anima velut lacrymis baptizetur, ut Corpus Chriſti in ſe recipiat? ſed de hoc lacrymarum lavacro, quo anima baptizetur, ſatis ſuperque alias diximus. *h*

Angelus qui ad cœleſtes nuptias, atque epulas Agni, Joannem invitabat, ac clamabat: i *qui ſitit, veniat, & qui vult, accipiat* AQVAM VITÆ *gratis*, ſummam ab invitatis innocentiam, ac munditiem prærequirebat.

Talem aquam obtulit olim Salvator noſter Samaritanæ, dicens, k *ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi: da mihi bibere? tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi AQUAM VIVAM.*

Notum eſt, illam dici aquam vivam, quæ ex ſua continuò fluit ſcaturigine, quaſi animata eſſet quodam ſpiritu vitali: vita enim aquæ, eſt fluere, & moveri; & hæc aqua magis ſalubris & vitalis. Aqua autem mortua eſt, quæ in lacunis, ciſternis, ſtagnis continetur, & ſine motu, ac fluxu eſt, unde mox putreſcit, ranas, glires, aliaque inſecta producit, varioſque ex ea potantibus morbos ac mortem generat. Tales aquæ hujus mundi, qui jure mare mortuum nuncupatur. Comparatur & ciſternis diſſipatis ac rimoſis, & lacunis aquas turbidas continentibus. Interim ad has, filios hujus ſeculi, ſe fonte vivo relicto, & ſpreto, confugere, amariſſimè Dominus conqueritur: l *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt FONTEM AQUÆ VIVÆ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

Magno labore, & ſudore, mundani homines hauriunt vel pauxillum aquæ, mox defluentis, & pereuntis, è puteis & ciſternis iſtis; unus haurit aliquid vani honoris, alius aliquid fluxæ voluptatis, alius aliquid mox perituræ facultatis; & fontem veri honoris, ſinceræ voluptatis, omnium divitiarum, ac deliciarum aſpernantur, ad quem invitantur, & facilis eſt acceſſus. O deplorandam, & execrandam inſaniam! de ejuſmodi rectè pronuntiavit Auguſtinus: m *AQUA in puteo, voluptas ſæculi eſt, in profunditate tenebroſa; hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum.* de ea bibunt & pecora, id eſt impii, qui belluinam vitam vivunt, & neſciunt quid ſit donum Dei, & aquæ vivæ.

Puteo comparavi voluptatis aquam, nimis extuli, ciſterna eſt, quæ continere non valet aquas. Hic ſenſus eſt S. Thomæ de Villa Nova: n *Verè ciſterna diſſipata, honor: ciſterna perforata, voluptas, divitiæ, & omnis proſperitas mundialis; non valet aquam continere, triduo placet, & ſtatim evaneſcit illa conſolatio, & faſtiditur, & diſplicet.*

Vos teſtes appello, an non omnia fluxa, & mox pereuntia experti ſitis; Maximè verò experiemini has aquas deficere in tempore

h V. Pantheon Feſto. S. Magdalenæ. i Apoc. 22. verſ. 17. k Ioan. 4. l Ierem. 2. verſ. 12.

m Aug. tract. 15. in Ioan. n S. Thomas de Villa nova feria 6. poſt Dom. 3. quadrag.

pore ſiccitatis, & extremæ neceſſitatis.

Rem tetigit Hugo Carenſis: o *Ciſternæ*, inquit, *diſſipatæ quæ continere non valent aquas, ſunt mundi voluptates, & deliciæ, & divitiæ, quæ in æſtate, quando magis neceſſaria eſſet aqua, exſiccantur, id eſt, in articulo mortis:* quando maximo refrigerio, & ſolatio eſſet aqua lateris Chriſti, & fons aquæ vivæ, ad quem mellifluus Doctor amatores ſæculi invitat, dicens: p *ſi tantum delectat tenebroſa aqua de nubibus aeris, quanto jucundius haurias de ſereniſſimis fontibus Salvatoris?* Si unquam, in die illa extremâ, ſitienti, & deficienti animæ, ex his fontibus hauriendum. q *In die illa erit fons patens domui David, & omnibus habitantibus Ieruſalem* (id eſt Eccleſiam) *in ablutionem peccatoris:* ubi Hugo de S. Victore: r *Fons occultus, unigenitus eſt Patris, inviſibilis Fons, idem patens Deus incarnatus:* hic omnibus ſcaturiit in monte Calvariæ, dum latus ejus lancea tranſverberatum eſt. *In die igitur illa, apertus eſt nobis fons miſericordiæ, qui peccatorem lavat.* Tum hortatur peccatores, libidinum cœno immerſos, aut ſcelerum luto fœdatos, ut fletu, & lacrymis ad hunc fontem accurrant, & laventur à ſordibus ſuis: ſ *Patet fons, curramus cum lacrymis: lavemur hoc fonte pietatis. In hoc fonte miſericordiæ lota eſt Maria Magdalena, Petrus, & latro. Cur ergo pigri ſumus? Cur torpentes & frigidi remanemus, qui in hoc fonte pietatis tantos* (peccatores) *ſe laviſſe cognoſcimus.*

o Hugo in Pſal 33. p Bern. ep. 106. q Zachariæ 13. r Hugo de S. Victore tom. 3. Eruditiones Theolog. ex miſcellaneorum. 11. l. 1. tit. 80. ſ Ibid.

Lixivio fœdiſſimi panni eluuntur, & ſuper nivem dealbantur; ſed major ac melior vis ad animas abluendas, & dealbandas, in aqua lateris Chriſti, quæ ex fonte pietatis, & miſericordiæ, largisſimè emanat.

Miraculum naturę cenſeri poſſet, quod refert Plinius, t montem Fiaſcum regionis Toſcanæ Clitumnum fluvium alluere, cujus aquis dum oves potantur, ex nigris albæ fiunt. Unde Poëta:

v *Hinc albi Clitumne greges.*

Quam prorſus arcanam virtutem, & aliis ineſſe Philoſophus Romanus teſtatur: x *Quibuſdam fluminibus vis ineſt mira. Alia etenim ſunt quæ pota efficiunt, ut intra breve tempus oves quæ ſuere nigræ, albam ferant lanam.* Talem in Boetia amnem aſſerit, *cui ab effectu Melas nomen eſt. In Macedoniâ quoque, ut ait Theophraſtus, eſt flumen, ad quod qui facere albas oves volunt, adducunt.* Sed in flumine Salvatoris, Æthiopiſſæ mutant pellem ſuam, & pardi maculas ſuas, & ſuper nivem dealbantur. y *Ergone de mundatione noſtri deſperemus, qui tot Exempla miſericordiæ in pignore tenemus? Quærere,* MISERICORDIÆ FONTEM *deberemus, ſi clauſus eſſet; nunc verò patet, & negligimus: Mittamus oculos fidei, in mundum univerſum: conſideremus, quam multi hodie in* HOC FONTE LAVENTUR: *quam multi poſt lacrymas ad munditiam redeunt. Curramus cum talibus AD AQUAM VITÆ. Conſideremus quantum peccavimus, atque ut appareamus mundi,* COR NOSTRUM

t Plin. l. 12. c. 103. v Virg. 2. Georg. x Seneca l. 3. quæſt. natur. c. 25. y Hugo cit.

LAVEMUS, & huic ſalutiferæ aquæ, totum immergamus.

Cum itaque tanta *aquæ lateris Chriſti* virtus ſit, libet potiori jure quam olim Samaritana illa exclamare: *O Domine, da mihi hanc aquam*, quia z *anima mea ſicut terra ſine aqua*, tota arida & ſterilis, ſitit hanc aquam, velut pluviam ſalutarem, qua fœcundata, fructus ferat bonorum operum. *Domine, da mihi hanc aquam*, quæ refrigeret æſtus cupiditatum, & reſtinguat flammas concupiſcentiæ, omniumque vitiorum. *Domine, da mihi hanc aquam*, quæ è Petrâ Sanctiſſimi Corporis tui fluxit, dulcis ſuper mel & favum, ut omnis mihi voluptas Sæculi amareſcat, & quævis à te immiſſa adverſitas dulceſcat. *Domine, da mihi hanc aquam*, quæ ſalit in vitam æternam, ut deſideria mea, quæ repunt ſuper terram, ad Cœleſtia, & ſuperna erigantur. *Domine, da mihi hanc aquam*, ut totus amore & dolore, lacrymarum imbre liqueſcam. Da capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut die, ac nocte delicta mea plorem. *Domine, da mihi hanc aquam*, quæ animæ deficienti robur, & vires ſuppetat, ut pſallere queam: a *ſuper aquam refectionis educavit me*. Nomine *refectionis* redemptor noſter uſus eſt, ubi de hoc myſterio peragendo loquitur: b *ubi refectio mea, ubi paſcha cum diſcipulis meis manducem*. Ex hoc ergo fonte petenda, de qua Ambroſius: c *hæc refectio ſpiritualis eſt: hæc refectio requies eſt mentis internæ. Domine, da mihi hanc aquam*, ut ea ablutus, & dealbatus, cor mundum, & immaculatum, tibi exhibere valeam, ac tandem ad fontem vitæ æternæ, ubi torrente voluptatis tuos inebrias, pertingere contingat.

z Pſal. 142. a Pſal. 22. v. 2. b Marc. 14. v. 14. c Amb. in Pſal. 36.

§. V.

Paſſio Chriſti conforta me.

Rectè, ac ritè in hymno Euchariſtico, de quo agimus, Paſſionis Chriſti memoria inducitur, quâ, priuſquam oſtendero Martyres in tormentis confortatos, milites in prælio, dum bella premunt hoſtilia, robur & auxilium ſenſiſſe, infirmos ac debiles, contra inſidias diaboli, roboratos fuiſſe, quàm neceſſaria, utilis ac ſalutaris ſit, ſub Miſſæ ſacrificio, & ſumptione Sacramenti, Paſſionis ac mortis ejus recordatio, paucis exponendum judicavi. Doctor Angelicus nobiliſſimum divini amoris ſcopum, quem Benigniſſimus Redemptor noſter in Euchariſtico myſterio inſtituendo ſibi præfixit, ait fuiſſe jugem Paſſionis ejus memoriam: d *neceſſe erat, ut die cœnæ Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui conſecraret nobis, ut coleretur jugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium.* Quod probat ſecundò: *quia ſine fide Paſſionis Chriſti, numquam potuit eſſe ſalus, ſecundum illud Rom. 3. quem propoſuit Deus Propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius; & ideo oportuit omni tempore apud homines eſſe aliquid* REPRÆSENTATIVUM DOMINICÆ PASSIONIS. Idem ibidem ad 2. ſubjungit: *dicendum quod Euchariſtia eſt* SACRAMENTUM PERFECTUM DOMINICÆ PASSIONIS, *tanquam continens ipſum Chriſtum paſſum.*

d S. Thom. 3. part. q. 73. art. 5.

Hu-

Hujus rei typum in veteri lege Agnus paſchalis adumbravit: hic, inquit, e *fuit figura Paſſionis Chriſti, qui propter innocentiam* DICITUR AGNUS, *unde & Apoſtolus dicit* 1. *Cor.* 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*; ſed quomodo Agnus aſſus, figura fuerit Agni paſſi, in Euchariſtiâ nobis exhibiti, & per charitatem aſſi, Rupertus exponit: f *quia per Spiritum Sanctum obtulit ſemetipſum hoſtiam vivam, Deo viventi: Eodemque igne in altari aſſatur, dum panis, corpus: & vinum, Chriſti ſanguis efficitur.* Has carnes Agni, aſſas igne charitatis, in veru Crucis, ut Pintus loquitur g, cum ad Euchariſtiæ menſam accedimus, meminimus; imò Agnum ritu legitimo immolamus, & ſumimus, cum pro nobis paſſum, & occiſum ad Crucis aram, & accenſum focum amoris, in ſinu cordis noſtri aſſamus, epulanteſque illius ſimul Paſſionis, & crucis *memoriam* facimus; quæ duo & panis Euchariſtici, & crucis myſteria, in illo Jeremiæ vaticinio non obſcurè expreſſa videntur: h *Ego tanquam* AGNUS MANSUETUS, *qui portatur ad victimam: cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes: mittamus lignum in panem ejus.* Ubi Magnus Gregorius: i *Lignum ergo in panem mittere, eſt configendo Dominico Corpori, Crucis ſtipitem adhibere.*

Narrat Spartianus, cum Antonius Geta Imperator, Mediolani natus eſt, eadem ipsâ horâ agnum quoque, vellere purpureo editum fuiſſe, idque boni ominis loco habitum Quod ut in agnis rarum, certè divino Agno purpura agnata eſt; quia à primo inſtanti, quo vellus noſtræ mortalitatis induit, Paſſionis ſuæ, ad quam ſe obtulit, & præ oculis habuit, ſanguinis ſui purpurâ tinxit; hoc vellere à Judæis crudeliter laniato, planè ſanguineus nobis in ſacrificio exhiberi voluit;

Quod ne unquam excideret, k Sergius Pontifex, teſte Baronio, circa annum Dom. 701. à ſacro myſta, tertiò ſolenne illud AGNUS *Dei, qui tollit peccata mundi* ingeminari voluit; Et omnibus communicantibus proclamatur: ECCE AGNUS DEI, ut puritatem, innocentiam, & manſuetudinem Agni induant, invidiam, iram, odium omne ex animo deponant: l *quæ* etenim, inquit Chryſoſtomus, *erit nobis excuſatio; cum talibus paſti, talia peccemus? cum lupi ſiamus* AGNUM *comedentes: cum ut oves paſti, more leonum diripiamus?* de quibus verè, & lamentabiliter queri cogetur, cum ad eos Sacra hoſtia defertur: m *Ego quaſi* AGNUS *manſuetus, qui portatur ad victimam*, ad lanienam acerbiorem, quam olim Judæorum.

Non ſic piæ animæ, ſponſæ Agni, quæ limen, & poſtes, ſanguine Agni tingunt n; quid autem hoc limen, qui poſtes ſint, Magnus Gregorius, eleganter exponit: o *quid ſit* SANGUIS AGNI, *non audiendo, ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed ore cordis hauritur. In utroque etenim poſte*, SANGUIS AGNI

e Idem art. 5. & 6. f Rupert. in Heb. 9. v. 14. g Pintus Chriſtus Crucifix pag. 699. h Ierem. 11. v. 19 i Greg. lib. 2. mor. c. 12. & lib. 12, c. 30.

k Baronius. ann. Chri. 701 l Chryſoſt. hom. 83. in Matt. m Ieremiæ 11. n Exod. 12. o Greg. hom. 22. in Evang.

eſt poſitus, quando SACRAMENTUM PASSIONIS ILLIUS, *dum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur.*

Hunc in finem amabile illud mandatum, teſtamenti loco ſuis tradidit, dum hoc Sacramentum inſtituit, dicens: p *hæc quotieſcumque feceritis, in* MEI MEMORIAM FACIETIS; non vult nos ſemel in anno, fortaſſe die cœnæ Domini, gratam Paſſionis ejus memoriam recolere; ſed toties, quoties in arâ immolatur. Quod & Apoſtolus inculcat, ut ſemper, dum hoc cœleſti epulo reficimur, memoriale nobis cruciatus, ac mortis ejus amariſſimæ ante oculos ponamus: q *quotieſcumque* inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis*, MORTEM DOMINI ANNUNTIABITIS; quæ omnia D. Thomas in divino ſuo hymno his verbis complexus eſt: r *O Sacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur*, RECOLITUR MEMORIA PASSIONIS EJUS. Quin & per orbem terrarum, univerſa cantat Eccleſia: *Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili*, PASSIONIS TUÆ MEMORIAM RELIQUISTI. Hic ſenſus, hæc ſententia SS. Patrum eſt, S. Ambroſ. ſ *nunc Chriſtus offertur quaſi homo, quaſi recipiens, PASSIONEM PERFERENS, & offert ſeipſum quaſi ſacerdos, ut peccata noſtra dimittat*, & repetitam Chriſti Paſſionem & Chriſtum in Euchariſtia occidi, & quaſi perferre Paſſionem; non quod Chriſtus iterum pati, aut mori dicatur; ſed quod fructus Paſſionis ejus, cujus vivam & veram in corpore adhuc plagis inſignito commemorationem colimus, fructum participemus, ut rectè S. Gregorius: t *Chriſtus qui in ſe reſurgens à mortuis, jam non moritur, adhuc per ſacram hoſtiam in ſuo myſterio pro nobis iterum patitur: nam quoties ei HOSTIAM SUÆ PASSIONIS OFFERIMUS, toties nobis ad abſolutionem noſtram, Paſſionem illius reparamus.* Quod & Eccleſiæ auctoritas hac Collecta confirmat: *Quoties enim hujus hoſtiæ commemoratio celebratur, toties opus noſtræ ſalutis exercetur.* In hac commemoratione ſuper omnia quæ illi in veteri lege ſacrificia, à cœleſtibus Spiritibus, ipsâ Deiparâ, omnibuſque Sanctis ei obſequia oblata ſunt, ſibi complacet: v quia RECOLITUR MEMORIA ILLIUS, QUAM IN SUA PASSIONE CHRISTUS MONSTRAVIT EXCELLENTISSIMÆ CHARITATIS. *Unde ut arctius hujus charitatis immenſitas fidelium cordibus infigeretur, in ultima cœna, quando Paſcha cum diſcipulis celebrato, tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit*, TANQUAM PASSIONIS SUÆ MEMORIALE PERENNE. Cœleſtis aquila intonat. x *cum dilexiſſet ſuos, uſque in finem dilexit eos*, quod maximè oſtendit, dum inſtanti Paſſionis tempore, in ejus commemorationem Euchariſtiam inſtituit, tamquam æternum amoris ſui in nos monumentum, ut Rupertus meritò dixerit: y *SACRAMENTUM hoc, quo mors ejus, ut dicit Apoſtolus, annunciatur, quando debuerat condi, vel dari convenientius niſi ſub*

p Luc. 22. q 1. Cor. 11. 26 r S. Thom. in hymno. ſ S. Amb. l. 1. offic. c. 48

t Greg. l. 4. Dialog. c. 37. vel hom. 37. in Euang. v S. Thom. opuſc. 57.
x Ioan. 13 v. 1. y Rupertus lib. 10. in cap. 26 Matt. & 16.

IPSIUS ARTICULO PASSIONIS? Tractus hic vehementer amantis fuit,& z *votum in amante novum*, ut altius ejus memoria cordibus noſtris inhæreret, nec unquam oblitteraretur, quod eleganti ſimilitudine Primaſius, & Anſelmus expreſſere: a *veluti ſi quis moriens relinquat ei, quem diligit pignus aliquod, quod ille poſt mortem ejus quandocumque viderit, lacrymas continere non poſſit, ſi eum perfectè dilexerit.*

Geneſi 37. Patriarcha Jacob, unicum dilecti ſui Joſeph, quem à fera peſſima, filii laniatum nuntiarant,pignus acceperat, tunicam ejus ſanguine tinctam, quam quoties manibus contrectaret, oſculis libaret, lacrymis rigaret,crudeliſſimam ejus lanienam animo verſabat,atque identidem exclamabat: b *tunica filii mei eſt*: Aptè ad rem noſtram Philo Judæus: c *quis luctus poteſt eſſe major,aut miſerabilior? veſtis filii ad Patrem perlata eſt, ut ad ejus aſpectum recrudeſcat DOLORIS MEMORIA, ne unquam tantæ calamitatis oblivio poſſet obrepere.* Amariſſima hæc memoria, dies, & noctes obverſabatur, eratque *lugens multo tempore*, per annos tredecim,ut rectè computat Fernandius *d*, & tu non tunicam, ſed quam interpretatur Hugo Cardinalis, e *humanitatem Chriſti*, ejuſque corpus Sacratiſſimum, plagis inſignitum per 13. 18. 20. annos ne ſemel grata commemoratione dignaris; cùm quoties hoc tibi Sacrificium in ara proponitur,toties exclamandum eſſet: *tunica filii DEI*: tunica Redemptoris mei eſt: tunica dilectiſſimi mei JESU eſt; fera peſſima,id eſt,invidia Judæorum devoravit eum.

Hoc inſuper mandatum ſuis diſcipulis, & nobis in extrema cœna, & ultima vitæ ſcena reliquit: *hæc quotieſcumque feceritis, in MEI MEMORIAM FACIETIS*; cauſam dat Chryſoſtomus: f *quoniam illorum maximè meminimus,quæ pater,quo tempore exſpirabat,nobis præcepit.* Sed præ his omnibus, optimum memoriale Parentes moribundi, liberis relinquunt teſtamentum, tabulas, & litteras illis conſignando, quibus tot prædia,fundos, fructus,& cenſus annuos tot milliū, atq; omnia bona multo labore,& ſudore conquiſita,in eos transferunt; quo fit,ut niſi liberi omnino ingrati,& barbari ſint, quoties illa ſibi bona,& prædia, ab amantiſſimo Patre relicta,luſtrant; quoties fructus, & redditus ſuos annuos recipiunt, gratiſſima memoria recolant curas, labores lucubrationes, defatigationes, & pericula parentum, quibus hæc ſibi compararunt; & tu ô homo, ô hæres CHRISTI, poteris teſtamenti ejus,& poteris Domini non memor eſſe tui? qui teſtamento ſuo te hæredem ſcripſit,non perituri fundi, aut prædii: non cenſus, aut uſus fructus aliquot millium per paucos annos; ſed teſtamento reliquit Theſauros non deficientes in cœlis, divitias, ubi fur non appropiat: Paradiſum voluptatis, tanto,non dico labore,& ſudore, ſed ſanguine & cruentis vulneribus tibi conquiſitum? Quod te-

z Ovid. 3. Metam. a Primaſius & Anſelm. in 1. Cor. 11. v. 24. & 25. b Gen. 37. c Philo lib. de Ioſeph. d Fernandius hic. e Hugo hic.

f Chryſoſt. in 1. cor. 11. v. 24 hom. 27.

ſtamentum habes Sacro ejus cruore ſignatum. Matth. 26. v. 28. *Hic eſt enim ſanguis meus NOVI TESTAMENTI*;

Quid autem hic nomine teſtamenti intelligatur, S. Thomas ediſſerit, qui docet teſtamentum primò ſumi pro pacto, quod in lege veteri ſanguine taurorum firmabatur; g *novum verò confirmatum ſanguine Chriſti.* Alio modo teſtamentum accipitur magis ſtrictè, *pro diſpoſitione hereditatis percipiendæ; non autem confirmatur niſi per mortem. Deus autem primò quidem diſpoſitionem fecerat de æterna hereditate percipienda, ſed ſub figura temporalium bonorum, quod pertinet ad vetus Teſtamentum; ſed poſtea fecit* NOVUM TESTAMENTUM, *expreſſè promittens hereditatem æternam, quod confirmatum eſt* PER SANGUINEM MORTIS CHRISTI. Unde & Apoſtolus 1. Corinth. 11. v. 25. HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN MEO SANGUINE. *Hoc facite, quotieſcumque bibetis* IN MEAM COMMEMORATIONEM.

Nullus unquam mortalium, fuerint opulentiſſimi mercatores, nullus Principum, aut Regum, fuerint Regionum ac Regnorum Domini, talem ſuis poſteris teſtamento hereditatem tranſcripſit, qualem Redemptor noſter, Rex gloriæ, pretioſo ſanguine partam, nobis diſcolis, & perduellibus filiis reliquit; cujus pretio qui abutitur, & *ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit*, Anathema ſit.

Obganniunt heterodoxi, qui ex verbis Apoſtoli, non Chriſtum paſſum hic præſentem volunt; ſed *memoriam* ejus, ſeu *commemorationem* dumtaxat celebrari. Quam controverſiam egregiè aliquando in conventu Piſciacenſi, ubi cum Hugonottis congreſſus erat, expoſuit Lainius, primus ab Ignatio Societatis Jesu Præpoſitus Generalis, idémque lectiſſimus Pontificis Maximi in Tridentino Theologus: h *Cùm enim dixiſſet Petrus martyr, propterea quod miſſa ſit cruenti ſacrificii, quod factum eſt in cruce, imago & ſimulacrum, non poſſe tibi adeſſe ipſummet Chriſtum, quod deſinat ſimulacrum rei eſſe, ubi res ipſa eſt; rem omnem Lainius hoc ſimili illuſtravit. Fac Regem, qui præclaram ex hoſte victoriam reportavit, victoriæ ejus memoriam inſtaurari quotannis velle; id triplici viâ proclive erit facere. Primum ſi narrari ſeriem rei geſtæ juſſerit: deinde ſi per actores ſimulacrum belli ipſum referri: poſtremo ſi ipſemet inter actores eſſe velit, quamque in pugna olim ſubiit, eam poſtea imitatione, & repræſentatione idem ipſe perſonam ſubierit. Hanc enim cum vera Regis præſentia veram imaginem, verámque repræſentationem haud dubiè fore, idque nunc in diviniſſimo incruento miſſæ ſacrificio fieri.* Ita vir eruditiſſimus ingenioſè ac nervoſe, atque ut refert Sacchinus, cum plauſu.

In hoc porrò ſacrificio, Chriſtus ſacerdos magnus, dum vi verborum corpus ſeorſim, & ſanguinem ſeorſim conſtituit, cruentam mortem ſuam divinus Actor in eo ſacratiſſimo Theatro, coram æterno Patre, innumeris Angelis, & fideli populo, perſonatus ſub panis & vini ſpecie repræſentat. Hæc autem repræſentatio

g S. Thom. in 1. Cor. 11. v. 25.

h Sacchinus hiſt. Soc. part. 2. An. 1561.

tatio non verbalis, ut fit in comœdiis, & tragœdiis Poëticis, ſed realis, & quidem ſubſtantialis, Chriſti paſſionis & mortis, quod Tridentinum diſertè aſſerit, dum ait: i *In hoc viſibili ſacrificio, cruentum illud ſemel in cruce peractum, repræſentatur.* Et quidem non verbis, ſed ipſo facto, ut cap. 2. docet: *una, eadémque eſt hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſolâ offerendi ratione diverſa: quia in divino hoc ſacrificio, quod in miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur.*

Belli Imperatores, ac inclyti heroes, partâ non indecoro ſanguine de hoſtibus victoriâ, ſolent ipſi, gratiſſima narrantium & avide audientium voluptate, ſua ſtratagemata, pericula, vulnera, & hoſtium ſtragem commemorare, ut Poëta cecinit:

k *Quid enim loqueretur Achilles?*
Aut quid apud magnum potius loqueretur Achillem?

Sic pictor imaginem ſui, ſponſæque dilectæ libenter pingit: quæque ipſi repræſentare, ac commemorare libenti animo ſolemus, ea quoque ſi ab aliis repræſentari, commemorarique contingat, arrectis auribus haurimus Sic pompa funebris, ac Regum, Principum & Heroum exequiæ, in defunctorum honorem & grati animi memoriam celebrari conſuevere. Lugubri apparatu omnia induuntur: longum ſyrma comitantium funus, ducitur; inſignia præferuntur, oratio funebris inſtituitur, triſti boatu reſonant campanæ, aula tota, atque Regnum univerſum, ſublatum ſuum Principem, publico luctu, & lacrymis proſequitur, atque anniverſaria commemoratione ſolet inſtaurare. l Sic benigniſſimus Redemptor noſter non annuas, ſed quotidianas ſuæ mortis, & paſſionis inſtituit exequias, quæ quanto in honore, & veneratione habendæ ſint, Abbas Rupertus eloquatur: m *Aufer*, inquit, *à cœtu fidelium* QUOTIDIANAS SALVATORIS NOSTRI EJUSMODI EXEQUIAS; *& vide quam meritò dicat Salvator: quæ utilitas in ſanguine meo? refrigeſcente namque ea, quæ hoc modo nunc ubique calet,* EJUS MEMORIA, *refrigeſcet univerſa charitas.*

Quæ ne & in nobis refrigeſcat, aut intepeſcat, atque amariſſimum illud dulciſſimi JESU exprobretur: *quæ utilitas in ſanguine meo?* exequiarum ritus, ac ceremoniæ hic adhibendæ ſunt. Ipſa ara, in qua ſacratiſſimum corpus exponitur, Golgothæum montem repræſentat. Longus nobilium, & honoratiorum comitantium ordo eſt, *millia millium aſſiſtunt ei*, ut cœleſtis illius regiæ Aulicos advolantes, & circumſtantes aliquando oculatus teſtis conſpexit divus Chryſoſtomus, & jure aſſerit: n *Locus Altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt.* Magni hujus magiſtri Diſcipulus S. Nilus, quo reverentiæ ac venerationis habitu, regi ſuo aſſiſtant,

i Trident. ſeſſ. 22. c. 1. k Ovid. l. 12. metam. v. 162.

l In Euchariſtia exequiæ Chriſti repræſentantur. m Rupertus lib. 2. de offic. Eccleſ. cap. 10. n Chryſoſt. lib. de ſacerd.

pulchrè

pulchrè expreſſit: o *Plurimi*, inquit, *Angeli è cœlo delapſi, nudo pede, aſpectu intento, vultu demiſſo, circumſtantes Altare, uſque ad myſterii conſummationem.* Adſtat omnium fidelium magnatum, nobilium ordo, atque univerſi populi frequentia *Inſignia* ſanè luculenta eáque ſanguinolenta non deſunt, alapæ, funium, virgarum, ſerti ſpinei, crucis, clavorum, lanceæ.

Hujus augendæ pietatis, & inflammandæ charitatis rarum ac præclarum in vita S. Lyduvinæ exſtat argumentum. p Jacebat virgo illa jam annum ſeptimum decimum, variis morbis horrendum excarnificata, cùm dolores ſuos Chriſti crucifixi cruciatibus ſolata, vidit cœleſtes Ephebos, cum Virgine Matre, cubile ſuum ſubeuntes, ſingulóſque Chriſti paſſi inſignia præferentes, ac tandem dilectum ſuum JESUM, ſpecie crucifixi, totum ſanguine rubicundum, ac morte pallidum: ſenſitque quinque plagas ſuo corpori imprimentem; quæ ut altius cordi infigeret, Dei Mater, ſumpta ab Angelis, paſſionis inſignia reverenter ei exoſculanda tradidit. Denique, quod omnem ſuperat admirationem, ad ardentiſſimum Sponſæ ſuæ votum, JESUS crucifixus, in ſpeciem radiantis hoſtiæ ſeſe commutavit, & in munda mappula, quæ illic exponi ſolita, ſeſe collocavit. Ad hæc prodigia domeſtici, omnéſque vicini confluxêre, qui in ea hoſtia conſpexere crucifixi effigiem, cum cruentis vulneribus, & guttâ ſanguinis ſupernè notatâ, in cujus amabili conſpectu Lyduvina cœleſtibus deliciis affluebat, & Sponſum ſuum, ſub tam viva Paſſionis imagine, intra cor ſuum recipere ardebat. Accitus Parochus, etſi parum divinis hiſce prodigiis fidei adhiberet, virgine mirabilia quæ ei Chriſtus revelârat narrante, ac conteſtante, ſacram hoſtiam communicavit. Hæc divina oſtenta, hæc pompa funebris quotidie, & ſub ſingulis ſacrificiis, mentis oculis obverſatur: nam cruentum illud ſacrificium, quod jam à millenis, & ſexcentis annis præteritis in cruce oblatum, ne unquam ejus memoria, & fructûs ſanguinis ſui interiret, voluit preſenti tempore nobis ſemper exhiberi, ut præclarè Euſebius Emiſſenus tradidit: q *Quia corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis fidelium, & ſideribus illaturus, neceſſarium erat, ut in die cœnæ, ſacramentum nobis corporis & ſanguinis ſui conſecraret, ut coleretur jugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium: ut quia quotidiana, & indefeſſa currebat pro omnium ſalute redemptio,* PERPETUA ESSET REDEMPTIONIS OBLATIO: ET PERENNIS ILLA VIVERET IN MEMORIA, *& ſemper præſens eſſet in gratia.*

Ubi expendenda mirabilis inventio amoris Chriſti, qui hic combinavit ſimul præteritum, & præſens: præteritum in memoriam, & repræſentationem cruenti olim ſacrificii; ſimul etiam & præſens, ſcilicet idem ſacrificium, ſed incruentum, & fructus, meritum, ac gratiam Paſſionis, ſacrificii cruenti, quæ hic conferuntur.

o S. Nilus Epiſt. ad Anaſtaſ.
p Surius 14. April. c. 8. & 9.

q Euſeb. Emiſſen.

Ora-

Orationem funebrem, ac Redemptoris paſſi geſta, Epiſtola, & Euangelium enuntiant, ac tot divini verbi Præcones, Chryſoſtomi, Chryſologi, Auguſtini, Ambroſii, qui in cruciatibus Chriſti enarrandis diſertiſſimi. *Campanæ*, ſacris omnibus in ædibus ad hæc myſteria inſonant, & præ his vocaliores ſupplicantium voces.

Moris denique eſt, pauperibus panes elargiri, & amicis convivium exhibere, quod & in his ſacris exequiis adimpletur, ubi pane Angelorum eſurientes ſaturatur, & animæ ſanctiores, liquidiſſimis deliciis, & ſuaviſſimis epulis perfruuntur.

Exequias Conſtantini Imperatoris, quo affectu, quâ pompâ, qua celebritate; milites, duces, omniſque populus proſecuti ſint, Euſebius commemorat: *r* cum
,, anno reparatæ ſalutis 337. Con-
,, ſtantinus Helenopoli, urbe
,, matris cognomine, obiiſſet, mi-
,, lites cadaver aureâ capſulâ in-
,, cludunt, & undique purpureâ
,, veſte contectum Conſtantino-
,, polim perducunt. Ibi tunc in
,, omnium magnificentiſſimis
,, Imperatoris ædibus, celſo at-
,, que edito loco deponunt; lu-
,, minibuſque circum funus, au-
,, rea ſuper candelabra accenſis,
,, admirabile ſpectaculum intu-
,, entibus præbebant: & ſanè hu-
,, juſmodi, quale numquam in
,, terris ullum à condito mundo
,, ſub ſole viſum eſt. Nam intus,
,, in ipſo ferè medio regii Pala-
tii, excelſâ, & aureâ capſulâ ,,
incluſum Imperatoris corpus, ,,
imperiali apparatu, id eſt, pur- ,,
purâ & diademate ornatum, ,,
permulti circumfuſi vigiles, ,,
noctuque aſſervabant. Jam to- ,,
tius exercitus duces, & comites, ,,
omniumque Principum cœtus, ,,
quibus antea in more fuit Im- ,,
peratorem venerari, priſtinum ,,
morem & conſuetudinem con- ,,
ſervantes, ſtatis temporibus in- ,,
troeuntes; Imperatorem in ca- ,,
pſulâ jacentem, tanquam vi- ,,
vum etiam poſt mortem, hu- ,,
mi procumbentes ſalutabant. ,,
Horum reverentiam, eodem ,,
pietatis officio ſubſecutus eſt, ,,
Senatus, & omnes reliqui Ma- ,,
giſtratus. Hæc Euſebius. Quæ ,,
pietatis officia, & honoris ob- ,,
ſequia, ſi exſangui cadaveri, mox in tabum, & ſaniem abituro, atque ipſi cenotaphio, ſeu vacuo tumulo anniverſaria celebritate, rectè & ritè impendantur; quantò æquius eſt nos, regis gloriæ exequias, qui vivus, ſpiranſque intereſt, omni amoris, honoris, ac venerationis ſignificatione, identidem inſtauremus, memoriâ recolentes, ſacratiſſimum corpus illud, hic in altari hierothecâ, ſeu *aurea capſula incluſum, purpurea veſte* ſanguinis ſui contectum, edito loco, luminibus circum funus accenſis, admirabile ſpectaculum intuentibus, & amabilius ſumentibus pabulum exhiberi, quæque in ſacrificio illo cruento obſequia, nunc ei præſtemus.

Europæus ille Alexander Carolus V. Imperator, regno, & mundo valere juſſo, in ſeceſſu ſuo Hieronymiano, indies, inaudito exemplo, exequiis ſuis vivus

r Euſebius lib. 4. c 66. Alſordus annal. Eccleſiæ Britannicæ An. Chriſti, 337. Exequiæ Conſtantini Imperat.

vus & valens interfuit. ſ Pompa funebris inſtituebatur, officium funebre decantabatur, & coràm atratus ſpectabat, quantâ devotione, religione, veneratione, viri religioſi ſibi parentarent. Adeſt & hic Imperator noſter, & ſuis intereſt exequiis, ſpectátque, quo animi ſenſu, qua pietate, quibus lacrymis, quo etiam externo habitu, & geſtu, mortis ejus commemorationem peragamus.

Quæ ut verâ ac vivâ fide, memori mente reponamus, Eccleſia omnem ſacrificii apparatum, ad hanc tragœdiam recolendam, in ſacro myſta, qui perſonam Chriſti patientis agit, adornavit.

Primo etenim in amictu, velamen oculorum Chriſti exhibetur. t
2. In alba, illuſoria Herodis veſtis.
3. In cingulo, vincula ejus.
4. In manipulo, ferreæ manicæ.
5. In ſtola funes collo injecti.
6. In caſula, veſtis purpurea.
7. In cruce illi inſerta, crux Chriſti.
8 In tonſura, ſpinea corona.
9. In calice, dolores Paſſionis.
10. In corporali, Sindon, qua involutus in ſepulchro.

Quæ ſingula, piæ mentes ſub ſacrificium ſuaviter, & ſalubriter ruminare conſueverunt. Ad has Chriſti patientis exequias, quas jure Eccleſia celebrat, ſerìò præluſit univerſa natura. Dum in ara crucis, cruentum illud mortis ſuæ ſacrificium, Chriſtus ſacerdos inſtituit, omnes creaturæ, ac orbis univerſus, tenebris exortis, pullâ quaſi veſte contectus luxit: v *Moti ſunt cœli: ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*; tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram: tota mundi domus, in qua x *primogenitus omnis creaturæ*, & Dominus domus moritur, dolore ac luctu completur. Unde rectè Sedulius de tenebris agens:

y *Et totum tenuere polum, mœſtiſque nigrantem*
EXEQUIIS *texere diem: Sol nube coruſcos*
Abſcondens radios, tetro velatus amictu
Delituit, triſtémque infecit luctibus orbem.

Eadem proſequitur Hieronymus: z *Ad Paſſionem Domini, terra tremuit, ſaxa dirupta ſunt, & fugiente ſole, æternam noctem elementa timuerunt.* Terra ingenti tremore concuſſa eſt, & omnia elementa commota ſunt. Sunt, qui commotionem illam velint fuiſſe Univerſi, quaſi ad interitum tendentis, & in morte Regis ſui, velut interire volentis; atque adeò congemiſcentis, & compatientis. In his Leo Papa: a *Pendente*, inquit, *in patibulo creatore, univerſa creatura congemuit. Debebat hoc teſtimonium ſuo mundus Auctori, ut in ejus occaſu vellent univerſa*

ſ Strada de bello Belgico.
t Vide Lanuza de ven. Sacramento hom. 5. §. 12.

v Ioel. cap. 2. v. 10. x Coloſſ. 1. v. 15.
y Sedulius l. 4. Paſch. carm. z Hieron. in cap. 53. a S. Leo Serm. 6. de Paſſ. Domini.

verſa finiri. Creaturæ omnes Regem ſuum morientem, luctuoſo officio proſecutæ ſunt, ſuúmque Dominum conteſtatæ: *Contenebratus orbis*, ait Tertullianus, LUGUBRE FECIT OFFICIUM; alludens ad exequias, & officium funebre, quod in morte Principum fieri ſolet.

b Quare ſacrificantis, aut communicantis, non alia ſit è precum libellis, aut coronis marianis oratio, non alia cogitatio, aut de ſublimibus fidei myſteriis contemplatio, quam unica, & ſola Chriſti pro nobis paſſi in hoc myſterio latentis, recordatio, cum nulla nobis utilior, nulla Deo acceptior queat excogitari. Teſtis eſt Patriarcha Venetus: c *Memoria etenim in oblatione hac agitur illius*, QUAM IN SUA PASSIONE DEI FILIUS NOBIS NOTAM FECIT EXCELLENTISSIMÆ CHARITATIS, QUA NULLA MAJOR, NULLA UTILIOR; NULLA AMABILIOR, NULLAQUE OCULIS DIVINÆ MAJESTATIS EST GRATIOR.

Hoc ſanctis mentibus perſpectum erat, quæ ſub ſacris epulis, Paſſionis Chriſti myſteria, ſuaviſſimo affectu commentabantur. In quibus memorandus venerabilis Thomas de Tiferno, ſextus PP. Capucinorum Generalis, qui Jeroſolymitanam urbem primitiis Deo conſecrandis elegit, quia, ut inquiebat, primum iſtic ſacrum celebratum eſt: ut quæ in eo à Chriſto peracta, quæque in civitate ſancta perpeſſus fuerat, animo repræſentaret. Quò ſpectat illud R. P. Angeli Pazii egregium dictum, reſpondentis iis, qui de Miſſæ ipſius diuturnitate querebantur: videlicet parum æquas eſſe querelas ejuſmodi, cum Chriſtus quatuor ipſas horas primam miſſam in cruce continuârit.

Hoc quoque pietatis genere, è devoto fœmineo ſexu, ſanctiſſima mater beati Henrici Suſonis excelluit, quæ ingenuè de ſe ipſa, filio teſtata eſt, per triginta annorum decurſum, numquam ſe Miſſæ ſacrificio interfuiſſe, quin ex intima patientis Chriſti cômiſeratione, amariſſimis lacrymis perfunderetur, atque eo ſe quondam dolore exarſiſſe, ut duodecim hebdomadum ſpatio, ad ſtuporem Medicorum, ex hoc amabili morbo, lecto affixa fuerit: non raró etiam deliquium paſſa, ac tandem ſacro die Paraſceves, quo Paſſio Chriſti canebatur, exſpiravit, filióque viſendam ſe præbens, ad ſuaviſſimos Sponſi ſui amplexus evolâſſe nuntiavit.

Nos ergo horum exemplis, & potentiſſimis Chriſti verbis invitati, ſub ſacrificium libenter in ea JESU patientis utiliſſimâ meditatione verſemur. Nôſtis quo fructu? primo & nobiliſſimo, ut qui amore amoris noſtri paſſus eſt, ejus paſſionem, & mortem recolendo, & ardenter redamando, ei arctè, & intimè conjungeremur; ſic etenim divus Thomas: d *Euchariſtia eſt* SACRAMENTUM PASSIONIS CHRISTI, *prout homo perficitur*

b Memoria Dominicæ Paſſionis ſub ſacrificium ſeu Euchariſtiæ ſumptionem, DEO gratiſſima.

c Beatus Laurentius Iuſtin. Serm. de Euchariſt.

d S. Thom 3. part. quæſtion. 73. articulo 3. ad 3.

in

in unione ad Chriſtum paſſum; *innuens per hanc continuam Chriſti patientis memoriam*, *nos illi intimè uniri.* Unde ſubdit, rectè indigitari *ſacramentum charitatis.* Ad hanc intimam unionem, & ſummam perfectionem, quo innumeri per diuturnam corporis inediam, & continuata jejunia: per cruentas ſui diverbrationes, & cruciatus pervenire non potuerunt, illi brevi & facili via pertigerunt, à quibus dum ſacramentum hoc ſumitur, e *recolitur memoria illius, quam in ſua Paſſione Chriſtus monſtravit excellentiſſimæ charitatis. Unde ut arctius hujus charitatis immenſitas fidelium cordibus infigeretur*, non flagella, aut chameunias, aliaſque corporis afflictationes, præ hoc uno à vobis expoſtulat; quod egregiè venerabilis Abbas Cluniacenſis pertractat: *f* placuit largitori tanti muneris, cauſam reddere tantæ „ largitionis; quam cauſam dando, ipſum Sacramentum ape- „ ruit: nam poſtquam dixit; hoc „ facite, ſtatim addidit, in meam „ commemorationem: *Hæc eſt er-* „ *go cauſa ſacramenti, commemora-* „ *tio Chriſti*; ſciebat quia humani- „ tatis, & mortis ſuæ opus, ſicut „ ſuper omnia opera ſua, ſummè „ erat commendandum; ſic mor- „ talibus, pro quibus fiebat, ſum- „ mè erat commendandum; ut- „ pote cujus caro pro illis tor- „ quebatur, cujus anima pro ipſis „ triſtabatur: cujus mors illorum „ vitæ miniſtrabatur.

Et quorſum tanta, & toties hujus ſuæ Paſſionis inculcata recordatio? g *Hoc certè*, inquit, *ſolenniter commendandum erat, ut Chriſtus diligeretur, dilectus haberetur, habitus nunquam perderetur. Sed hæc ejus dilectio, ab hominibus ſervari non poterat*, MEMORIA PEREUNTE; *quare ne à corde fugeret, quod maximè cordi ineſſe oportebat, & ut ſemper redemptus, redemptionis pretium cogitaret*, memoriale hoc perenne inſtituit.

Fructum hunc commendare viſum eſt divinum oſtentum, ſancto Elzeario exhibitum, *h* qui in amœnam quandam planitiem ſpiritu abreptus eſt, in qua templum quoddam elegans, ac plenum hominibus conſpicatus, ſacerdotem vidit ſacris veſtibus indutum, accedere ad altare: Introitus, qui à cantoribus præcinebatur, de S. Cruce fore miſſam innuebat, cujus hoc erat initium: *Nos autem gloriari oportet in Cruce*, &c. durante ſacrificio, videre ſibi viſus Elzearius, ſacratiſſimam Chriſti Paſſionem in totius populi mentibus renovari, ſuum quoque cor animumque, miris erga eandem affectibus inflammari. Finito ſacrificio, ac viſu diſparente, totum ſe crucifixo Domino Elzearius confixum perſentiſcere, ut jam aliud nil mente volveret, quam mortem pro dilecto oppetere, & amorem, amore velle compenſare. Quod ſi tam apta ad animum noſtrum permovendum, ex divini ſacrificii, vel in ſomnis ſpectati, ſuborta fuerit viro huic recordatio; qualem expectare non liceat, dum vigili, apertâque mente ei adſtiterimus? ut quemadmodum Elzearius, ſacratiſſimam Chriſti Paſſionem in totius populi hujus men-

e S. Th. opuſc. 57. f Petr. Cluniacenſis de ſacrificio miſſæ contra hæreſim Petro Bruſtanorum. g Ibid.

h Surius in vita.

mentibus renovari cernamus.

Ex hac dilectione, alius fructus emanat uberrimus omnium gratiarum, & omnium quæ Chriſtus paſſus eſt, meritorum licet enim ſanguis, & mors ejus ſuperabundanter redemptionem noſtram operata ſint, *quoad ſufficientiam*, *non tamen ad efficacitatem*, quæ nobis per hanc amabilem recordationem applicantur: i *noverat Salvator quid fecerat, quid facturus erat propter hominem: noverat ſingulare opus, quod geſſerat induendo hominem: noverat ſtupendum quod geſturus erat moriendo propter hominem. Sciebat hoc ſe opere ſalvaturum hominem*, SED ABSQUE HUJUS OPERIS DILECTIONE, NULLUM SALVARI POSSE HOMINEM Quid igitur Chriſto redemptori acceptius, ſine quo, *quæ utilitas in ſanguine*, in morte ejus? Quid homini utilius, quam tam pretioſi pretii participem fieri, in quo omnium ſalus conſiſtit: *k* ideo Petrus Cluniacenſis, *homo magnus*, & *occupatus in magnis*, ut eum Bernardus compellat, nullius alterius myſterii recordationem inculcari aſſerit: *quotieſcumque*, *ait*, *manducabitis*, *&c. mortem Domini annunciabitis.* „ *l* Quare hoc? Quare non ſimi- „ liter, ô Apoſtole Dei, dixiſti „ incarnationem Domini, nati- „ vitatem Domini, circumciſio- „ nem Domini, baptiſmum Do- „ mini: vel quod majus videre- „ tur, reſurrectionem Domini, „ aſcenſionem Domini? *Quare* „ *dixiſti mortem Domini*? Quare „ illa, quæ glorioſa videntur, di- „ miſiſti, & quod erat ignominioſius elegiſti? ut, inquit, o- „ ſtenderem in morte Domini, „ ſingulariter conſtare ſalutem „ mundi: ut oſtenderem illud „ opus ejus præponderare omni- „ bus operibus ejus: ut oſtende- „ rem tormento illo requiem „ ignominiâ illâ, gloriam: morte „ illâ, mortuis redditam vitam. „ Ita planè, ita juxta Apoſtolum, „ quando manducatur panis Do- „ mini, id eſt Corpus Domini: „ quando bibitur calix Domini, „ id eſt ſanguis Domini, annun- „ ciatur, id eſt, *repræſentatur mors* „ *Domini*, *quam paſſus eſt in cruce*, „ non alia, ſed eadem, quæ eſt „ præſens caro Domini: qua fuſus eſt non alius, ſed idem qui ſu- „ mitur ſanguis Domini. Tum „ ſubdit: *quod cum ſit*, *ad hoc utique ſit*, *ut mens longè vehementius excitata*, *corporis Domini ſuſceptione*, *quàm poſſet excitari verbi Domini admonitione*, *in amorem ejus*, *quem non tantum audit*, *ſed etiam videt*, *& ſuſcipit*, *inardeſcat*; *& videns verbum caro factum*, *ut habitaret in nobis*, *habitans etiam corporaliter*, *& in ſe*, *oblıviſci jam nullatenus poſſit*, *quem fide credit*, *amore amplectitur*, *manu contrectat*, *ore ſuſcipit*. *Quem quondam pro ſe mortuum*, *ipſa ſuſceptione recolens*, *& morte illâ*, *ſibi vitam paratam agnoſcens*, *à mortis operibus*, *abſtineat*, *& ſic eidem Chriſto Domino ſuo*, *immortaliter viventi*, *in ſempiternum convivat.* Quæ pluribus è Divo Thoma, aliiſque, proſequitur Lancicius *m*.

Alter fructus eſt, ut cum cœleſti epulo Laici quotidie reficiendi non ſint, & ipſi ſacerdotes non niſi unica hac divina refectione in die perfrui poſſint, omnibus

i Pet. Cluniacenſis. cit k Bern. Epiſt. 147. ad Pet. Cluniac. l Pet. Cluniac. cit.

m Lancicius opuſc. 13. c. 6.

nibus conceſſum ſit, indies, & ſæpius per diem, fructum Paſſionis ejus, ac ſpiritualiter communicandi, participare; quam praxim tradit Doctor Mellifluus: n *beneficia*, inquit, *Paſſionis*, *& redemptionis ipſius recolere*, *ad fruendum ſuaviter in conſcientia*, *& recondendum in memoria*, *eſt ſpiritualiter manducare Corpus Chriſti*, *& bibere ejus ſanguinem in memoriam ejus*; *qui omnibus in ſe credentibus præcepit*, *dicens*: *hoc facite in meam commemorationem*. Tum ſubdit: *quam impium ſit*, *hominem tantæ Dei pietatis immemorem eſſe*, *cum amici*, *hominis abeuntis*, *ſub quolibet ſigno commendatam memoriam*, *nefas ſit obliviſci*. *Si autem vis*, *& verè vis omnibus horis*, *tam diei*, *quam noctis*, *hoc tibi in cella tua præſto eſt*. *Quoties in commemorationem ejus*, *qui pro te paſſus eſt*, *hoc facto ejus*, *piè ac fideliter fueris affectus*, *corpus manducas & ſanguinem bibis*. Quæ potenter inculcanda, & ad Sacramentalem communionem, praxis utiliſſima.

Supereſt nunc, ut quem in exordio hujus paragraphi propoſuimus, ex hoc Euchariſtico epulo fructum carpamus, quo contra omnes hoſtiles inſultus arma, & robur conquiramus. Divinum illud S. Spiritus oraculum eſt: o *cibabit illum pane vitæ*, *& intellectus*: *ET FIRMABITVR IN ILLO*, *& non flectetur*; ſacra quippe communione, juſtus adeò firmatur, & roboratur, ut fortiſſimorum inimicorum vires elidat, aut eludat. Quærit Doctor Angelicus, p cur ſub ſpeciebus panis ſe nobis Chriſtus communicarit, & rationem adfert ex præcipua qualitate panis, quod maximè confortet, juxta illud Regii vatis: *panis cor hominis confirmat*. Si placet, medicorum placita, & inter eos Principem Galenum audiamus, qui ex omnibus eduliis, panem maximè nutrire, & confortare profitetur. Senſit hoc & ævi noſtri, ſpiritualis archiatrus, Leonardus Leſſius, in opuſculo de victu temperando, ubi hæc, paucis: „inter omnia ciborum „genera, ſenibus, & debilibus „nil convenientius; ut panatel- „la, quam Itali pulticulam vo- „cant ex aqua & pane. Unde ſapienter ait ſapiens: q *Initium vitæ hominis*; *aqua & panis*. Hactenus celeberrimus Leſſius. Quibus verbis diſertè ſignificat, vitam pane fulciri, ac ſuſtentari; nec injuria ſanè, cum & hebraicè panis, *Nizan*, id eſt baculum, ſeu fulcrum ſignificet; quod vita pane ſuſtentetur, ut infans fulcro, & ſenex baculo. Quod & ex illo Levitici 26. confirmatur: *Poſtquam confregero baculum panis*; & Ezechielis 4. *Ecce ego conteram baculum panis in Jeruſalem*, ubi Chaldæus vertit: conteram fulcimentum panis. At panis cœleſtis, de quo hic agimus; aliud *firmamentum*, aliud robur, alias vires ſuppetit; hic panis ille, de quo Iſaias cap. 3. prædixit: *Omne robur panis*; & ubi in latino habetur: *Panem Angelorum manducabit* homo, Hieronymus *vertit panem fortium*; quo omnes Chriſti Athletæ ſeſe munierunt, ut olim milites Romani pane palæſtrico, & *fortes facti ſunt in bello*, contra viſibiles, & inviſibiles hoſtes,

n Bern. de vita ſolitar. o Eccl. 15. v. 3. p S. Thom.

q Eccl. 29.

contra

contra omnes tyrannorum minas, & carnificinas, *cogitatione* ſanguinis, & mortis Domini *armati*; exemplo inviƈtiſſimi ſui ducis, Chriſti redemptoris; qui ante cruentum illud prælium Paſſionis, & prælum ſanguinis, hoc ſe pane munivit; tum ne & ſui ab hoc immunes eſſent, commonuit, ut quod ipſum facere viderent, & illi facerent.

Ita in prima Eccleſiæ exorientis perſecutione, r *erant perſeverantes in doƈtrina Apoſtolorum, & FRACTIONE PANIS.* Quoniam vero in cryptis, & locis abditis miſſæ ſacrificia peragebantur, qui ad ea clam conveniebant, non tantum id temporis de Euchariſtia participabant; ſed etiam Euchariſtici panis particulas à ſacerdote acceptas, domum deferebant; quas reverenter acceptas, contra inſtantes carnificum lanienas, ſumerent. Ita refert Baronius ſ. Sic ſe armaſſe ſui temporis Martyres, docet Cyprianus: t *quos*, ait, *excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus; ſed proteƈtione Corporis, & Sanguinis Chriſti muniamus*; ubi vides tanti facere hanc Euchariſticam proteƈtionem, ut ſine illa nudos, & inermes arbitretur; inviƈtos autem exiſtere, *cogitatione* ſanguinis, & mortis Domini *armatos*: qua & ſuum fundere minimè reformidabant, ut Epiſtola 56. tradit, quotidianâ eos ſynaxi ſe munire, v *conſiderantes ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* Hac conſideratione, in omni quæ nobis imminet adverſitate, utendum eſt, & cuique ingeminandum: ſanguis Chriſti, *Paſſio Chriſti conforta me.* Hortatur ad hoc Apoſtolorum Princeps, dicens: x *Et vos eâdem cogitatione armamini*, ut ſanguinem Domini bibentes, ſi non poſſimus *propter Chriſtum ſanguinem fundere*; ſaltem tantum inde roboris hauriamus, ut quoſcumque cruciatus, & morbos liberorum, ac fortunarum jaƈturam; denique ſi non verbera, ſaltem verba prompto, alacrique animo perferamus. Tum adverſus Tartareos Leones, & dracones, hoc pane athletico roborati, generosè decertemus.

Ecquis non miretur Danielem, inter Leones rugientes, & fame rabidos, illæſum permanſiſſe, & obturaſſe ora Leonum? y *Danielem*, inquit Chryſoſtomus, *Leones, ſicut oves circumdabant: Et retuſâ ferocitate, nihil illi incommodabant.* Unde, quæſo, tanta Danieli fortitudo, & leonibus imbecillitas, ac formido? Ab ipſo z *prandio quod miſit illi Deus*; hoc etenim, ut inquit eruditiſſimus Interpres, a Euchariſtici convivii ſymbolum non obſcurum, ſatis virium habebat, & ad Danielem confirmandum, & ad Leones coërcendos. Quod ſi panis ille typicus ſic valuit, quid Euchariſticus non poterit? quas non vires ſuppeditabit, quam potenter malignos ſpiritus frænabit? Daniel illâ ſuâ in menſâ, quæ hujus figuram adumbrabat,

r Act.2.v.42. ſ Baron. Anno Chriſt. 57. t Cyprian. v Cyprian. Epiſt.56. ad Tibaritanos.

x 1. Petri.4. y Chryſ. hom. 57. in gen. z Daniel. 15. v. 37. a Mendoſa tom. 2. in l. 1. reg c 5. n. 5. annot. 17. circa litt. ſect. 1

adeò

adeò fortis erat, & ſtrenuus, inquit Ambroſius lib 2. offic. cap. 4. b *ut inter Leones fame exaſperatos, nulla beſtialis ſævitiæ formidine frangeretur.* Unde non eſt quod quis hoc cœleſti pane munitus, rugitus ſtygii Leonis, qui circuit ut devoret per tentationes, infeſtationes, ſuggeſtiones, imaginationes, *formidine frangatur*; Leo ille de tribu Juda, cujus illa menſa, corpus & ſanguinem repræſentat, hujus Leonis vires, jam prius confregit, domuit, & ſubegit; quo fit, ut & nos hoc cœleſti pabulo roborati, ipſos dæmones terreamus, ut aureè Antiochenus Antiſtes: c *tanquam Leones ignem ſpirantes, ab hac menſa recedamus, facti Diabolo terribiles*; quod idem Doctor homiliâ ad Neophytos luculentius expreſſit: d *Cum*, inquit, *te egredientem poſt Dominicum convivium viderit inimicus, poſt cœleſtes epulas, tanquam ignem Leonis ore flammantem fugit, & deſerit, omni vento velocior, nec approximare contendit: Et cum cruentam linguam tuam de longè ille crudelis proſpexerit; mihi crede, non ſtabit.*

Dum lingua tua ſacratiſſimo Chriſti ſanguine rubeſcit, ardenti pectore inclama: e *Paſſio Chriſti conforta me*, & omnibus dæmonibus terribilis efficieris. Illuſtrat exemplo Angeli percutientis primogenitos Ægypti, qui ubi videbat litum ſanguinem Angeli Paſchalis, formidabat, & à cæde abſtinebat; unde egregie argumentatur Chryſoſtomus: *ſi Angelus* f, inquit, *ceſſit exemplo*, (& typo) *quantò magis terrebitur inimicus, ſi ipſam perſpexerit veritatem?*

Hac oratione hactenus pathetica, & parænetica, de commemoratione Paſſionis Domini, quoties in ara, hoſtia immolatur, frequentanda, jam ſatis prolixè habita, venio ad perorationem, in qua intimo cordis affectu cum gemitu, & lacrymis inenarrabilibus, ad quidvis per vulnera Chriſti impetrandum, & inſidias inimici ſuperandum, omnibus vobis tandem exclamandum:

O bone JESU *exaudi me*:
Intra VVL*nera t*V*a abſ*C*on*D*e* M*e.*

Quodquando opportunius, quam dum ſacratiſſimum Corpus intra ſinum cordis tui recondis, & linguam tuam intra ejus vulnera figis? Nam ut inquit Divus Cyprianus, ſermone de cœna Domini: g *quam præclarus eſt calix iſte? quam religioſa eſt hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, cruci hæremus, ſanguinem ſugimus*, ET INTRA IPSA REDEMPTORIS NOSTRI VULNERA FIGIMUS LINGUAM? *h* Quid non hæc lingua *interius, exteriuſque rubricata*, perorabit, & impetrabit? quando intra pectus tuum reſonabunt, & in cœlum clamabunt *tot ora, quot vulnera. i* Simile quid prudenter olim in S. Romano Martyre D. Prudentius notavit, dum cecinit:

Martyr fluentem fatur inter ſanguinem:

b Amb. lib. 2. offic. c. 4. c Chryſoſt. hom. 61 ad popul. d Idem tom. 5. hom. ad neophytos. e Chryſ. cit f Exodi. 12. v. 13.

g Cyprian. ſerm. de cœna Dom. h Ibid. i Chryſolog. ſerm. 121.

Grates

Grates tibi, ô Præfecte, magnas debeo,
Quod multa pandens ora, jam Chriſtum loquor.

TOT ECCE PATENT ORA, QUOT SUNT VULNERA.

Fuerit olim Romæ Orator diſertiſſimus Marcus Antonius, *k* qui cauſam Aquileii, de capite periclitantis apud Senatum perorans, arrepto illius ſago, multis telis confoſſo, & recenti adhuc ſanguine ſtillante, ac conteſtante vulnera, quæ pro Patria acceperat, magis ad clementiam hoc ſpectaculo, quam ſuo eloquio commovit. Infinitò potentius, quæ in ſanctiſſimo Corpore adhuc quinque hiantia & ſpirantia, ac innumera in ſalutem noſtram recolis accepta vulnera, pro omni quicum conflictaris ærumna, aut pro quavis in corpore aut animo, qua ab adverſario affligeris moleſtia, apud Patrem ille demonſtrabit, & perorabit, l *qui tot ora habet, quot vulnera, quibus cauſæ noſtræ patrocinetur.*

Norant hoc dilectæ Chriſti Sponſæ, quæ, ut columbæ in hiſce foraminibus petræ nidificabant, ad ea in omni diſcrimine, tutæ ab accipitre convolabant, ſumma religione venerabantur, ardenti amore exoſculabantur. Hac pietate excelluit Beata Margareta Hungarica, *m* quæ nunquam ad prandium, ſeu conſuetam corporis refectionem ſeconferre ſolebat, niſi prius quinis Chriſti plagis oſculum fixiſſet

Hanc ſi non ſuperarit, piè adæquavit Maria de Incarnatione, ex Ordine Carmelitano, *n* quæ ſuum ipſa cubiculum, numquam ingrediebatur, quin extemplo Domini ſui Sacratiſſima vulnera exoſcularetur. Quæ ſi in cella privata, ligneo aut ſaxeo ſimulacro oſcula exhibita, divinis favoribus non caruere; quanto teneriori affectu, vivaciori fide, & ardentiori charitate, ſacris illis ſtigmatis, vero ac vivo redemptoris noſtri Corpori, quoties ſacram menſam acceſſuri ſumus, & cubile cordis noſtri intraturo, figenda, atque ex iis omnis ſuavitatis & benedictionis fluenta haurienda ſunt? Quare omnes ſenſus corporis, omnes facultates animi, omnia deſideria, & cogitata, quæ à cœleſti Sponſo, capilli nuncupantur, hac purpura pretioſi ſanguinis Chriſti, è vulneribus manante, tingenda ſunt; quod ſpectaſſe, & inculcaſſe videtur Hailgrinus Card. qui exponens illud Cant. 7. v. 5. *Comæ capitis tui, ſicut purpura Regis*, ad Deiparam Virginem myſticè refert, quæ omnes cogitationes ſuas jugi meditatione, velut recenti ſanguine è vulneribus ſtillante tingeret: o *Comæ capitis tui* (ô Maria) *id eſt cogitationes tuæ, tinctæ in ſanguine Dominicæ Paſſionis, ſic affectæ fuere, quaſi recentem viderent ſanguinem de vulneribus profluentem*; quod S. Gregorius hic unicuique fideli animæ, Chriſti Sponſæ accommodat. *p* In hæc vulnera, ô anima mea, per te quidem, ſed & pro te inflicta, abſconde te, ut ſint tibi loca refugii, ad

k Cic. Orat. in Verrem. l Auguſt. in Ioan. Epiſt. 1. c. 2. advocatum habemus. m In vita.

n Duvallius in vita. o Hailgrinus in cant. c. 7. v. 5. p Greg. in Cant. cap. 7. v. 5.

quæ

quæ in quacumque perſecutione, te recipias: Hæc promptuaria, unde cœleſtium gratiarū theſauros depromas: Hæ morbis tuis curandis apothecæ, & ſalubria ſordibus abluendis balnea ſunt: Hæc debitis tuis ſolvendis æraria, devotioni nutriendæ ſanctuaria, & templa. Illic commorari, & commemorare juvat, cur etiamnum hæc in glorioſo corpore ſub ſpeciebus Euchariſticis vulnera ſervarit, niſi ut tibi, cæteriſque peccatoribus, ac miſeris, aſylo atque ſolatio forent.

Unde priſcus ille, & præſtans SS. Patrum Doctor, Theodorus-Studita: q *Etſi Paſcha præteriit, nequaquam memoria ejus unà prætereat; ſed* SALUTIFERA VULNERA, *crucem, ſepulturam perpetuo ſub oculos revocemus: ut aſſidua harum uſurpatione rerum, vitiis invicti ſimus*; omnibus adverſitatibus, omnibus inſidiis, & inſultibus dæmonis *invicti ſimus*. Haud diu pulſandum, ultro jam tibi quinque illæ portæ miſericordiæ, ultro civitates refugii patent. Amanter te invitat: r *veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*. In quæ verba Pontifex maximus: ſ *Per foramina Petræ*, VULNERA *manuum & pedum Chriſti in cruce pendentis intelliguntur; per cavernam vero maceriæ, vulnus lateris*. Ubi primum ſanctiſſimum limen humillimo oſculo adoraveris, ingredere cum fiduciâ. Quid ſi manuum, ac pedum anguſtiores receſſus minoribus peccatoribus relinquas; ipſe verò cum grandiori criminum, miſeriarumque ſarcinâ, in capaciorem te inſinues *ſacri Lateris* ſinum? Facio benigniſſime JESU, dilata miſericordiæ tuæ viſcera, ut magnum peccatorem recipiant. t *Abſconde me in tabernaculo hoc à conturbatione hominum*, à ſtrepitu inutilium curarum, & ſæcularium deſideriorum tumultu. Hic mihi requies, hic v *dulces latebroſo in pumice nidi*, hic tutus ab accipitre: x *in his enim latebris*, inquit Bernardus, *ſe columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem; in his paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum.* Non longè animula mea, columba mea, tibi cum periculo volandum eſt, intra te eſt ſacra illa maceries, patent foramina, hiant etiamnum in glorioſo corpore vulnera, ingredere: y *ubi enim tuta, firmaque infirmis ſecuritas, & requies, niſi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic ſecurior habito, quanto ille potentior eſt ad ſalvandum*; nemo hic mihi moleſtus ſit: non nôrit me mundus, neque ego quæ in mundo ſunt; ſed te ſolum tuaſque plagas, & per hæc ampla miſericordiæ atria expatiari, ſpeculari, horum longitudinem, latitudinem, profunditatem jugi meditatione coram juvat metiri: dum tu in me, & ego in te, ut ſic z *vita mea abſcondita* tecum in Deo, tecum aliquando in gloria manifeſtetur.

q S. Theodorus Studita. ſerm. 1. in Paſcha. r Cant. 2, 14. ſ S. Greg. hic.

t Pſal. 21. v Virg lib. 5 Æneid. x Bern. ſerm. 61. in cant. y Ibid. z Ad Coloſſ. 3 v. 3.

§. VI. N

§. VI.

Nec permittas me ſeparari à te.

NIhil juſtis, & electis Dei ſervis gratius, nihil jucundius, nihil amabilius, quam Deum habere præſentem; *a* nec quidquam acerbius, & amarius ferunt, nihil horribilius reformidant, quam ab eo ſeparari. Inter maximè mirabilia, quæ in ſacris paginis referuntur, extollit Abbas Rupertus luctam illam Iacob cum Deo, ut ſingulari memoria dignam: b *famoſa lucta* inquit, *& totius ore Eccleſiæ per orbem celebrata, qua homo cum Deo luctatur*; omnibus nempe corporis ac animi viribus renitebatur, ne diſcederet ab eo: Arbitrabatur enim & rectè quidem Iacob, ſe cum Deo omnia poſſidere, amicum, Patronum, defenſorem, ſolatium, ſubſidium, præſidium. Hinc Pſaltes Regius hoc unum ſolicitè precabatur: *c* Domine, *ne diſceſſeris à me*, & iterum: d *Domine ne diſcedas à me*! ac tertiò inſtat, & ingeminat: e *ne derelinquas me, Deus meus ne diſceſſeris à me.* Hoc unum, & præ omnibus unum reformidabat, Domine, ſeparari à te. Durum & amarum illi erat, ſeparari â Ionatha ſuo multum amabili: f *quia anima Ionathæ conglutinata erat animæ David*, quæ avelli è corpore videbatur, dum ab eo ſeparari cogebatur. Durum & amarum eſt, dum homini opulento, auro, & divitiis immerſo, derepentè omnibus in quibus confidebat, ſeu naufragio, ſeu infortunio, ſeu ipſa denique morte, fortunis ſpoliari, cum ab his ſeparari, vel ipſa cogitatio morte acerbior ſit, Eccleſiaſtico teſtante: g *O mors, quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantia ſua!* Durum & amarum eſt conjugi, arctiſſimo conjugii vinculo colligato; quod nec paupertas, nec nuditas, nec perſecutio, nec morbi ulli valent diſrumpere, violenta morte à charâ conjuge, & liberis ſeparari; unde illæ voces: h *ſiccine ſeparat amara mors?* Sed præ his omnibus *malum & amarum eſt*, Domine Ieſu, ſeparari à te. Quare aufer à me valetudinem, pulchritudinem, divitias, honores, formam, famam, vitam; *ſed non permittas me ſeparari à te.* Separa me ab amicis, à liberis, ab uxore, à bonis omnibus terrenis; *ſed non permittas me ſeparari à te.* Tenta me, infeſtationibus dæmonum, perſecutionibus propinquorum, invidorum opprobriis, immitte omne morborum genus, ure? & ſeca, ſed *ne diſcedas à me, nec permittas me ſeparari à te.* Quia ſuper omnia *malum & amarum eſt*, ſeparari à te, & amabili facie tua privari in æternum, quod Hipponenſis Antiſtes graviter expendit, & gnaviter exponit dicens: i *jam aliquid interrogo, quod voſmetipſos interrogetis. Si Deus veniens voce propria loqueretur nobis, & diceret homi-*

a Quam malum, & amarum à Deo ſeparari. b Rupert. lib. 8. in gen. cap. 6. c Pſal. 21. v. 12. d Pſal. 34. 22. e Pſal. 37. 22. f 1. Reg. 18. v. 1.

g Eccl. 14. h 1. Reg. 15. Ierem. 2. i Auguſtin. in Pſal. 127.

peccare vis;pecca: fac quidquid te delectat (inebriare,furare, fornicare) *quidquid amaveris in terra, tuum fiat: cui fueris iratus,intereat, &c. Nemo tibi reſiſtat, nemo tibi dicat,quid facis? Abundent tibi omnia iſta terrena,quæ concupîſti* (dignitates, divitiæ, deliciæ affluant) *& vive in illis, non uſque ad tempus, ſed ſemper; FACIEM TANTUM MEAM NUMQUAM VIDEBIS*, Ubi hæc effatus eſt, omnium gemitus, & comploratio exaudita eſt: *Fratres mei*, inquit, *unde ingemuiſtis? Quare percuſſum eſt cor veſtrum,ſi diceret Deus, FACIEM MEAM NUNQUAM VIDEBIS? Ecce omni iſta terrena felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia, non illa amittis, non illa deſeris; quid vis amplius?* Te volo, ſine quo, omnia mihi amara ſunt; à quo ſeparari,mihi infernus eſt: *immò tollantur omnia, ET FACIEM TUAM VIDEAM*, & fruar te.

Hoc omnibus, ſed potiſſimum ſacris Virginibus, amantiſſimis Chriſti Sponſis, Doctor Mellifluus inculcatum volebat, quas ſic alloquitur: k *O filiæ Ieruſalem, Sponſæ dilectæ Dei! una mecum lacrymas fundite,donec Sponſus in ſua ſpecioſitate benignus appareat, vel occurrat. Recolite, recolite,& ſedulâ mente penſate*, QUAM SIT AMARUM AB IPSO SEPARARI, *cui vos in omni ſanctitate voviſtis.* Sed compello te, quæcunque es, quæ gehennâ ipsâ acerbius ducis, & dicis ſeparari à dilecto tuo, aut ut eum manent m in te, & non diſcedentem à te, perpetuo teneas, an parata ſis nullum illi offendiculum ponere,quidvis ardui pati, ne ſeparetur à te? Quod ne fiat, tantis blanditiis complectere, ut nec ipſe velit ſeparari à te.

Talis exſtitit S.Gertrudis, quæ nihil adeo reformidabat, quàm à dilecto Sponſo ſeparari; unde cum quadam vice illi diceret: *Domine, offero tibi, ac parata ſum, pati quidvis, quo tu lauderis*, Audiit ab eo Gertrudis: l *meus amor adeo intrinſecè tibi conjungitur, ut nolim ſine te vivere: quia ex quo in te meum amorem collocavi, ſuſtinere nequeo* UT SEPARARER A TE.

Quanti vos filii tenebrarum, aut ut mitius loquar, hujus ſæculi,in extrema lucta præſentiam divini numinis, non ut per immenſitatem toto mundo Deus diffuſus, ipſis inferis præſens eſt, ſed ſub ſpeciebus Euchariſticis corporaliter gratiâ præviâ animæ infusâ, & Sacramento pœnitentiæ expiatæ vobis mercari optaretis? Hic, exquiſitis quibus fruitus eſt deliciis: ille, maximis quibus abundavit divitiis, alter graviſſimis quos exantlavit laboribus: nemo non omnibus anachoretarum lacrymis ac jejuniis, ipſorumque quæ perpeſſi ſunt Martyres tormentis; quod mortalium infeliciſſimi, qui in æternum à ſummo bono ſeparati ſunt, mille votis, ſed incaſſum, exoptarent: nam ut è ſacra ſua Carthuſia clamat Divus Bruno: m *Addantur tormenta tormentis, & pœnæ pœnis: ſæviant ſævius ſæviſſimi miniſtri: creſcant crudeliſſi-*

k Bern.de lamentatione B. Virg.

l Gertrud. lib. 3 c.5. m S. Bruno ſerm. de judicio.

ma

mà flagellorum genera , *&* DEO NON PRIVEMUR.

Omni amanti tormenti genus, & quoddam timoris, ac amoris Martyrium eſt, ne Sponſum perdat, aut ab amante ſeparetur. Ita B. Margareta de Cortona dicta eſt Martyr: ſic enim aliquando ad illam cœleſtis Sponſus: n *quid à me petis Martyr mea?* Cui cum illa repoſuiſſet: n *quid me Martyrem dicis?* ſtatim audiit: *Martyrium tuum eſt, ne me perdas.* Nimirum illo angebatur, diro cruciabatur Martyrio, & quaſi lenta morte conficiebatur pia Virgo, & præ hoc Martyrio rogos & rotas, lilia & roſas ducebat. Hauſit hoc fortè è Melliflui Doctoris Spiritu, qui æſtu amoris abreptus, & Paulino zelo incenſus, in has flammas erupit: o *bonum mihi Domine tribulari*, DUMMODO IPSE SIS MECUM, *quam regnare ſine te, ſine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te in camino* (cum tribus pueris) HABERE TE MECUM, *quam eſſe ſine te vel in cœlo.*

Ut is tibi pie adoleſcens, tibi tenera virguncula animus ſit, forte vires, & robur non eſt, ut parentum illecebris, propinquorum terriculamentis, procorum blanditiis & lenociniis reſiſtas, quo minus, dum de ſtatu vitæ deliberas, aut jam emiſſo voto te conſecraſti, Chriſto adhæreas; ne avellaris ab illo, nec ille vel ipsâ morte avellatur à te, imitare præclariſſimum hac in lucta exemplum, quod præbuit Beata Agnes, Regia Virguncula, Ludovici Imperatoris Bavari Filia, apud S. Jacobum Monachii Religioſa. p Hæc biennio ante mortem Patris, quadrimula in ſinum Chriſti delata eſt, apud Religioſas Virgines Divæ Claræ initiatas, ipſo natali B. Virginis, ut in ſacrario innocentiæ, inter ſanctimoniales adoleſceret. Ægrè hoc habuit Provinciæ Proceres, cupiebantque etiam abnuente Principe, Regiam Virginem ad diſciplinam politicam efformari. Agnes igitur cum id agi videret, ut per vim à ſacrario abſtraheretur, aris ſe admoveri juſſit, ubi complexa utroque brachio ſacrum Chriſti tabernaculum, *in quo ſanctiſſimum ipſius in Euchariſtia Corpus cuſtodiebatur: Chriſte Sancte*, inquit, *noli permittere* UT UNQUAM ABS TE AVELLAR. Audit piam ſupplicantis vocem Deus, & ne ſibi eripi poſſet, aut unquam ſeparari à ſe, illam è vita mortali, repentinâ morte eripuit. Si vos ita conſtituti, ſi in perſecutione conſimili ad hanc aram confugeritis, ſi ſæpius per ſacram communionem Sponſum veſtrum complexi fueritis, nemo vos avellet ab illo, nec vos ſinet ſeparari à ſe. O mi Jeſu, ita arctè ſtringam te brachiis meis, ut non *permittas me vel ipſa morte ſeparari à te.*

Ad hoc noctes, & dies jacto, & expando brachia mea, non ut ſpurcas voluptates, & evanidam nubem; ſed ut complectar te, *nec permittas me, ſeparari à te.*

Doctor Seraphicus aſſerit q *Galenum tradere, quod brachia hoc habent proprium, quod omnia illa, quæ*

n Bollandus Feb. tom 3. in ejus vita. cap. 9. o Bern. ſerm. 17. in Pſalm. qui habitat.

p Raderus in Bavaria ſancta. q S. Bonaventura ſerm. de SS. Apoſtolis in communi in ſerm. 8.

habent proprium, quod omnia illa, quæ amari à corde ſciunt, dulcibus amplexibus capiunt, & cordi, quantum poſſunt, adſtringunt; ita quod dilectum totum cordi imprimerent, ſi valerent, nec unquam ſeparari, niſi cruciatu, & Martyrio ſummo, etiam præ ipſa gehenna, permitterent.

Teſtis hic mihi, qui mortalium omnium feliciſſimus habitus Simeon. Hic vir ætate gravis, vitæ jam omnis, fortunæque ſatur, dum inter mortales nihil mortale in hac ſibi colonia reliquum videt, quod votis etiam mediocribus eſſet ambiendum, ad longinqua cœpit ſpes omnes, curaſque convertere, & ardentia deſideria extendere, ut Deum in terris mortalem oculis cernere, ulnis excipere, & brachiis ſtringere liceret. Eluxerat tandem tot votis expetita dies; itaque ingreſſus templum, extemplò ſpectat Virginem, puſillum infantem, antiquum, inquam, dierum, brachiis circumferentem. A qua cum ei commiſſum illud tam amabile pondus & pignus, arctè ſuis brachiis parvulum Numen, compreſſéque amplexus, ſeniles vultus, ſinuſque properantibus gaudio lacrymis, continuò perfudit, hæc tacitè ſecum effatus: video Jeſum, quem videre ſalus eſt videntis: amplector eum, in quo eſt omnium bonorum complexio. O infans! non eſt ultra quod deſiderem, dum illum ulnis ſtringo, qui eſt totus deſiderabilis: nemo illum tollet à me: fe o in brachiis, quem prius ſemper tuli in oculis. Teneo, qui omnes tenet amore in cœlis, ſtupore in terris. Dum te capio inter brachia, non me capio præ lætitia. Hæc una dies mihi eſt ſuper millia, dum teneo te electum è millibus: nunc mihi certò appropinquat redemptio, dum mihi tam propinquus eſt redemptor: nunc eructat cor meum verbum bonum dum cordi applico, qui non ſolum eſt bonus, ſed omne bonum. ô verbum æternum! ex cujus ore prodibunt tot verba vitæ æternæ, excipe ultima mea verba: r *nunc dimittis ſervum tuum Domine*: ſi quæras cauſam? *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*: quia illum teneo, in cujus amabiliſſimo complexu vita deficit, inque ejus ſuaviſſimo oſculo exſpiro, priuſquam illum quis tollat à me. Sed ſatis eſt: non enim mihi amplius verba ſuppetunt, hæret mens, ſtupet lingua, & dum de divini infantis amplexu loquimur, ad infantiam omnis redit facundia.

Credo vos optare vobis illam, quam modo audiendo percepiſtis, planè invidendam Simeonis conditionem; ipſius oculos, ulnas, & brachia. Ex quibus votis illud obſervo, nihil vobis penitus deeſſe ad illam Simeonis, quam optatis felicitatem, quam ut verè credatis, & clarè cognoſcatis, vos æque eſſe felices, & multò feliciores. Quid inquieti tam intemperanter optatis, & optando fatigatis vos, ut illa felicitate fruamini, qua frui quoties lubet, toties licet? Quid Simeoni invidetis? vidit divinum infantem, *vidit & gaviſus eſt*; ſed viderit ipſe alibi, fuitne tamen alius quem vidit Simeon in templo, quam eſt ille quem & vidiſtis

r Luc. 2.

ſtis,& videtis in hoc templo? ſed accepit eum Simeon in ulnas; quid inde? vos in fibras. Tenuit inter brachia; vos intra viſcera, & intimos cordis ſinus. Strinxit illum amplexu corporis, vos pectoris: ſemel ipſe, ſæpius vos. Illi datus pro exigua temporis mora ad ſolatium, ut illum aſpiceret; vobis datus eſt ad cibum ut paſceret, ad potum ut reficeret, ad præſens præſidium, ut defenderet, idque apud te & in te manendo dum viveres, & in æternum, cum illo regnares. Dum ille pectus tuum ſubit, illumque amoris brachiis ſtringis, audi tacitè illum ore ſuo, quod pridem ore Iſaiæ inſonantem: ſ *ego ipſe qui loquebar, ECCE ADSUM.* Ego ipſe, qui in principio ante omne principium fui in ſinu patris, *ecce adſum.* Ego ipſe, qui operatus ſum ſalutem in medio terræ, & tradidi memetipſum pro te, *ecce adſum*, ut ſim tibi dux peregrinanti, lux caliganti, panis eſurienti, fons ſitienti, robur deficienti, ſolatium mœrenti, vita morienti, ſalus pereunti: *ecce adſum.* Adſum ut te doceam, ut magiſter; ſanem, ut medicus; juvem, ut patronus; defendam, ut protector; foveam, ut pater: redimam, ut ſalvator. *Adſum*, dando tibi corpus in cibum, ſanguinem in potum, vitam in lytrum, animam in pretium, me totum in præmium. Cogita quæ potes omnia, *adſum*, ut ſim tibi omnia in omnibus. Obverſentur animo, omnia quæ à creatura aliqua, ab ipſo orco tibi imminere poſſunt mala, *ecce adſum.* O Domine Jesu, hæc mihi obtingat votorum ſumma, ut in ancipiti illo diſparis æternitatis bivio, illud audiam. *Ecce adſum*, in manibus miniſtri mei, qui ante mortualem tuum lectulum aſſiſtet, & ubi ſacro viatico refectus fueris, *ecce adſum*, intra te ſum, tecum ſum. O Domine Jeſu, *non permittas me* hac amabili tua, ſub Euchariſticis ſpeciebus præſentia fruſtrari, & *ſeparari à te*, t *qui eſt cruciatus*, teſte Bernardo, *omnium graviſſimus*; acerrimum enim, & mille gehennis horribilius fulmen illud: v *diſcedite à me*; quem è tot millibus Ethnicorum, Turcarum, Hæreticorum elegi: fidei radio illuſtravi, toties mea carne, & ſanguine pavi, tot beneficiis, & amoris illiciis ad me ſuaviſſimè traxi; & me ſpreto, mundum, carnem, & diabolum ſecutus es: *diſcede à me*, qui tibi benigniſſimus Redemptor exſtiti, meo ſanguine & vita redemi, qui nihil tibi unquam mali feci. O Salvator mi, ô Jeſu, quò diſcedam à te! Quomodo potero ſeparari à te, ô pulchritudo tam antiqua, tam nova, bonitas infinita, miſericordia inexhauſta? vis me inſtar maledicti Caini profugum ſuper terram: aut ut cum Nabuchodonoſore velut bos fœnum comedam, & inter bruta degam, qui vitam duxi belluinam? non, non; ſed *diſcede à me, in ignem* illum horrendum, ad flammas illas infernales. At quamdiu, juſtiſſime Judex illis cruciabor, & ſeparabor à te? in *ignem æternum*, ſine fine, quamdiu DEUS, erit DEUS. Hipponenſis præſul ad

ſ Iſaiæ. 52. v. 6.

t Bernhard. epiſt. 5. v Matth. cap. 25. ver. 41.

hæc attonita mente contremiſcens, exclamat: x *quid poteſt delectabilius exprimi, quam venite? & quid lamentabilius, & terribilius cogitari, quam ITE? duæ ſunt voces, quarum nihil jucundius una, & nihil horribilius altera poteſt inveniri.* ô Lamentabilis echo: *venite: ite.* Patrem in flammis, in tenebris exterioribus, à conſpectu Solis æterni, & à filio, qui gaudiis cœli fruitur, & faciem Dei intuetur, in æternum ſeparari, *nihil* illo *horribilius.* Filiam Agno nuptam, cum illo ad nuptias introire: matrem cum hœdis ab Agnis & ovibus, & conſpectu agni in æternum ſeparari, *nihil horribilius.* Maritum apud inferos pice, & ſulphure; uxorem torrente voluptatis potari, & magnum illos, & ſummum bonum, Chaos ſeparare, *nihil horribilius.* Unde rectè concludit S. Ephrem: *quis illam ſortem damnatorum non fleat, quando à facie Creatoris perpetuo excluſi, ab ipſo, & Angelis, & Electis omnibus SEPARABUNTUR?* quam ſortem damnandam, ac maximè deplorandam, ne quis veſtrum incurrat, unum illud agendum, & ſatagendum eſt, ut ſi tantus vobis animus non ſit, ut jactura bonorum, & vitæ, per mille cruciatus exponendæ, à Deo ſeparari, ex humana infirmitate reformidetis; ſaltem mandatis ejus, quæ verè gravia non ſunt, inſiſtatis, illudque unicè ſtudeatis, ne in hora mortis, à ſuaviſſima ipſius præſentia, vel formidine mortis, vel lacrymis uxoris, vel famuli incuria, aut nequitia ſeparari contingat; quod ne contingat, pia quorundam praxis eſt, ſæpius per vitam, imo indies ſub miſſæ ſacrificium illa ſacerdotis verba ante ſumptionem ſanctiſſimi Sacramenti, uſurpare: *Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu ſancto, mundum vivificaſti, libera me per hoc ſacroſanctum corpus & ſanguinem ab omnibus iniquitatibus meis, & univerſis malis: & fac me tuis ſemper inhærere mandatis, ET à TE NUMQUAM SEPARARI PERMITTAS*; cui enim id ſummi, quod DEUS homini mortali conferre poteſt, beneficii ac ſingularis favoris obtigit, ſacro viatico contra omnes inſultus Diaboli & poteſtates tenebrarum muniri, certiſſimam æternæ ſalutis teſſeram habet, & beatæ prædeſtinationis prærogativam. Sic ſenſit & animi fortitudine, & innocentiâ vitæ, ac morum ſanctitate, famâ ſuper æthera notus, sereniſſimus Archidux Guilielmus Leopoldus, qui in teſtamento animæ ſuæ, jam pridem ab eo condito, quod indies revolvebat, hoc votum ſuum, & extremam voluntatem ſuam hiſce verbis declaravit: y *Tum, ſi quo caſu, hora illa ultima non petiero, vel petere non potuero Sacramenta ſanctiſſimæ confeſſionis, VIATICI, & unctionis extremæ, ex hoc in tempus illud proteſtor, deſiderare me illa corde toto, & inſtantiſſimè, humillimeque poſtulare, ardenter exoptando, in hujus meæ vitæ ad alteram tranſitu, HABERE COMITEM DOMINUM MEUM; confidens fore, ut* SI ILLVM MECVM HABVERO IN SANCTISSIMO VIATICO, *dicam illi ſecurus:*

x Auguſt. Soliloq. c. 3.

y Leopoldi. Guilielmi Archiducis virtut. à R. P. Avancino pag. 283.

rus : *ſi ambulavero in medio umbræ mortis*, *non timebo mala* , QVONIAM TV MECVM ES ; quæ paragrapho proximo fuſius deducemus.

§. VII.

Ab hoſte maligno defende me.

PAtriarcha Abraham Domino præcipiente in terram Geraris profectus, multum illic affligtabatur, omnes ſibi infeſtos patiebatur, cum ecce apparens illi Dominus, his verbis vires & animos illi addit, omnemque procul metum propulſat: z *Ego ſum Deus Abraham patris tui*: *noli timere*, QUIA EGO TECUM SUM. Animæquior eſto, confortare, & eſto robuſtus: fide namque divina tibi polliceor, adeò tibi vicinus ero, ſemper præſto, & præſens futurus, ut latus tuum ſim clauſurus; unde nil tibi timendum, *Ego tecum ſum*. Ego: ecquis tu Domine? Ego vita, quid mortem times? ego ſalus, quid formidas infirmitatem? ego fortitudo, & protectio tua, quid ad hoſtiles expaveſcis incurſus, & expalleſcis inſultus?

Ita ſe Deus ſocium præſtitit Iſaaco, laterique ejus comitem; quo præſidio munitus ita hoſtibus ſuis terribilis exſtitit, ut deſpondentes animum, alia conſilia inierint, dixerintque: fruſtra hunc virum impugnamus, quia Dominus cum ipſo eſt; factumque, ut poſitis armis, proni pedibus ejus advoluti, amicitiæ fœdera poſtularint; quam rerum viciſſitudinem Iſaac admiratus, percunctatur, quid hæc ſibi tam inexpectata vellent nuntia? unde hæc omnia? a *quid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis*, & *repuliſtis à vobis*? unanimes reſpondent: ne mireris, vir fortiſſime, animos & arma ponimus, quia *videmus tecum eſſe Dominum*; quare vanæ omnes machinationes noſtræ, cum nemo tibi poſſit nocere.

Iiſdem verbis, inquit Chryſoſtomus, Deus Jacob ſolatur, qui primæ lanuginis annis, domeſticis deliciis aſſuetus, ab omnibus avulſus, arduum iter ſolus ingreſſus, ubi nox occupavit, nec ullum circumſpiciens diverſorium reperiens, ſe in dura proſtravit, lapide uſus pro cervicali, ubi oppidò laſſus, altum indormiſcens Deum è ſummitate ſcalæ conſpexit, qui ſic eum ſolatus eſt: b *Ego ſum Deus Abraham & Deus Iſaac patris tui*, ET NUNC TECUM SUM CUSTODIENS TE IN HOC ITINERE, ita Chryſoſtomus, quod noſtra vulgata compendioſius. Ne fili mi reformides, ſi exſurgant omnes adverſarii contra te, quia *ego tecum ſum*; quin omnes qui te perſequuntur, proni corruent, & ad pedes tuos ſe proſternent. Ne te excrucies ſi deſertus à propinquis, ab uxore, à liberis, durum tibi præ morbi moleſtiis ſtratum videatur, jam in itinere æ ternitatis conſtituto, modò illud tibi ſolatii contingat, non ut Abraham, aut Iſaac, aut Jacob, in protectione cœli commorari, & eum ſuo omnipotenti brachio præſentem habere; ſed & eundem amore tui incarnatum, & *verbum caro fa-*

z Gen. 26. v. 27.

a Gen. 26. v. 27. b Gen. 28.

ctum

ctum, corporaliter intra tua viſcera in viaticum aſſumere; quo ſumpto, longè confidentius hæc verba tibi dicta noris: *nunc tecum ſum in hoc itinere*; lue correptus es, omnes dereliquerunt te, non eſt ex omnibus charis qui aſſiſtat, aut ſoletur, jaces in agro; *ſed Dominus tecum jacet*. Non ſanus laſſis membris in dura ſomnum capis; ſed podagræ, ac nephritidis cruciatibus exagitatus, noctes inſomnes ducis; *ſed Dominus tecum jacet*: non rudi ſaxo pro cervicali uteris, ſed dum calculo intra renes lancinante, inquietè te jactas, *Dominus tecum jacet*; imo intra te jacet. Dum ignotum iter ingrederis ſine comite, ſine duce, ne querere: nam ego, inquit, *nunc tecum ſum in hoc itinere*. c

Communi parœmia ventilatur, magno ſolatio paſſim eſſe, ſocium habere in pœna, in quavis miſeria. Exemplo ſit Thudippus, qui cum in carcere cicutam teri videret, qua ipſe cum Phocione interficiendus erat, queſtus eſt, & calamitatem ſuam deploravit, quod injuſtè cum Phocione occideretur; cui Phocion: d *& tu non præclare tecum agi putes, quod liceat cum Phocione mori*? ſed amabo, quam exile hoc ſolatium, ſocium habere in pœna, in ipſa morte, qui nec cruciatus lenire, nec periculo eripere, nec vitam dare poteſt? verum præclarè tecum agitur, ſi in pœnis tuis, in mortis articulo, Chriſtum pro te paſſum, & mortuum, ſocium habueris, qui omnibus miſeriis, periculis eripere, vitam corporis & animæ largiri poteſt.

c Hieron. Ep.1.ad Heliod. d Plutarch. de viris illuſtrib.

Nil timendum terra, marique, dum ille *tecum eſt in hoc itinere*. Navigabant olim Apoſtoli, & horrenda tempeſtate, intempeſta nocte jactati, naufragium omnes metuebant: e *Tenebræ*, inquit, Euangeliſta, *jam factæ erant, & non venerat ad eos Ieſus; mare autem vento magno flante, exſurgebat*. Quid eos præcipuè in hac acri tempeſtate perterruerit, optimè expoſuit D. Cyrillus Alexandrinus: f *conturbat tenebrarum multitudo, & conturbat nimia vis ventorum, & quod plus timoris inferebat*, CHRISTUS NON ADERAT; quaſi graviora pericula ex Chriſti abſentia, quam ex præſentia tempeſtatis provenirent; nec immeritò, nam ut rectè tradit Doctor Seraphicus: g *verè periculoſa Chriſti abſentia.* ABSENTE CHRISTO *navis agitatur*. Quid mirum? *Chriſtus eſt vita, & ideo* IPSO ABSENTE *anima moritur. Chriſtus eſt via, & ideo* IPSO ABSENTE *viator periclitatur*. Sed ubi Chriſtus venit h ambulans ſuper mare, & intravit in naviculam, *imperavit ventus & mari, & facta eſt tranquillitas magna*, non ſolum fluctuum & ventorum, ſed & animorum, ac periculorum: i *cedit enim*, inquit D. Cyrillus, *omnis perturbatio, cunctaque pericula deſinunt, CUM CHRISTUS ADSIT*, & ſocius ac comes ſit.

De Socrate in carcerem incluſo magnificè pronuntiavit olim Seneca: k *carcerem intravit Socrates, ignominiam ipſi loco detracturus: neque enim poterat carcer*

e Ioan.6.ver.17. f Cyrillus Alex. l.3.in Ioan.cap.22.
g Bonavent. dom. 4. poſt Epiphan. ſerm.2. h Matth.8. i Cyrill.cit. c.23.
k Seneca conſolat.ad Helvidiam.

videri

videri, in quo Socrates erat. Hæc ille, fortè ex adulatione quadam, vel artis oratoriæ licentia: Ego ex veritate dixero: mare intravit Chriſtus, ſævitiam illi ſuam detracturus, neque tempeſtas videri, nec periculum timeri poterat, qua & ipſe Dominus maris vehebatur. Mare hoc S. Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſologus, mundum appellant, in quo tot jactantur navigia, quot animæ, quæ ſi unquam in vita, numquam gravioribus tempeſtatibus, fluctibus, ac periculis jactantur, quam dum poſt longam navigationem, juſti & ſancti in portu naufragium; aut injuſti & improbi inter ſcyllas & charybdes, æternum animæ exitium omni præſidio & auxilio deſtituti incurrunt; tunc enim *motus magnus* factus eſt in mari, ubi non de materiali, aut phyſico maris motu, quis exſpectet ut dictionem inſtituam, ſed *ut convenienter* cum Divo Thoma, l *ſub quadam metaphora*, motum maris ad motum mentis, in illa ſuprema corporis & animæ commotione traducam: *motus quippe magnus factus eſt*, inquit, *quia commotæ ſunt mentes*, commotus intellectus, judicium, voluntas, commoti omnes ſenſus, totus homo interior & exterior, navis jactatur magnis fluctibus; ſed ſi in eam Chriſtum receperint, m *omnis perturbatio, cunctaque pericula deſinunt, CUM CHRISTUS ADSIT*; ſatis ſolatii, & ſecuritatis eſt, ubi inter tempeſtates, & fluctus, illum comitem habes.

Cum irato mari ferebatur Cæſar, & ſibi ab imminenti periculo timerent vectores, jam jamque ſe hauriendos fluctibus pallidi exclamarent; ſic Navarchum animo intrepidus affatus eſt: n *ne time, Cæſarem vehis, & fortunam ejus.* Hæc ille vana quidem oſtentatione: nec enim aut ventos compeſcere potuit, aut commota æquora pacare. At de Chriſto ex veritate dici potuit: ne time Petre, ne formida Iacobe, ne dubita Ioannes, & Chriſtum vehis, unaque Chriſti non dico fortunam; ſed potentiam admirabilem, ſed providentiam amabilem.

Quæ omnia potentiori virtute operatur, ubi fluctuantem in ſalo naviculam animæ tuæ ingreſſus fuerit, ut cuique in hac tempeſtate jactato Tulliana ſua facundia evagari libuerit: cui fortè illud uſui erit, quod S. Ambroſius de fratre ſuo, lib. de obitu Satyri commemorat, qui etiamnum Catechumenus, mari jactatus, cum periculum naufragii præſens immineret, conſcius (ut tum etiam moris erat) ſacram Euchariſtiam à Chriſtianis devehi, eam ſibi, cum ſumere non liceret, exhiberi petiit, & hac, orario, ſeu ſtolæ, aut veſtimenti Catechumeni oræ alligata & collo affixa, primus & incolumis evaſit. o Ipſum Ambroſiâ ſuâ facundiâ Doctorem in laudem fratris ſuaviſſimè excurrentem attendite: *Prinſquam perfectioribus eſſet initiatus myſteriis, in naufragio conſtitutus, cùm ea, qua vehebatur, navis ſcopuloſo illiſa vado, & urgentibus hinc atque inde fluctibus ſolveretur, non mortem metuens; ſed ne vacuus myſterii exiret è vita,*

l S. Thom. in Marc. c. 4. m S. Cyrillus cit.

n Plutarch. o Petrus Nannius in annotat. Amb. Amb. lib. de obitu Satyri fratris.

vita, quos initiatos eſſe *cognoverat, ab his DIVINVM ILLVD FIDELIVM SACRAMENTVM POPOSCIT; non ut curioſos oculos inferret arcanis, ſed ut fidei ſuæ conſequeretur auxilium, etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare, non requirens de navis compage reſoluta tabulam, cui ſupernatans juvaretur; quoniam fidei ſolius arma quæſierat.* Hæc priuſquam tibi, aut aliis in extremis fluctuantibus applicanda ſint, quem eventum Satyrus hoc præſidio ſortitus ſit, D. Ambroſium proſequentem audiamus: *itaque his ſe tectum,* ATQUE MUNITUM SATIS CREDENS, *alia auxilia non deſideravit. Nec deſeruit ſpes. Primus enim ſervatus ex undis; & in portum terrenæ ſtationis evectus, ubi cæteros ſervulos ſuos liberavit, vel liberatos comperit.* Quid vobis deeſſe poterit, quid tabulam fallacem, & teſtamenti tabulas, naufragio corporis & animæ imminenti, circumſpicitis? Quid fragili cymbæ humani corporis jam conquaſſatæ vos fiditis? quid divitiis & fortunis, fluxis hujus mundi bonis adhuc innatatis? Hoc ſatagite, ne quis veſtrûm *de navis compage* (aut temporalium bonorum) *reſoluta, tabulam requirat*; *ſed* DIVINUM ILLUD FIDELIUM SACRAMENTUM, non veſtis oræ, aut collo alliget, verum intra viſcera ſua, cordis ſinu recondat, quo inter omnes fluctus, & tempeſtates irruentes, *ſervatus ex undis, & in portum cœleſtis ſtationis evectus*, charos ſuos, & præ omnibus Chriſtum tunc in littore ſtantem complectatur.

Nunc è mari in terram exſcendamus, & reperiemus veriſſimum illud Poetæ:

p *Plus habet infeſta, terra timoris, aqua.*

Si quis per invia & avia, per luſtra & teſqua, feris ac latronibus infeſta vagetur, ſolatio ſummo eſt, comitem habere, aut obvium viæ gnarum, qui ſe lateri ſocium adjungat, ac fidum Achatem præbeat, qui animos erigat, laſſos & fatiſcentes reficiat, vires addat, ac in patriam deducat. Iter noſtrum latrunculi obſident, q *Leo eſt in via.*

Soli gradimur; ſi Chriſtum cum Angelis occurrentem habuerimus, qui nos defendat, & ſuo viatico reficiat, non deficiemus in viâ. Vitam hanc peregrinationem mille incommodis, moleſtiis, & periculis plenam, ad cœleſtem illam patriam omnibus mortalibus ineundam, & ſacrarum litterarum, & ſanctorum Patrum teſtimoniis compertum eſt; in qua ne deficiamus, viatico opus eſt, potiſſimum in confinio exilii ac patriæ, iter æternitatis ingreſſuris, quod non aliud quam Euchariſticum, ut rectè ſentit Doctor Angelicus: r Euchariſtia inquit *VIATICVM appellatur, quia in via reficiens, ad Patriam uſque perducit.*

Hujus rei typum habemus in Elia, qui inediâ confectus, & longo itinere defatigatus, non valens pedibus conſiſtere, virtute myſtici panis roboratus, pervenit in montem Dei Horeb. 3. Reg. 19. *Elias perrexit in deſertum*, cumque proſtratis viribus jaceret,

p Ovid. q Prov. 22. v. 13. r S. Thom. opuſc. 58. c. 23.

ret, *ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: ſurge, & comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cum ſurrexiſſet, comedit, bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei Horeb.* Lyranus hic: ſ *comede*, inquit, SACRAM EUCHARISTIAM CORPORIS DOMINI, *quaſi diceret: ipſe eſt tibi VIATICVM ducens ad patriam.* Non valet homo, non ſolum per quatuor dies & noctes, per plures menſes variis morbis & cruciatibus exhauſtus, jam morti proximus, viribus, ſenſibus, & facultatibus omnibus deficientibus, vel pedem movere, quomodo longum illud iter ingredi poterit? ecce ſacerdos, Angelus Domini, adeſt, & animat: *Comede* divinum panem corporis Domini, & bibe ejus ſanguinem: *ipſe* EST TIBI VIATICUM DUCENS AD PATRIAM. Quare Tridentinum de Euchariſtia loquens, *cujus vigore*, inquit, *confirmati, ex hoc miſeræ peregrinationis itinere, ad cœleſtem Patriam pervenire fideles valeant.*

Nicolaus Tolentinas morti vicinus, divinam ſynaxim ardenter expoſcebat: *ut tanto*, inquiebat, MUNITUS VIATICO, *non deficeret in via ad cœleſtem Patriam profecturus; & ſi ob demerita ſua improbus Belial, hoſtis ejus, illi occurreret, poſſet fidenter dicere*: DOMINUS MIHI ADJUTOR, ET EGO DESPICIAM INIMICOS MEOS. Si vir ſanctitate vitæ, & divinis prodigiis clarus, his ſe præſidiis contra infernalem hoſtem armavit, quantò nos ſolicitiores eſſe oportet, ne in hac via æternitatis inermes reperiat? ne Dominus nobiſcum non ſit? ubi uſurpare mihi liceat ſanam & ſalubrem aſcetici Doctoris ſententiam: t *eſſe ſine Jeſu, gravis eſt infernus: &* ESSE CUM JESU, *dulcis eſt Paradiſus.* SI FUERIT TECUM JESUS (non dico tantum per immenſitatem, aut etiam gratiam; ſed per ſuam corporaliter præſentiam) *nullus poterit nocere inimicus.* In extremâ lucta nullæ poteſtates tenebrarum, nec catervæ Dæmonum timendæ, dum Chriſtum præſentem habeas apud te, & intra te.

Dixit, & confidenter quidem, Jeſſæus vates: v *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala,* QUONIAM TU MECVM ES. Vbi, ut Hebræi vertunt, umbra mortis, ſignificat loca tenebroſa, feris, præcipitiis, latronibus, atque omnibus periculis expoſita; ſed per hæc omnia David, Deo comite intrepidè pergebat: Divus Bernardus, umbras, & larvas intelligit; monet nihilominus, ut juſtus hoc tam fido Achate, fidens animi aggrediatur: nam poſt alia innumera diſcrimina: x *ipſam, ſi neceſſe eſt intrare gehennam, ſecurus medias penetrans flammas, læta decantet conſcientia: & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala,* QUONIAM TU MECUM ES. Quod ſi hæc juſtus per gratiam, quam conſcientia nullius gravioris arguit peccati, ſecurus decantet; quantò ſecurius, qui Chriſtum realiter, ſacramentaliter, corporaliter intimè ſibi, in medio cordis ſui

ſ Liran. in 3. Reg. c. 19.

t Thomas à Kempis de imit. Chr. lib. 2. cap. 8. v Pſalm. 22. vers. 4. x Bern. epiſt. 42.

ſui præſentem habet, non timebit mala? quia veriſſimè, cum y *Deus in medio ejus, non commovebitur.*

Ieremiam inter mille pericula, ſola Dei præſentia, intrepidum, invictum, & inexpugnabilem reddidit; ad illum enim Dominus: z *ego*, inquit, *dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum ſuper omnem terram, regibus Iuda, & Principibus ejus. Et bellabunt adverſum te, & non prævalebunt.* Unde uni viro tanta firmitas, & animi robur, contra tot agmina bellatorum, QUIA EGO TECUM SUM, *ait Dominus, ut liberem te*; hoc etenim uno præſidio, omnes hoſtium vires facilè franguntur, & enervantur.

Sed ut vetera mittamus, inviĉtiſſimus Heros Princeps Leopoldus, a *pietate inſignis & armis*, hanc ſibi teſſeram aſſumpſit: b *non timebo mala*, QUONIAM TU MECUM ES: c nam eo die, quo Cæſaris nomine primum arma ſuſcepit, hanc in Deo fiduciam, ſuo Chirographo eſt conteſtatus, quod Hierothecæ de collo pendulæ incluſit: *Ieſu, & Maria, quem timebo, quando* TU NON TANTUM MECUM ES, SED ET MEUS ES? hæc teſſera, *tu mecum es*, illi pro vallo, & muro aheneo erat, quâ intrepidus medios hoſtium penetravit cuneos, illæſus & invictus horrenda tormentorum eluſit tonitrua, & eliſit fulgura. *d* Nec ad Neoburgum ad fines Bohemiæ, ubi Slangium cum numeroſo milite concluſerat, loco movit, quamquam jam plures grandiorum globorum vi, ad latus occubuiſſent; nec stationem ſuam tranſtulit, quamquam illam jam tertius ab hoſte globus perrupiſſet. *e* Ad Wolfenbitum, auſum eſt è grandinante machinâ ferri fruſtum ad lævam Archiducis manum adlabi, tangere, non percutere, non vulnerare; ſed quaſi fixo innocente oſculo, ſe profundâ reverentiâ in terram demiſit. Quare inter ſuos dimanavit fama, tutiorem eum eſſe qui volante undequaque plumbi aut ferri grandine poſt Sereniſſimum lateret, quam qui fortiſſimis mœnibus & muro aheneo tegeretur. Nam inter nutantes intrepidus, inter cadentes erectus, inter pericula munitus hoc ſolo ſymbolo fiſus: *f* DOMINUS MECUM EST *quaſi bellator fortis*; aut illo pſaltis regii: g *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* quo tutus quoque in Belgio, dum ad Armenteriam abrupta, plumbi glande, galeri ſpira, oſtendit quid hoſtis vellet, quid Deus nollet. Ad Landracum, nec diſcerptus muralis tormenti globo, ad latus ſibi aſſiſtentis Marchionis Pallavicini equus, Principis animum percelluit, nec frequentiora fulmina militaria immiſſa tentorio, niſi ut propior mœnibus accederet, & per ipſa vitæ diſcrimina, loco potiretur. Ad Baſſæam ſua Ducibus communicantem conſilia non diſtraxerunt plures ingentium machinarum globi, qui ſupra, infra, circumquaque ferebantur: non terruerunt qui vel plumis pileo ſublatis reveriti ſunt caput, vel

y Pſal. 45. v. 5. z Ieremiæ. 1. v. 18. a Virgil. b Pſal. 22. c Nicolaus Avancinus Leopoldi virt. part. 2. c. 3. p. 144. d Pag. 145.

e Pag. 146. f Ierem. 20. v. 11. g Pſal. 26. v. 1. 147.

calce

calce àc pulvere contuſi adiacentis molendini, honoratam faciem aſperſerunt, quam ſupremus ejus cameræ Magiſter Joan. Adolph. Com. Shwartzenburgicus manu reverenter abſterſit. Mitto reliqua. Sed unde illa tibi, inviĉtiſſime Heros, animi fortitudo? unde inter omnia pericula mens ſecura, & intrepida, unde illa inſuperabilis corporis, vitæque tutela? niſi quia h DOMINUS TECUM EST, *virorum fortiſſime*? plus dico, intra te eſt: à prima etenim adoleſcentia piam ſibi Dominico quoque die (præter feſta Domini, i Virginis Matris, SS Apoſtolorum, ac Tutelarium) legem ſtatuit ſanĉtiſſimi Corporis Domini recipiendi, quam in omnem vitam ſervavit, nec in ipſis caſtris prætermiſit; k quin & currule ſacellum adornavit, in quo magnifica pompa ſecum Euchariſtia graderetur, *ſecumque Deum*, majori præſidio quam olim Iſraelitæ arcam, *in prælia duxit*.

Quod hic magnanimus inter viſibiles hoſtes, & corporis diſcrimina munimen expertus eſt, hoc & Martyres inter Tyrannorum minas, & acerbiſſimam lanienam, hoc & Chriſtiani in extremo mortis agone, contra inviſibiles hoſtes, & tartareas phalanges experti ſunt, *pane fortium*, id eſt, Euchariſtico, roborati: quia hoc paſti, l *fortes facti ſunt in bello, extinxerunt impetum ignis, obturaverunt ora Leonum &c.* In quem finem, ne forte dolorum acerbitate ſuccumberent, vetus in Eccleſia mos fuit, ut iis Sacramentum Dominici corporis præberetur, teſte Tertulliano: m *cum ad hoc*, inquit, *fiat EUCHARISTIA, ut poſſit accipientibus eſſe TUTELA, quos tutos contra adverſarium volumus*, MUNIMENTO DOMINICÆ SATURITATIS ARMEMUS: Et alibi ſic ſcribit ad Cornelium Maximum: n *idoneus eſſe non poteſt ad Martyrium, qui* AB ECCLESIA NON ARMATUR *ad prælium: & mens deficit, quam* NON RECEPTA EUCHARISTIA ERIGIT, *& accendit*.

Hinc S. Lucianus in carcere, cum tyrannica barbaries neque templi, neque ſacrarii copiam faceret, ſuper pectus ſuum ſacris operatus eſt: nulla autem vel fragravit ara amœnius, vel flagravit ardentius.

Hoc ſe quoque *munimento* ad Martyrium armavit Maria Stuarta, Regina Scotiæ, quæ ſacerdote deſtituta, porrectam in pyxide ſacram hoſtiam ſumpſit, quo viatico tuta proceſſit ad prælium; quemadmodum & alii innumeri. Sed cum & cuique noſtrum inſtet agonia, quando *circumdabunt nos inimici noſtri vallo, & coanguſtabunt nos undique*, quis idoneus erit ad bravium, *qui ab Eccleſia recepta Euchariſtia, non armatur ad prælium?*

Eam quam Solymæ Chriſtus prædixerat imminere vaſtationem, Divus Bonaventura, ad animam refert, inter anguſtias mortis & infeſtationes, quas à Dæmonibus patitur, conſtitutam:

h Iudicum 6. v. 12. i Pag. 33. k Pag. 37. l Heb. 11. v. 34.

m Tertull. l. 1. ep. 2. n Idem ep. 14. ad Corn. Papam.

o quan-

o quando, inquit, CIRCUMDATUR miſella hominis animula, *inimica dæmonum malignitate, qui plus animam, quam canes feram perſequuntur.* Secundò ait: COANGUSTATUR in morte, *corporis infirmitate, judicis ſeveritate, dæmonis crudelitate.* Adeoque *undique, quia ſubtus, & ſupra, intus & exterius.* Has extremas hominis moribundi anguſtias, pavores, & terrores, nemo fando explicare poteſt. Patheticè hos adumbravit S. Ephrem Syrus, ea ſolum attingens quæ circumſtantes vident exterius, ſed penetrare non valent, quæ multo horribiliora aguntur „ interius: p *magnum*, inquit, *&* „ *occultum eſt mortis arcanum, &* „ *nullus enarrare illud poteſt.* Hor- „ renda, & formidabilia ſunt, „ quæ tunc anima ſubibit; ſed ne- „ mo noſtrum ea novit, niſi „ ſolum qui illuc permearunt. „ Non vides apud fratres mo- „ rientes, quibus aſſidemus, quam „ terribilia tunc illis accidere „ cernantur? non aſpicis eos ſu- „ doribus frigidos, inſtar meſſo- „ rum in agro? quomodo oculos „ huc illuc retorqueant? quomo- „ do alii dentibus ſtrideant, quo- „ modo obſtupeſcant, & expave- „ ſcant, tumultuarieque agant? „ & quo pacto etiam multi ca- „ pillos ſuos evellant, quo pacto „ è lecto exiliant, fugere volen- „ tes, licet nequeant; requiren- „ tes qui eos redimat, & nemo eſt qui liberet? denique quidquid hic adducit, non hyperbole eſt, ſed muta velut tabula, & rude ſchema eorum, quæ homini ad extrema accidunt. Hanc mortem tam terribilem, tam acerbam, tam amaram, ſola benigniſſimi Jeſu ſub Euchariſticis ſpeciebus præſentia, amabilem, dulcem, ac ſuavem reddere poteſt; ejus vero abſentia, terribilium omnium terribiliſſimam: unde ardentiſſimus ille Eccleſiaſtes, S. Vincentius: q *magnam*, ait, *difficultatem habet anima in exitu è corpore, ubi veniunt dæmones eam expectantes; propter* QUOD DATUR COMMUNIO INFIRMIS, ET DATUR VIATICUM: *nam tunc dæmones, ſentientes Christi præſentiam, fugiunt.*

Nec eſt quod quis mortem dumtaxat terribilem graviſſimis peccatoribus, & inveteratis dierum malorum exiſtimet; nec ſibi bono Chriſtiano, aut Religioſo talem futuram, adeoque minus ſolicitos eſſe debere, cum ſanctiſſimi viri eam reformidarint, & horrendam luctam experti ſint; quibus profectò ingens cura, & ſolicitudo adhibenda, ne omnium, quæ per mille auſteritates vitæ, ac virtutum opera conquiſita, meritorum jacturam, & in portu naufragium patiantur. Sic etenim D. Bernardus ad ſuos in Clara valle viros ſanctitate eximios, quos ſic exſtimulat: r *unde nobis iſta diſſimulatio fratres mei? unde hæc tam perniciosa tepiditas? unde hæc ſecuritas maledicta? quid ſeducimus miſeri nosipſos? forſitan jam divites facti ſumus? forſitan jam regnamus? nonne oſtium domus noſtræ horribiles ſpiritus illi obſident? nonne exitum larvales illæ facies præſtolantur? quis iſte pavor erit, ô anima mea, cum dimiſſis om-*

o S. Bonav. Dom. 8. poſt Pent. ſerm. 2.
p S. Ephrem. Syrus ſer. in eos qui in Chriſto obdormiunt.

q D. Vincent. ſerm. in octava SS. Corporis Dom. r Bern. ſerm. in illud Iob. in ſex tribulationibus liberabis me.

nibus,

nibus, quorum tibi eſt tam jucunda præſentia, tam gratus aſpectus, cohabitatio ipſa tam familiaris, ſola ingrediens incognitam penitus regionem, occurſantia tibi catervatim teterrima illa monſtra videbis? quis tibi in die tantæ neceſſitatis occurret? quis tuebitur à rugientibus præparatis ad eſcam? quis deducet?

Hæc ut à ſanctiſſimo Archimandrita, ex ſpiritu humilitatis, & timoris Domini prolata ſint, vera tamen in eximiis ſanctis comprobantur, qui graviſſimam in extremis cum cacodæmone luctam, & luſionem experti ſunt. Ut innumeras mittam, refert Surius de S. Elzeario ſ, qui virginitatem cum conjuge ſua Delphina illibatam ſervavit, eum in exitu graviſſimas animi anguſtias, & tentationes expertum: ad extremum, inquit, in agone poſitus, vultum prætulit valde terribilem; unde colligi liceret eum in magno verſari labore, ob quædam illi objecta, atque ſub ejuſmodi conflictu exclamavit: magna eſt dæmonis vis; ſed eam penitus enervarunt, virtus & merita ſacroſanctæ incarnationis, & paſſionis Jeſu Chriſti. Poſt paulum, rurſus exclamans, ait: planè vici. Poſt aliquantulum temporis ſpatium, cum ingenti clamore dixit: totum me divino judicio committo. Atque his dictis, reparatus eſt vultus ejus, & quodam rubore, atque ſplendore, multaque elegantia perfuſus, reddidit ſpiritum.

Terribiles in extremo hoc agone dæmonis fallacias videre eſt apud Stengelium de judiciis divinis. tom. 3. c. 33. n. 2. pag. 380. illud mihi Cardinalis Damiani dixiſſe ſufficiat: t *ſub hoc inimico caſus frequens, & reſpiratio difficilis: de hoc rara, & nunquam ſecura victoria: huic voluntas ſemper iniqua, & fallendi principatus.* Divus Bonaventura ſimilitudini inſiſtens everſionis Hieroſolymitanæ, ait: v *dæmones animas circumdant in mundo; coanguſtant in extremo; proſternunt in inferno. Circumdant in tentatione; coanguſtant in expiratione, proſternunt in damnatione.*

Quis hiſce anguſtiis, terroribus, tentationibus, dæmonum undique incurſibus par eſſe poterit, quis innumeris eorum catervis, & rugientibus præparatis ad eſcam, nudus, & inermis, ſolus reſiſtat? confide fili, & illo pſaltis regii vaticinio te ſolare: x *paraſti in conſpectu meo menſam adverſus omnes qui tribulant me.* Menſam nobis diabolus propoſuit toties, circæis quodammodo poculis inſtructam, quibus homines redditi imbecilles, imbelles, & velut in belluas commutati, miſerrimè capiebantur: at Chriſtus Dominus Euchariſticam nobis menſam inſtituit, ſpiritualibus deliciis abundantem, quibus armarentur homines, & dæmones vincerentur, ut rectè S. Cyrillus Jeroſolymitanus: y *menſam illam propoſuit Deus adverſariam illi, quam nobis antea dæmones proponebant.*

Victus olim Adoniſebec Rex Chananæorum à Juda, & præciſis manuum, pedumque articulis, ſub

ſ Surius 27. ſept. Bellarm. de arte moriendi l. 2. c. 10.

t Pet. Dam. ſerm. de S. Martino v Bonav. Dom 9. poſt Pent. ſerm. 2. x Pſal. 22. v. 6. y S. Cyrill. Ieroſolym. Catech. 4. v. Lorin. Corderium in pſ. 22.

ſub illius menſâ catenatus, cum gemitu exclamavit: z *ſeptuaginta Reges amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa ciborum reliquias, ſicut feci, ita reddidit mihi Deus*. Quid hoc typo clarius, menſam Domini exercituum, contra diabolum, illuſtrat? nam olim, interprete Lyrano, ſeptuaginta gentes (totidem enim ex illa confuſione linguarum babylonica pullularunt) hoc eſt, totum mundum ſubjugavit, eaſque ſine pedibus ad fugiendas tentationes, & ſine manibus ad fugandos hoſtes, prorſus imbecilles, & imbelles, vano quodam voluptatis aucupio, ſub ſuâ menſâ detinebat. Quid *Dominus exercituum*, menſam, inquit divinus vates, *paravit in conſpectu noſtro, adverſus omnes qui tribulant nos*; in quâ ferociſſimum tyrannum diabolum, prius orbis domitorem, domuit, & ſubjugavit, ac ſub hac menſa tremebundum colligavit: non ut ullas ex hac menſa reliquias deguſtaret; ſed ut aſpiceret convivas, ex hac menſa a *velut Leones, ignem ſpirantes*, ut Chryſoſtomus loquitur, *diabolo factos terribiles*.

Quod vel in ipſis energumenis, & à dæmone poſſeſſis, Serenus Abbas comprobatum aſſerit apud Caſſianum, ubi immundos ſpiritus, ſacra Euchariſtia è corporibus humanis expelli, & velut exuri teſtatur: b COMMVNIONEM, inquit, *eis* (nempe energumenis) SACROSANCTAM, *à ſenioribus noſtris numquam meminimus interdictam. Quin imò, ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie eis impertiri eam debere cenſebant.* Et paulò poſt: *quæ ab homine percepta, eum qui in membris ejus inſidet ſpiritum: ſeu in ipſis latitare cognoſcitur*, VELVT QVODDAM EXVRENS INCENDIVM. c Quod Abbatis Andronici, aliorumque plurium experimentis confirmat; & ipſe Martinus Delrio, raris & præclaris hiſtoriis, quantum dæmones ad præſentiam Euchariſtiæ trepident, fugiant, evaneſcant, diſertè demonſtrat, è quibus unam attigiſſe ſufficiat, ut ſi ea vis Sacramenti ſit, ut tartareum hoſpitem illum, è corpore & animo expellat, quanto facilius, ubi Chriſtus ſub viatico hoſpes ingreditur, eum fugabit, & omnia circumſtantium legionum agmina delebit? Carthagine, inquit, quædam juvencula, Araba natione, Ancillæ Dei habitum geſtans, cum in balneo „ lavans, ſimulacrum quoddam „ veneris impudicè aſpiceret, & „ ſeipſam, eique ſe conſimilans, „ domicilium diabolo præbuit. „ Statim ille leo, qui rugiens cir- „ cuit, quem quærebat, invenit. „ Meatus igitur gutturis ejus oc- „ cupans, nullum cibum, nul- „ lumque potum trajiciens, per „ ſeptuaginta fermè dies, totidemque noctes, jejunium ſibi „ diabolus ex capto, poſſeſſoque „ vaſe exhibuit. Hoc monſtrum, „ parentes puellæ per tot dierum „ ſpatia auferri poſſe ſperantes, „ dum juge malum ulterius tole- „ rare non poſſent, ſimul cum fi- „ lia ſeſe ingeſſerunt ſacerdoti, „ quæ acta erant, fideliter inti- „ man-

z Iudicum 1.v.7. a Chryſ. hom. 61. ad pop b Caſſian. collat. 7. cap. 30.

c Euchariſtia pellit dæmonem è corpore Energumeni, quanto magis ad ſtantem fugabit, ubi ſubiit corpus & animum moribundi. Delrio diſquiſitiones magicæ l. 6. c. 2. ſect. 3. quæſt. 3. Proſper.

„ mantes. Hoc tantum puella fa-
„ tebatur, avem quandam, noctis
„ medio apparere, quæ ori, neſcio
„ quid infunderet. Stupor inerat
„ cunctis, videre puellam nullis
„ indiciis diuturni jejunii fœda-
„ tam, nullo pallore, ſeu tabe, vel
„ debilitate confectam: quin po-
„ tius robuſtam, ſucco viſcerum,
„ moleque membrorum. Cum
„ incredibilia viderentur, quæ
„ dicebantur, habito conſilio, in
„ monaſterio puellarum, ſacer-
„ dos puellam præpoſito com-
„ mendavit. Illic primo tantum
„ die apparuiſſe illam avem aſ-
„ ſeruit ſeque increpaſſe, quod
„ neque fame, neque ſiti com-
„ pulſa, illum appeteret locum,
„ quo ſibi accedere non liceret.
„ Per duas ſanè hebdomadas ni-
„ hil cibi, vel poculi ſumens, in
„ monaſterio manſit Accidit au-
„ tem ut quintus decimus, domi-
„ nicus illuceſceret dies, aſcen-
„ dente nobiſcum ſacerdote, ut
„ matutinum illic ſacrificium ſo-
„ lito offerretur; puellam præpo-
„ ſitus ad altare perduxit eo in-
„ ceſſu, & habitu, quo ſolent ru-
„ bore perfuſæ ex epulis, poculiſ-
„ que, mulieres advenire. Sed ut
„ ſe illa proſtravit altari, clamore
„ fletus ſui, cunctis adſtantibus
„ gemitus, lacrymaſque, & in-
„ gens murmur in populo exci-
„ vit. Peracto itaque miſſæ ſacri-
„ ficio, cum puella inter cæteras,
„ *brevem particulam corporis Do-*
„ *mini noſtri Jeſu Chriſti, tinctam à*
„ *ſacerdote perciperet*, ſemihora
„ mandens, trajicere non valuit,
„ nondum illo fugato, de quo di-
„ cit Apoſtolus: *quæ communicatio*
„ *Chriſti ad Belial*? manu igitur
„ faciem ejus ſuſtentante ſacer-
„ dote, ne *ſanctum* projiceret, à
quodam Diacono ſuggeſtum „
eſt, ut calicem ſalutarem guttu- „
ri ejus, Pontifex applicaret. „
Quod ut factum eſt, ſtatim lo- „
cum illum, quem diabolus ob- „
ſederat, Salvatoris noſtri im- „
perio reliquit, *Sacramentum*, „
quod ore geſtabat, cum laude re- „
demptoris tranſglutiſſe puella cla- „
mavit. Hinc lætitia, hinc voces in glo-
riam Dei, quod poſt octoginta duos
dies, DIABOLO EXPULSO; PUELLA DE POTESTATE FUERIT ERUTA INIMICI.
Hæc eò adduxi, ut ſi dæmon etiam ex hoſpitio, ubi per plures annos ſedem fixit, ubi fortior ſe ſupervenerit, expellatur, quanta fiducia, & ſolatium moribundo futurum ſit, dum Chriſtum intra cordis hoſpitium receperit, ne propius tartarei hoſtes accedere audeant; ſed fugiant à facie ejus, & anima à poteſtare inimicorum eruatur. Sic porrò Chryſoſtomus: d SACRIFICIO ILLO MUNITI, *migrabimus cum magna fiducia.*

Adeſt mihi vates Evangelicus, ſic de ſacro Sympoſio excurrens: e *faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, convivium pinguium, convivium vindemiæ; pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Eleganter admodum divinam cœnam deſcribit: convivium utique eſt, ſacro in monte paratum, in quo ſic affluit cibus, ut non deficiat potus ſanguinis Domini. Illud autem myſterio non caret, quod dum hanc menſam apponit, quod non Angelorum, Cœlorum, hominum, aut alio vocabulo, ſed exercituum Dominum vocat: *faciet*, inquit

d Chryſ. hom. 24. in 1. cor. l. 6. de ſacerd. e Iſa. 25. v. 6.

inquit, DOMINUS EXERCITUUM *in monte hoc convivium.* Quorſum hoc? ut adverſus hoſtiles exercitus, hoc convivio roborati, ſe duce intrepidi pergerent. Sic ſenſit doctiſſimus Salmeron, f *dicitur hoc convivium inſtructum à* DOMINO EXERCITUUM, *quia pro exercitibus Eccleſiæ militantis corroborandis, & contra malignorum ſpirituum exercitus confortandis, inſtitutum eſt.* Quid igitur tibi, ô anima, reformidandum ab hoſte maligno, ubi illo convivio inſtructus es, in quo Dominus exercituum tecum eſt, tecum graditur, & manu quaſi ducit, & ſuccollatur ad Patriam? anima ſic innixa ſuper dilectum ſuum, quem portat, & à quo portatur, audiet cœleſtium civiū acclamationes: g *quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol,* TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA? hunc locum expendens Paſchaſius, animamque hujuſmodi advertens: non modò ut lunam, ſed pariter ut ſolem, cœlicas ſedes aſcendere, Chriſto comitatam, & unitam, intelligit per ſolem, Chriſtum, per lunam, animam accipiens: h *Chriſtus,* inquit, *qui per ſolem exprimitur, cum ſponſa aſcendere deſignatur;* unde omnibus dæmonibus terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. *Quæ nimirum idcirco ut caſtrorum acies contra hoſtes ordinata narratur aſcendere, quia illi viam ad cœlum eundi obſident, ut in nullo frangatur conamine;* ſed tuta & ſecura aſcendat, ubi eum non abſconditum, non in ſpecie, & ænigmate, ſed facie ad faciem jugiter contempletur.

f Salmeron tom. 9. tract. 2. in Evang. g Cant. 6. v. 9. h Paſchaſ. in cap. 4. Matt.

§. VIII.

In hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te; ut cum ſanctis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN Divino ſuo Epithalamio invitat & vocat cœleſtis ſponſus prædilectam ſponſam ſuam, ſuaviſſimis verbis eam compellans: i *veni de Libano ſponſa, veni de Libano.* In Hebræo eſt: *mecum de Libano ſponſa, mecum de Libano.* Quaſi dicat, nulla te terreat, aut avocet viæ aſperitas, quam ſuaviſſimi Jeſu comitatus demulcet. *Mecum de Libano, de cubilibus leonum, de montibus pardorum,* id eſt de tentationibus & infeſtationibus dæmonum, qui & feritate leones, & aſtu, fraudibuſque leopardi: veni, inquam, ab illis, veni coronaberis, quia me comite, me duce veniſti. In eundem ſenſum Salazar noſter: k *mecum de libano,* id eſt è „ templo, mecum perge: præru- „ pta montium cacumina ſupe- „ rabis, per medios pardos, atque „ leones ibis tuta, & ex monti- „ bus Amana, & jugis Hermon „ flores tibi legam, & tempori- „ bus tuis pulchra ſerta pangam. „ *veni coronaberis.* Quid ni, Pater æterne, in hora mortis meæ voces me, & jubeas me venire ad te, qui, ut decantat per orbem Ec-

i Cant. 4. v. 8. k Salazar in cant. c. 4. v. 8. Epithal. 5.

clefia,

cleſia, mecum habeo *pignus æternæ gloriæ*: qui penes me, & intra me habeo dilectum filium tuum, in quo tibi bene complacuiſti? Arrham, & pignus habeo, prophetico ſpiritu ſtabilitum: l *memor erit in ſæculum teſtamenti ſui: virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo, ut det illis hereditatem*. Ubi in rem noſtram Cornelius Janſenius, non ille Iprenſis, à ſacra ſede damnatus; ſed Orthodoxus Gandenſis, ſcriptis in Eccleſia celeberrimus: *Deus optimus maximus Euchariſticam eſcam populis ſibi fidelibus dedit: quo quidem opere, ſatis demonſtravit, fœderis ſui rationem ſemper ſe habiturum: quia fidei ſuæ, amoriſque PIGNUS EXIMIUM PRÆSTITIT.*

Quanto hoc moribundis ſolatio? qui dum famulis, bajulis, rhedis, & equis deſtituuntur, hoc pignore certi, confidenter exclamare poſſunt: jube me venire ad te; idque non pedeſtri, aut communi viâ, qua cæteri in gratiâ decedentes; ſed alis Angelorum ſubvolando, ut D. Chryſoſtomus adpromiſit, qui aſſerere non dubitavit, m eorum animas, qui hoc Sacramentum in fine ſuſcipiunt, propter illud, ab Angelis rectà hinc in cœlum deportari. Corpora verò iiſdem bonis geniis, ſatellitum more ſtipantibus, in vitam æternam cuſtodiri, juxta illud Joannis 6: n *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*; ubi Divus Cyrillus: o *Ego, dixit, id eſt corpus meum quod comedetur, reſuſcitabo eum: non enim alius ipſe eſt quam caro ſua. Non id dico, quia natura non ſit alius; ſed quia per incarnationem in duos ſe dividi filios minimè patitur. Ego*, inquit, *qui homo factus ſum, per meam carnem, in noviſſimo die comedentes reſuſcitabo.*

Sed parum eſt ab Angelis, ſicut & Lazarus (quæ felicitas magna) in cœlum deferri; caro Chriſti tibi auguſtiſſima ſella, & triumphalis currus fit, quo in cœleſte palatium, longè ſplendidiori pompâ, quam olim Imperatores Romani in Capitolium, anima devehitur, ſic etenim Abbas Igniacenſis: p *Caro Chriſti tibi viaticum, ſpiritus VEHICULUM, IPSE CURRUS, & auriga ejus* ô anima, vide quali ſis inſignita honore, qua te ſponſus, cui intime conjuncta es, gloriâ dignatur, ut purpureo ſui ſacratiſſimi Corporis curru devehat. Doctor Angelicus in hunc ſenſum adducit illud Ambroſii: q *Dominici corporis figura præceſſit, quando dominus in deſerto manna pluit: quia ſicut ille panis populum per deſertum ad viam promiſſionis duxit, ita hæc eſca cœleſtis fideles hujus ſæculi deſertum tranſeuntes, in COELUM SUBVEHIT.* Quis non ſuſpiret, aſpiret, anhelet hunc tam glorioſum currum conſcendere?

Urbem Romanam Cæſar Auguſtus curru eburneo, & 40 Elephantis, Marcus Antonius Leonibus, Aurelianus cervis, fuerit olim invectus; ſed vehiculi hujus r *magnificentia ſanctiſſimi Corporis*, quo cœleſtem Jeruſalem inveheris, *omnem ſuperat intellectum*, omnem excedit ſplendorem, omnes rapit in admirationem.

l Pſal. 110. v. 6. m Chryſoſt. l. 6. de Sacerdotio n Ioan. cap. 6. verſ. 44. o Cyrill. in Ioan. c. 6.

p Guarricus ſerm. 1. de reſurrect. Dom. q S. Amb. apud S. Thomam. opuſc. 58. c. 23. r Cyprian. ſerm. de aſcen.

O Do-

O Domine Jeſu, hoc tam pretioſo, tam ſpecioſo vehiculo, Angelicis turmis circumdato, *jube me venire ad te*; ubi numquam recedam à te; *ut cum Sanctis tuis* s *laudem te*, hic dum vivam in terris, & ubi tecum unitus in cœlis, *in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Ad hoc me movet, & monet vel ipſum Euchariſtiæ nomen, quod gratiarum actionem ſignificat, quam divino numini Orator aureus acceptiſſimam declarat: t *optima quippe beneficiorum cuſtos, eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua quædam confeſſio. Propterea & reverenda ac ſalutaria illa myſteria*, EUCHARISTIA, id eſt, GRATIARVM ACTIO NVNCVPANTVR: ſunt *enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum divinæ erga nos charitatis oſtendunt, noſque faciunt DIVINAS DEO GRATIAS ſemper exolvere.* Hoc eſt quod à nobis, & ſolum poſtulat immenſus amor, & infinita bonitas Dei, ſeſe in hoc amabili Sacramento, totum quod eſt, & habet, communicantis; in remunerationem non quærit victimas taurorum, aut ovium: non mandat ut omnia quæ à munifica ejus manu accepiſti, in ſinus pauperum effundas, ut corpus inedia maceres, flagellis ad ſanguinem uſque excrucies, hæc tamen jure meritiſſimo illi debentur, ut rectè Hieronymus: v *hæc eſt ſola digna retributio, cum ſanguis ſanguine compenſatur, & redempti cruore Chriſti* (eoque toties potati) *pro Redemptore libenter occumbimus*; non hæc à te requirit, ſed gratum animum, & ſacrificium laudis: ſic etenim ait per vatem ſuum Iſaiam: x *numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* minimè vero, quoniam bonorum meorum non eget? *ſed immola Deo ſacrificium laudis*: noſtis quod illud ſacrificium? cujuſmodi hoſtia, pro hoſtia altaris, nobis immolanda ſit? non alia, inquit Auguſtinus, quam gratiarum actionis: y *quod eſt ſacratius laudis ſacrificium, quàm in gratiarum actione?* à quo ſacrificio gratiarum nemo hominum expers, nemo offerendi immunitatem, nemo hoſtiæ defectum in excuſationem adferre poteſt. Philo ille Alexandrinus lib. de plantatione Noe: *omnis*, inquit, *virtus ſancta eſt; gratitudo vero ſanctiſſima*: & ſtatim monet, eã non in externo apparatu, ſed interno cordis affectu, & voce laudis exhibendã: *quam non legitimè Deo exhibent, quotquot putant eum placari ædificiis, donariiſq; ſacrificiis: nam ne totus quidem mundus, ad templum in honorem ejus ſuffecerit; ſed præſtat cum* LAUDIBUS, HYMNISQUE COLERE.

Quod ut ad praxim revocemus, occurrit illud ab ardentibus Chriſti ſponſis, centies, & millies, per dies & noctes uſurpatum; LAUDETUR SANCTISSIMUM SACRAMENTUM, Hiſpanis ſemper in ore: *Alabado ſea el ſanctiſſimo Sacramento*, Francis *Louelè ſou ce treſſainct Sacrament*. Laudetur tot laudibus, quot in cœlo ſtellæ, in igne ſcintillæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terra pulveres: quot vere flores, æſtate grana, autumno folia, hyeme nives & grandines, quot corporeæ in univerſo crea-

s Laus cum gratiarum actione, pro diviniſſimo Euchariſtiæ myſterio. t Chryſ. hom. 26 in c. 8. Matt. v Hier. Epiſt. 22. ad Euſtochium de cuſtodia virg.

x Iſa. 49. y Aug. l. 1. contra adverſarium legis. & Proph. cap. 18.

turæ;

turæ;quia dignus es z *tu Dominus univerſorum*,qui ſub corporeis panis, viniq; ſpeciebus latens, a *verè tu es Deus abſconditus.* LAUDETUR SANCTISSIMUM SACRAMENTUM , tot laudibus quot ullo opere, quot ore proferri , quot corde omnium hominū excogitari unquam potuere , vel poſſunt ; quia dignus es amator hominum,qui nos cibas,& potas quotidie corpore , & ſanguine tuo, quod teſte D. Gaudentio, eſt b *donum Dei inenarrabile.*

Et quia valde exiguū eſt,c quod per nos poſſumus, conemur ſupplere per amicos,& accerſamus ,, in ſocietatem, Angelicos ſpiri- ,, tus, cœleſtia corpora, ſubluna- ,, ria omnia , & univerſam crea- ,, turam animatam, & inanima- ,, tam, ut nobiſcum,ut pro nobis, ,, Deo pro immenſo hoc benefi- ,, cio,aliiſque innumeris collatis, ,, gratias agat, eumque laudet, & ,, benedicat Sic propheta David, ,, qui de hoc myſterio dilucidè ,, vaticinatus eſt,multis locis mi- ,, ro affectu , & veluti divino a- ,, more ebrius , omnem naturam ,, creatam,quæ in cœlo,& quæ in ,, terrâ,ad laudem Dei provocat, ,, ut Pſ.148 : d *laudate Dominū de* ,, *cœlis,laudate eum in Excelſis;lau-* ,, *date eū omnes Angeli ejus,laudate* ,, *eum omnes virtutes ejus : laudate* ,, *eum ſol & luna , laudate eum om-* ,, *nes ſtellæ & lumen.* Et ſocii Da- ,, nielis in fornace Babylonica : ,, e *benedicite omnia opera Domini* ,, *Domino,laudate & ſuperexaltate* ,, *eum in ſæcula. &c.* f Circa quæ, ,, inquit, notandum eſt, non eſſe ,, inutilem,aut fœmineam devo- ,, tionem,ſi deſideres ut univerſa ,, creatura tecum,& pro te Deum laudet, gratias agat , benedicat, ,, aut tu ipſe tantum Deum ames, ,, & laudes , quantum ſimul om- ,, nes beati in Cœlo,Cherubim,&c,, Seraphim flagrātiſſimo amore; ,, vel ſi optes tibi mille vitas,mil- ,, le corpora , quæ in honorē Dei ,, expendas,ut pro collato benefi- ,, cio aliquo modo reſpondeas. ,, Sunt enī ejuſmodi affectus, etſi ,, inefficaces , & rei impoſſibilis, ,, ſummi meriti,& ſigna ſūmi in ,, Deum amoris , & gratitudinis ,, quia ex quadam redundantiâ a- ,, moris ſequuntur,animo in hu- ,, juſmodi vota præ affectus ardo- ,, re exęſtuante,ſicut enī ſūmæ malitiæ eſſet,tales affectus aſſume- ,, re in malū,ita maximæ charita- ,, tis,& meriti eſt,excitare in bonū.

LAUDETUR SANCTISSIMUM SACRAMENTUM tot laudibus , quot ſanctiſſima Trinitas ſua infinita potentia depromere , ſapientia concipere,bonitate optare poteſt: omni modo,omni loco,omni tēpore,in æternū , & ultra:quia dignus es tu Dom. Deus meus, qui mihi donas non tantū humanitatē, ſed & divinitatem tuam, & *omne bonum* in ſummo gradu cōtuliſti:nam ut inquit Doctor Angelicus: g *Redēptor noſter totū quod ipſe eſt, & habet,in ſummo dedit;nec hoc ſemel tantū , aut bis in tota hominis vita;imo quocumq;tempore, quocumq;loco, à quocūq;ſacerdote fideli, bono vel malo , ſalutare illud ſacrificium in forma Eccleſiæ oblatū fuerit, toties Deus Pater,cū Spiritu S ſingulis animabus ſe totū ad fruendum exhibet.* Quid pro his retribues Domino ? reſpondet per regium ſuū Prophetā : h *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter,quo oſtendam illi ſalutare Dei*; ubi Sacri interpretes, i hoc ſacrificium laudis

z 2.Mach.14. a Iſa.45. b Gaudent. tr.3. c Leſſius de perfect. divin.l.13.c. 29 n.170. d Pſ 148. e Dan.5. f Leſſ.

g S.Th.opuſ.de beatitud. h Pſal.49. i Leſſius de perfect. divin.l.12.14.n.101.

non aliud, quam *Euchariſticum, ſeu gratiarum actionis* intelligunt, identidem illud corde & ore ingeminando: *LAUDETUR SANCTISSIMUM SACRAMENTUM:*

Quo in genere excelluit illuſtriſſimus Patriarcha Joannes Ribera, *k* in quo vel ad elegantiam pietatis, vel ad populorum utilitatem illud longè eximium fuit, quod nobiliſſimæ gentis Riberæ, abjectis inſignibus, calicem cum patina, & hoſtia aſſumpſerit, duabus hinc inde arulis cum igne, addita Epigraphe: l *tibi poſt hac*, fili mi, ultra quid faciam? innuens Deum cum in ſe omnem benedictionem, ac omnia donaſſet, non habere amplius quod largiretur; atque ut latius ea pertineret religio, novam hanc invenit ſalutationem pietatis pleniſſimam: *LAUDETUR SANCTISSIMUM SACRAMENTUM.*

Illud porrò Euchariſtiæ beneficium, ut graviſſimus Theologus loquitur, *m* ſimpliciter infi- „niti eſt pretii, & nos totos, no- „ſtraque omnia viciſſim poſtu- „lat antidoron. Si enim Deus ſe „totum dedit nobis, non ſolum „in ſocium, in amicum, in magi- „ſtrum, in exemplum, in Re- „demptorem, in pretium, in ly- „trum, in hoſtiam, & ſacrifi- „cium; *ſed etiam in cibum & po-* „*tum, in alimentum vitæ æternæ*, ut „ſit in nobis, & nos in ſe trans- „formet, ſuoque Spiritu vivifi- „cet, & immortales ac beatos „corpore & anima efficiat; cur „non debeamus invicem nos totos in ejus famulatum expen- „dere? aut quid excuſationis po- „terimus obtendere, ſi alio cogi- „tationes, & ſtudia noſtra con- „vertimus? Quid amplius potuit „nobis conferre? quibus modis „arctius nos ſibi obſtringere aut „amorem noſtrum, & obſequium „vehementius ſolicitare, & exi- „gere? ipſe tantæ majeſtatis Do- „minus, in ſalutem mei puſilli „vermiculi, tam multis, tam mi- „ris modis ſe impendit, & expen- „dit, & ut ita dixerim exhauſit: „Et ego ipſius amori, gloriæ, & „cultui, ac obſequiis me non im- „pendam? *Etiamſi infinitas habe-* „*rem animas, & vitas, omnes jam* „*eſſent obnoxiæ, omnes jure naturæ* „illi addictæ, & infinitis titulis „obſtrictæ. Quis iſta conſiderans, putabit ſe aliquid pro Deo feciſſe vel labores ſuos poterit magni pendere? n *Quis*, inquit S. Bernardus, *amplius grunniet, dicens: nimium laboramus, nimium jejunamus, nimium vigilamus: cum nec milleſimæ, imò nec minimæ parti debitorum ſuorum valeat reſpondere*; cum omnes omnium mortalium labores, ſudores, afflictiones, amores, minimo Domini labore non ſint digni, quia infiniti pretii, immenſi ponderis, & æſtimationis. Unde illi debetur gratiarum actio infinita, infinito tempore, infinito affectu, & effectu gratitudinis; quæ quia ex parte creaturæ præſtari non poteſt, relictum nobis eſt ſacrificium laudis, hoc eſt *o* Euchariſticum, ad gratiarum actionem, ut habeamus, quo dignas Deo gratias perpetuo agamus; hac etenim nulla poterat eſſe

k Ioan. Rho variæ virtutum hiſt. l. 3. c. 1. §. 10. l Gen. 27. v. 37. m Leſſius de perfect. divinis. l. 12. c. 19. n. 166.

n Bern. ſerm. de quadr. debito.
o Leſſ. l. 12. c. 14. n. 110.

major,

major aut præſtantior, gratiarum actio, quam quæ oblatione hujus ſacrificii perficitur, quod indies, & ſub quolibet ſacrificio, æterno Patri offerre cum ſacerdote poſſumus. Cui ut non ſolum voce; ſed & opere prælucere videamur, quidquid in hujus cultum, & venerationem myſterii excogitandum eſt, conferamus.

Senſerunt hoc majores noſtri, & Principes animæ, quorum pius labor in eo deſudavit *p*, ut ſacris ædibus ſtaret majeſtas, ſua ſupellectili eſſet opulentia. Hanc Servator optimus, cæterum omnis humilitatis, & extremæ paupertatis amator ſpectaſſe convincitur, ex illo Matt. 26. v. 18. cum immineret ſolennis Agno Paſchali dies, diſcipulos ſuos emittit: q *ite*, inquit, *in civitatem, ad QUENDAM, & dicite ei: Magiſter dicit, tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.* Hic inter Theologos, ac ſummos Eccleſiæ Patres non levis controverſia eſt, quis ille, quem Chriſtus anonyma voce appellat, *quendam?* Hieronymus, & Beda reſpondent, neminem nominatum certo conſilio, & decreto, ſed omnes omnino mortales, ad novum à Chriſto Paſcha devocari: Divus Ambroſius alio ſententiam, calamumque ducit, & ex vulgata illa, trita, & abjecta, anonyma voce, colligit appellari *quendam*, quod pauper, ignobilis, atque inter homines innominatus eſſet: r *ſine nomine*, inquit, *deſignatur, ut pauper, & ignobilis æſtimetur*. Verum, quod *unus quidam*, homo pauper, & vilis ad hoc venerandum, & auguſtiſſimum Chriſti Corporis myſterium, minimè adhibitus fuerit, & ratio, & auctoritas declarat: ſubjicit enim ſacer Hiſtoricus, virum illum habuiſſe ſ *cœnaculum grande ſtratum*, aulæis conveſtitum, atque ad dignitatem, & ſplendorem exornatum. Unde aliorum non inanis conjectura, eum fuiſſe opulentum, atque inter ſuos magni nominis virum habitum: Nicephorus credit *t* illum fuiſſe inquilinum earum ædium, quas D. Joannes Evangeliſta à Caipha, in monte Sion, ingenti ære coëmerat, venditis, quas in Galilæa habebat ampliſſimis facultatibus. Hæc Nicephorus. Theophylactus ait *hominem illum QUENDAM*, Simonem Leproſum, eumque Lazari Patrem. Alii volunt *quendam* fuiſſe è Judæis, eumque prædivitem, Chriſto familiarem in paucis, imò & diſcipulum, ſed occultum. Is eſſe potuit aut Joſephus ab Arimathia, aut Nicodemus aliquis, vir potens & opulentus, ut enituit in cœnaculi apparatu, & totius illius ſuppellectilis magnificentiâ, ut vel ex eo patet, quod calix, qui primus pretioſo Chriſti ſanguine imbui, rubere, calere debuit, effictus eſſet è lapide pretioſo, cui pretium, lucemque addebat auri fulgor, nitorque. *v* Viſitur ille Valentiæ ad illius diei, ac beneficii monumentum. Patina verò, quæ ſacrum Chriſti Corpus ſub albicanti panis ſpecie excepit, & illa ex

p Gratitudo Euchariſtica non ſolum ore ſed & opere exhibenda, in cultu templorum & ſacræ ſupellectilis.
q Matt. 26. v. 18. r Amb. in Luc. 22.

ſ Luc. 22. t Niceph. l. 1. c. 28.
v Ferrandus diſquiſitio reliquiaria l. 1. c. 1. Lobbetius ſpec. Eccl.

conſimili materia affabre facta, Genuæ ſervatur.

Quæ redemptor noſter ſpectaſſe viſus eſt, ut & conſequentes ætates ad illius inſtar, ſua diviniori huic ſacrificio tecta molirentur, ſacra vaſa conferrent, quemadmodum Juſtinianum Imperatorem feciſſe legimus, quidquid terrâ, marique pretioſum, quidquid in orbe rarum, id omne auguſta voluntate & regia facultate ad divinam aram contulit; ſic etenim Cedrenus: x *Fecit ſacram menſam ex auro, argento, & omni gemmarum genere, è ligno, & metallo, & aliis rebus omnibus, quæ terra aut mari, toto denique orbe in pretio ſunt.* Ejus munificentiæ, aureæque majeſtatis in ſacra ſupellectile, in calicibus, meminit Ambroſius lib. 2. off. c. 28. dum ait: *infuſum auro ſanguinem Chriſti irrutilaſſe.*

Sed quoniam quæ noſtri ſæculi ſunt, & propè ſub oculis, lenius in animos influunt. Accipe quæ Anno 1629. Madrito ex Hiſpania perſcripta ſunt. Contigit elapſa hyeme, Madriti Ludovicum d'Aros, Comitem de Olivarez, nocte intempeſta vehi nova rheda, intus purpureo holoſerico, pretioſè & artificioſè acu picto conveſtita; cui forte ſacerdos divinum immortalitatis viaticum ad moribundum deferens, occurrit. Porrò cum nix alta decideret, comes de Olivarez rheda exiliens, ſacerdotem cum Euchariſtico epulo eam ſubire voluit, atque ipſe arrepta face, ei ad ædes infirmi, ac deinde uſque ad templum præluxit. Eo ubi deventum eſt, & equos, & rhedam, Eccleſiæ condonavit, dicens ac ducens ſe indignum, qui poſthac ſub eo tecto ſederet, ſub quo ſanctiſſimum Chriſti Corpus requieverat; ex ipſa vero tam pretioſa rheda, umbraculum pro V. Sacramento, aliaque ornamenta templi facta ſunt; atque ita ipſe pedes domum remeavit. In quo & reges, ac Principes præluxerunt: nam Ludovicus XIII. Franciæ Rex, cum Bearniam, Galliarum Provinciam victor ingrederetur, à populo Umbella auro gemmiſque pretioſe intexta donatus eſt, quam piiſſimus Rex Euchariſtiæ Hoſtiæ per urbem deferendæ triumphabundus conſecravit. y

Ejuſdem pietatis, animique exſtitere inſignes Virgines, ac Illuſtres Matronæ. Deſinet Midas prius inaurare, quam Imperatrix Helena dare, tam pretioſa templis & aris donaria reliquit.

z Placillam Auguſtam Divus Gregorius Nyſſenus inſigni laudis præconio exornat, quod cum illa, *Altarium ornatus extinctus propè*, ac ſepultus fuerit.

Verum ut non omnibus illa Regia facultas, & egregia voluntas, tam auguſta & pretioſa templis, ac Euchariſtico myſterio donaria dicare, præcipuis hujus urbis Matronis, ac domicellis facilem praxim ſuggero, ut quem in ſuo putri corpore adornando, cultum, & mundum muliebrem ſpectant, eundem ad diviniſſimum dilectiſſimi Jeſu Corpus honorandum conferre non dubitent. Ut feciſſe legimus, æterna memoria dignam, nobiliſſimam Matronam Anno 1624.

x Cedrenus in Iuſtiniano.

y Theat. Polit. Martiniani. pag. 80

z Greg. Nyſſen, in funere Placillæ.

a qua

a quæ cum novum veſtimenti genus primum induiſſet, ea materiæ raritate, & pretio, eo phrygionum artificio elaboratum, ut omnium in ſe oculos converteret; ubi ſacram ædem ingreſſa, ante V. Sacramentum conſtitit, quod fortè neglectum, & incultum proſtabat, ingenuè erubuit; nec diu cunctata, ubi domum rediit, veſtem illam unico die ſpectatam, & ſemel exutam, nunquam induit amplius; ſed pio in ſacram Euchariſtiam affectu, illum omnem mundum templo obtulit, & ſacravit. Porrò ex hac unâ tam pretioſâ veſte, altari ſacrum frontale, ſeu pallium, ſacerdoti indumentum, calici velum, libro miſſali tegumentum, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ amiculum confectum eſt. Si vos ei, qui ſeipſum vobis toties donavit, aliquod gratitudinis argumentum conteſtari velitis, eandem pietatem æmulamini.

Virgines verò Deo devotæ, ac ſanctimoniales, floribus eleganter effictis, aut acupictis, amorem ac gratitudinem ſuam quoque commonſtrare poſſunt. Exemplo ſit *Thereſia de Lacerda* ſanctimonialis, *b* hæc inter cætera pietatis exercitia, elegantem tunicam parvulam concinnârat nudo puero Jeſu; quam cum pridie ſolennitatis illi induere vellet; tenero & velut ſtulto amoris œſtro abrepta, ſic parvulum expanſis brachiis compellabat: *Veni huc meum corculum, meum delicium, nunc eſt, quod te pulchra & eleganti tunica induam*; ad quas amabiles voces, puerulus ſtatuæ lapideæ, è ſinu Virginis Matris accurrit, ſeque Thereſiæ manibus ſtitit; quem indutum, ſuo loco reſtituit. Alias autem accidit, ut novam togulam eidem parvulo pararet, priori multo ſplendidiorem; ſed ut libera ſunt amantium colloquia, Virgini ad aram divinis ardoribus in dilectum ſuum exæſtuanti, Jeſulus hæc paucis effatus eſt: Tu filia, multum ſatagis, & ſolicita es erga plurima, ut me in imagine mortua ſplendidè veſtias, & condecores; at nulla tibi mens, vel cogitatio, de viva & reali eſſentiâ, ac ſubſtantia mea, qua corpore & animâ ſub Euchariſticis ſpeciebus tibi præſens, & præſto ſum. Quibus vocibus inflammata, omne ſtudium, opem, & operam contulit, in ornatum & cultum, quem illi gratiſſimum jure merito acceperat, ut SS. Sacramentum conferret; ſeque quamprimum totam impendit, & tabernaculum tam exquiſito artificio & ſumptuoſo pretio concinnavit, ut in univerſa Hiſpania nil ſimile ſpectetur. Argentea, aurea, gemmea donaria templis, ſacris vaſis, ac Euchariſticis Hierothecis, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis collata, videre eſt apud Michaëlem Alfordum in Annal. Britaniæ Tom. 1. Anno Chriſti 234. n. 30. &c. nec quidquam omnia hæc, pro Deo vero & vivo habent ad templum Salomonis, mortuæ figuræ exſtructum.

Obganniant, & fremant dentibus hæretici noſtri temporis, quibus profana fana, & aræ, haræ ſunt. *c* *Si calicem*, inquit

a Drexelius triſmegiſt. l. 3. c. 10. §. 1.
b Barrii practique des vertus 27. practiq. n. 6. ex P. Iean. de S. Maria.

c Auguſtin. Epiſt. 41.

Auguſtinus, *inveniſſes in terrâ, donares illum Eccleſiæ Dei*; donares, inquit, non raperes, ut avara, ſacrilega, impiaque manu faciunt, templorum, ac ſacrorum violatores, qui majeſtatem illam divinam ſuſpicere, vereri, & revereri deberent;

Quod vel inter ipſos Eccleſiæ hoſtes fecit Regii Theſauri cuſtos *Felix*, ſub imperatore Juliano. Hic cum in templum Antiochenum veniſſet, ad ſacra Eccleſiæ vaſa diripienda, videretque ingentem ciboriorum copiam, & calicum, & complurium donariorum tum magnitudinem, tum elegantiam, ſtupore attonitus, & propè amens exclamavit: d *Ecce quam ſumptuoſis vaſis, filio Mariæ miniſtratur.* Hæc illi ſtupor, & ſacræ opulentiæ admiratio verba expreſſit, utinam & piam mentem impreſſiſſet, & ſacrilegas manus à templis, ab aris, à ſacris vaſis abſtinuiſſet. Ecquid porrò ſatis ſumptuoſum, ac pretioſum *Filio Mariæ?* à quo vivo fonte, omnes auri venæ profluunt: cui omnes adamantes, & lapides pretioſi, & quidquid in orbe gemmarum, ut conditori, & vel ſoli tã amabili redemptori debentur.

Verùm, quid ego hic heterodoxos, blaſphemos, idololatras inſector, cum, quod maximè execrandum, reperire ſit, qui inter Catholicos cenſeri volunt, & hunc in aris, & Euchariſtiæ Sacramento exornando ſplendorem, & opulentiam, petulanti ac blaſphemâ lingua laceſſant, Theonino dente admordeant; cum interim ipſi, & eorum amaſiæ, argenteis & inauratis poculis non ſolum bibant, ſed & pretioſis pelvibus ad exſcreandum, & ſordes ſuas egerendas utantur; quos Judæ proditori, quis ſi contulerit, non omnino aberrarit, cum ejus voces uſurpent: e *ut quid perditio hæc? potuit enim venundari multo, & dari pauperibus*; ubi videndi interpretes. Ad lineam, & propoſitum redeo, & dico, non leve gratitudinis in Euchariſticum myſterium teſtimonium eſſe, ejuſdem cultui opulenta donaria, & pretioſa vaſa conferre.

Eſt & alterum illuſtre argumentum, accenſis cereis, ac facibus, ſplendorem addere, ut feſto Virginis Purificatæ, quod luminarium eſt, attigimus.

Sed ſuper omnia huic Sacramento amoris, nos veros laudatores, & gratos renumeratores exhibebimus, ſi corda noſtra divino igne flagrantia, & miſſiles ardentium deſideriorum ignes ejaculati fuerimus, donec puriores & non evanidos, omnis fuliginis, & humanæ concretionis expertes, altioris ordinis ignes concipiamus, & ipſi fonti, dicam an fornaci amoris, propinquantes, potemur, & ſatiemur, ut rectè Rupertus: f *Quamdiu per deſertum hujus ſæculi incedimus, quamdiu per fidem, & non per ſpeciem ambulamus, nimirum iſtis alimentis indigemus. Paſcimur mente legendo, vel audiendo verbum Dei: Paſcimur, & ore*, MANDUCANDO DE MENSA DOMINI PANEM VITÆ ÆTERNÆ, ET BIBENDO CALICEM SALUTIS PERPETUÆ. *At ubi venerimus ad illam terram viventium, in illam Beatam Sion, ubi in ſua ſpecie Deus Deorum, neque verbo*

d Theodoret. l. 3. c. 11.

e Matth. 26. v. 8. Marci 14.

f Rupertus in Ioſuæ cap. 17.

verbo doctrinæ indigebimus, neque in iſtis ſpeciebus panis & vini, ſed in propria ſubſtantia, videndo manducabimus, & ſaturabimur. Quod ad Iſraëlitas olim Dominus: g *Comedetis panem veſtrum in ſaturitate*, Chriſtianis proprius congruit, interprete Lyrano, qui ait: hoc eſt, *panem Euchariſtiæ, qui dat hic plenitudinem gratiæ, & poſtea ſatietatem gloriæ.*

Fuere quidem nonnullæ ferventes animæ, ut ſupra memini, etiam in carne degentes hoc cœleſti poculo ſaturæ, & divino vino ebriæ; mira & ſtupenda in laudem Sponſi ſui, ſub velamento panis abſconditi, eructantes; ſed capacitas vaſculi corporei plura non capiebat; & ut ſolerter Chryſologus, ſi tali hic peregrinis in eremo proſpexit de viatico, quid ſervaturus in Patria? h *Qui enim ſe nobis hic manducandum dedit, quid ſuum denegare poterit in futurum? Et qui tantum nobis* VIATICUM *præparvit ad victum, quid in illa nobis perpetua manſione non parabit?* ubi, ut canit Eccleſia, *divinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleti, quam pretioſi Corporis, & Sanguinis tui, temporalis perceptio præfigurat*, laudes in omnem æternitatem, toto ore, corde, & mente cum omnibus ſanctis ſine fine canemus.

g Levit. 26. v. 5.

h Chryſologus ſerm. 95.

FESTUM SANCTI NORBERTI ARCHI-PRÆSULIS MAGDEBURGENSIS, GLORIOSISSIMI PRÆMONSTRATENSIUM FUNDATORIS.

Dominator Dominus ex omnibus floribus Orbis elegit ſibi Lilium. 4. Eſdræ 5. v. 24.



Toto vertice ſupra eſt : 7. Æneid.

ARGUMENTUM.

AD rarum & præclarum, quod gloriam Salomonis, omnem-

omnemque veſtium apparatum excedit, ſpectaculum, rerum omnium conditor Deus nos invitat, dum *Lilium*, mortalium oculis & attentius animis contemplandum proponit: i *conſiderate*, inquit, *LILIA AGRI; dico vobis, quia nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis.* Hoc longè veriſſimum apparebit in candidiſſimo, quod habitu & mente, & moribus candidiſſimi Ordinis Fundator NORBERTUS expreſſit LILIO, cui nec Salomon in omni gloria ſua queat comparari. Inter ſpecioſos pretioſos flores, Lilium

——tantum caput extulit omnes,
k *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.*

Cumque flores habeant & colores ſuos, ad mores ſancti Patres Lilium à candore, odore, & decore, eximiis encomiis, quæ ſanctiſſimo huic Patriarchæ propria, emphaticè commendant; nihil vero magis, quam quod ſpecioſus præ filiis hominum, *l* qui *paſcitur inter LILIA*, non ſolum huic flori aſſimilari, ſed & *Lilium* nuncupari, & in illud quodammodo commutari voluerit; quare non diu quærendum, cui hunc cœli *Candidatorum* Parentem aſſimilabimus, cum ſpecie *Lilii* in cœlum aſſumptus ſit, ubi in æternum floret ante Dominum; in terris autem glorioſiſſime Pater, C*an*DIDV*s* *or*D*o* *t*VV*s* *f*L*oret*, ſine maculâ, primo ſuo candore, odore & decore.

§. I. *Dominator Dominus ex omnibus floribus orbis, elegit ſibi LILIUM.* Eſdræ 5. v. 24.

§. II. NORBERTUS LILIUM CONVALLIUM *præ humilitate.* Cant. 2.

§. III. S. NORBERTUS LILIUM INTER *adverſitatis* SPINAS *illæſum.*

§. IV. D. NORBERTUS, *qui in terris germinavit ſicut* LILIUM, *florebit in æternum ante Dominum.*

i Matt. 6. k Virg. Ecl. 1. l Cant. 2.

FESTUM
SANCTI NORBERTI ARCHI-PRÆSULIS MAGDEBURGENSIS, GLORIOSISSIMI PRÆMONSTRATENSIUM FUNDATORIS.

Dominator Dominus ex omnibus floribus Orbis elegit ſibi LILIUM. 4. Eſdræ 5. v. 24.

QUod inter nitida cœli ſidera, lucidiſſimũ illud ſolis jubar : quod inter pretioſa, terræ venis eruta metalla, fulgore ſuo omnium præſtringens oculos, aurum, quod inter aligeras volucrum phalanges, m *regnum tenens aquila* ; hoc inter omnem omnium florum elegantiam, colore, odore, decore longè excellens, ipſius primæ Veritatis teſtimonio, lilium deprædicatur, dum n *ex omnibus floribus Orbis, elegit ſibi* LILIUM *unum.* o Eſt porrò lilium ſi naturam ſpectes *flos Regius*, quo Reges Chriſtianiſſimi divinâ velut teſſerâ, in ſcutis aureis gloriantur. Plinius qui præ cæteris, naturas rerum plenius, ac penitius contemplatus eſt, hoc de lilio egregium, ac regium tulit encomium : p *candor ejus eximius, nec ullis florum excelſitas major* ; ſuper omnes enim, ut in ampliſſimis Principum Virorum hortis opere topiario excultis, videre eſt, lilium eminet, q *& toto vertice ſupra eſt.* Omnia paucis complexus Doctor Mellifluus, in illud Cant. *qui paſcitur inter* LILIA: r LILIA, inquit, *orta de terra, nitentia ſuper terram, eminentia in floribus terræ, ſuper odorem aromatum.* Altius exſurgit, & Lilii eminentiam, ac candidi hujus floris excellentiam, ſermone aureo Chryſologus extollit, expendens illud Matthæi 6. *conſiderate* LILIA *agri* ; *quia nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis* : Sic diſſerit : ſ LILIUM, *Salomonis ſublimat* (Chriſtus) *exemplo : quia ipſo Domino teſtante, inter omnes Reges, Salomon ſingulari gloria, ornatu unico ſpecioſus effulſit* ; *& omnes terræ flores* LILIUM *vincit, & præcellit gratia* ; *tantumque diſtat ab univerſo germine* (& cæteris floribus) *quantum Regem ſpecie, gloria, cunctis conſtat excellere.* Cui cum nihil addi poſſit ad com-

m Hieron. Tom. 4. in Daniel. 7.
n 4. Eſdræ. 5. o Pererius. p Plin. l. 21. c. 5. & 7

q Virg. lib. 1. Æneid. r Bern. ſerm. 58 in Cant. ſ Chryſolog. ſerm. 163

mendationem, concludit: *nec à nobis latius* LILII *deſcribenda eſt pulchritudo*, *cujus prærogativam Dominica teſtatio reddit ſingularem*.

Videtis, ut opinor, quorſum hæc Lilii commendatio, quæ ut ampliſſima, non accedit ad encomium illius LILII, quod vobis hodierna die, candore vitæ, & habitu, virtutum fragantiâ, atque è terris in cœlum, *in ſpeciem Lilii* aſcendentis decore, in ipſo, inquam, candidiſſimi & Liliati Ordinis, glorioſiſſimo Patriarcha *Norberto* proponam, & quantum *omnes terræ flores LILIUM vincit & præcellit gratia*, tantum aliis antecellere contendam.

Si ex inſanis, hoc ævo, florum amaſiis, unum aliquem in picturatam omni varietate, Floræ aulam induxeris, quid primum mirari, quid præ cæteris deprædicare, quid maximi æſtimare arbitramini?

Anno hujus ſæculi milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſexto, mercator noſtro Danieli Segers pictori, in arte florum præſtanti retulit: Amſtelrodami æſtimatam unam tulipam octo millibus florenorum, neque eo pretio venalem fuiſſe. Anno autem inſequenti, Luſitanus in bulbos 45. ejuſmodi florum, Antverpiæ expendit octoginta millia florenorum, è quibus annuus cenſus, ſupra 5000. redundaret. Et hoc totum pretium, vel vermis, vel urens ſol, aut crudior aura depaſcitur, & breve temporis ſpolium eſt. At dum cœleſtis ille Colonus, ipſa increata Patris Sapientia, ſponſus Virginum deſcendit in hortum ſuum, in animarum viridaria, t *ex omnibus floribus orbis elegit ſibi* LILIUM UNUM, præ omnibus floribus ſibi gratiſſimum, & pretioſiſſimum; quod, ut cum Doctore Mellifluo loquar, v *candore conſpicuum*, *odore præcipuum*, quod non caducum, non fluxum, *non hodie eſt*, *& cras in clibanum mittitur*, *ſed florebit in æternum ante Dominum*.

Tale, tam excellens, tam divinum Lilium *amator ille* LILIORUM, candidiſſimi Ordinis Fundatorem elegit, de quo jure meritiſſimo exclamare poſſim; x tali *quid* LILIO *pretioſius*? quod quemadmodum germinarit, paucis attendite. Præ cæteris floribus, mira eſt Lilii fœcunditas, quam Plinius *doctiſſimus homo*, ab Auguſtino nuncupatus, hiſce verbis deſcribit: y *albis* LILIIS *nihil eſt fœcundius*: *una radice quinquagenos ſæpè emittente bulbos*. At cœleſtis hujus Lilii, quod divina manus, in Eccleſiæ paradiſo plantavit, innumera ſunt germina, quæ vel à dignitate, vel à ſanguine, vel à virtute, ac ſanctimonia, vel denique ab eruditione conſpicua recenſere, non humanæ, ſed Angelicæ eſt facultatis. Teſtimonium, quo luculentius non habet orbis, hoc dedit SS. D. N. Adrianus Papa IV. z *attendentes quomodo Religio*, *& ordo veſter* (Præmonſtratenſis) *cujus nos alumnus fuimus*, *multa refulgens gloria meritorum*, *palmites ſuos extendit à mari uſque ad mare*. a Uſque eò porrò ſe hujus candidæ familiæ ſplendor virtutum diffudit, ut certatim illius colo-

t 4. Eſdræ 5. v Bern. ſerm. 70. in cant. x Bern. ibid. y Plin l. 21. c. 5. z Lancicius opuſc. ſpirit. 1. c. 19. a Ibid.

nias, viri Principes variis in locis experierint. Siquidem primis octoginta Annis, ſupra mille & octoginta Monaſteria numerata fuêre, *tamque fœcunda religioſorum* (inſtar Liliorum) *germina*, graves ſcriptores teſtantur, ut mille alumnos ſubinde unicum cœnobium eduxerit in Eccleſiæ caſtra: nihilque frequentius eſſet, quam ut 200. 100. & plures in ſingulis clauſtris invenirentur. Tractu verò temporis, recenſuit Præmonſtratenſis ordo abbatias mille & trecentas virorum præpoſituras, inſuper quingenta ſanctimonialium Cœnobia. *b*

Et hic domi ab infula, pedoque decor, & gloria. Foris autem, ab Eccleſiis tam Metropolitanis, quam Cathedralibus, ornamentum longè maximum: occupavit enim (quod hactenus nulli, quem legerim, ordini datum eſt) ſexdecim Eccleſias, tum Metropolitanas, tum Cathedrales, quibus Archiepiſcopos, Epiſcopos, Præpoſitos, Archidiaconos, Canonicos dedit longiſſima ſerie, etiam per multa ſæcula.

Ex his vel ſola *Regienſis*, quæ eſt ſedes Metropolitana in Livonia, habet ſub ſe Epiſcopos ſuffraganeos novem, quibus omnibus præſules ſuo de gremio, imò & ſuo quaſi jure, ad multa ſæcula ſubminiſtravit.

Certè unicum *Præmonſtratenſe* Monaſterium, dedit in primo ſuo flore Magdeburgenſi Eccleſiæ *D. Norbertum.* Raſeburgenſi *B. Evermodum.* Laudunenſi *B. Gualterum* Morienſi *B. Milonem*, Coſeranenſi *Navarrum.* Cabilonenſi *Gualterum.* Bagienſi *Gervaſium.* Ecce quot ab unica familia infulati Præſules.

Accipe, quot ab alia *montis Sion*, quæ vulgo *Strahoven*, non procul ab aula Imperatoris, in Regia Bohemorum Urbe: ex eâ unica, Pragenſis Eccleſiæ etiam Cathedralis, Epiſcopi omnino decem. Ut proinde jure meritiſſimo Monaſterium Strahovienſe audierit, quaſi ſeminarium Olomucenſium Epiſcoporum, quod adeo probatum Bretiſlao, Bohemorum Duci, ut deinceps ſtatuerit, neminem niſi ejuſdem cœnobii Canonicum, in Epiſcopum Olomucenſem eligi oportere: quod & litteris ſuis, ac diplomatibus ſancitum voluit. Ut vel ex eo omnibus compertum ſit, Divum NORBERTUM, virum ſane glorioſum, in ſua illa infulata, & ſacratiore candidi ordinis, generatione, germinaſſe ſicut Lilium.

b Biblioheca Præmonſt. l. 1. c. 17.

§. I.

Dominator Dominus ex omnibus floribus orbis elegit ſibi LILIUM. 4. Eſdræ 5.

NObiliſſima omnium, quæ ſub ſenſum cadunt oblectamenta, ſunt *colores*; utpote qui lucis filii, ſolis proſapia, & cœleſtis naturæ. Enimvero nihil oculis gratius, nihil acceptius, nihil mirabilius. Colores gemmas nobilitant, flores veſtiunt, atque diſtinguunt. Colores, avium plumas, ovium vellera, ferarum pelles, arborum fructus variant, & commendant. Colores, tabulas, imagines, ſtatuas picturare, & animare

mare videntur. Colores, hominum formas, & habitus non ſolum diſtinguunt; ſed etiam illuſtrant, omnemque venuſtatem ad Miraculum conferunt. Colores ipſum etiam cœlum exornant? Coloribus enim Iris veſtitur, nubes induuntur; à colore dicitur aureus Sol, argentea Luna, flammea ſidera, denique totum ipſius cœli Corpus, ab uno colore, cœruleum appellatur.

At qualis interiorem empyreæ domus faciem, colorum varietas, & venuſtas perſtringat, quæ *oculus non vidit*, lingua nequit explicare: c *ſi enim in hoc exilio, & lacrymarum valle, tanta eſt multitudo, & pulchritudo COLORUM, & formarum, ad oblectandos oculos, quanta erit in patria?* Omnes igitur colores ita natura comparavit, ita pulchros & diverſos conſtituit, ut de ipſorum primatu, ingens reliquerit certamen; cum quiſq; prope ſuos habeat auctores, & fautores.

Roma totius orbis Regina, quatuor in ludis aurigantium factiones habuit, diverſis coloribus diſtinctas, & adverſis pariter animis repugnantes invicem & adverſantes. Una erat *viridis*, quæ Praſina dicebatur: altera *cœrulea*, quæ Veneta nominabatur. Adde *albam* alteram, quæ viridi: alteram verò rubeam, quæ cœruleæ adhærebat. Quatuor hæ, ſacratæ erant quatuor Elementis, & quatuor Anni temporibus. *Viridis*, terræ & veri; *cœrulea*, aquæ & autumno; *rubea*, igni & æſtati; *alba*, aëri & hyemi.

Nero & Caligula, viridi & albæ uſque adeò indulſerunt, ut eas vituperare auderet nemo. Vitelius tanto ſtudio venetam, cœruleam, & rubeam proſequebatur, ut morte mulctaret eum, qui contra eas loqueretur:

d Conſtantinopoli ex hac contentione, tanta ac tam fœda coorta eſt armorum tempeſtas, ut triginta hominum millia funditus perirent: Imo Auctore Paulo Diacono e, ab his *colorum* factionibus, atrociſſimum illud, ac civile bellum fuit excitatum, quòd quidem univerſam penè plagam orientalem, in commune incendium impulerit. Nos pro virtute decertantes, ſine cæde, & ſanguine, hæc diſceptabimus.

Univerſim conſtat, omnia colorum genera, in ſex præcipuos conflari. Nam præter cœruleum, viridem & flavum, quos Platonici admittebant, inducunt tres alios, rubrum, nigrum, & album, cum communi Philoſophorum placito, apud Dandinum *f*. Ac primum quidem, pro primatu *Cœrulei coloris* facit, quod color tenuiſſimus ſit inter omnes, ideoque à pictoribus, in magno pretio habitus. Jam verò antiquitas illum aëri ex elementis: Jovi ex Planetis: Sapphiro ex gemmis attribuit *g*: ejuſque præſtantiam commendat ſacer Ordo S. Joannis Euangeliſtæ, qui hoc colore indutus, orbem condecorat, & illuſtrat.

Viridem præ cæteris gratiſſimum eſſe oculis, probat Aguilonius *h*. Subſcribunt pictores, ſuaſq; ducunt lineas, feſſis oculis

c Leſſius de ſummo bono, l. 3. c. 8. n. 97.

d Manaſſes in polit. e Paul. Diacon. f Dandin. l. 3. digreſſ. 35. Rhodigin. l. 1. antiq. c. 2. g Aguilon. de optic l. 1. h Aguilon. in optic.

virides colores inducentes,ut reficiant; auget hujuſce coloris excellentiam marmor Lacedæmonium, quod *viride*; & omnium laudatiſſimum Plinius *i* commemorat: eundem maxime commendat Smaragdus, gemma ob unum *viridem colorem*, magno ubique pretio æſtimata. *k* Ex virtutibus etiam caſtitatem demonſtrat: Smaragdus enim adeò uſque libidini adverſatur, ut ſi quis ea tabe infectus, eum circumferat, frangi contingat.

Pro *flavo*,qui & aureus dicitur, tota auri, ſoliſque forma decertat, Ab hoc colore quidquid divitiarum, quidquid venuſtatis eſt, cognominatur: ſic aurea mala: coma aurea: aurea cæſaries: capillorum enim flavities tanti fiebat, ut aureis ramentis aſpergeretur. Unde Auguſti & Conſtantini Magni cæſaries, magno honore colebatur. Iam vero apud Hebræos nihil pretioſius. Probatur ex Davidis, Abſolonis, ac Salomonis capillis, atque ex egregio pulcherrimorum juvenum cœtu, qui Salomonem comitabantur, quorum fuit cura præcipua, auri ſcobe comam inaurare *l*. Color hic inter gemmas,Topazion præſertim inſignit:

Sunt qui præ his, *rubrum* extollant, quod eo, juxta veteres, ignem ex Elementis: Martem ex Planetis: Leonem ex aſtris, ex floribus roſam; ex gemmis carbunculum condecoret. Hoc colore Regum purpuræ tinguntur: Cardinales, Eccleſiæ Principes induuntur. Pro nigro tamen, totus inſudat Caſſanæus *m*, eique primas defert: hic in ebeno elucet, hic in pretioſis tabulis, in artificioſis picturis, per umbras ſplendorem inducit. Hic venuſtatem confert incredibilem, ex nigro capillitio,ſupercilio,& pupillis nigris, unde Horatius:

n *Spectandus nigris oculis,nigroque capillo.*
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Quid quod ſponſa, in ſacro Epithalamio,venuſtatem ſuam à nigredine commendat: o *NIGRÆ ſum, ſed formoſa*, quæ pulcherrimè ediſſerit Bernardus: p *non omne, quod NIGRUM, deforme eſt. NIGREDO in pupilla non dedecet, & NIGRI quidam lapilli in ornamentis placent, & NIGRI capilli, candidis vultibus, etiam decorem augent,& gratiam.* Mitto alia exempla.Cant. 5. *Comæ ejus ſicut elatæ palmarum, NIGRÆ ſicut corvus.* Placuit admodum hic color Auguſto, qui imperavit ex lapide nigro, ſibi ſtatuas erigi. Hunc præ cæteris inſignis Pictor Apelles in Alexandro exprimendo amavit; ſubnigrum enim, auctore Plutarcho, cum ejus pulchritudinem exprimere voluiſſet, depinxit. In equis nihil præſtantius; indicium eſt invicti roboris.Hic color, conſtantiæ ſymbolum. Nam cum ipſe omnes extinguat, à nullo extinguitur: *Lanarum nigræ,nullum colorem bibunt.* Eſt hic luctus, & pœnitudinis ſignum, omniſque cultus mundani, ac vanitatis ſiparium. Stant pro eo plures Religioſi ordines, qui ab illo habitus, & veſtes petunt.

Denique ut concludam cum Pla-

i Plin. l. 36. c. 7. k Pererius. Hieroglyp. l. 41. de Smaragdo. l Ioſeph. l. 8. antiq. c. 2. m Caſſanæus in Cat. Ariſt. 1. p. concl. 17.

n Horat. de arte, o Cant. 1. p Bern. ſerm. 25. in cant.

Platone, pro *rubicundo colore* videre mihi videor ſtare animoſos: pro viridi viriles & maſculos: pro flavo dociles: pro igneo iracundos: pro cœruleo crudeles: pro nigro melancholicos, & ſecundum perſpectivos timidos. Verumenimvero pro *albo, ac candido, pios ac Deo* devotos, imò ſanctos omnes, amictos *ſtolis albis* ipſamque Virginem cum Agno ſtare video. Quem, non ſine admirabili & amabili Numinis providentiâ, D. NORBERTUS in ipſo ſanctioris Vitæ exordio induit: *q* etenim ut veterem hominem, qui extrinſecus etiam oculis patet, exueret, veſtem pretioſam ſerico, auroque pulchre intextam, cum paupere mutat, & agninâ pelle, non ſine myſterio, ut Chriſtum agnum, novus ſanctitatis candidatus indueret.

Albus porrò color, cæteris, inquit Ariſt. *r*, nobilior, quia vicinior luci. Ille notat ex Elementis aquam: ex gemmis adamantem, ebur, & candiſſimas margaritas: ex floribus *Lilium:* ex ætatibus infantiam, illibatamque innocentiam: ex virtutibus caſtimoniam, & virgineæ mentis candorem: deſignat fortunam proſperam, & ſecundam; hinc dies candidi, & nivei lapilli, felicitatis indices. In veſtibus, feſtivitatis ac lætitiæ; imo & dignitatis ac gloriæ acquirendæ, ut in Candidatis, ac Triumphis Principum, argumentum *ſ.* Hic ſanctorum color & habitus, quin & Angelorum, quos Matth cap. ult. in veſtimentis ALBIS inducit. Sic Lucas Angelum Petrum vinculis eximentem depingit. Marcus ipſum Regem Angelorum, in veſtibus albis glorioſum proponit. Nam hic in terris veſtimenta *candida facta ſicut nix*, & in cœlis, agnus candidus, quem candida Virginum agmina, in veſtibus albis ſequuntur, quocumque ierit.

Ejuſmodi veſtem, quæ t *vincit candore nives*, è cœlis, Angelorum Regina NORBERTO detulit, ut index eſſet illius candoris, nitoris, & caſtimoniæ, quam in ejus alumnis amabat, & geſtari, ac ſervari volebat. Hoc aureum Principis Philoſophorum pronuntiatum eſt: v *In* VESTE CANDIDA, *atque mundâ, vel minima macula perſpicua eſt*; hinc ſi quæ candida cyclade, ex niveo holoſerico induuntur, omni curâ, & cautela obſervant, ne propius ad ſordes accedendo, levi affrictu, vel attactu, minima macula aſpergantur. Quod intus ad animum referendo, melleo flumine derivat Bernardus: x *ſicut pretioſam veſtem quævis macula turpis decolorat; Ita nobis ad immunditiam, minima quælibet inobedientia ſufficit: nec jam nævus, ſed gravis macula, ſi in actionibus noſtris vel minima reſidet negligentia mandatorum.* Nec minus venuſtam, ab eleganti hominis forma, inducit ſimilitudinem: diſplicet in pulchro corpore, non ſolum macula, ſed etiam nævus. y *Et quo nitidiores manus, eo gravius quoque minor in eis nævus offendit.*

Diſplicet in aurea cæſarie, vel

q In vita. r Ariſt. l. 2. Phyſ. & libro de ſenſu, & ſenſibili. ſ Alex. ab Alex. Rhodigin.

t Ovid. Metam. v Ariſt. l. 5. c. 1. de generat. animal x Bern. ſerm. de tripl. cuſtod. y Bern. de tripl. cuſtod.

unus pilus canus: In nigris oculis, exigua albugo: In eburnea fronte, vel minima verruca; adeò ut repertæ, quæ cum ſummo cruciatu, ac præſentis vitæ diſcrimine, hunc nævum, perita chirurgi, aut medici manu tollere conatæ ſint. Hic optem, divini Eccleſiaſtis ſermo, ut facula exardeſcat, potenter ſuos inflammando, ut non minori curâ, ac cautela cœleſtem illam Caſtimoniæ formam, & divinam Virginitatis ſpeciem, ab omni verrucâ, ac macula conſervent. Quod in vobis, Religioſiſſimi Patres, ac Candidiſſimæ D. NORBERTI filiæ ſanctimoniales, peculiariter elucet ſtudium, ut quam cœlitus candidiſſimam veſtem accepiſtis, eam morum, vitæque integritate, ab omni nævo intactam conſervetis: z ut *ſitis ſancti & immaculati*, id eſt, juxta Symmachum, *ſine nævo*. Talis exſtitit jam tot ſæculis, primo ſuo in flore, & vigore, candidiſſimus veſter Præmonſtratenſium ordo, ſine ruga, & ſine macula; aliis quondam florentiſſimis Religionum familiis, lapſu temporis, multum fæcis, & luti contrahentibus. Nec dubitavit vir omni encomio ſuperior, Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus, inter fontes lacrymarum, hanc in pleriſque antiquis cœtibus vitæ regularis, labefactationem ſtatuere *a*. Nullus hiſce lacrymis locus, circa hunc ordinem D. *Norberti*, qui imitatione cœleſtium Corporum, perſtat ab initio incorruptus. Imo quia cœli mutabuntur, & veteraſcent, Deum ipſum (quantum per humanarum rerum conditionem licet) æmulari dicendus eſt, cum aliis Ordinibus de ſua conſtantia dejectis, hic audire queat: b *tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Illi inquam anni, qui per dies, menſeſque virtutum, numquam interruptos, ſed perpetuo recurrentes, ut Origenes diſſerit, in terreſtribus cœlis efficiuntur. Illi anni, & luſtra, & ſæcula adeò non vetuſtatem, aut fuliginem aliquam, niveo candori veſtro aſperſere, ut eum ſemper puriorem, nitidioremque reddiderint. Fuit qui in tabula cœleſtem genium expreſſit, qui globum niveum volvebat, hoc lemmate ſubjecto: *traxit volvendo nitorem*. Quod nulli potius, aut propius, quam huic ordini, de quo agimus, congruere videtur. Nam

c *Toto candidior hic* ORDO *cygno,*
Argento, nive, LILIO, *liguſtro.*

De aliis quibuſdam olim Pſaltes Regius vaticinatus eſt: d *commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factum eſt illis in ſcandalum*. Dum vos, e *humanæ nil fæcis habentes*, longe ſupra terrena, cœleſtia ſapitis, naturam *Lilii*, vel hoc ipſo æmulantes, cujus hanc illibati candoris cauſam Nyſſenus Antiſtes adducit: f *magna ex parte*, inquit, *cum in rectum à radice inſtar arundinis excurrerit herba Lilii, tunc florem*

z Epheſ. cap. 5. vers. 27. a Bellarminus de gemitu Columbæ lib. 2. cap. 6.

b Pſal. 101. v. 28. c Martial. lib. 1. Epig. 116. d Pſalm. 105. vers. 35. e Ovid. 1. Metam. f Nyſſen. hom. 7. in cant.

edit

edit ex vertice, non modico intervallo à terra: tantum diſtans, quantum ſatis ſit ad hoc, ut maneat pura in ſublimi pulchritudo, non inquinata à miſtione cum terra. Qui fit tot viros Religioſos, tot candidas mentes, ſuper carbones denigratas? Corpore, & animo infixæ ſunt in luto: g *commixtæ ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.*

Quantò ſors veſtra ſecurior, ſublimior, ſanctior, quorum h *manet pura in ſublimi pulchritudo, non inquinata à miſtione cum terra?* de vobis enim Jeremias vaticinatus eſt: i CANDIDIORES *Nazaræi ejus nive.* Alexandrina verſio: *nitidi facti ſunt, abſtinentes ſe ex hominibus, magis quam nix.* k Nazaræus ex Etymo, idem eſt, quod ſeparatus, conſecratus, coronatus; ſeparatus quidem à mundo, conſecratus Deo, & ex utroque, meritò gloria & honore coronatus. Unde Nazianzenus l *Religioſos, noſtrates, Nazaræos compellat: quia ſunt Eccleſiæ pars ſelectior, & ſapientior, qui ſeipſos à mundo ſejunxerunt, ac vitam ſuam Deo conſecrarunt.* Quod juvat irrefragibili Angelici Doctoris confirmare Judicio: m *Nazaræi cum voto ſanctificabantur. Per eos ſignificantur illi, qui ad perfectionis ſummam pertingunt*; qui puritate vitæ nivem; nitore lac referunt; quo fere ſenſu Magnus Gregorius: n *Quid enim Nazaræorum nomine, niſi abſtinentium, & continentium vita ſignatur, quæ nive, & lacte nitidior dicitur? Quid per nivem, niſi candor vitæ cœleſtis demonſtratur?* Ecquid candoris ſimilitudinem à nive, non à candidiſſimo lino, aut byſſo mutuatur? quia hæc primum fuere nigra, tetrumque colorem biberunt, quo expiari debent; nix verò ſemper candida, omnis ex ſe nævi expers, & nigredinis; quæ cum vobis propriiſſima ſint, libet communi Eccleſiæ voce exclamare: *candidi facti ſunt Nazaræi, ſplendorem Deo dederunt; Candoris teſtis, mens candida, candida veſtis*: Dixerit olim Tertullianus de pallio, quo Chriſtiani induebantur: o *de occurſu meo, vitia ſuffundo. O quam grande pallii beneficium eſt, ſub cujus cogitatu, vel improbi mores erubeſcunt.* Dicam ego: de occurſu veſtro, vitia ſpectantium ſuffunditis. *O quam grande candidi Pallii*, & niveæ togæ *beneficium eſt, ſub cujus cogitatu*, qui vos intuentur, *vel improbi mores erubeſcunt*; & taciti monentur ut candidis moribus, candidis oculis, candidis manibus, candidis pedibus, candido corpore, & candida mente ſint.

Hunc itaque candidiſſimum habitum, vobis Adm. Reverendi Domini, cœleſtis Aulæ candidatis gratulor. Hic feſtivitatis ſanctæ, ac cœleſtis lætitiæ indicium eſt: ſic etenim Gregorius, in ſolenni Chriſti ad ſuperos aſcenſu, Angelos in albis veſtibus apparuiſſe ait, p quia in ALBIS VESTIBUS *gaudiũ, & ſolennitas mentis oſtenditur.* Conſimili beneficio, quo *ſanctiſſimus Patriarcha veſter*, S. Ildephonſus, orbis, & cœli amor, marianâ munifi-

g Pſal. 105. h Nyſſ. cit. i Thren. 4. v. 7. k Mendoſa tom. 1. l. 1. Reg. c. 1. annot. 10. ſec. 1. n. 14. l Nazian. orat. 20. m S. Thom. 22. q. 186. a. 6. n S. Greg. l. 33. mor. c. 23. & lib. 3. cap. 17.

o Tertull. lib. de pallio. c. 5. p S. Greg. hom. 29. in Evang.

centiâ

centiâ donatus eſt. q Hic Virginem Matrem principe ſemper ſtudio coluit, ejuſque ſanctiſſimam integritatem, inſigni volumine contra hæreticos edito, propugnavit: nec gratis; aſſumptæ ſiquidem in cœlos die, dum ſupplicabundus cum ſuis, templo proximus eſſet, cœlitum manus fores pandit, & Virgines inter, Virgo maxima in Throno Regio conſpicua, eidem veſtem mirifici Candoris donavit, quæ hodie religiosè aſſervata, docet quo filios ſuos Parthenios magna Mater uti veſtis, aut certe animi colore cuperet. Hoc Ildephonſi, hoc NORBERTI à Diva Parthenone cœlitus munus ſubmiſſum, ampliori encomio celebrandum, quam olim Martialis Poëta illam nobiliſſimam, candidiſſimamque togam à Parthenio, cubiculi Domitiani præfecto donatam. Quam ita laudat:

r *LILIA tu vincis, nec adhuc delapſa liguſtra,*
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ,
Cedet Erithræis eruta gemma vadis:
Et licet hæc primis nivibus ſint æmula dona,
Non ſunt Parthenio candidiora ſuo.

Sic ſi animum, quo Parthenica Virgo ſuos clientes donavit, ſpectes:

Non ſunt Parthenia candidiora ſua.

Qualis autem hic candor ſit, virgineus Doctor ediſſerat, qui ait: ſ *Flos LILII, tam interius, quam exterius ALBUS eſt; Quid verò per exteriorem partem floris ALBAM: niſi munditia corporis; aut quid per interiorem, niſi virginalis mentis puritas figuratur?* Nihil porrò confert candor habitus, aut corporis exterior, niſi ſit puritatis nitor interior, de quo ad Virgines, quas hic paucis alloquor, exſtat illud Apoſtoli monitum: Virgo ſancta ſit, non ſolum *corpore*: ſed & *ſpiritu*, & mente t; quam vel fœda cogitatio, deliberatè admiſſa, macula turpiſſimâ lethali noxâ inficere poteſt. Unde ſanctus Gregorius in cap. 3. Cantic. *Qui paſcitur inter LILIA*, ſic ait: v *Quid per LILIA, niſi mundæ animæ deſignantur? quæ cum caſtitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem, proximis quibuſque bene olent. Inter LILIA ſponſus ergo paſcitur, quia animarum caſtitate delectatur, quæ & in ſe munditiam carnis conſervant, & per nitidas cogitationes coram eo placent*; qui interior mentis candor, animique nitor, adeò neceſſarius eſt, ut Beatus Petrus Damiani jure perſtringat illas in habitu, geſtu, ſermone, aſpectu minus circumſpectas filias, quæ de virginitate corporis gloriantur, ſibique præſidentes, liberius evagantur: x *ubi ſunt illæ* inquit, *quæ dicunt; ego ſum virgo, ego ſum virgo? Verboſæ, contentioſæ, ſuſpectuoſæ, veſte compoſitæ, moribus diſſipatæ. Ego ſum virgo, neſcio enim virum, ignoro conjugium. O virgo! quam felix eſſes, ſi quod habes in carne, ſervares in mente, cuſtodires in actione! Quid enim prodeſt*

q Surius 23. Ian. vid Boll. r Martialis l. 8. Epig. 28.

ſ Bern. tract. de paſſione cap. 28.
t 1. Cor. 7. v S Greg. in cant. cap. 3.
x Damian, ſerm, 3. in nativ. B. V.

ſolius

foliis carnis integritatem ſervare, & malignorum ſpirituum ſtupris, mentis interiora corrumpere? Virgo carne, non animo, virginitatis præmio non potitur: Aliud quippe eſt tentationum fortiter illecebris contraire, aliud eiſdem blandè irrepentibus etſi non corpore, mente tamen enerviter cedere. Talis cum Regio Propheta clamet: y *cor mundum crea in me Deus. Fiat cor meum immaculatum,* quod Sponſo Virginum, qui paſcitur inter Lilia, dignum.

Quale fuit illud, quod Ludovico XI. Galliarum Regi oblatum eſt; z qui cum prævalidas regni ſui arces luſtraret, & tandem Tornacum diverteret, effuſa eſt urbs in occurſum Regis, interque alia amoris, & venerationis teſtimonia, virginem obviam habuit, ſpecie præcellentem, ac Regiâ pompâ ſtipatam, agglomerante ex ordine civium agmine. Hæſit Ludovicus in Virginem defixus: cui puella, ſemotâ pectorali faſciâ, protulit cor aureum, quo aperto *Lilium* promicabat; ac tum tandem ſic Regem affata eſt: illibatum ſe ſuum virginitatis florem Regi Galliarum, cui *Lilium* regalis teſſera, in perpetuum devovere Hujus unius virginis exemplo, nos omnes cor charitate aureum, virginitatis *Lilio*, quaſi illibati amoris flore redimitum, Regi noſtro offeramus. Hoc innuit S. Iſidorus: a *Lilia* inquit, *lactei floris herba, unde & nuncupata quaſi Lidia, cujus cum candor ſit in foliis, auri tamen ſpecies intus effulget:* ut & cor noſtrum virgineo candore niteat: & auro charitatis reſplendeat. Quale ſanctiſſimus hic *Patriarcha* Regi immortali dicavit, & conſecravit.

y Pſal. 50. & 118. z Piſc tom. 2. feſto S. Ioſephi. pag. 279. a S. Iſid. lib. 17. cap. 9.

§. II.

NORBERTUS, LILIUM CONVALLIUM *b, præ humilitate.*

SUmmus ille rerum omnium opifex Deus, in amoris cantico, *ſe* c *LILIUM CONVALLIUM* nuncupare non dubitavit, quia propter nos ab altiſſimo cœlorum Throno, in hanc infimam miſeriarum vallem deſcendit: d *propter me,* inquit Origenes, *qui in valle eram, ſponſus deſcendit in vallem, & fit LILIUM.* Illud quidem flores inter, excelſo vertice ſupereminet, e *nec ullis florum excelſitas major*; ſed ut nobis vivum humilitatis ſymbolum exhiberet, capite in terram prono reclinat, ut apis illa claravallenſis, ſermone melleo quem hinc ſuxit, exponit: f *flos LILII tam altus, tam candidus, ſemper reclinatur in terram. Quid nobis per hoc aliud, quam humilitas commendatur?* Nôſſe vultis, quantum ſeſe hoc Lilium convallium inclinârit? In paupere tugurio, in præſepi reclinatur, & pauperculis paſtoribus manifeſtatur g *agnoſce LILIUM ex candore, qui mox in ipſo exortu floris, Paſtoribus de nocte emicuit,* candidis pannis involutum. Idem argumentum proſequitur S. Bernardus. h LILIUM, inquit,

b c Cant. 2. d Orig. homil. 2. ex duabus. e Plin. l. 21. c. 7. f Bern. tract. de paſſ. cap. 29. g Bernard. ſerm. 58. in cant. h Idem ſerm. 47. in cant.

non

non collium, ſed convallium: cum ſe manibus Baptiſtæ ſervi, Dominus inclinaret, ſacrumque illum verticem, qui fulcit orbem, homini mortali ſubderet. i *Pulcherrimè etiam dicitur* LILIUM CONVALLIUM, *dum ſaturatus opprobriis*, in ſublimi crucis ſtipite, *inclinato capite tradidit ſpiritum*. En Lilium, cui nulli *florum excelſitas major*, infima humilitate depreſſum.

Sed quid ſe Lilium vallium, & non vallis, cœleſtis Sponſus indigitavit? ſi altiſſimam hic humilitatem indicare voluerit; ſuffecerit ſe Lilium vallis nuncupare. Audiendus hic Alanus, qui ait: *rectè dici Lilium convallium, quia perfecta humilitas fuit in Maria, & in humana Chriſti Natura* VERBI: *valles dicuntur, propter eminentiam humilitatis; & non ſolum valles, ſed* CONVALLES, *ratione ſimilitudinis*. Jam mundi Domina, cœli Regina, omnipotentis Dei Mater, qua major dignitas, & poteſtas excogitari non poteſt, eligitur, & ſe ancillam prædicat. Attonitus hic exclamat Bernardus; k *quæ eſt hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, inſoleſcere gloria neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat.* Tum ſubdit: *non magnum eſt, eſſe humilem in abjectione: magna prorſus, & rara virtus, humilitas honorata.* Quæ quo rarior, hoc præclarior, in divino illo viro NORBERTO enituit, quam jure omnes miramur, & veneramur, utinam & æmulemur.

i Ambroſ. ſerm. 5. in pſalm. 118.
k Bernardus ſermon. 4. ſuper miſſus.

l Erat Norbertus, fratre Heriberto Gennepii Comite, ex auguſta *Salicorum* familiâ, è quibus quatuor, continuata ſerie Romanum Imperium tenuere, videlicet Conradus Salicus, Henricus ſecundus, Henricus tertius, & Henricus quartus, nepotes, ac pronepotes; ex Matre verò Hadawigi, Guiſios, ac Lotharingos Duces oſtentabat. Accedebat aulæ favor, & gratia, tum Frederici Archiepiſcopi Colonienſis, tum Henrici quarti Imperatoris etiam conſanguinei, à quibus ſumma omnia ſperare, & impetrare poterat, niſi ſua ſe modeſtiæ virtute involvere, atque in humilitatis valle, pauperes Evangelizando, & cum humilibus ſermocinando, hoc *Lilium convallium* latere maluiſſet. *m* Ibat ille pauperis habitu, nudis pedibus aſperrima hyeme, per glaciem, & nives, non ad genua dumtaxat, ſed umbilico tenus perreptans, ut ex Apoſtolica Gelaſii Papæ juſſione, ſementem verbi Dei faceret, animaſque Deo, ac oves perditas ad ovile Chriſti reduceret. Tanto divinæ charitatis æſtu flagrans, ut eum nec frigoris aſperitas, nec corporis inedia, nec virium die noctuque defatigatio, à cœpto retardaret. *n* Non ſic tamen latere potuit, quin ad Illuſtriſſimam Archiepiſcopatus Cameracenſis Infulam vocaretur, quam ipſe non tam gemmis & auro, quam cura & ſolicitudine gravem, recuſavit, tantoque hono-

l In vita S. Norberti Authore D. Petro de Vſagenare, in Surius cap. 5. & 11.
n Ibidem.

ris oneri verticem quaſi non ferendo parem, ſubduxit: ad inſtar LILII, o *quod languido ſemper collo, & non ſufficienti capite oneri* Interim Burchardus, qui ad inſulam illam venit, NORBERTO renuente, hanc ejus, dicamne demiſſionem animi, an celſitudinem, ſuſpicere, & amare, & cum lacrymis commemorare ſolebat. p *Rara prorſus virtus humilitas honorata*! Rari rerum humanarum æqui æſtimatores, qui honorem, onus reputent.

In hoc genere nihil illuſtrius, quam SS. Patris Urbani VII. teſtimonium, qui quoties amiculum è ſubtili telâ ſuperindueret, alto pectore ingeminabat: *quis crederet, ſub tam levi ſindone, tantum ponderis deliteſcere?* reipſa etenim experiebatur, veriſſimum illud Senecæ: q *Eſt inter onus, & honorem, non tam alluſio vocis, quam rei ipſius expreſſa veritas.* Sed parum hoc attendunt honoris candidati, ac gloriæ aucupes, qui ut ad dignitatum gradus efferantur, quantum ſtudii, diligentiæ, ſolertiæ impenditur? Quam pretioſa potentioribus munera miſſitantur? Quot obſequiis, & infimis ſervitiis, gratia captatur? Aculeum hic jure exerit Doctor Mellifluus: r *O perverſitas generis humani! ô abuſio filiorum Adam! quia cum aſcendere difficillimum ſit; deſcendere autem facillimum, ipſi & leviter aſcendunt, & difficilius deſcendunt: parati ad honores, & celſitudines graduum Eccleſiaſticorum, ipſis etiam angelicis humeris formidandos;* cui oneri, tot magnæ animæ ſuccubuerunt, & in æternum perierunt. Verè, & ſeverè ſapiens minatur: *judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet* ſ. Quod Laurentius Juſtinianus expendens, ait: t *Si quis pro ſeipſo rationem reddere nequaquam ſufficit, quantò minus pro ſe, ſibique commiſſis?*

Hinc Pius V. vir piiſſimus, in pontificem electus, ad purpuram erubuit, faſtigium faſtidivit, & propè exanimis concidit. Cauſam rogatus, modeſtè reſpondit: v *cum eſſem Religioſus S. Dominici, optimè de ſalute mea ſperabam: creatus Epiſcopus, cœpi de ea formidare: nunc verò electus Pontifex, fere cœpi deſperare.* Rationem ſubdit: *quomodo enim ego Deo rationem tot millionum animarum, quot ſunt in mundo, reddam, qui vix unius animæ meæ rationem reddere valeo?* his tamen non obſtantibus, quot reperire eſt, qui dignitatibus inhiant? ad Infulas aſpirant, purpuram ambiunt, ad tricoronides tiaras anhelant, ac tum ſe beatos in terris arbitrantur; parum recogitantes, quam hæc brevi deſerenda, poſſeſſores ſuos immani miſeriarum abyſſo involvant. x *Age ergo*, inquit Bernardus, *feſtina multiplicare præbendas: inde ad Archidiaconatum evola. Demum aſpira ad Epiſcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus, quoniam ſic itur ad aſtra.* Hæc ubi ironicè inſultavit, ita hominem, aculeata voce melleus Doctor perſtringit, ac pungit: *quò progrederis miſer? an ut ab altiori ſit caſus gravior? neq; enim ſic paulatim decides, ſed tanquam fulgur, in impetu*

o Plin. l. 21. c. 7. p Bern. cit. q Sen. de Brevit. vitæ. r Bernard. ſerm. 2 de aſcen.

ſ Sap. 6. t B. Laur. Iuſtin. de inſtit. & reg. præl. c. 1. v Corn. à lap. in cap. 12. Lucæ. x Bern. in declamat. ecce nos.

vehe-

vehementi, quaſi alter ſatanas ſubito dejicieris; ut fulgur diſrupto nubis ſinu, in terras diſſilit, ſic illi ſciſſa tandem, diſruptaque corporis nube, in ima terræ, in abyſſum inferni præcipites deſcendunt, nihilque mortalium oculis, niſi inanem fulgoris, ac fulguris imaginem relinquunt. Quod diabolicum ambitionis virium, potiſſimum in iis S. Doctor execratur, qui vilitatis, ac paupertatis priſtinæ obliti, in Clero, in clauſtro lucere, ac clareſcere incipiunt, nequeunt lucem, ac ſplendorem ſuum, humilitatis ſipario obvelare: y *videas* inquit, *pleroſque de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, ſubito intumeſcere: priſtinæ oblivisci abjectionis, genus quoque ſuum erubeſcere, & infimos dedignari parentes.*

Eſtque experientia nimis compertum, eos potiſſimum, qui è plebe, è mendicabulo, & quaſi è ſtercore erecti ſunt, ambitionis œſtro potentius incitari, dignitates, & titulos ardentius expetere: quas illuſtri ſanguine heroes, & majorum ſtemmate, excelſo animo infra ſe ducunt, nec tam lucere, quam latere geſtiunt, ſoli Deo conſpicui.

Ut lilio candorem ſuum, vigorem, odorem, etiam brumali tempore conſerves, ea ſolum induſtria opus eſt, quod experimento didici, ut mundo vitro, intra puteum, aut terram recondita aſſerventur, ne ab aëre, aut ſolis æſtu alterentur. Id apud Romanos olim in uſu fuiſſe, Martialis tradit:

z *Condita ſic puro numerantur LILIA vitro.*

y Bern. ſerm. 4. ſuper miſſ. z Mart. l. 4. Ep. 22.

Raderus hic aſtruit, veteres liliis delectatos, ea ſolere vitreis vaſis recondere, ne facile ab *aere corrumperentur*, ut colligere eſt ex illo Ovid. 4. Metam. *ut liquidis tranſlucet aquis, vel eburnea ſi quis ſigna tegat claro vel candida LILIA vitro.*

Talis exſtitit *PRÆMONSTRATENSIS Ordinis* ſidus eximium, *a S. Gerlacus*, qui nobili ſtemmate oriundus, inopinato conjugis ſuæ fato, tribunitiâ dignitate poſitâ, ac ſæculo ſpreto, cilicio ac loricâ ſub candido habitu, dies noctesque indutus, poſtquam ſeptennium ſe ad porcos paſcendos abjeciſſet, pro cellâ veternoſam quercum ad annos quatuordecim inhabitavit, donec ultimum creatori redderet ſpiritum. Sic *b S. Hilbertus*, ex potente milite ſæculi, humillimus ſub candido vexillo miles Chriſti exſtitit. Erit aliquando cum hoc lilium convallium germinabit, & florebit in æternum ante Dominum: c *erit namque cum omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & tunc candor illæ vitæ æternæ, LILIUM planè non collium, ſed convallium*, cum hiſce *apparebit.*

Jam ſecurus deliteſcebat NORBERTUS, *d* cùm omnium ignarus, ad ſedem Archiepiſcopalem populi, clerique manibus rapitur, nullo deliberandi ſpatio, aut effugiendi aditu relicto; nec contra vim *ſe homo debilis defendere poterat.* Deducitur ergo homo Dei, nudis pedibus, pannoſus,

a In officio S. Gerlaci à Raym. Cuquio concinnato. b Beyerlinck. theat. R. pag. 184. c Bern. ſerm. 47. in cant. d Surius c. 40.

ſquallidus,

ſquallidus, pallidus, mendicum indutus, ſub gravi onere, quod vertici imminebat, altè ingemiſcens.

Is nimirum magnorum virorum genius eſt, ad dignitates rapi, trahi, non convolare. Talis ævo ſuo extitit Ambroſius, qui cum è latebris in ſolem protraheretur, fugam nec quicquam circumſpiciens, non voce ſolum, ſed animo, omnique niſu *nolens Epiſcopari*, veriſſime de ſe dixit: e *quam reſiſtebam ne ordinarer! poſtremo cum cogerer, ſaltem ordinatio protelaretur*. Norant hi, quam locus hic terribilis, & quam pronus ab alto lapſus, quod Bernardus, in ſummo Eccleſiæ faſtigio conſiſtentem, admonere non veritus, ait, f *aſcendiſti in altum, noli altum ſapere ſed time; ne forte contingat miſerabilem illam emittere vocem; à facie iræ, & indignationis tuæ, elevans alliſiſti me. Altiorem quippe locum ſortitus es, ſed non tutiorem. Terribilis prorſus, terribilis eſt locus iſte.*

Sed quam paucis hoc videtur? quam rara, *languido* præ humilitate, ad honores, ac dignitates *collo*, ejuſmodi LILIA CONVALLIUM. Quæ plures mortalium æmularentur, ſi ſublimia, quæ in Cœlis humiles manent, præmia, attenta mente expenderent.

Convalles, meritò humiles nuncupantur, quos gloriæ lilium coronat: g ſponſus etenim, qui *paſcitur inter lilia, addit ſe*, LILIVM CONVALLIUM, *id eſt* HVMILIVM CORONAM: *ſpecialem gloriam futuræ exaltationis ipſorum, hujus eminentia floris deſignans*; qua omnes candidiſſimi, hujus ordinis, clientes coronantur, ut idem doctor proſequitur: h *Juſtus germinabit ſicut* LILIVM *quis juſtus niſi humilis? Juſtus humilis, juſtus convallis eſt. Et ſi humiles inventi fuerimus, germinabimus & nos ſicut* LILIVM, *& florebimus in æternum ante Dominum. An non verè, vel tunc maximè ſe* LILIVM CONVALLIVM *comprobabit, cum reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ? non ait corpus noſtrum, ſed corpus humilitatis noſtræ, ut hujus lilii miro, & ſempiterno candore, ſolos ſignificet humiles illuſtrandos.*

Hæc inter candidiſſima lilia eritis & vos, genuinæ tanti parentis filiæ, & dilectæ Chriſti ſponſæ, *Religioſiſſimæ Norbertinæ*, ſi ejus humilitatem ſectari ſtudueritis, ad quod illud aureum Divi Ambroſii monitum exſtimulare poterit: i *audi virgo, quid dicat* LILIVM CONVALLIVM, *id eſt humilium & mitium. Eſto ergo mitis & humilis, ut in te, tanquam* LILIVM, *germinet Chriſtus*. Quot ſacras Ordinis hujus candidiſſimi parthenones recolo, tot hortos concluſos, hiſce liliis convallium condecoratos reperio, quæ *florebunt in æternum ante Dominum.*

e Amb. l. 5. Epiſt. 25. f Bern, Epiſt. 237. ad Eugen. g Idem.

h Bern ſerm. 47. in cant. i Amb. de inſtit. virg c. 15.

§. III.

§. III.

SANCTUS NORBERTUS LILIUM *inter adverſitatis ſpinas illæſum.*

ACutè ſenſit, qui mundum hunc univerſum, horrido vepreto, aut rubo ſpinis undique hiſpido, & aculeato comparavit. Cujus ſententiæ fuiſſe videtur Doctor Mellifluus, qui illud cantic. *ſicut LILIUM inter ſpinas &c.* ſic ſuaviſſime exponit: k *plenus eſt mundus ſpinis, in terra ſunt, in aere ſunt, in carne tua ſunt: verſari in his, & minimè lædi, divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ.* Lilium inter ſpinas NORBERTUS, inter aulæ delicias, & inter carnis illecebras, quia l *ſpinæ juxta te ; ſunt carnales voluptates*, quæ ſtimulis, & aculeis, ſpinarum inſtar, caſtimoniam non raro vulnerant: *lilium* inter ſpinas NORBERTUS, in affluentia opũ, ac divitiarum. m *LILIUM in medio ſpinarum*, inquit Ambroſius, *inter ſolicitudines hujus ſæculi, quæ mentem hominis animumque compungunt. Lilium* inter ſpinas NORBERTUS, n in *medio nationis pravæ, & perverſæ.* Numquid lilium inter ſpinas NORBERTUS, dum inter hoſtium acies, haſtas inter, nudoſque mucrones, ipſamque cruentæ mortis imaginem, quæ illi non ſemel in oculis fuit, vel à tumultuante plebecula, vel ab immiſſo ad cædem ſicario, vel etiam ab equitatu, in eum feroce manu concitato ſtetit, floruit, caputque extulit?

k Bern. in cant ſerm. 48. l Hugo Card. in cant. c. 2. v. 2 m Amb. ſerm. 5. in pſal. 118. n Hugo cit.

B. Mariæ ædem cum ſuis occupârat vir ſanctus, in eam authoritate regiâ ſimul & pontificiâ inductus, ſed aculeatæ invidentium ſpinæ eum undique cinxerunt: o plebecula furens in eum incurrit, non animis magis ferocientibus, quam armis: quid hic magnus præſul? an ſubducat ſeſe? an latebras quærat? an fugâ ſibi conſulat? poterat enimverò juſto timori cedere, atque concitatis in eo tumultu plebeiorum animis concedere; ſed obviam procedit, ingerit ſe inter tumultuantium cuneos, quos ſic libera voce compellat: *ecce me, ecce pectus, ecce obvium ferro caput, illud unicum peto, parcite cæteris, ſinite hos abire.* Hac voce, ceu tonitru, perculſa pars una popelli miteſcit, atque ad S. Præſulis pedes ſeſe abjicit, pars altera Furiis agitur, & in cædes proruit; atque ex hac unus aliquis cubicularium illius, nudato enſe ferit, & vulnerat: quod ut vidit pius parens, nec quidquam obſtantibus miniſtris aliiſque, in confertam turbam irruit, certus potius mori, quam ſuos deſtituere. Quæ ſanctiſſimi Pontificis conſtantia, ſicarii illius animum adeò non flexit, nec fregit, ut in ferrum, in vulnus præcipitem egerit: auſus enim impio, immanique niſu, enſe adhuc cruento, in humero ferire. Sed ô Miraculum! ô prodigium divinæ protectionis! reſiliit ferrum, ac ſi in adamantem, aut incudem incidiſſet, eoque ſanguine, quo jam tinctum erat, Epiſcopalis mitræ fimbrias infecit, quæ eam maculam etiam ad annos retinuerunt, veluti teſtes oblati pro Dei cauſa, tam cari Ca-

o Hugo cit.

pitis,

pitis, ac Sanguinis. Atque in his omnibus ſuperabat, propter eum qui ſeſe è cruce NORBERTO exhibuerat, ſacrum verticem ſpinis, manus, & pedes clavis, latus lanceâ perfoſſum, totumque corpus ſaucium oſtentans. Quod ſpectaculum, & hunc imitatorem Chriſti, ad injurias omnes ſubeundas, animavit, dum illud D. Ambroſii numquam non animo obverſaretur: p *Chriſtus erat LILIUM in medio ſpinarum, quando erat in medio Iudæorum.*

Sacer ille Dominicæ cœnæ dies agebatur, cum ad virum Dei, communem parentem, emiſſus eſt ſicarius, & hoc quidem ementita ſpecie, vultuque pœnitentis, qui dum auſu ſacrilego, vocem ad aures ſanctiſſimi Antiſtitis emitteret, ferrum quoque lateri inngeret. At NORBERTUS divinitus edoctus, nefarium parricidam propius accedentem conſiſtere jubet, ferrumque ſub pallio, quo obvolutus erat, detexit, ſimulque auctores ex intimis familiaribus ſuis meditatæ cædis agnovit. Quid in hos, illumque NORBERTUS? q *hilari facie, & vultu ſereno* ad confertam, quæ affluxerat, turbam: quid miramini, ſi hoſtis antiquus in membris Chriſti, opus ſuum exercere nititur, quod in hac ſacratiſſima nocte, in capite noſtro Jeſu Chriſto non timuit efficere? tum exæſtuanti charitatis ardore, in hæc flagrantia cordis deſideria patiendi pro Chriſto erupit: *O quam felix eſſet, qui in aliqua hujus diei hora non ab inimicis, ſed etiam ab amicis* (quos in necem ſuam conſpirare audierat) *traderetur. Hæc eſt dies, qua deſperatis miſericordia, peccantibus venia, mortuis redditur vita.* Unde & ipſe inimicis ſuis miſericordiam, veniam, & vitam libens, ejus amore donavit, qui ſe inter hoſtium ſicas, & mucrones, velut *lilium inter ſpinas* illæſum ſervarat, nam ut acutè eminentiſſimus Doctor Hugo Cardinalis, exponens illud: *ſicut lilium inter ſpinas*, ait: r *ſpinæ circa te ſunt falſi fratres, & perverſi*, ac ſubdoli amici, qui mel in ore, ſub cingulo novaculam geſtant.

Godefridum Weſtphaliæ Comitem, & Deo, & Ordini ſuo adjunxerat, candidumque hoc lilium, è mundi ſpineto, in religionis ſuæ viridarium tranſtulerat NORBERTUS. Hinc invidia, hinc iræ truces, hinc truculentæ minæ Friderici comitis, illi affinis: hinc etiam meditata cædes, & cruenta mors, ad quam inferendam non ſemel advolavit, cum aliquot equitum turmis, ut NORBERTUM caperent, atque è furca, ut ajebat, ſuſpenderent. Indignabatur ſiquidem omnes poſſeſſiones Godefridi, ejuſque caſtrum Capenbergenſe, huic Ordini ceſſiſſe, adeò ut omnibus Religioſis illud incolentibus, mortem, ni excederent, interminaretur. At brevi ille, divino numine ſic diſponente, ſ *interiit, & reddidit ſimul finem malitiæ, & vitæ.* Fideliſſimum verò ſervum ſuum Dominus, ad ſui numinis gloriam, & gregis ſui tutelam ſervavit: ut ſermone lacte & melle manante Bern. t *Cuſtodit Dominus*

p S. Amb. de inſtitut. virg. cap. 14.
q Surius, in vita.

r Hugo in cant. cap. 2. v. 1. ſ Surius. t Bernardus in cant. ſerm. 48.

omnes

omnes diligentes ſe, ſicut LILIVM inter ſpinas Non mediocris titulus profecto virtutis, inter pravos vivere bonum, & inter malignantes, innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem · magis autem, ſi his qui oderunt pacem, pacificum, & amicum ipſis te exhibeas inimicis. Tum perappoſite ſubjungit: *id planè tibi ſimilitudinem datam de LILIO, jure quodam proprietatis ſpecialiter vendicabit; quod ipſas utique pungentes ſe ſpinas, candore proprio illuſtrare, & venuſtare non ceſſat.*

Quod quam præſtanter divinus patriarcha NORBERTVS aſſecutus ſit, paucis docebo. Dicebat è pulpito, nec tam verba fundebat quam fulmina, nec in ſæculares dumtaxat, ſed & in Eccleſiaſticos licentioris vitæ, vehementius detonabat: *v* cum ecce Clericus unus aliquis, ut genere ignobilis, ſic & vitâ, ac moribus infamis, divinum illum Eccleſiaſtem variis injuriis, & ſannis procaciter impetebat, propiuſque accedens, faciem dicentis fœdè conſpuit, attonitâ, imò & fremente concione tota, at NORBERTVS iram continere, & ſimul etiam vocem; tum modeſte faciem extergere, tum etiam tanto ſceleri illacrymari, numenque pro reo precari, veniamque expoſcere, quod excelſi fuit animi, imo cœleſtis, & quodammodo divini.

Inter eos, qui ſpiritu Dei aguntur, & eos qui carne: inter filios Dei, & hujus ſæculi, hoc intereſt, quod illi in magnis ducant injurias tolerare, imo & donare etiam ultro; contra verò hi, excutere, imo ferro, & ſanguine, vita corporis & animæ vindicare, in excelſis reponunt. Aliter ſenſit optimus morum Magiſter, gentilis Seneca: quem utinam Chriſtiani, fidem filii Dei profeſſi obaudirent! x *puſilli hominis, & miſeri eſt*, inquit, *repetere mordentem; mures, & formicæ, ſi manum admoveris, ora convertunt. Imbecillia ſe lædi putant, ſi tanguntur.* Generoſus equus, latratus catellorum inadvertenter tranſit, & infra ſe ducit: y *proprium eſt magnitudinis veræ, non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera, ad latratum canum, lenta reſpexit*; à brutis animantibus, homines ad humana, & moralia deducit, nec quidquam injuriarum commovere, aut laceſſere magnanimum, gentilis Chriſtianè edocet: z nam ſi puer eſt, ætati donetur, neſcit an peccet. Mulier eſt, errat: malus eſt, noli imitari, ne duo mali ſitis: *puerum ætas excuſet, fœminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas: nunc primum offendit? cogitemus quamdiu placuerit. Sæpe & alias offendit? feramus quod diu tulimus. Amicus eſt? fecit quod noluit. Inimicus eſt? fecit quod debuit.*

Rationes has ſolidiſſimis exemplis confirmat, è quibus unum adduxiſſe ſufficiat: a *contumeliam tibi fecit aliquis? numquid majorem quam Diogeni Philoſopho Stoico? cui de ira cum maximè diſſerenti, adoleſcens protervus inſpuit. Tulit hoc ille leniter, ac ſapienter. Non quidem inquit iraſcor, ſed dubito an iraſci oporteat* b. Quo in genere, & Cato laudatur ibidem. Atque hoc, dicta ſua, concludit argumento: *ultio, doloris*

v Surius.

x Sen. lib. 2. de ira: c. 34. y lib. 3. de ira cap. 25. z lib. 3. de ira cap. 24. a c. 38. b Seneca de ira l. 3. c. 5.

doloris confeſſio eſt; non eſt magnus animus, quem incurvat injuria Hæc è ſtoa ſua Ethnicus Philoſophus.

Alius altioris philoſophiæ Magiſter NORBERTUS exſtitit, cujus exemplum, è ſocietate noſtra Joannem Fernandez æmulatum audio; c *certa feram certis auctoribus.* d Vbi magnus Indiarum Apoſtolus Xaverius, cum ſociis ſuis jam menſes aliquot crudum, aridumque novale tractaſſet, ac nullo dum fructu Divini verbi ſemina projeciſſet; tandem è proſciſſo, ac ſæpius iterato ſolo, Chriſtianæ fidei germen emicuit. Germinis ejus origo fuit ejuſmodi: concionanti, ut ſolebat, in publica via patri Joanni Fernandez, præteriens Japon unus aliquis, cæteris petulantior, attracta præpingui ſaliva, repente in mediam inſpuit faciem. Ille ſine perturbatione, ſputo ſeu nube deterſa, ſereno animo, vultuque (atque in eo etiam NORBERTO ſimilis) ne verbo quidem reddito, cœptam orationem eodem prorſus tenore proſequitur. Id contemplatus ex auditoribus quidam, haud imperitus rerum æſtimator, cœpit cogitare apud ſe: profectò nobiliſſimum, atque adeo divinum Philoſophiæ genus eſſe, quod homines ad tantam æquitatem animi, conſtantiamque perduceret. Dimiſſa dein concione, domum ad Fernandez venit, præcipua Chriſtianæ fidei capita, legeſque probe cognoſcit, ac primus omnium Amanguſianorum, ſacro fonte renaſcitur. Hunc deinceps divino impulſu imitati, quorum ad quingentos brevi pervenit numerus, nunc in meſſem ingentem, uno hoc excelſi animi, injuriam contemnentis opere, excrevit.

Erat Joannes Fernandez homo communis, omnibus barbaris ignotus, nullo eximiæ ſanctitatis teſtimonio etiamnum celebris; NORBERTVS verò candidæ legionis ductor, celeberrimi Ordinis Patriarcha ſanctiſſimus, Archiepiſcopali dignitate venerandus, vitæ ſanctimoniâ, diviniſque prodigiis clariſſimus, cum ex ore procaci infamem nebulam ſerena fronte excepiſſet, quos non animorum motus, quam ſui admirationem, & venerationem conciverit, quis aſſequatur? *in hoc filium* Dei æmulatus, e *qui non avertit faciem ſuam ab increpantibus, & conſpuentibus in ſe.* Hoc etenim modeſtiæ exemplo, eum ſanctitatis apicem conſecutus eſt, ut filius Dei habitus, & nuncupatus, ipſam prope divinitatem adeptus fuerit. Honorificum plane & vere divinum, hoc nomen filiorum DEI.

Nam f *ſi filii, & heredes*: nihilque charius habent parentes, quam filios, qui ab amore parentum nomen ſortiuntur, omnium poſſeſſionum, facultatum, dignitatum heredes tranſcribere. Hæc omnia longe præ terrenis, & perituris, ab æterno patre NORBERTVS meruit obtinere, dum injurias, opprobria, necem intentantibus, benevolum ſe, ac beneficum exhibendo, inter filios Dei adſcriptus eſt ipſo increato filio Dei conteſtante: g *diligite*

c Tibul. l. 4. d Maffeius. hiſt. ind. l. 4. hiſt. ſoc. l. 11. n. 104.

e Iſa. 50. 6. f Rom. 8. Salmeron. tom. 5. tr. 21. g Matth. 5. v. 44.

inimicos

inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, ut ſitis filii Patris, veſtri: hi etenim, ut exponit Greg. Nazianzenus, h *ſoli in ordine ſalvandorum, filii appellantur.*

Reperire eſt nonnullos, in pauperes profuſos, in oratione prolixos, in jejuniis aſſiduos, non temulentos, non adulteros, non turpis lucri cupidos; ex albo tamen filiorum Dei expungendi ſunt, quod neſcio quam illatam olim injuriam, amaro animo fovere pergant: nec ullum habet amicum in cœlis inter omnes filios Dei, qui unum hoſtem execratur in terris.

Uſu venit hic, quod de Alexandro Magno, celeberrimus hiſtoricus, quintus Curtius commemorat: i varios ex variis, & longe diſſitis orbis partibus Oratores conveniſſe, qui coram Rege Philippo ſuper virtute ejus bellica, præclaris facinoribus, innumeris de hoſte reportatis victoriis diſertiſſimè perorarent. Poſt longam tandem laudum, rerumque ab eo geſtarum ſeriem; hunc omnes Epilogum ſubjunxerunt: *Tu Philippi es filius*, Regis potentiſſimi, prudentiſſimi, clementiſſimi; atque hoc uno eoque maximè nervoſo compendio, omnia complexi videbantur. Haud aliter Redemptor noſter, ut amicos ſuos, præ cæteris electos, & ſublimiſſimè evectos oſtenderet, miſſa omni laudandi, ac prolixa exornandi facundia, eo quo nullus dignior, titulo inſignire placuit, dum dixit: k *ut ſitis filii patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Quid hoc? amando inimicum, filii non Principis, aut Regis; ſed filii Dei, filii altiſſimi nominamur, & ſumus. *Cui Angelorum*, quærit Doctor gentium, *aliquando dixit, filius meus es tu?* quod expendens Antiochenus præſul exclamat: l *qualis putas ſit actus dilectionis inimicorum, cum filiationis divinæ titulo remuneretur? diligite ergo inimicos veſtros, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in Cœlis eſt.* Hoc ne cui fortaſſe mirum videatur, juvat ipſius Auguſtini, eoque maximè luculento, confirmare teſtimonio, dum hominem hoſtis ſui amantem, ipſi Deo conferre non dubitavit, dicens: m *qui ergo bene vult ſuo inimico, Deo ſimilis eſt.*

Ita Jacob, ubi Eſau ponentem odia, & miſſâ omni amaritudine ſibi obvium habuit, eum non ut hominem, ſed ut Deum admiratus eſt: n *ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderem vultum Dei.* Ubi Gloſſa ſubjungit: *homo qui remittit, quaſi alter Deus eſt*; unde in hunc locum Chryſoſtomus, auream illam poſteris tranſcripſit ſententiam: o *nihil facit hominem ita Deo ſimilem, ſicut inimicis eſſe placabilem*; & alibi expreſſius: *non ulciſci, Deo facit æqualem.* Quæ cum in ſanctiſſimo hoc Patriarcha, per omnem vitam, eminentiori quadam ratione excelluerint; *eum Deo æqualem* eſſe, quis diffitebitur? Idque ne temere aſtruere videar, non me, ſed Gregorium Theologum, Nazianzi Antiſtitem audite: p *extremum*, inquit, *eſt punctum virtutis, ſi quis dimittat debitoribus ſuis: eumque non amplius intra terminos naturæ*

h Greg. Naz. orat. 13. i Curtius. k Matt. 5.

l Chryſoſt. hom. 13. in cap. 5. Matt. m Aug. in pſal. 70. n Gen. 33. v. 10. o Chryſoſt. in Gen. c. 33. & hom. 8. in Matt. 5. p Greg. Naz. in orat. Dom. dimitte nobis debita noſtra.

humanæ conſpici, ſed ipſi Deo per virtutem aſſimilari, ut alius ipſe Deus eſſe videatur; dum facit ea, quæ Dei ſolius eſt facere. Debitorum enim remiſſio, proprium ac peculiare Dei munus, & officium eſt. Ubi illud expendas velim, injurias remittere *extremum eſſe virtutis punctum*, ultra quod procedat nemo. Deinde qui hoc fecerit, *jam non amplius intra terminos naturæ humanæ conſpici*; ſed hac ſuperiorem evadere, *ipſique Deo aſſimilari*; non quidem per naturam ſed *per virtutem*, quæ ſcilicet Deo propria eſt, & ſingularis. Denique, *quod alius ipſe ille Deus videatur*; & hoc, ut *quia facit ea, quæ Dei ſunt, & quidem ſolius*. In hoc albo filiorum Dei, vos quoque *venerandi Domini Canonici D. NORBERTI FILII*, conſcripti eſtis, qui & potentum minas, invidorum calumnias, hoſtium injurias, qui vel ipſa Ordinis fundamenta, ſuper petram, qui Chriſtus eſt, ſolidata, evertere conati ſunt, tranquillo animo, & renidenti vultu (parenti veſtro ſimiles) videtis, & ridetis. Candidiſſimus Ordo veſter, undique adverſitatum fluctibus, ac procellis impetitus, jure ſibi Symbolum *q* Principis Italiæ aſſumpſerit, criſtam ſtruthionis candidam, galeæ impoſitam, ventorum turbine agitatam, hac ingenioſa Epigraphe adjecta: *vi nulla invertitur Ordo. r* NORBERTUS cùm Eccleſia Steinveldenſis magnis adverſitatibus quateretur, & ſolum ei remedium eſſet à Domino expetendum, Chriſti Virgo Eliſabetha (quæ propter ſpirituales amicos, quos in eadem Eccleſia habebat, ipſam tanquam propriam diligebat) cœpit ſibi Eccleſiæ perturbatæ cauſam aſſumere, & nocte ac die à precibus, & lacrymis non ceſſare. Experta loquor; fuit talis Virginis Chriſti conſuetudo, ut quotieſcumque pro cauſa aliqua Domino ſupplicare cœpiſſet, nequaquam ab inceptis laboribus temperaret, donec certam à Domino conſolationem recipere mereretur. Inſtanti itaque precibus, & lacrymarum fluminibus, januam mitiſſimi cordis Domini, valido clamore pulſanti, adſtitit ei ipſe mœrentium conſolator, & ſua præſentia, & dulci alloquio ſuam eſt conſolatus ancillam: quid, inquit, pro Eccleſia Steinveldenſi clamas ad me? an putas me illius oblitam? certiſſimè ſcito, jam in Eccleſia *lilium* germinare, quod teipſam dignitate præcellet: & quamdiu illud fuerit in ea Eccleſia, non poterit deperire. Si quis dubitet, quem hoc *Lilium* ſignificet, ſtudeat florem lilii, & teſtimonium Angelicum comparare. Requiſitus enim de meritis ejus à dicta Dei famula, Angelus reſpondit: nullus ei in Eccleſia ſimilis eſt: præfertur lilium omnibus floribus, præſertim omnibus fratribus, Ioſephus, antea Hermanus dictus, quem annulo donatum, Dei mater Ioſephum nuncupans, in ſponſum adlegit, dotemque in manus, omnes cœli delicias, filium dedit. Et ſi eas, quas præoſtendimus, virtutes velis in lilio intueri, fuit non ſolum *lilium convallium* per humilitatem, ſed fuit & *lilium inter ſpinas* per patientiam, *lilium agri*

q Typotius in Symb. r Chryſoſt. Van der ſtere in vita B. Hermani ſeu Ioſeph. ordinis præmonſt. c. 44.

per charitatem, omnibus ſe communicantem; fuit lilium candidiſſimum per caſtitatis excellentiam, & ut omne dubium abſolvamus, Dominus per miraculorum frequentiam, quod eum lilium hoc appellaverit, multipliciter, mirabiliter, & miſericorditer jam oſtendit: magnificavit enim eum non ſolum ſuper omnes fratres ſuos, ſed etiam ſuper ancillam ſuam, virginem pretioſam, cui iſta prædixerat, & in univerſos fines terræ ſui lilii diffudit odorem, atque Eccleſiam ſuam ſuo patrocinio, Chriſti, virginiſque præſidio, contra omnes inſultus hoſtium tutatus eſt. Denique NORBERTUS fuit lilium inter ſpinas, dum inter Dæmonum technas, inſidias, præſtigias, nunc urſi, nunc bufonis, nunc lupi, nunc cerberi trifaucis ſpecie, ſe, ſuoſque infeſtantis, intrepidus & inconcuſſus ſtetit. In quem vir ſanctus, mirum exercuit Imperium. ſ Oves in agris paſcebat puer, & quidem ſolus, etiam fido ovium cuſtode, cane deſtitutus. Hinc anxius: quid me fiet, inquit, quid ovibus, ſi incurrat lupus? cui pio joco reſponſum: lupo præcipe, & hoc Magiſtri tui NORBERTI nomine, juſſuque, ne ovem auferat. Paruit puer, incurrit in gregem lupus, ovem abripit, & fugit; cui confeſtim puer, ſiſte prædo, *ſiſte raptor, & ovem redde*; paret lupus, curſum ſiſtit, ovemque ponit: quodque inſolens, & inauditum, abſente puero, ceu paſtore, fit ipſe lupus cuſtos ovium fideliſſimus, ut quod alter ironicè, nos verè dicere poſſimus: t *ô præclarum cuſtodem ovium lupum!* hæc ut inſolita admiramur, cum interim quæ vir Apoſtolicus *animabus* contulit, longè ſint illuſtriora, quas ex tartarei lupi unguibus, è faucibus orci eripuit, dum è corporibus malignos genios expulit, dum à pravis ſociis, ipſius Satanæ adminiſtris, atque à perverſis Orthodoxæ fidei hoſtibus revocavit. Denique fuit lilium inter ſpinas, dum inter infeſtos Eccleſiæ hoſtes, & perverſiſſimos Hæreticos, mille ſannis, & opprobriis, velut ſpinis & aculeis compunctus, verſatus eſt. Non poſſum, quin cum mellifluo Doctore hic exclamem: v *ô candens LILIUM! ô tener, & delicate flos? increduli, & ſubverſores ſunt tecum. Vide quomodo cautè ambules inter ſpinas.* x Difficillimis Eccleſiæ temporibus, quando Sacramentariorum, & Adamitarum hæreſis paſſim increbuerat, novum hunc Alcidem, miſericordiarum Pater excitavit, qui novos milites in campum educeret, hoſtem imminentem, gladio ſpiritus profligaret, ac opere & ſermone ſe potentem exhiberet. Ea quippe tempeſtate Germania inferior, & ſuperior ardebat ſacrilegis Sacramentariorum flammis: itaque lolium omnia latè occuparat, ut vix pauci Catholici in ſemen relicti viderentur. Erat in Brabantia infame totius Provinciæ buſtum Tanchelinus, Adamitam, & Sacramentariam hæreſim impius hæreſiarcha profeſſus, eam etiam vi armorum propagabat, & Chriſti gregem lupus rapax invadebat. Benedictus Deus, qui pro ſua ſemper pervigili, in Eccleſiæ

ſ In vita, c. 37. t Cicero in ant.

v Bern. ſerm. 48. in cant. x Beyerlinck. theat. R. pag. 193.

cleſiæ bonum excubante providentiâ, adverſus ſingularem ferum, & cœnoſiſſimum porcum, Tanchelinum dico, tantum & tam potens præſidium, in tempore opportuno ſubmiſit.

Sapienter Gregorius Nyſſenus obſervat, y in more poſitum eſſe Deo, venenis alexipharmaca providere. Ex eo more, cum monſtrum illud hominis, & verè porcinum harę excrementum, invecturum eſſet in Eccleſiam ſordes, quantas vix ullus priſcorum Borbonitarum tentarat inducere, cœlibatus Sacri conculcationem, jejuniorum omnium exilium, continentiæ Religioſæ, omniſque ſexus proſcriptionem, macerationum quarumcumque ablegationem. Econtrario autem carnis curam in deſideriis, eſculentorum, & potulentorum lautitiam, libidinum non ſecus ac ciborum prætenſam neceſſitatem, qua nulli fas ſit exſolvi, dum hujus carneæ cochleæ ſepto continetur. Hæc, aliaque cum per hujuſmodi pecuinum Evangeliſtam, ex Erebo emiſſum, in Eccleſia ſpargerentur, placuit Deo, in utilitatem noſtram ſemper intento, S. NORBERTUM huic hydræ Alcidem opponere. Antverpia nobiliſſimum emporium, & Belgii noſtri ocellus, & Urbes inter, quod in annulo gemma, quid non erroris, & hæreticæ pravitatis ab homine hoc vafro, & proſtituto nebulone, per malas artes effiĉto, contraxit? Catholicæ Religionis hoſtis erat acerrimus, atque imprimis Sacramentorum oſor, maximè verò Venerabilis Euchariſtiæ. Irriſor Cleri, atque Epiſcoporum: popelli genium, affectumque captans, & eo quidem, ut ex illo jam tria armatorum millia coëgiſſet. Splendido comitatu, veſte pretiosâ, magnis donariis, exquiſitis epulis, ita populum dementabat, ut lotiones ejus biberent, & pro Reliquiis aſportatas domum penuario reconderent; Et cum filias in conſpectu matrum, ſponſas in conſpectu maritorum oppreſſiſſet, opus ſpirituale, id eſſe aſſerebat, infelices eas, quæ in illius partem non veniſſent. Et hæc fuere ſcelerum monſtra; quæ aliquando aſpexit, gemuitque Antverpia. Quid illis remedii, & unde petendum? unus erat in urbe tota S. Michaelis parochus; ſed quid hic unus, contra illam ſcelerum colluviem? quid ad popelli tumultus, & undas armatorum? NORBERTUM cum ſociis advocare placuit, iiſque D. Michaelis ædem concredere. Certum non alio præſidio, non aliis armis, eam errorum hydram expugnari poſſe; & ſanè expugnata duce NORBERTO, ejuſque candidæ militiæ centurionibus adeò fortiter, & feliciter, ut ne tam peſtilentis incendii ſcintilla, vel fomes ſuperfuerit. Atque hoc eſt beneficium, quod huic Apoſtolo, ejuſque filiis debet, & debere ſe fatetur Antverpia, ut jure uſurpare poſſim, quod Bonifacius VIII. tulit oraculum: z *in firmamento Eccleſiæ, veſter Ordo claro nitore coruſcans, univerſalem Dominici gregis caulam illuminat, currentibus in ſtadio rectum iter inſinuat, quo ad ſalutis bravium facilius pervenitur*. Nec Antverpia dum-

y S. Greg. Nyſſ. de laudib. Baſilii.

z In litt. Apoſt. a. 1302.

facilius pervenitur. Nec Antverpia dumtaxat, Belgiumque, ſed & Europa, atque Orbis Univerſus, hos Generoſiſſimos Eccleſiæ defenſores, errorum,ſcelerumque expugnatores agnoſcit, colit ac veneratur: quoque nullum excelſius, aut excellentius excogitari poteſt encomium, ſummi in terris Chriſti Vicarii, hæc ſplendidiſſima de iis elogia pronuntiarunt: Innocentius IV. *a* ſanè inquit, mundo celebris, & ſupernis grata civibus, *Sacra Religio Præmonſtratenſis Ordinis*, à ſuæ plantationis initio, Regis æterni „ habitaculum, virtutum ſplen„ doribus illuſtratum, generalis „ Eccleſiæ decus extulit, & deco„ rem multimodis ampliavit: ac „ tandem concludit: *hæc contra tentatoris impetum, & turbinem vitiorum, eſt quaſi* TURRIS EBURNEA, *virtutum munita propugnaculis*. Aptiſſimè hæc candida militia, *Turri Eburneæ* comparatur: *b* Ebur enim virtute ſua præſens contra venena antidotum, & duritie ſua,nobile fortitudinisSymbolum eſt; quæ profectò, ſi ulli, veſtræ Militiæ convenire, nemo diffitebitur, qui attenderit,quam præſens contra peſtilens hęreſeos virus antidotum, quam potens contra Eccleſiæ hoſtes præſidium exſtiterit; vel hoc argumento ſit quod Clemens VIII. anno 1603. Ordinem Pręmonſtratenſem vocat *perpetuum virorum fortium, & fidei Catholicæ propugnatorum Seminarium*.

a In diplomate a. 1244. b Rich. à S. Laur, de Laud B. Virg.

§. IV.

Divus NORBERTUS, *qui in Terris germinavit ſicut* LILIUM, *florebit in æternum ante Dominum.*

SUper omnes Monarchas, & Reges Terræ, magnificatus eſt Salomon vehementer, quem Joſephus deſcribit procedentem Divina quadam Majeſtate, delecto pulcherrimorum Juvenum comitatu ſtipatum, c *qui omnes tunicis, & ſarranâ purpura conſpicui, promiſſo capillitio, radianti auri ramentis; ac Salomon Regio curru ſublimis invectus, amictus veſte candida.* Quæ non minus pretioſo, quam ingenioſo artificio, LILIIS contexta, quemadmodùm Pauſanias in Eliacis l. 5. Jovis ſimulacrum depingit: *cui præter alia*, inquit, *pallium erat aureum: in eo cum diverſa animalia, tum ex omnibus florum generibus*, LILIA *imprimis cælata erant*. *d* Non inferiori luxu, Regia Salomonis veſtimenta, pretioſiſſima atque *candidiſſima Liliorum* effigiatorum, arte plumaria, figuris vernantia: adeò ut *Salomonis Gloria*, teſte Hilario, non aliud quam veſtimentorum cultum luxumque ſignificet. Tandem ubi omnem hunc ſplendorem Salomonis, Regiumque veſtimentorum ornatum contemplati fueritis, invitat vos ſummus ille rerum omnium

c Ioſeph l. 8. antiq. c. 2. d Pineda de rebus Salomon, l. 6. c. 5. & 6.

opifex

opifex Deus, ad aliud longè excellentius ſpectaculum, dicens: e *conſiderate* LILIA *agri, dico vobis, quia nec Salomon in omni Gloria ſua, coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis.* Paradoxum videtur: f *Non ex avibus pavum*, inquit Chryſoſtomus, *propoſuit, aut cygnum*, aut alias varietate plumarum aves Indicas; ſed candens Lilium, & horum, & florum omnium colore præſtantius. S. Amb. g *quid tibi deſcribam purpuraſcentes violas, rutilantes roſas, candida* LILIA, *in quibus neſcias utrum ſpecies amplius florum, aut vis odora delectet? Qui alius artifex poſſit tantam rerum ſingularum exprimere venuſtatem? conſiderate* LILIA AGRI, *quantus candor in foliis, quemadmodum ſtipata ipſa folia, ab imo ad ſummum videantur aſſurgere, ut Scyphi exprimant formam: ut auri quædam ſpecies intus effulgeat. Si quis hunc florem decerpat, & ſua ſolvat in folia, quæ tanta eſt artificis manus, quæ poſſit* LILII *ſpeciem reformare? cui Dominus Deus tantum teſtimonium dedit ut diceret: nec Salomon in omni gloria ſua ſic veſtiebatur, ſicut unum ex iſtis. Rex opulentiſſimus, & ſapientiſſimus inferior judicatur, quàm hujus floris pulchritudo eſt.*

Neque hæc per hyperbolem, vel auxeſim, ſed veriſſimè à prima Veritatè pronuntiata ſnnt, attenta non hominum æſtimatione, plerumque falſa; ſed ipſa in ſe rerum natura: Ecquis porrò inficiabitur, vivas, ac veras uvas, fictis, aut pictis, colore, odore ſapore meliores eſſe? quamvis racemus ille Zeuxidis *h*, qui aves fefelliſſet, longè pluris æſtimaretur. Aureè Chryſoſtomus: i *quantum diſtat à veritate mendacium, tantum Salomonis amictus, & horum florum interjacet.* Quare non injucundum vobis futurum auguror, ſi paucis rationes adduxero, quibus Pineda noſter, ſcitè & erudite hoc argumentum proſequitur, ac Liliorum nativum candorem, artifici Salomonis ſplendori, tantum antecellere contendit, quantum vera fictis, viva mortuis, propria aſcititiis, natura arti, Divina humanis præferenda ſunt. Quod quam verum, ex comparatione utriuſque liquebit. *k* Salomon ut fulgeat ornatu veſtium, & gloriæ magnificentiâ, quot hominum & manus, & ingenia, & pedes, & oculi, laborando, cogitando, inquirendo, defatigantur? Eruitur ex imis Terræ viſceribus aurum: prope ad ipſa tartarorum ſuburbia deſcenditur, ut inquiratur argentum, quibus fulgeat ejus diadema: curritur ad Indias, ut illic peregrinæ aves aucupio capiantur, & ex earum plumis ornetur caput: navigatur ad Erythræum mare, ut piſcatu conquirant gemmas, quibus pectus ſplendeat: exprimitur è murice piſce ſanguis, quo imbuatur lana, & conficiatur purpura, qua tegantur humeri: Quot jam his conquiſitis ſudant ſartores, textores, phrygiones? Et tamen poſt tot expenſas, vigilias, labores, curas, moleſtias: *Salomon in omni Gloria ſua coopertus non eſt, ſicut unum ex iſtis.* Lilia quippe ab ipſo auctore Naturæ, ſupremo omnium artifice,

e Matt. 6. v. 28. & 29. f Chryſoſt. in Matth. 6. g S. Amb. in hexam. l. 3. cap. 8.

h Plin. l. 35. c. 10. i Chr. in Matt. c. 6 k Pineda de rebus Salomonis. l. 6. c. 6.

tanto artificio conveſtita, ut Hieronymus ſtupore defixus prorumpat: l *quod ſericum, quæ Regum purpura, quæ pictura textricum, poteſt floribus comparari? Quid ita rubet, ut roſa? quid ita candet ut* LILIUM? Idque proprio, & nativo decore; ſecus ac omnis Salomonis ornatus, aſcititius, & aliunde mutuatus, ut ſi terra aurum ſuum, & argentum: mare uniones: bombyx ſericum: ovis lanam: conchylia ſanguinem: flores, & herbæ ſuccos, ac tincturas ſuas jure ſuo repeterent, profectò non minus movebit riſum, quam graculus furtivis ornatus plumis, de quo Poëta:

m *Et ſi forte ſuas repetitum venerit olim*
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum,
Furtivis nudata coloribus.

Haud aliter Regio ornatu inſignis, cunctis creaturis riſum ciebit, & *qui* n *nudus egreſſus eſt de utero Matris*, nudus abire cogetur. At veſtis, & ornatus Liliorum, nativus & proprius, quem abſque injuria, & quodam quaſi naturæ furto, ab illis nemo valet auferre. Lilia Deus *ſic veſtit*, id eſt, tam appoſitè, tam concinne, ut nihil ſuperfluum, nihil laxum, aut fluens, nihil arctum aut breve eſſe videatur, omnem omnium ſartorum peritiam, induſtriamque exſuperans, Accedit candorem illum, quo veſtiuntur Lilia, non modò non oneri, ſed & honori illis eſſe; at mortalium veſtes, quamtumvis pretioſæ, cum quadam ignominia conjunctæ ſunt: refricant enim memoriam humanæ nuditatis, & indigentiæ: ſuoſque, quos tegunt, gravant: inque iis ſudare etiam Reges, & Principes compellunt. Quæ præclariſſima Liliorum hic in Terris naſcentium encomia, tibi GLORIOSISSIME NORBERTE, tuiſque candidiſſimis filiis, qui tecum in Cœleſti Paradiſo, ſicut Lilia florent, & in æternum *florebunt ante Dominum*, longè propriiſſima eſſe, omnes mecum ſuffragentur, neceſſe eſt. Etenim o *Lilia agri poſita ſunt, ut de rebus minoribus, majora perſuadeantur*, ut ſi tanto candore, & ſplendore veſtiuntur Lilia, quæ fluxa & caduca ſunt, perſuadeatur qualiter induenda, & veſtienda ſint corpora, quæ in æternum *florebunt ante Dominum*. Quod ſi, magno teſte Ambroſio, p *corpus* LILIUM *eſt, in quo ſit ſplendor æternitatis*, quo candore Glorioſum hujus Sanctiſſimi viri Corpus, totque millium ſectatorum ejus reſplendebunt? ut veriſſimum, ac prorſus indubitatum ſit, quod *nec Salomon in omni Gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis*. Hujus vos, *venerandi Domini*, Gloriæ *candidati*, tantique Fundatoris inclyta ſoboles, aliquando participes, & conſortes fore, ſperare jubet liliorum verum, ac vivum Beatæ Reſurrectionis ſymbolum. In quam rem præclarè Divus Hilarius, cujus ſermone nihil concinnius habuit comata Gallia. Hic ad illa verba: *conſiderate* LILIA *agri*, q *per* LILIA *intelligit Angelorum Cœleſtium claritates, quibus extra humanæ ſcientiæ eruditionem, à Deo Gloriæ candor indu-*

l Hierony. in c. 6. Matt. m Horat. l. 1. Ep. 3. n Iob. 1, 21.

o Aug. de Sermone Domini. l. 2. c. 25. p Amb. in Pſal. 118. Serm. 14. Matt 6, v. 29. q S. Hilarius in Matt. c. 6.

ELU

ctus eſt: Et cum in Reſurrectione ſimiles omnes Angelis erunt, ſperare nos cœleſtis Gloriæ voluit operimentum, exemplo angelicæ claritatis LILIUM *enim, etiam quotannis avulſum à radice, ex ſe (vere novo) effloreſcit, & vireſcit, & rurſum ſuo honore veſtitur*; ita Beatorum corpora, è terra, liliorum inſtar candidiſſima refloreſcent, ac niteſcent; quæ inter, NORBERTUS candida ſua ducet agmina, quæ ab Adriano IV. tam copioſa, quam *luminaria in firmamento* Cœli, quæ numerare nemo poteſt, aſtruuntur. Putes Chriſtum hunc Ordinem feciſſe, veluti heredem ſuæ, qua in monte Thabor fulſit, Gloriæ: illic enim r *reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt* ALBA SICUT NIX. Ecce hic in facie inſtar Solis ſplendor, in veſte, inſtar nivis candor. Hæc ſunt duo, quæ hunc Ordinem mirifice commendant, in mentibus ſplendor, in veſtibus candor: ille refert faciem ſolis, hic ſpeciem nivis. Solis ſplendor deſignat, qua fulgent, ſcientiam; nivis candor, qua florent, vitæ innocentiam: utrumque, conſummatam Sanctimoniam. ſ *Quare florete flores ſicut* LILIUM, cui Sanctos aſſimilari, mirabili prodigio Deus declaravit. t In Cœlos exceſſerat anima *Beati Benedicti*, Ordinis vallis Umbroſæ, in Etruria; Jacebat corpus exanime in alta reconditum humo, cum exhumari placuit. Et ecce dignum Chriſtianis oculis ſpectaculum, in illius ore viſebatur LILIUM, quaſi recens exortum, mirabilem exſpirans odorem; attonitis ad miraculum omnibus, illud cœlitus ſignificatum, quod *Sancti florerent ſicut* LILIUM: nam ut rectè diſſerit *Gregorius*: u *quid per* LILIA, *niſi illa vita declaratur, qui veraciter dicunt: Chriſti bonus odor ſumus Deo. Electi ergo, ut aſſequi ſumma prævaleant, conſpecta odoriferâ & candidâ juſtorum vita ſatiantur*. Satiemur & nos hodie, ſuper omnia odoriferâ, & candidâ NORBERTI vitâ, qui ſpeciem LILII, candore virtutum, & odore Sanctæ converſationis ſeſe inſpectantibus exhibuit. Quod priuſquam enarrare aggredior, non poſſum quin inter cætera, quæ mortem Caroli V. Invictiſſimi Imperatoris, Cœlo, terrâque ſigna comitata ſunt; illud admiratione dignum præmittam. x In Caroli V. hortulo, binos eodem tempore ſtylos emiſerat candens lilium. Alter Majo menſe, uti aſſolet, calyce dehiſcente floruit: alter quamvis eadem culturâ provocatus, tumorem tamen, ac partus ſigna vere toto, atque æſtate ſuſtinuit; eademque demum nocte, qua Caroli animus integumento ſeſe corporis evolvit, ille explicato repente folliculo, intempeſtivâ nempe, atque inſperata germinatione, promiſit florem. Id verò & obſervatum ab omnibus, & *Lilio* ſuper ara Templi maxima ad ſpectandum propoſito, fauſti, candidique ominis loco acceptum eſt. Quod ſi illud lilium fortuito enatum, fauſti ac felicis ominis, beatæque mortis indicium fuerit, quid non fauſtiſſimum auſpicabimur, ubi ipſe Divus candidiſſimi lilii formam induit? y Ea ipſa die, ac hora,

r Matt. 17. v. 2. ſ Eccl. 39. v. 19.
t Bollandus 20. Ian.

v S. Gregorius. lib. 24. Mor. c. 10.
x Famian. ſtrada, de bello Belgico a. 1558.
y Surius cap. 52.

qua mortali de corpore ſoluta D.Norberti anima, è fratribus unus aliquis eum vidit in mentis exceſſu, in veſte mirè candida, formâque venuſtiſſimâ, ramum virentis olivæ manu prætendentem. Tum ex illo petiit,unde,& quò? reſpondit, è Paradiſi regione venio,& in locum paupertatis meæ (hoc eſt *Præmonſtratum*) tendo, ut ramum illum eo loci tranſplantem. His viſis, auditiſque,ad ſe rediit frater,diem notavit,& horam,ac deinde intellexit eadem exceſſiſſe, atque ad ſuperos abiiſſe optimum Parentem ſuum; qui ramum exhibuit virentis olivæ; Indicem Pacis Religioſæ inter filios,miſericordiæ, ac munificentiæ in pauperes: Indicem Gloriæ, ac Beatitatis, ut cum Oſea, Divino vate,jure illud uſurpare poſſim: z *germinabit ſicut Lilium, & erit quaſi oliva Gloria ejus.* Spectâſtis ramum virentis olivæ, nunc lilii candorem,ac Gloriam attendite. Eo ipſo temporis momento, quo vivere deſiit, vidit Glorioſum hunc Patriarcham, ex Ordine ſacerdos, & quidem primum in propria ſpecie (nam & de vultu agnovit)deinde formâ candidantis Lilii,quod Angeli colligentes, deferebant in æthera.

a *Manibus date Lilia plenis.*

Nempe in lilium mutari viſus, qui habitu morum,vitæque nitore, lilii candorem, odoremque, teſtem utique in illo gratiæ, & Gloriæ immarceſſibilis,expreſſerat, *Laudabile LILIVM, amabile LILIVM, exclamat* Bernardus, *quod colligitur à ſponſo*: non enim colligitur ut ultra marceſcat; ſed ut in Cœleſti Sanctuario, in Altari aureo, quod eſt ante Dominum, collocetur,ut ſit ipſum,Ornamentum aliorum Sanctorum. Quid illuſtrius excogitari? Quid ſublimius ſperari poteſt? b *paſcit in Liliis, hoc eſt, in ſplendore Sanctorum,* inquit Ambroſius, atque his omnibus hoc lilium, ornamentum eſt.Quod ſi in quibuſdam animis, albicans lilium,Deo dicatum emarcuit, hac candidiſſima luce, qua Virginum decor,in ſpeciem lilii inParadiſum Cœleſtem tranſplantatus eſt,revireſcat omnino, & refloreſcat. Narrat Gregorius Turonenſis c de Sancto Severo presbytero,ſtupendum illud, ac perenne miraculum,quod ſcilicet *Lilium*, ab illo quondam templo oblatum, cum anno toto aridum fuerit, ipſo die anniverſario quotannis germinare,ac refloreſcere, ut intuerentur illa die populi, flores novos, quos pridem viderant arefactos.Quod illi lilio, hoc & vobis, anniverſaria hujus liliati ſancti feſtivitate, obveniat; & ſi forte, flaccidum, exſuccum, aridumque in animis, corporibuſque fueritCaſtitatis lilium, hac ipſa die revireſcat, & refloreſcat,& quidem ea mente, ea conſtantia, ea vigilantia, ut exemplo Cœleſtis *Lilii*, hodie in Cœlos aſſumpti, nunquam marceſcat, ſed in æternum ante Dominum effloreſcat.

z Oſeæ 14. a Virg.6.Æneid.


b Amb.Serm.14.in Pſal.118. c S. Greg. Turon l.2. de gloria conf. c.51. & de gloria Mart.l.1. c. 24. Ferrandus diſquiſitio reliquiar.pag.137.

FE-

FESTUM SANCTI ANTONII DE PADUA.

TVteLarIs pro rebVs DeperDItIs reCIpIenDIs.

Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam. Luc, 15. v. 4.



Amiſſa requiras. Virgil. lib. 3. Georg.

ARGUMENTUM.

DIvum *Antonium* Paduanum, inter *claros Antonios* re, & nomine longè præclariſſimum extitiſſe, non huma-

humanæ, ſed Angelicæ, ac propè divinæ eſt facundiæ commonſtrare. Quare, ne me perdam in hoc laudum oceano, littus legam, & miſſa faciens ſtupenda, quæ ab eo in omnia elementa, & animantia, patrata ſunt prodigia, illud dumtaxat mihi proponendum ſuſcepi (cum alia ab aliis encomiaſtis luculenter agitata ſint) in hoc potiſſimum ſe mirabilem præbuiſſe, ut res quævis deperditæ, non arte necromanticâ, aut divinatoriâ; ſed divino ejus Patrocinio, feliciter inveniantur. Olim Sauli aſinas perditas per triduum quærenti, dictum eſt, ut Samuelem Prophetam adiret: d *Ecce vir Dei eſt in civitate hac, omne quod loquitur, ſine ambiguitate venit. Eamus illuc, ſi fortè indicet nobis*; qui aſinas inventas indicavit. Talis ſurrexit Propheta in nobis *Antonius ille Paduanus*, tVteLarIs pro rebVs DeperDItIs reCIpIenDIs: eamus ad illum virum Dei, qui res perditas indicabit; cúmque nulla major jactura ſit, quàm animam, quam Deum perdidiſſe, ille, qui, ut Paſtor bonus, per vicos, & pagos, per urbes, & oppida, innumeras animas perditas quæſivit, & invenit, atque ad paſcua Chriſti reduxit, unà edocuit, Deum perditum, quo omnia perdita ſunt, quærere, & invenire.

§. I. SANCTUS ANTONIUS DE PADUA *quomodo inter* CLAROS ANTONIOS *præclariſſimus extiterit.*

§. II. SANCTUS ANTONIUS *oves perditas invenit, & quomodo* JESUS *perditus, ac anima perdita invenienda ſit, docebit.*

§. III. *Qualiter* DIVUS ANTONIUS *pro recuperandis rebus quibuslibet humanis perditis, peculiaris Patronus ſit.*

d Lib. 1. Reg. cap. 9. v. 6.

FESTUM SANCTI ANTONII DE PADUA.

Vadit ad ovem, quæ perierat, donec inveniat eam. Luc. 15. verſ. 4.

OCeanum mihi ingreſſus videor, nulla velificantis ingenii velocitate enavigandum, nulla ſolidiſſimarum rationum, & argumentorum bolide inveſtigandum; *e* dum hodierna luce ejus viri encomiaſten agere aggredior, cujus vel nomen ut floridum, ac pulcherrimum, ſic & orbi univerſo celeberrimum, ac ipſis inferis acerrimum fuit. Hoc porrò nomine f *Antonii*, tot vitæ ſanctitate, cœleſtium prodigiorum admirabilitate, ſcientiæ ac eloquentiæ præſtantiâ, viri illuſtres exſtitere, ut ſi quæ eruditiſſimi Scriptores integris voluminibus *de claris Antoniis* encomia evulgarunt g, brevi orationis meæ alveo complecti voluero, oceanum cochleâ concludere velle contendero. Ecquis, amabo, ita in hiſtoriis peregrinus, qui vel nomen *magni Antonii*, toti orbi celebrandum, & orco formidandum ignorârit? colluctatio illi fuit aſſidua, non adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus poteſtates, ac principes tenebrarum harum; quibuſcum jam ab ipſo primæ ætatis tirocinio luctari conſuevit. Orcus univerſus in hunc militem Chriſti emiſſus videbatur: nunc fœdis, ac terrificis ſpectris objectis, illibatum ejus animum labefactare: nunc aureum divitiarum arietem admovere, & montes aureos polliceri: nunc lucifer in Angelum lucis ſe transfigurans, nequitias in cœleſtibus moliri ſatagebat. In his omnibus *magnus Antonius* ſemper invictus, *nec unquam*, ſi Athanaſio credimus, *certamine laſſabatur* h. Quin ipſe cacodæmon ultro faſſus eſt: *Multos ſeduxi, plurimos decepi; nunc autem tuo labore ſuperatus ſum*: tuis orationibus, jejuniis, corporis afflictationibus *ſuperatus ſum*. Nec animę dumtaxat, ſed & corpori, ſuę inferorum larvæ nocumentum adferre, & vitam eripere nitebantur: accidit

e Exordium de claris Antoniis. f Anthos Græcè flos. g Sander. l. de claris Antoniis. Poſſevin. in apparatu. S. Athan. Surius 17. Ian. S. Antonius Eremita.

h Athan. in vita.

Porrò non ſemel, ut ab iis manus & pedes vincirentur, horrendum in modum pugni, & flagra, ad ſpiritum extorquendum, impingerentur; qua in continua, & ancipiti lucta, *Domine* JESU, *ubi es*? inclamans, illum adjutorem habuit in tempore opportuno, qui hiſce verbis generoſum pugilem ſuum ſolatus eſt: ANTONI, *hic eram, ſed exſpectabam videre certamen tuum. Nunc autem, quia dimicando viriliter non ceſſiſti, auxiliabor tibi, &* FACIAM TE IN TOTO ORBE NOMINARI. O nomen *Antonii* inferis formidandum, ſuperis cantandum, mortalibus toto orbe celebrandum. Sed ex umbra tandem in ſolem, in apertum campum deſcendit, ipſos ſatanæ miniſtros, hæreticos, alióſque fidei hoſtes, truculentiſſimos tyrannos aggreſſus,

i *Cupitque ſuum reperire periclum*:

nam cùm Alexandriæ, Maximianus in Chriſtianos crudeliter deſæviret, ſpretâ eremo, martyrii palmam, ſanguine ſuo emere ſtatuit: ſed divino Numini, cui ſi facultas deſit, voluntas ſufficit, aliter viſum fuit; unde, inquit Athanaſius, *triſtabatur, quia volenti pati pro nomine Chriſti, martyrium non dabatur*. Hæc pauca è multis.

Fuit & alter ſanctimonia vitæ clarus, & infulis inſignis *S. Antonius Præſul Conſtantinopolitanus*, k cui juventus meritò invideat Doctorem. Hic, ſi neſcis, Spiritus Sanctus fuit. Hoc, neque alio magiſtro, primas ille litteras didicit. Mundum in bulla luſit, & ludos pueriles averſatus, viro digna geſſit, aras ſtruxit, aris thura, & quæ thure ſuavius olent apud ſuperos, preces fudit. Ad altiora conſcendit, dum mundum ſub pedibus habuit, monachum profeſſus & ſolitudinem, in quam & parentem pellexit, & tironem ſub ſua diſciplina habuit. Pauperes bonorum omnium heredes ſcripſit, quos locupletius ditavit, ubi infulis Conſtantinopolitanis invitus admotus, & etiamnum demortuus ſtipem, quam vivus legarat, inter manus creſcere fecit.

Vultis Regum purpura & bellicâ gloriâ *Antonios* inſignes? *M. Antonius Imperator*, l quem Cæſar cùm per Italiam curru veheretur, unà ſecum ſemper eodem in curru habuit, utpote qui in Syriam contra Ariſtobulum, qui Judæos concitaverat, contendit, & primus omnium, vallum tranſcendit, ac parva manu ipſum Ariſtobulum, unà cum filio cepit. *m* Complura, inquit Plutarchus, & Livius, fortitudinis, & induſtriæ militaris facinora edidit. Adverſus Parthos, qui infinita multitudine ſagittarum, exercitum ejus obruebant, ſubſidere ſuos, & teſtudinem facere juſſit; ſupra quam emiſſis ſagittis, ſine militum ſuorum noxa, exhauſtus eſt hoſtis *n*. Quid, quod tribus pugnis, Parthos ad internecionem delevit? *Antonius* non ſolum terra terribilis, ſed & mari formidabilis fuit. *o* Adverſus Cæſarem 500 naves bellicas inſtruxit, in quibus centum millia peditum, equitum duodecim millia cenſebantur:

i Ovid. l. 8. metam. k Surius ex Nicephor. 12. Febr. S. Antonius Præſul.

l Antonius Imper. m Plut. in Anton. n Vide Beyerl. theat. A. pag. 70. o Plut.

bantur: vehebátque in ſua claſſe ſex potentiſſimos Reges, Libyæ, Ciliciæ, Cappodociæ, Paphlagoniæ, Commangonæ, & Thraciæ; qua navali caſtrorum acie ordinata conſpecta, *Cæſar ab Antonio eluſus receſſit.*

Quid te commemorem generoſiſſime Heros *Antoni Columna*, p Dux Venetorum ſtrenuiſſime, *& maximarum virtutum gloriâ, etiam apud hoſtes celeberrime?* nolim prolixam laudum tuarum panegyrim texere, hoc dixiſſe ſufficiat, cùm ſub annum Chriſti 1464 Selymus Turcarum Imperator, Cypro per vim potitus, cæteræ Venetorum ditioni, orbíque Chriſtiano immineret, *Pius* Papa V. communi periculo occurrendum ratus, Venetorum & Hiſpaniarum copiis in ſuam ſocietatem adlectis, ingenti mole bellum apparare cœpit. q *Antonius Columna* ea tempeſtate inter Romanos, genere, famáque clariſſimus, Pontificiæ claſſi Præfectus, virtute bellica, & Virgine Lauretana Auxiliatrice, hoſtem fudit, ac fugavit, victorque & ovans, veteri Romanorum more renovato, urbem ingreſſus eſt. Prodeat in hoc illuſtriſſimum *Antoniorum* Theatrum, rebus præclare geſtis ſpectatiſſimus *Antonius Maria*, r qui inter eximia bellicæ virtutis facinora, hoc memoria æterna dignum edidiſſe fertur: quod ubi parentem hoſtium globo cinctum vidit, intrepidus adverſariorum cuneos penetrarit, patrem præſenti mortis diſcrimini, vitæ ſuæ impendio eripuerit, ac libertati reſtituerit. Si alios omni ſcientiarum genere, ac eloquentiæ laude præſtantes inducere voluero, dies & vox me deficiet. Mitto *Antonios* Theologica, Juridica, ac Hiſtorica ſcientia excellentes, unum vobis arte medica, & alterum oratoria facundia præpollentem, quæ ad ſcopum meum maximè faciunt, induxiſſe ſufficiet. Is eſt *Antonius Muſa*, ſ divi Auguſti Medicus, toto orbe celeberrimus, & fama ſuper æthera notus: qui dum Cæſarem jam conclamatum ſervaſſet, & ut ait Plinius, *gravi periculo exemiſſet*, ſtatua Æſculapio proxima, illi à populo Romano, monumentum publicæ gratitudinis, & Deo prope æquali, erecta eſt.

Quod eloquentiam ſpectat, omnem omnium Oratorum famam exſuperaſſe videtur *Antonius Orator*, ipſo teſte Oratorum Principe Tullio *t*. Omnia *Antonio* veniebant in mentem: eaque ſuo quæque loco, ubi plurimum proficere, & valere poſſent; ut ab Imperatore equites, pedites, levis armatura; ſic ab illo, maximè opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio: paratus ſemper aggredi ad dicendum, ea verborum copia, & pondere, ut Plutarchus illi tribuerit Sirenem, & gratiam ſermonis, qua globum etiam circumſtantium militum, qui ad eum interficiendum venerant, veluti præſtigiis attonitum detinuit. Et dubitamus adhuc *Antonios* omniū ore celebrandos, Scriptorum calamis in cœlum ſublevandos, ſtatuis, ac obeliſcis, lauro,

p Ant. Columna. Sabellicus ex Iovio. q Beyerl. theat. M. pag. 239. r Bemb. l. 1. hiſt. Venet, Antonius-Maria.

ſ Plin. l. 29. cap. 1. Sabellicus l. 7. c. 8. t Antonius Orator, Cicer. de orat.

& auro

auro condecorandos? quos inter *claros Antonios*, ſi *Antonium Ulyſſiponenſem*, *ſeu Paduenſem*, multos æquaſſe, plures ſuperaſſe, ac longè prçclariſſimum fuiſſe contendero, meipſum in hoc laudum Oceano perdidero, niſi per illum, qui rebus perditis patrocinatur, portum invenero.

§. I.

Sanctus Antonius de Padua, *inter* claros Antonios *quomodo præclariſſimus exſtiterit.*

De viris præclaris, juxta Pythagoræ præceptum, majoris artificii, & præconii eſt, *non pauca multis*, *ſed multa paucis* dicere; quare compendio *Antonium Antoniis* conferre placuit, & quantum unus omnibus antiſtet, ex dicendis patebit. v *Sanctus Antonius* de Ordine Seraphico, Ulyſſipone oriundus, *à pueritia ſanctus*; quo ſingulari encomio hic minor, nónne *Antonio magno* major videri, & cenſeri poſſet? x in eremum & ipſe ſeceſſit, ubi cellam in crypta reperit, in qua *priſci Antonii* æmulator exſtitit, & contra infeſtationes dæmonis, nocturnis vigiliis, aſſiduis precibus, inedia tanta, ut pedibus conſiſtere non valeret, & diris corporis cruciatibus ſeſe obarmavit. Quid, quod & ſatan cutem ejus tangere auſus, & ſumma vi ſpiritum elidere, faucibus interceptis, aggreſſus ſit; ſed ille unico Mariæ nomine, ſimul viam loquelæ fecit, ſimul inſidiatorem in fugam dedit, & tantus gigas, à Minore *ſuperatus eſt*. y

Nec uni angulo natus *Antonius noſter*, nec cellæ anguſtiis tantus ſpiritus arctari poterat. z Accidit ut ſacra quinque Martyrum, Patrum Minorum, corpora, à ſereniſſimo filio Regis Luſitaniæ, Marochio, ſumma qua par erat ſolennitate, & pompa deferrentur, cùm illicò in idem inſtitutum exarſit, ut & ipſe, qui in venis bulliebat ſanguis, eundem pro Chriſto fundere, & martyrii lauream adipiſci poſſet; jámque terram Saracenorum ingreſſo, Deus cœptis obſtitit, & morbo dejectum, ad propria redire compulit, ut eum, quem audietis, in agro Eccleſiæ excolendo, fructum faceret, & innumeras ab ovili Chriſti aberrantes, & perditas hæretica pravitate oves, divino ſuo eloquio reduceret: non enim ille hæreticos omnes, acerrimos Eccleſiæ hoſtes, cum *magno Antonio* dumtaxat averſatus, & inſectatus eſt, ſed & plurimos (ut mox dicemus) Chriſto lucratus eſt; quo factum ut in toto orbe cœperit *nominari*, & ut Surius loquitur, a *omnium ore meritò celebrari*, & hæreticorum malleus nuncupari.

Luſerit alter *Antonium*, b Conſtantinopoleos Antiſtes in bulla mundum; ſed & noſter à teneris nil puerile geſſit, qui *à pueritia ſanctus fuit*, & ne quid vel tenuiſſimi pulveris humani, in via

v S. Antonius de Padua cum S. Antonio Eremicola confertur. x S. Antonin. chron. Tom. 3. tit. 23. cap. 11. de S. Franciſco, cap. 3.

y z Surius. a Surius, b 2. Cum S. Antonio Epiſcopo.

Domini

Domini currentis pedibus adhæreſceret, *retraxit eos, cùm necdum totos illos in ipſo mundi primo aditu poſuiſſet*. c Non alio autem *Antonium noſtrum* Præceptore, quàm Spiritu Sancto uſum fuiſſe, hoc inter cætera argumento eſt. Ad generalia Ordinis comitia Forolivium evocatus, ignotus conſidebat; dum, qui ad Fratres verba faceret, nemo quiſquam, qui promptus, & paratus foret, repertus eſt. Juſſus tandem *Antonius*, exprimeret, quæ Spiritus Sanctus ei ſuggeſſiſſet; ille ſe modeſtè, in abluendis culinæ vaſculis, & hujuſmodi humilitatis miniſteriis magis idoneum, quam in exponendis divinorum eloquiorum myſteriis, palam affirmare; imperio tamen reniti non valens, ea dicendi facultate, & verborum copia ſermonem inſtituit, ut omnes faterentur, *numquam ſic hominem locutum* fuiſſe, & *ejuſmodi ſermonem ſe numquam antehac audiviſſe* d. Quare ipſius Miniſtri generalis mandato, rupto diuturno ſilentio, extemplò ei demandata eſt concionandi Provincia, & *cultor eremi, miſſus eſt ad prædicandum verbum Dei*; ſine prævio ſtudio, ſine libris, ſine ſcriptis, *cultor eremi, fit derepentè præco Evangelii*: nam *ubi Spiritus Sanctus Magiſter eſt, facilè diſcitur, quod docetur*; quem ſi plures Doctorem haberent, & audirent, ſaniorem, minimo olei & lucubrationis impendio, doctrinam haurirent, & traderent, qua non unum, ſed innumeros, ſpretis mundi illecebris, ad ſolitudinem, & religioſa clauſtra *cum Antonio* pertraherent.

c Idem. d Pipinus feſto S. Anton. de Padua, Surius.

Effuderit ſanctiſſimus *Præſul Antonius* millia in ſinus pauperum; *Antonius noſter* omnibus relictis, quamtumvis opulentis facultatibus nudus ad nudum Chriſtum confugit; nec minoris reor beneficentiæ, certè majoris prodigii, vinum ſubtracto epiſtomio, cujus vertebrum vidua manu tenens, amphoram viro Dei afferebat, in vaſe ſervaſſe, quàm ſtipem erogaſſe.

Minus nunc laborandum video, ut *Antonium Paduanum* Antoniis purpuratis conferam, qui ad purpuram omnem erubuit, eam ſi exceperis, quam ſanguine ſuo pro Chriſto, tingere poſſet.

Fuderit *M. Antonius* e *Imperator* Parthos non uno Prælio, eduxerit in mare claſſem 500. navium, Cæſari formidabilem; à quo tamen victus, & ſubactus eſt. Non Parthos, ſed piratas animarum, tartareáſque legiones, robore validas, copiis innumerabiles debellavit & ſubjugavit. Uno fretus elementorum Rege, ventis imperavit & mari. Hic, non me, ſed *Theologiæ* Doctorem, *eloquentiæ Magiſtrum*, *divinorum eloquiorum Interpretem* Mendozam *audite*. f Virtus *Antonii Ulyſſiponenſis*, latius quàm omnium Luſitanorum, nec ſolum quinque ſed omnium Regum ſe effudit & extendit: *Hic Antonius* terram, aërem, ignem, aquam *nullius jugum patientem*, *preſſit imperio*. Ut cætera elementa ſileam, in mare ſenſus veſtros avocate, palàm vobis erit, hoc non minus, quàm cætera *imperio, & nutui ejus paruiſſe*. g Cùm

e 3. Cum Antonio Imperat. f Mendoza in præfat. viridarii ſacra ac prof. erudit. g Idem l. 6. orat. 12.

ſatanicæ

ſatanicæ copiæ à ſtyge immiſſæ, illum fugere, & alio quaſi vela facere coëgiſſent, prope littus, ubi mare multiplici undarum colliſione effervеſcit, conſedit, & Oceano imperans, *omnis ſubitò maris tumor ſe frangit*, molliter criſpantur undæ, placido æſtu ripæ alluuntur. Parum hoc, cùm Spiritu Sancto ſufflante divinò eloquii flumine Antonium velificantem ſtygii piratæ inſectarentur, inſolens & hactenus inauditum patravit prodigium: *h* piſces, qui ſoli neſciunt inter animantes manſueſcere, evocat in littus, ad colloquium invitat, uti rebus divinis audiendis aures arrigant, hortatur. Quis crederet, aliquem ita docendo valiturum, ut tam rudes auditores erudiret, tam indociles edoceret, tam inexorabiles exoraret? piſces ex abditiſſimis ſuis ſpecubus, in quos illos natura detruſit, & compegit, foras emicant, in ſumma aqua gregatim enatantes, confertiſſimè denſantur: ſuis quique ordinibus, ut majores, aut minores erant, potiuntur: omnes in dicentem intendunt oculos, auditum advertunt, favent, applaudunt, geſticulantur: tandem fauſta cum prece abire juſſi, colla ſubmittunt, pinnas explicant, hilaritudinem oſtentant, obſequium pro anathemate rependunt. Ecquid majus? ecquid glorioſius fingi poterat? an unquam *Antonius Imperator*, ſic milites, & epibatas ſibi obſequentes habuit? vos ipſos appello teſtes; *ſanè invenietis nulli unquam duci obæratos famulorum greges, tam peramanter obſequutos, quàm liberaliter* S. ANTONIO *indomitæ, & efrenes belluæ ancillantur*. Denique ſi quid à M. Antonio fortiter geſtum eſt, id omne turpi luxu, & temulentia fœdavit: i *Ac ſitiens non tantum meri, ſed & civium ſanguine ebrius*, infami morte conceſſit. Quantum ab hoc monſtro pravitatis, miraculum ſanctitatis diſtet, & *Antonius ab Antonio* diſcrepet videtis.

Fateor *Antonium* k *Columnam*, Ducem Venetorum, virtute bellica, & glorioſa de Turcis, acerrimis Eccleſiæ hoſtibus, victoria clarum, in Capitolium invectum fuiſſe. Sed inclytus Dux noſter *Antonius Paduanus*, ſolus, & inermis vexillum crucis præferens, innumeros domum Dei vaſtantes, hæreticæ pravitatis ſectatores, *l* & hos inter omnium Anteſignanum *Bonivillum*, & alterum crudeliſſimum Chriſtianorum tyrannum *Ecclinum*, gladio verbi Dei convicit, proſtravit, & Chriſti caſtris aggregavit. Quanto hic nobiliſſimus tot animarum ductor triumpho, cœleſte capitolium ingreſſus ſit, ex eo conjicere eſt, quod non niveis equis, ſed Angelorum turmis ſtipato, ipſe ſummus Imperator Chriſtus in occurſum venit, ad cujus conſpectum, in meta ſtans exclamavit: *Video Dominum meum*; quin & cœlum, ac terra, incredibili feſtivitate, & miris lætitiæ ſignis applauſit. Ad venerandum viri corpus accurrunt Veneti, properant Cenomani, adſunt Vincentini, Longobardi, Slavi, Aquilejenſes, Germani, Hungari, Hiſpani, Galli, & ex omni propè natione, quæ ſub cœlo eſt. At inter omnes

h Mendoza cit.

i Plutarch. in Antonio. Plinius lib. 14. cap. 22. k 4. Cum Antonio Columna. l Surius.

omnes, ſibi de tanto theſauro gratulabatur Padua. Tum ne feſtivos ignes requiras, ſacer Clerus cum Antiſtite, & Magiſtratus, nobilium, ac militum comitante caterva, tum juventutis, omniumque artium collegia proceſſêre, quos inter & illuſtres matronæ, & teneræ puellæ, nudis & ipſæ pedibus comitabantur; erant autem cerei, qui ante ſingulos cœtus præferebantur, ea longitudine, ut non niſi reſecti, in ſacram ædem inferri poſſent: quidam etiam præ mole ſua, humeris portabantur, nonnulli curribus vehebantur; cúmque templum luminaria non caperet, ad valvas templi, ſuper muros longa ſerie, & ſplendido per dies & noctes ſpectaculo collucebant. Ulyſſipone eo die, quo Sanctorum faſtis adſcriptus eſt *divus Antonius*, quod Anno ab obitu proximo factum, & viri, & nuptæ, innuptæque puellæ in plateis ſaltabant, cantabant, choros ducebant, & æs omne campanum per urbem univerſam, nullo movente feſtivè concrepabat, nec poterant homines ſe cohibere, quin ſe lætitiæ, & tripudiis darent; omnibus tamen cauſæ tantæ exultationis ignaris: etenim non diu poſt, ſupervenere ex Italia Fratres, quorum relatu didicere, eo ipſo die inuſitatæ lætitiæ, *virum Beatum* in Sanctorum numerum adſcriptum, unde novus gaudii & triumphi cumulus acceſſit. Applaudit ſibi & triumphat de tali cive, Ulyſſipona, & univerſa Luſitania.

Libet ulterius *Antoniorum* nomen, & famam, in cœlum efferre; quod inſigni laude condecoravit *Antonius* m *Maria*, dum parentem præſentiſſimo mortis periculo, & hoſtium manibus eripuit, ac libertati reſtituit.

n SANCTE, *tuum nomen, ſupereſt modo* PADUA *nobis,*
Cantantes ſublime ferens ad ſidera cygni.

Alio in diſcrimine non hoſtium, ſed linguarum telis parens expoſitus, tuo beneficio ex mortis maximè infamis faucibus ereptus eſt: nam cum Paduæ degeret, Ulyſſiponæ duo cives mutuis odiis diſſidentes, alter alteri mortem intentabat; quam cum apertâ vi inferre nequirent, eorum unus nocte ingruente, adverſarii filium in platea inventum, ſumma crudelitate jugulavit, & in horto Parentum, viri DEI, forte vicino, eum tumulavit. Cum autem nobilis eſſet, cujus filius cæſus erat, inquiſitum eſt diligenter, & compertum, ejus filium illac tranſiſſe, ubi inimicus morabatur; itaque ejus domo, & horto luſtrato, nihil compertum eſt. Itum eſt ad vicinas ædes, & in horto, pueri cadaver inventum eſt, atque è veſtigio parens *Sancti Antonii* cum omni familia conjectus in carcerem, tanquam cædis illius reus, mortis ſententiam opperiebatur; quod ut divino Spiritu vir Dei Paduæ cognovit, nocte inſequenti, ingenti prodigio, Ulyſſiponem perductus eſt, & proxima luce ad Judicem ſe contulit, inſontes dimitti poſtulans; cui cum Judex repugnaret, petiit cadaver pueri interempti ad ſe adferri. Quo allato, juſſit ſurgere puerum, & edicere, num à parentibus ſuis manus illi illatæ forent? qui reſurgens, palam con-

m Cñ Ant. Maria duce Venet. n V. Ecl. 9.

confeſſus eſt, illos cædis omnino ignaros, ac planè innoxios eſſe; quo mortui teſtimonio, parens cum ſuis infami morti ereptus, ac innocentię trabea indutus, domum gloriosè deductus eſt: manſitque toto die cum parentibus vir Beatus, & mane, Angelico miniſterio Paduam reductus eſt.

Supereſt, ne his diutius immorari videar, ut inter *Antonios* o omni ſcientiarum genere eruditos, ac medicâ cumprimis arte excellentes, *Divum Antonium* omnibus præcelluiſſe paucis comprobem. Hoc vel ex eo omnibus manifeſtum erit, quod ſcientiam divinitus infuſam, non ab alio Magiſtro, quam Spiritu Sancto acceperit, qua fretus, primus in ordine ſuo Theologiam Bononiæ profeſſus eſt: memoria illi pro omni codice erat. Summi Pontificis primæ veritatis oraculo, *arca teſtamenti* indigitatus eſt; ut quidquid in veteris, aut novi teſtamenti tabulis, aliiſque codicibus expreſſum, in *ANTONII* pectore, quaſi in *arca teſtamenti*, & cœleſti ſcrutinio reconditum ſervaretur.

Valuerit apud Romanos gloriâ, & apud Auguſtum gratiâ *Antonius Muſa*, qui eum arte ſua Podaliricâ è gravi morbo liberavit, quo ex merito, ei ſtatua erecta eſt; verum enimvero divinus noſter, non animarum dumtaxat, ſed & corporum medicus *Antonius Paduanus*, qui omnium morborum genera curavit, & mortuos in vitam revocavit, non una in urbe Româ, ſed per Orbem univerſum, jure meritiſſimo pluribus ſtatuis, & aris, & templis, quam annus dies numeret, honoratur; nam ut auctor vitæ de ipſo commemorat, p *quovis affecti morbo*, vel ad contactum fimbriæ, aut mortui ſandapilæ, convaleſcunt: Cæci vident, ſurdi audiunt, claudi ambulant, omne genus ægritudinum depellit; cui omnis ars & induſtria Hippocratis, Galeni, Antonii Muſæ, & quos inter divos, gentilitas retulit, Æſculapii, Melampi, Podalirii, & omnis medicorum turba concedat, neceſſe eſt. Et hæc omnia mirari deſines, ubi mortuos vitę reſtitutos inaudieris. q Honeſta fœmina, piâ quadam Religione in *D. Antonium* non vulgariter affecta, concionantem auditura proficiſcitur, filio quem unicum lactabat, intra ædem præcluſo, non ſub alterius tutelâ quam *Antonii*, cujus opem omnibus auxiliariam credebat, ſibi quoque minimè defuturam: forte accenſo foco pendebat deſuper ahenum, in quod infantulus, dum improvide hac, illac repit, præcipitem ſe agit, ita ut foras ſe proripere nec ſciret, nec poſſet. Quid contigiſſe arbitraris? vigebat ignis, flamma exultabat: Puellus, (O rem ad memoriam omnium ſæculorum prædicandam) quaſi lavatum ad balnea veniret, aut animi gratia in hypocauſtis deſudaret, inter ebullientis calidæ ſcatebras, feſtiviter colludebat. Si quis hic minoris virtutis dixerit puerum in igne illæſum ſervaſſe, quam in vitam revocaſſe, Divus Antonius, teſte Antonino r, puerum

o 5. Cum Antoniis omni ſcientia eruditis; ac cum Antonio Muſa Auguſti medico.

p Surius. q Mendoſa viridario l. 6. orat. 11. r Antoninus Chronico part. 3. tit. 24.

in

in cunis relictum, à matre mortuum repertum, vita donavit & reddidit eum matri ſuæ.

Reſtat actus ultimus, iſque utiliſſimus, qui totus in eloquentiæ laude conſiſtit, qua longe potentius, quam olim *Antonius* ſ Orator, S. *Antonius* animos quantumvis obduratos emollire, in quam voluit partem ducere valuit, & divina ſua facundia non ſolum linguas infantium fecit eſſe diſertas, ſed & omnium Oratorum ora confudit, t dum unica, eaque ignea, ut olim Apoſtoli, ad varias omnium nationum gentes loqueretur, & intelligeretur. Teſtem habeo omni exceptione majorem, Florentinorum Præſulem Divum Antoninum: v cum in urbe Orbis Domina *ex mandato ſummi Pontificis, peregrinis plurimis, qui venerant propter indulgentias, prædicaret, qui erant diverſarum nationum, & idiomatum, Græci, Latini Francigenæ, Teutonici, Anglici, & alii diverſarum linguarum, Spiritus Sanctus linguam ejus ſic movit, ut omnes qui ipſum audiebant, non ſine omnium admiratione, ipſum clarè intelligerent, & unuſquiſque audiebat linguam ſuam, in qua natus fuerat: & tunc tam ardua & melliflua eructavit eloquia, ut omnes in ſtuporem adduxerit.*

Numquam è roſtris *Antonius Orator*, aut Tullius ea populi frequentia peroravit, qua divinus Eccleſiaſtes noſter, x ad quem audiendum è vicinis urbibus, caſtris, pagis innumera pæne hominum multitudo, ſalutem ſuam in illius Doctrina, ſpe non dubia collocans, confluebat: ſurgebant intempeſta nocte, ut alii alios præverterent, milites, matronæ nobiles, quæ in multam lucem ſtertere conſueverant, concionaturum opperientes; cumque parietes non caperent, ſuggeſtum in campo conſcendere debuit: atque ea attentione auditus, ut in triginta vel eo amplius hominum millibus, vix murmur aut ſtrepitus perciperetur. y Accidit, ut cum omnes arrectis auribus adſtarent, intentique ora tenerent, derepente Cœlum turbari, nubes conglomerari, denſus imber, & grando, velut fractis cœli cataractis irruere cœperit, tota auditorum turba, eodem veſtigio conſiſtente, & ne ſtillâ quidem ruentis imbris contacta; dum omnis, quæ coronam cingebat, circumquaque area ſtagnaret Ea autem vocis contentione, quæ omnem humanam excedit facultatem, dicebat, ut pia mulier ob morbum mariti, domi defixa, abſens ad duo milliaria, eum diſerte concionantem audierit; quodque non minus habet admirationis, eodem tempore in ſumma æde ad populum verba facere, & domi in choro canere auditus, & viſus eſt.

Quo verò animorum motu, & morum metamorphoſi, in fœda ſcelera & enormia flagitia detonuerit, ac fulminarit, pœnitentium lacrymæ, & tunſiones pectorum, & ſacræ exomologeſes, quibus audiendis ſacri Myſtæ non ſufficiebant, & dire flagellantium ſeſe, ab eo primum inſtitutæ ſupplicationes, me tacente, ſatis loquuntur. Videbatur

ſ 6. Cum Antonio Oratore Romano comparatur. t Surius. v Antonin. cit. x Surius.

y Antonin.

quaſi

quaſi alter quidam prodiiſſe Elias, & z *Sermo ipſius ut facula ardebat*, inflammatuſque igne Spiritus Sancti, ignitis ſermonibus urebat auditorum tepida, torpentia, & frigida corda; ſaxea autem, & ferrea domabat, emolliebat, ceræ inſtar fluere cogebat.

Ingens dicendi vis in *Antonio Romano* fuerit, qua ſtrictos in ſe acinaces avertit, & jugulo imminentes vaginæ reddidit. *a* Verum quæ divina inerat *Antonio Paduano* facundia, latrones manu aurum offerentes, & ſub cingulo ferrum occultantes, flexit, & ſubegit; nec à ſua ſolum cervice, ſed & ab omnium Veronenſium, dum *Ecelini*, immaniſſimi tyranni, ejuſque ſequacium ſicas avertit, compeſcuit, manibus excidere, eumque ſecum, ac cum Deo gratiam inire fecit.

b Hæc, aliaque tam portentoſa, & à ſæculis inaudita, omnes omnium oratorum linguas mutas facit, & infantes Ut ſi olim Tito Livio Romæ ſtatua erecta, quæ digito labellum comprimebat, innuens, omnibus & oratoribus, & ſcriptoribus poſt illum, ſilentium indictum; id potiori jure de *Antonio noſtro* pronuntiaro, ac nobiliori titulo, quam olim *c* Beroſo Athenienſes in Gymnaſio ſtatuam lingua aurea poſuere, illi, cujus lingua omnis expers ſcorię, tota aurea, & à morte vivida, ac vegeta, immortalis exſtitit, erigendam eſſe, contendero: nam d *ſi linguis hominum loquar & Angelorum*, nullam partem conſequi potero earum laudum, quæ debentur ſacroſanctæ *Antonii* linguæ: quæ cum tacet, loquitur: cum obit, vivit: cum ſepelitur, reſurgit: cum abire in cineres putatur, vitalem redire in pulchritudinem videtur. Trigeſimo ſecundo Anno à Sanctiſſimi viri obitu, aperitur capſa, in qua Sacrum Corpus conditum ſervabatur; patent membra cetera ſoluta in cineres: una lingua ſucci plena & ſanguinis, vivere viſa eſt, & ſpirare. Aderat totius Ordinis Antiſtes Bonaventura, excipit in manus cœleſtem Theſaurum, gaudio delibutus fundit ubertim lacrymas, e *longo tandem poſt tempore fatur: O lingua benedicta, quæ Deum toties benedixiſti, atque alios benedicere docuiſti.*

Jobum ab imis unguibus, uſque ad ſummum verticem capitalis hoſtis lethaliter ulceravit; linguam tantum reliquit incolumem, ut ipſe teſtatur: f *derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*. Id eſt, interprete Hieronymo, *ex omnibus aliis officiis membrorum, ſolum mihi remanſit locutionis officium*. Quo merito, quo jure lingua tantum ſuperſtes fuit? Deum ſemper benedixit, ejus gloriam toto Orbe propagavit; nam ut benè Auguſtinus: *Lingua quæ Deum maledicit, ſemper minuitur, lingua quæ Deum benedixit, ſemper augetur*, & immortalis eſt. Luſtrate, ſi lubet, omnium mortuorum tumulos, & exeſa cadaverum ora ſcrutamini, nullius non imminutam, & in tabum, ac cineres, reſolutam linguam reperietis, niſi unius Antonii, *quæ Deum toties benedixit, & alios benedicere docuit.*

Unde, ſic pro concive ſuo concludit diſertiſſimus Eccleſiaſtes Mendoſa: g *gaudeat ergo terra noſtra,*

z Eccl. 48. a Paoletti. b S. Antonii lingua incorrupta à morte. c Plin. l. 7. c. 87. d 1. Cor. 13.

e Virg. f Iob 19. g Ambroſius.

ſtra, inquit Ambroſius, de Nazario locutus; gaudeat Padua, geſtiat Vlyſſipona, triumphet Conimbrica, Luſitania univerſa hilareſcat, *nutrix cœleſtis militis, & tantarum parens fœcunda virtutum: quæ eundem habet apud Deum, & alumnum, & Patronum*. Imò ſubdit Ambroſius, cujus verba, propriis tantum in rem noſtram variatis nominibus ſubnectit, *imò totus exultet Orbis*: nam licet Antonius, Patavinus *ſit privilegio ſepulchri*; Olyſſiponenſis *conditione incunabuli*; Conimbricenſis *ſorte educationis*; *omnium tamen eſt communione ſuffragii*: *Non enim clauditur locis, quod effunditur meritis*. OMNIBUS LINGUA ILLA DATA EST IN PIGNUS, h *ut pro omnibus Deum oret*, omnibus patrocinetur; adeò ut de nullo ægro ita conclamatum de omni humano auxilio, quovis in diſcrimine, deſperatum, de cauſa etiam evicta, clienti abjudicatum, quin lingua ejus *pro omnibus Deum oret*, & exoret, ægros ſanitati, periclitantes incolumitati, damnatos vitæ reſtituat, & patrocinetur.

Nolim vetera eruderare, ſed quæ non ita pridem & quaſi ſub oculis geſta ſunt, enarrare. *i* Anno hujus ſæculi 1628. Neapoli vir innocens, ex allegatis, & probatis, in carcerem conjectus, & capitis damnatus, cum neſciret quò ſe verteret, obteſtatur pauperculam uxorem ſuam, ut Proregem adiret, lacrymis, ejulatibus, & quibus poſſet modis, mariti vitam poſtularet. Paret mulier. Sed cum ſibi ad Proregem aditus omnes occluſos cerneret, libellum ſupplicem, quem manibus tenebat, divino utique inſtinctu afflata, detulit ad Franciſcanorum templum, & ad aram *S. Antonii Paduani*, prodigiis & illic celeberrimi, mappæ ſuppoſuit, obnixè fuſis ubertim lacrymis, opem & patrocinium ejus efflagitans. Poſtridie ſpei plena revertitur, & ſchedam, ubi collocarat, reperit, recipit, inſpicit, & advertit novis, & incognitis characteribus ſubſcriptam, quam dum aliis legendam porrigit, intelligit Regem ſuo Chirographo ſententiam mortis revocaſſe, ac maritum liberaſſe. Feſtina currit ad carcerem, cuſtodi abolitionem exhibet; ille Secretario, qui ſyngrapham adulteratam, & litteras confictas dictitans, præproperè ad Regem convolat, qui inſpecta charta, ſyngraphen ſuam agnoſcit, & fatetur fratricellum ſe conveniſſe, & perſuaſiſſe captivi innocentiam; itaque ſe libello ſubſcripſiſſe, eique ſententiam, qua abſolvebatur, commiſiſſe. Quæ res vehementer *Sancti* cultum promovit, & fiduciam omnium ad ejus implorandum patrocinium mirificè excitavit. Quas partes Advocati apud Proregem *Antonius* potenter egit, eas, aliáſque in omni diſcrimine, longè potentius apud Cœleſtem Regem pertractare conſuevit.

Longum foret commemorare, quot, & quam præclara, ſupra naturæ vim, & ordinem, hic Thaumaturgus in varios mortales, ad preces P. Bernardi Colnagi, S. J. huic ſancto devotiſſimi, à quo numquam paſſus repulſam, contulerit. Quædam tantum, quia liber

h S. Antonius in omni neceſſitate Patronus. i Litt. Rom. anno 1628. 9. Septemb.

liber paucis ad manus, adnumerare hic lubet. Atque ut à domeſticis ordiamur, k *Antonius quidam* noſtræ familiæ adjutor, dum nocte jam adulta in erigendo Servatoris cenotaphio, per Sanctiorem hebdomadam ſtrenuè, nec minus improvidè operam ponit, fallente veſtigio, præceps ex alto ruit, artubuſque oppidò contuſis, confractiſque, lecto infertur. Id ubi Bernardus reſciit, ad *Divi Antonii*, quam in cubiculo habebat imaginem, converſus: *Sancte Antoni*, inquit, neceſſe eſt *Fratrem Antonium* die craſtina incolumem, ad abſolvendum Domini ſepulchrum, redire; quare age, ſanitatem impertire. Et confeſtim ſe ad decumbentis lectum contulit, crucem bene magnam formavit, dicens: *Sanctus Antonius te ſanet: Cras incolumis eſto, & ultimam ſepulchro manum impone.* Paruit æger, ſeipſum miratus ſurrexit, mirantibuſque cunctis accinxit ſe operi, & viribus integris, quod cœperat, in tempore abſolvit. Videbatur divum hunc tutelarem ſemper, & ubique ſibi præſentem, & præſto habere. *l* Neapoli evocatus ad primæ nobilitatis puellam, à medicis jam propè depoſitam, poſt conſueta ſalutationis officia: *S. Antonius*, inquit, *ad te inviſendam venit, qui tibi longioris vitæ gratiam obtinuit. Bono eſto animo, non eſt porrò, quod timeas.* Non vanum fuiſſe Bernardi vaticinium, eventus, & res ipſa docuit. Sic Mariam Todeſcam, Sanctimonialem, omnibus Chriſtianæ fidei Myſteriis ad iter æternitatis inſtructam, divinus ille Archiatrus *Antonius* reſtituit: Parens hujus moribundæ Virginis, vir Nobilis, Bernardum ut ad eam viſeret, exoravit, qui accurrens fortè ad crates, uti mos fert, de moriente Joannâ, verba faciens, ad unam Monialium, quæ adſtabat, ſolita ſimplicitate: *volumuſne*, inquit, *Ioannam reſtituere ſanitati*? Ad quod illa ſubridens, omnino, ſanemus eam, Pater. *Ergo ſanemus illam* ſubjungit Bernardus, *Oremus ſanctum Antonium*; quo invocato, morborum, mortiſque victrix Joanna convaluit, & firma, ac valens ſe in pedes erexit. Mitto cætera, ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quocumque chari liberi, aut conjuges morbo conflictentur, qui omnem medicorum induſtriam exſuperet, ad *hunc Sanctum*, cui Deus omnia poſſibilia fecit, recurrendum: Quacumque adverſæ fortunæ tempeſtate jactati ſitis, *Antonii* patrocinium, & præſidium implorandum; quæ ſi oratorum more amplificare, & ad mores ſententiis, & figuris ſuis exornare voluero, ſcopum meum perdidero, nec uſquam exitum invenero.

k Ioan. Paulinus in vita P. Bernardi Colnagi. edita a. 1662. Lib. 2. c. 7. §. 3.

l §. 4.

§. II.

S. ANTONIUS *oves perditas invenit, & quomodo Jeſus perditus, ac anima perdita invenienda ſit, docebit.*

QUare inſtituti mei memor, unum dumtaxat hodiernâ luce ſectabor, ut eum vobis, in

quo præ cæteris excelluit, pro rebus perditis inveniendis Patronum, ac Tutelarem invocetis: cumque nulla in orbe major jactura ſit, quam Deum perdidiſſe, & animam perdidiſſe, [m] quemadmodum & illum, & illam invenire poſſitis, exemplo ſuo, qui tot oves perditas invenit, edocebit. Redemptor noſter, optimus Paſtor, è ſummo cœlo, de Regalibus ſedibus in mapale deſcendit, per agros diſcurrit, in montes prorepſit, per ſentes & ſpinas, non habitu, ſed toto corpore lacer, & ſaucius, conſiſtere non poteſt. Quem ſi rogemus, quæ ſit cauſa tanti laboris, ſudoris, doloris, & cruoris, dicet ſe errantem ovem requirere. *Ad quid enim veniſſe credendus eſt?* Reſpondet Bernardus: [n] AD QUÆRENDAM *ovem centeſimam, quæ erraverat.* MIRA QUÆRENTIS DEI DIGNATIO, MAGNA DIGNITAS SIC QUÆSITI. Novem ſupra nonaginta in ovili habebat; tamen, quaſi poſt unam perditam, nulla ſupereſſet, non conquieſcit donec inveniat: [o] *dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat,* DONEC INVENIAT EAM. Hanc Paſtoralem ſolicitudinem ſummoperè demiratus D. Chryſoſtomus, ſeu Auctor imperfecti, exclamat: *Conſidera ovem illam, quomodo Paſtor non requievit per deſertum diſcurrere, donec inveniret eam.* Mox ſubdit concluſionem auream: *nullam ex omnibus ſe habere putabat, ſi de ſuo numero una periret.* Auditis Paſtores animarum? Habetis in ovili veſtro non ſolum nonaginta novem oves, ſed ad nongentas, & plures; num ad unam perditam quærendam, quietem interrumpere, commoda relinquere, in ſudore vultus, & periculo vitæ, eam invenire, & ad paſcua reducere ſtudetis? Auditis Patres familias? habetis octo, novem liberos, pios, morigeros, obſequentes, oves innocentes, vocem Paſtoris audientes; has inter, una ovis perdita, una filia vaga, unus filius prodigus, & perditus, num hic cura te tangit, & ſolicitudo angit, ut ovem hanc perditam in popinis, aut proſtibulis invenias, promiſſis, ceu viridi ramo; aut minis, ac baculo Paſtorali ad ovile reducas?

At dicunt ejuſmodi ignavi Paſtores in defenſionem ſuæ inertiæ, oves illas duræ cervicis, nolle converti, nolle vocem Paſtoris audire, & ſequi. Et hoc vobis ſatis, ut ſecuri in utramque aurem, & utrumque oculum dormiatis, ſecuri genio indulgeatis, non recogitantes animam perire, Chriſti Sanguine redemptam? Quæro à vobis, an Nerones voluerint, fidem Romanis tradi, cujus præcones beſtiis objiciebantur laniandi, aut flammis uſtulandi? An Sapores in Perſide, Chriſti Legatos admittere voluerint, quorum membra ignitis forcipibus reſecabant? An Armeni voluerint, Deum verum deſtructis idolis per Chriſti miniſtros prædicari, quos vivos excoriabant? Hoc argumentum contra Donatiſtas, à quibus repulſus, & oppreſſus; appoſitè uſurpat, & refutat Auguſtinus: non mihi dicas: [p] *Ut quid* QUÆRIS *me, ſi perii? Ideo enim* TE

m 1. Oves perditæ cum S. Antonio quærendæ. n Bern. Serm. 1. de Adventu. o Luc. 15. v. 1.

p Auguſtin. in Pſal. 18.

QUÆ-

QUÆRO, *quia periſti. Noli me quærere. Hoc ſane vult iniquitas, qua diviſi ſumus; ſed non vult Charitas, qua fratres ſumus. Improbus non eſſem,* SI NON QUÆREREM SERVUM MEUM? *Iraſcatur, dum* QUÆRATUR. In conventicula Hæreticorum, ubi quandoque ſeducta, & perdita ovis latet: in prava conſortia ganeonum, ubi filia tua, ovis inter lupos poſita: in ſympoſia, & lupanaria, ubi filius cum meretricibus corpus & animam perdit, intrepidè irruendum eſt, *iraſcatur,* DUM QUÆRATUR, inveniatur, & ad ovile reducatur. Si Chriſti ſanguis in cordibus veſtris ebulliret, obſtantes omnes difficultates perrumpere, & imminentia quævis pericula alacriter aggredi auderetis, & arderetis. Audite quid Sanctus Ennodius Ticinenſis Epiſcopus ſenſerit: q *quamvis cana nivibus juga Alpium, tranſituris minarentur exitium: mortiferum frigus, & concretas algore glebas, fidei ardor exuperat. Neſcivimus parcere ſanguini noſtro, dum ſervamus alienum. Nam in tanta circumſpectione ſalutis omnium, ſolum pro nobis timere non novimus.*

Hoc zelo inflammati fuere Apoſtoli, Chriſtique ſectatores, ac imprimis dilectus ille diſcipulus, qui è pectore Domini ſui, velut amoris & charitatis officina, ſingularem quendam ſalutis humanæ zelum hauſerat, exemplo docuit, quantum eſſet vel unius oviculæ perditæ lucrum, r *quod ſibi Chriſtus ſanguine ſuo pretioſius judicavit.* ſ Epheſo excedens D. Joannes, villas, & oppida circumcurſabat; cum ecce ei occurrit Adoleſcens ingenio peracuto, & genio bono, ſpecie etiam liberali, & amœna? quem primis integritatis annis, velut innocentem oviculam, Apoſtolus, illius loci Epiſcopo, ejuſque cuſtodiæ quam obnixiſſimè hac ferè verborum formula commendavit: *Hunc Adoleſcentem omni ſtudio, curâ, & cogitatione, coram Eccleſia, & Chriſto teſte, tibi, tuæque fidei commendo.* Suſcepit ille, tum pro ea, qua in Magiſtrum erat reverentia, tum etiam prona, ac benevolâ in ſubditos charitate, eumque in familia ſua aluit, & curam illius egit planè ſingularem, ne quid corpori, ne quid animo deeſſe videretur. Fluxêre in eo pietatis officio complures anni, quibus adoleſcentiæ memor, juveni fræna contrahere, habenas adducere, ne fortè quod illi ætati facile eſt, poſitos ſibi limites excederet. Verum ut temporis lapſu deteruntur, & lenteſcunt omnia; ita hujus Præſulis, ac Eccleſiæ Paſtoris pius labor, curáque, eo annorum curriculo deferbuit. Hinc adoleſcenti laxiores dare habenas, & plus æquo indulgere. Ab illa Paſtoris conniventiâ, & indulgentiâ, cœpit ovicula laſcivire, liberius ac longius evagari, tandémque variis lenociniis ex oculis abduci, & præceps ruere. Ita ſibi malè luſit, magiſtróque illuſit adoleſcens, eóque ſcelerum venit, ut non tantum in malis malus eſſe, ſed & peſſimus videri poſſet: imò Prædonum Dux, & Coryphæus. Vita in præcipiti, ſalus in deſperatione videri poterat, quia ovis propè in faucibus lupi; cum peracto veluti curriculo, & laborum metâ, ad ſuos revi-

q S. Ennodius. opuſc. 3. r Bern. Serm. 3. de tripl. adv. ſ Euſebius l. 3. Eccl. hiſt. c. 17.

reviſit Epheſum Apoſtolus, ejúſque prima cogitatio ac primaria cura fuit, à præſule quærere: quid de ove ſibi commiſſa, quam Chriſto, & Eccleſiâ teſte ei commiſerat, feliciter factum? quam ut vagam, ac perditam agnovit, attonito ſimilis hæſit; dein ſubirato vultu, vocéque, ita paucis: *Siccine*, inquit, *ſervaſti depoſitum, ſic fratris tui animam*, dilectam oviculam meam, tanto affectu, ſolicitudine, curâ tibi commiſſam, & commendatam? cætera dixêre lacrymæ, profundíque gemitus: à quibus (nec enim longior amanti mora) ſeſe in viam expediit annoſus ſenex, & in denſa nemora, metuendóſque ſaltus, ardens animarum Paſtor, & Prædo evaſit, oviculam ſuam perditam quæſiturus. Ubi in juvenis conſpectum venit, agnovit ille venerabilem Paſtoris ſui vultum, & celeri fugâ ſeſe illius oculis eripuit; nimirum dolor, pudórque pedibus alas addiderat. Sed & amor pio ſeni animos, & ſtimulos ſubdebat, qui per luſtra, & teſqua clamitando, concito curſu inſequebatur: quo abis infelix adoleſcens? ego tui cauſa in ferrum ibo, & in vulnera pronus ruam, pro quo optimus Paſtor, magiſter meus, amor meus, in crucem ac mortem venit. Audiit tandem ovis perdita vocem Paſtoris ſui, inque ſinum ejus cum rubore & lacrymis, ſe ſupplicem conjecit; dexteram fortè tot criminum ream, & adhuc innoxio ſanguine cruentam, abdiderat, quam pius pater prenſavit, & oſculo dignatus eſt, & veniam ſpopondit. Ita bonus Paſtor perditam ovem quæſivit; & in humeros quaſi aſſumens, ad ovile reduxit: imò deinceps probè pœnitentem, & inſtructam, dominico gregi præfecit. Habet in eo, quiſquis eſt animarum Paſtor, Prætor, Paterfamiliâs, cui oves Chriſti commiſſæ ſunt, quod diſcat, amet, & imitetur.

Hic zelus in eo, de quo agimus, Paſtore Paduano, luculenter exarſit, & Chriſtum Paſtorem proximè æmulatus,[t] ex eremo ad oves perditas quærendas, & inveniendas, divino amore incenſus, totus incubuit: per vicos, & pagos, per oppida, & urbes, per invia, & avia hic ardentiſſimus Paſtor *zelo fidei*, *& fervore animas adducendi*, nullis moleſtiis, nullis periculis deterritus excurrit: qui *enim antè*, *paſſionis calicem tantopere concupierat*, nullum periculum reformidabat. An non oves perditas quis dixerit, iſtiuſmodi homines, qui implacabili odio inter ſe diſſident, nil niſi ſanguinem, & vindictam ſpirant? illas adduxit *Antonius*. An non oves, & animæ perditæ cenſendæ, quas uſuris, & rapinis, & bonis injuſtè partis, detonſo in reſtitutionem aureo vellere, in humeros portavit, & caulis Chriſti reſtituit? an non filios, & filias perditas quis duxerit, quas, cum cœno libidinis, & ut ſues in volutabro luti immerſæ eſſent, quæſivit *Antonius*, expiavit, & *niveo vellere*, Chriſti gregi aſſociavit? quin & abſens, altum ſomno vitiorum ſtertentibus, noctu apparuit, & pedo paſtorali verendus, ac voce terribilis intonuit: [v] *Surge Martine; ſurge Agnes*, ſurge Agatha, ſurge Catharina, ſurge Petre, ſurge Joan. ſurge

t S. Antonius quærit oves perditas.
v Surius.

Paule, & peccata confitere. Ita *zelo fidei, & fervore animas adducendi*, non vir unus, ſed multiplex erat *Antonius*.

An non ovis perdita, homo nefarius, carni & ſanguini deditus, ſed & illam oportuit *Antonium* adducere: obviam illi factus, humanitate ſummâ illum ſalutavit, humilitate ima ad pedes proſtratus veneratus eſt, eique divinitus ſpiritum impetravit, ut glorioſus Chriſti Martyr, inter oves Chriſti purpureo vellere adſcriptus ſit. Aureo olim ſermone de Chriſto pronuntiavit Chryſologus, Ravennatum Antiſtes: x *Solus bonus, ſolus Paſtor, ſolus Paſtorum Paſtor, animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, quas per mortales campos, per iter mortis, vitalia vocavit, & perduxit ad paſcua: ut ſanguine ſuo tinctæ fulgerent regali purpura, niveo vellere perlucerent*; quem, quam proximè æmulatus ſit Paſtor Paduanus, jam audiſtis, ut meritò exultare, & clamare queat: *Congratulamini mihi*, quia inveni non unam, ſed innumeras oves, quæ perierant; neſcio enim quo fato fiat, ut majori gaudio reperiantur deperdita, quam numquam amiſſa: ſic etenim idem Doctor: y *Semper quidem* CUM PERDITA REPERIMUS, *novum capimus cumulum gaudiorum: & eſt jucundius nobis* INVENISSE PERDITA, *quàm non perdidiſſe ſervata*.

Erant & aliæ oves perditæ, quæ non de ovili Chriſti, à paſcuis Eccleſiæ longè aberrantes, quas è ſtygii faucibus lupi eripuit, & ad verum Paſtorem animarum adduxit. Teſtis, ut innumeros ſileam, de quo ſupra memini, *Ecelinus*, z quem cùm didiciſſet B. Antonius multam cædem, per ſummam crudelitatem, Veronæ feciſſe, intrepidus illum acceſſit, atque his verbis compellavit: imminet cervicibus tuis, tyranne ſæviſſime, & rabide canis, horrenda Dei ſententia. Quouſque non temperabis tibi a fundendo inſontium ſanguine? pluráque his ſimilia, voce liberrima in faciem ei dixit. Qui verò aderant, nihil exſpectabant aliud, niſi illum more ſuo juſſurum, ut trucidaretur; ſed ſecus evenit: nam *omni poſita feritate*, INSTAR OVIS, *ad collum* ſuſpenſa zona Paſtorem ſuum *Antonium*, fulgore qui à vultu ejus abſiſtebat præſtrictus, cum commilitonibus ſuis ſecutus eſt.

Erat & alia ovis perdita, quæ noxiis herbis aſſueverat, & longe à paſcuis aberrarat; *a* hanc ut reduceret, non pedo, non cane, aut terrifica voce, ſed pane Angelico objecto, quod jejunum triduo jumentum, relicta avena, flexo poplite veneratum eſt, ad caules Chriſti adduxit. Sic docuit *Antonius*, Paſtores animarum, oves perditas quærere, & invenire exemplo Paſtoris ſummi & æterni Numinis.

A primis mundi naſcentis incunabulis, æterna Dei ſapientia *ludens in orbe terrarum*, ſi fas ſit dicere, parvulorum more, qui conniventibus, aut ultro ſibi clauſi oculis, quærunt abſconditum, & qui ſe ultro perdidit; ludum luſi non abſimilem cum *b* primo omnium mortalium parente, qui ubi ſe ipſum, & Deum perdidit ſolicitè eundo & redeundo, am-

x Chryſol. Serm. 40. y Idē Serm. 186.

z Surius. Antonin. a Anton. b De primum hominem perditum quærit.

bular

bulando, & deambulando, illum quæſivit, indagavit, clamavit; ſed tantum abfuit, ut ad vocem ſuaviſſime invitantis Dei accurreret, ut ſe in majores latebras abſconderet, & perderet. Sic etenim Sacer textus: c *Cùm audiſſent* (Adā & Eva) *vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam, & uxor ejus, à facie Domini Dei, in medio ligni Paradiſi* (& ut illi, de quibus ſupra, noluerunt reperiri) *vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es?* ſimilitudinem inducit hic Procopius à matre, quæ parvulum ſuum, forte ab aliis ſeductum, aut vagum perdidit: vel à patre, qui unicum prædilectum filium forte longius aberrantem, omni cura & ſolicitudine quęrit; ſed hunc amorem, & dolorem parentum, infinito excedit intervallo, æterni Patris charitas, hominem perditum quærentis; ſic etenim in illud: *Adam ubi es?* diſſerit: d *Quis Pater tanta cura, & clementia* PERDITUM QUÆSIVIT FILIUM, *dolens quod ſuæ dignitatis oblitus, in tantam miſeriam devolutus ſit:* conſimili prope ſenſu Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 14. e *Adam ubi es? id eſt, non in quo, ſed in quibus? de quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miſeriam incidiſti? ubi ergo es? hoc eſt, non in quo loco quæro; ſed in quo ſtatu? quò te deduxerunt peccata tua; ut fugias Deum tuum, quem antè quærebas?* nunc ultro te Deus tuus quærit, & abſcondis te, ne inveniaris. Hanc hominis pertinaciam, & benigni Numinis clementiam, hominem perditum quærentis, conſiderans Hugo Victorinus, diſertiſſime excurrit: f *Ubi es Adam? Adam ubi es? audivi, inquit, vocem tuam, & abſcondi me; ô abſcondite ubi es? quàm longe es, & quam prope es? quàm longè es ab illo, & quàm prope es illi?* QUÆRIT TE DEUS TUUS, *ut tu ipſum invenias:* & QUÆRIT TE, *ut & tu ipſum quæras, & dicas: Domine ubi es? & tu ergo quid facis? nam ipſe perdidit,* TAMEN QUÆRIT. *Si perdidit, non totum perdidit; quia videt quod perdidit: non enim quæreret, niſi videret. Tu autem quid? Adam ubi es?* TU TOTUM PERDIDISTI, *quia perdidiſti ne habeas: & videre deſiſti ne requiras. O infidelis Adam! ubi eſt recordatio tua? dure, indurate, & obdurate! non te emollire potuit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor dilectionis, ut liqueſieres, & curreres poſt eam?* g profecto ferus, ac ferreus ſit, tigride aut caucaſo natus, qui ad has amoris faces non colliqueſceret, ad has benigniſſimi parentis invitantis voces, ſolicitè quærentis filium ſuum perditum, aures obturaret, longius profugeret, & in penitiores latebras ſe abderet; ſic interim, quiſquis peccator es, cum Deo tuo agis: nam ut ſcite Magnus Gregorius: h *Unuſquiſque per peccatum occultatur, &* QUASI PERDITUS, UBI SIT NESCITUR; nec inveniri poteſt, niſi & ipſe ſe inveniat, & Deum ſuum quærat: Nam, ut inquit Abbas Rupertus de Adamo agens: i *Hoc* BENIGNITAS QUÆRENTIS *intendebat; ut is qui* QUÆREBATUR, *ſeipſum inveniret, & ſciret* QUID PERDIDISSET. O Domine, ô pulchritudo tam nova, tam antiqua! ô

c Gen. 3. d Procop. in Gen. c. 3. Lirie. e Ambroſ. l. de Paradiſo c. 14.

f Hugo Victorin. in Alleg. g Pererius hic. h S. Gregor. l 2. moral. cap. 9. i Rupert. in Gen. c. 3.

bonitas infinita, ego ſcio quid perdidi, quia te amiſſo, omnia perdidi: perdidi me,& perdidi te, omne bonum. O dilectiſſime Jesu, Redemptor animæ meæ, QUÆRENS ME *ſediſti laſſus, tantus labor non ſit caſſus*; quære me, ut inveniam me, quod fieri non poteſt, niſi tu quæſieris me. Vnde ad te cum ardentiſſimo tuo Præſule Ambroſio, ex corde clamo: *k* QUÆRE ME, *Domine, quia ego te requiro*. QUÆRE ME, INVENI ME, *ſuſcipe me, porta me*. POTES INVENIRE, *quem tu requiris, dignare ſuſcipere*, QUEM INVENERIS, *impone humeris, quem ſuſceperis. Non ſit tibi pium onus faſtidio.*

Sed fruſtra, ô peccator, optas, & clamas, ut Deus quærat te, qui perdis te, & abſcondis te, ne inveniat te. Deum tuum, qui tam ſolicite quæſivit te, horrendis tuis flagitiis toties repuliſti, quid ſupereſt, niſi ut eum perditum quæras, donec invenias; hoc autem, qua ratione fieri queat, paucis adverte, docebo.

l *Ruben*, qui ſolus viſcera fraterni amoris, erga *Joſephum* innocentem demonſtrarat, pro eo liberando fortiter certarat, & ab imminente cæde exemerat, commiſeratque ciſternæ veteri, utiq; brevi recipiendum; *reverſúſque Ruben* NON INVENIT *puerum*, quem perditum ingenti dolore luxit, & ſciſſis veſtibus in hos amariſſimos queſtus erupit: m *Puer non comparet, & ego quò ibo?* anxius erat, quò ſe verteret, quò pedem, quò mentem flecteret, quî veniret in conſpectum patris, amiſſo Joſeph, tam charo, parenti, filio.

Tibi, ô anima fidelis, periit, & perditus eſt Jesus, à te longius abiit, nec impatiens tantæ jacturæ ingeminas illud: Jesus *non comparet, & ego quo ibo?* quò animum, quo oculos flectam? an fortè in cœlum? at hinc imminent irata fulmina. An ad inferos deflectam? & iſtic parata mihi ſupplicia, & quidem æterna. An recurram ad Patrem cœleſtem? *at puer non comparet*, perdidi culpâ meâ filium ejus dilectum, in quo ſolo ſibi complacuit, & unica mihi ſalus eſt. An ad Virginis Matris aram me ſupplex proſternam? at ejus *puer non comparet, & ego igitur quò ibo?* ut ingenue tibi dicam, ô miſera, & miſeranda, nullum malo tuo remedium video, niſi in toto corde, lacrymis, & ſingultibus quæras Jesum perditum, donec invenias eum. *Scire vis*, inquit Doctor Seraphicus, de Jesu perdito agens, *n* QUOMODO QUÆRENDUS SIT? *dolendo, & flendo, amore, & ardore ſummo: ſic enim* QUÆRERE DEBEMUS CHRISTUM, *ſicut* QUÆRERET *fontem vel aquam, cujus domus arderet; panem, quem fames urgeret; dilectum, qui amore langueret; vitam, qui ſuſpendi deberet. Nimirum fons eſt Chriſtus extinguens ardorem vitiorum: panis confortans in via mandatorum: dilectus amplexans in oblectatione meritorum: vita conſervans à morte damnatorum.* Sic quærendus Deus perditus, *ut inventus nobiſcum ſit per gratiam.* Ita igneus ille Eccleſiaſtes Paduanus innumeros peccatores, Deum perditum *dolendo & flendo*, quærere & invenire docuit.

k Ambroſ. in Pſalm. 118. in fine.
l Deus per peccatum perditus quærendus. m Gen. 37, v. 30.

n Bonav. Dom. infra Oct. Epiph. ſerm. 1

Hugo Cardinalis locum Geneſeos, quem ſupra citavi, expendens: *Reverſúſque Ruben ad ciſternam*, NON INVENIT PUERUM *&c.* Sic in rem noſtram ſolerter excurrit: o *Ruben ſatis congruè deſignat Magdalenam: ille venit ad ciſternam, illa ad ſepulchrum. Ille* NON INVENIT PUERUM; *illa* NON INVENIT CORPUS JESU. *Ille dixit: puer non comparet; illa dixit: tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum:* ille non deſtitit Joſeph perditum quærere, nec illa JESUM ſuum; cujus in quærendo ſolertiam, diligentiam, conſtantiam, Origenes Adamantius, *immortali vir ingenio*, ut loquitur Hieronymus, his verbis deſcribit: *p* PERDIDERAT *Magiſtrum ſuum, quem ita ſingulariter diligebat.* PERDIDERAT *vitam animæ ſuæ; & jam ſibi melius arbitrabatur fore, mori, quàm vivere: quia forſitan* INVENIRET *moriens, quem* INVENIRE *non poterat vivens; ſine quo tamen vivere non volebat.* QUÆREBAT *eum, & non inveniebat, & ideo ſtabat ad monumentum, & plorabat, tota lacrymabilis, tota miſerabilis.*

Quis non crederet ſolatio fuiſſe, dum proſpiciens in monumentum, duos Angelos invenit ſedentes, qui dicunt ei: *Mulier quid ploras? nam tu* QUÆREBAS UNUM, *& duos inveniſti:* QUÆREBAS *mortuum, & viventes reperiſti: eos qui volunt dolorem tuum lenire.* Sed quærenti JESUM, nulla conſolatio humana, nec etiam Angelica dolorem lenire poteſt, niſi ipſe inveniatur; unde ſic reſpondet: *Prô dolor! qualis eſt iſta conſolatio, qualis eſt iſta viſitatio? oneroſi mihi ſunt omnes conſolatores; gravant me, & non conſolantur. Ego autem quæro Creatorem;* & ideo mihi gravis eſt *ad videndum omnis creatura: nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere; quia poſſunt dolorem augere, & non poſſunt penitus delere. Denique ego* NON QUÆRO ANGELOS; *ſed eum qui fecit me, & Angelos. Non* QUÆRO ANGELOS; *ſed meum & Angelorum Dominum. Tulerunt Dominum meum:* IPSUM SOLUM QUÆRAM, *ipſe ſolus me poteſt conſolari; ſed neſcio ubi poſuerunt eum:*

Multi quærunt JESUM, & non inveniunt, quia ſolatium à creaturis, & non à Creatore requirunt: hi ſolatium à divitiis, alii à deliciis, alii ab amicis recipiunt, & Deum qui ſolus poteſt conſolari, quærere negligunt. Non ſic mirabilis hæc mulier, quæ ſolum JESUM diligenter, & indeſinenter quærere non ceſſavit: q *Heu me miſeram*, inquit, *quid agam, quò ibo, quò abiit Dilectus meus?* UBI EUM QUÆRAM, UBI EUM INVENIAM? *ſurgam certè, & circuibo omnia loca quæ potero, non dabo requiem pedibus meis,* DONEC INVENIAM ILLUM, *quem diligit anima mea.* Dúmque ſic perſeverat quærere, meruit invenire, ſic etenim ſe manifeſtans, *dicit ei* JEſus: *Maria;* & ilico *converſus eſt dolor magnus, in gaudium magnum: mutatæ ſunt lacrymæ doloris, in lacrymas amoris. O Domine, dilectrix tua* SIMPLICITER QUÆREBAT TE, ET VERACITER INVENIT TE.

Quiſquis JESUM perditum invenire

o Hugo Cardin. in Gen. c. 37. v. 30.
p Hieron. de Script. Eccl. Orig. hom. 10. in diverſos jug.

q Origen. cit.

venire deſiderat, r illum cum Magdalena inceſſanter, & eo modo quo ipſa, amanter quærat: ploret unuſquiſque ad JESUM, & QUÆRAT FIDELITER JESUM, *quia non celavit ſe* QUÆRENTI PECCATRICI. *Diſce peccator à peccatrice muliere, diſce plorare Dei abſentiam, & deſiderare ejus præſentiam. Diſce à Maria* JESUM *amare, & in* JESUM *ſperare, &* QUÆRENDO JESUM INVESTIGARE, *nulla adverſa formidare, nullam conſolationem extra* JESUM *accipere, omnia propter* JESUM *contemnere, Diſce à Maria* QUÆRERE JESUM IN MONUMENTO CORDIS TUI. *Revolve lapidem ab oſtio monumenti Dei, amove omnem duritiem, & repelle omne obſtaculum: tolle omnem concupiſcentiam mundi à corde tuo, & diligenter perſcrutare, ſi ſit* JESUS *in eo. Si autem* NON INVENERIS *in eo* JESUM, *ſta foris, & plora, & plorando, ora* JESUM, *ut dignetur intrare ad te, & ut inhabitet in te. Audeo tibi confidenter promittere, ſi* PLORANDO JESUM QUÆSIERIS, ET QUÆRENDO PERSEVERAVERIS, *ſi te cum humilitate inclinaveris, ſi exemplo Mariæ nullam conſolationem de JESU, niſi JESUM recipere volueris, ipſo revelante,* IPSUM INVENIES, *& ipſum cognoſces, ita ut non ſit neceſſe ab aliis* QUÆRERE *ubi ſit JESUS; ſed tu magis indicabis eum, nuncians aliis: quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* Diſce & tu à Maria, quiſquis Deum perdidiſti, eum quærere dolenter, ardenter, & diligenter: ſ *Oportet enim qui quærit* JESUM, *non negligenter, non diſſolutè,* NON TRANSITORIE QUÆRERE, *ſicut quærunt nonnulli, & ita invenire non poſſunt. Nos autem dicamus:* DOLENTES QUÆREBAMUS TE. Quàm dolenter, quàm diligenter quærit mater filium perditum, monile perditum, dominus equum perditum, ruſticus bovem aut ovem perditam? non dat ſomnum oculis ſuis, omnes domus anguli excutiuntur, per totam viciniam, per plateas, & vicos diſcurritur, nec acquieſcitur, niſi inveniatur.

r Quomodo exemplo Magdalenæ quærendus ſit Ieſus. ſ Origenes hom. 18. in Hierem.

Fuit non ita pridem nobilis, qui ob canem ſibi fidum deperditum, noctes & dies inſomnes duxit, per totam urbem quæri juſſit, famulum per omnes villas & oppida, imò in exteras terras, ut canem quæreret, amandavit; inſuper præconis voce edici fecit, decem aureos inventori annumerandos; non inventum, luxit ut filium perditum.

Sic vetula ob felem perditam, diligenter quæſitam, & non inventam, infelicem animam efflavit. Et Deum perditum quærere ſuperſedemus, nec perditum lugemus; quam incuriam graviſſime exaggerat, & deplorat ſanctus Bonaventura: t *Heu! quia magis eſt homo ſolicitus* QUÆRERE ASINUM PERDITUM, QUÆRERE PORCUM, QUÆRERE BOVEM, VEL EQUUM, *quàm quærere Chriſtum. Cujus probatio eſt: cùm perditur bos vel aſinus, ſtatim ſine* DILATIONE QUÆRITUR, NEC à QUÆRENDO CESSATUR, DONEC INVENIATUR. *Sed ſi Dominus per* PECCATUM PERDITUR, *ſæpe negligitur, ut per multa annorum*

t Bonavent. in Cant. Serm. 64.

ſpatia NON QUÆRATUR. Hoc vobis, hoc Chriſti vicariis teſtatiſſimum eſt, plures eſſe, qui per 8. 10. menſes, imò per multa annorum ſpatia, Chriſtum ob enormia flagitia perdiderunt, & quærere neglexerunt: qui pro vili creatura, pro jumento ſuo, noctes & dies non ceſſant, donec inveniant ea. Mulier illa Evangelica, de qua S. Lucas: *v* SI PERDIDERIT DRACHMAM UNAM, *nónne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter*, DONEC INVENIAT EAM.

DoctorAngelicus in catena ſua aurea, ex divo Cyrillo ſic ait: x *Drachma nummus eſt, impreſſam habens Dei figuram*, ſeu imaginem. Hunc pretioſum nummum deperditum, aureus fuerit, an argenteus, non diſputo, omni auro, & argento, ac lapide pretioſo, Hugo Cardinalis longè pretioſiorem, interpretatur *eſſe animam*. Inde moraliter excurrit: y *Aliquis Prælatus habet decem drachmas, id eſt, decem animas, ſibi ad regendum commiſſas*; SI PERDIDERIT DRACHMAM UNAM, *id eſt; unam animam ſibi commiſſam, nónne accendit lucernam, & everrit domum*, DONEC INVENIAT EAM? lucernam autem accendit pro perdito, vel perditâ *orando meditando*; ubi tradit & alium modum, quo inveniat, *bene vivendo*, bono exemplo prælucendo, eleemoſynas, jejunia, aliáque pietatis opera pro drachma perdita offerendo: *Domum everrit, conſcientias ſubditorum de reatu ſuo, comminatione pœnæ æternæ perterrendo; & ſic drachma* EST INVENTA, *id eſt, imago Dei in homine*, in filio, in filia, in ſervo, in ancilla *reparata*. Paterfamilias habet 10. 8. 6. drachmas, id eſt tot animas filiorum, filiarum, famulorum, famularum ſibi commiſſas; *ſi perdiderit drachmam unam*, id eſt, unam ex his animam ſibi commiſſam, nónne accendit lucernam? nónne oculos mentis aperit, nónne lumen per orationem ſibi cœlitus immitti petit? qui antea cùm ignoraret quid ageretur, quid deperderetur in domo, prorſus neſciret: Quia z *nox ei erat jugis, erat ei profunda & perſeverans caligo, cui lucerna ſine divino igne ad noctis ſolatium non lucebat; donec ſupernus ignis Spiritus Sancti ſe effudit, & corda ſui ignis calore ſuccendit*. Tunc homo accendit lucernam, *id eſt, internum illum ſui cordis obtutum, & illuminatos oculos intendit*, domum, & omnes angulos everrit, libros amatorios, obſcœnas tabulas, amaſii effigies everrit, tum drachmam perditam fortè cœno immerſam quęrit, id eſt animam, quam comminatione pœnę ęternæ, familiæ totius ignominiâ, Parentum commiſeratione, & indignatione perterret, ut interiorem domum, doloris & confeſſionis ſcopis everrat, ac perditam Dei imaginem in ſe reſtauret, & inveniat.

Illud enimvero maximè indignandum & exaggerandum, pleroſque mortalium, omnem lapidem movere, omnem conatum adhibere, ſuperos & inferos implorare, ut nummum deperditum, gemmam, aut monile deperditum, aut furto ſublatum inveniant, nil autem agere, aut ſat-

v Luc. 15. x S. Thom. in Luc. c. 15. y Hugo Cardin. hic.

z Chryſologus Serm. 169.

agere ut ſuam, aut ſuorum animam quærant, & inveniant.

Audite in hoc genere, quid Princeps Matrona commenta ſit. a Furto huic ſubducta ingentis pretii gemma, quam dum omni humana diligentiâ, & induſtria ſe recuperare poſſe diffideret, ſtatuit ariolos, & divinos conſulere, ſummâ aliquot aureorum propoſita, & lautis epulis excipiendum, qui hac in parte operam navaret, & ablata reſtitueret. Hac fama urbe tota divulgata, Adoleſcens callido ingenio, cui nomen *Glis*, vulgo *Monſieur le Rat*, perſonam necromantici, & arioli induit, Principem fœminam adit, ac furem ſe deprehenſurum pollicetur hac lege, ut ſibi epulanti, omnibus advenientibus ad ſpectandum, triduo aulæ fores pateant, quod perbenignè conceſſum. Condicto die, epulæ inſtruuntur, menſæ divinus noſter accumbit, & ſplendidè epulatur, ſubingredientium magna ſpectatorum turbâ, quos inter, furum unus unà convenit. Dominus igitur *Glis* jam benè pranſus, & potus, omnes elato ſupercilio circumſpiciens, alta voce exclamat: *En unum*, ſcilicet convivium innuere volens. Fur ſe ſignari oculis, & verbis ratus, ut timidæ ſunt reorum conſcientiæ, eveſtigio ſe ſubduxit, & ad ſocios accurrit, affirmans illum verè divinum, arte ariolandi, & augurandi pollere, ſe oculo obliquo notaſſe, ac dixiſſe: *En unum*. Poſtera luce alterum convivium non minus dapſile apparatur, nec ſegnius *Monſieur le Rat* partes ſuas egit, ac multo plures quam pridie ſpectatores, atque hos inter & furem alterum numeravit dum artis ejus explorandi gratia, inter duas lances, ferculum probè clauſum illi apponitur, ut quid lateret, juſſu Dominæ divinaret. Hic *Monſieur le Rat* angi, hærere, caput ſcalpere, ſeque in aſtutia ſua captum exiſtimans, comploſa menſa exclamat: *Ha pauvre Rat*! *te voila pris*! O miſerum glirem! hic captus es, ſeipſum intelligens. Ad quæ famulus, rectè ac feliciter divinaſti, & lancem aperiens, glirem abditum cum ingenti omnium circumſtantium plauſu, & Dominæ cumprimis gaudio, exhibuit.

Hic ille animo geſtire, & metum omnem conceptum largè diluere, ac tandem bene fartus aſſurgere, & elata voce intonare: *En alterum*; quo dicto, furum alter attonitus, curriculo ad ſocios, omnia ariolo comperta aſſerit, ac proinde ne in malam crucem una omnes tres agantur, hominem pecunia corrumpendum decernunt. Iam tertia, ac decretoria dies aderat, qua *Dominus Glis* regiis epulis excipitur, effuſa propè ad ſpectaculum urbe univerſa, nec furum tertius aberat, ut ſibi, ſociiſque conſuleret. Iamque ſatur, & probè ſaburratus, altum vociferari: *En tertium*, nempe convivium peractum, ſeque cum dicto ad vicinum conclave recipit, quo fur clam ſubſecutus, *Domino Gliri*, homini divino ſupplex accidit, magna aureorum ſumma oblata, ut famæ, ac vitæ ſuæ, ſociorumque parceret. Rectè, inquit, *Monſieur le Rat*; at ubi gemma? Et illam habe. Receptam, de fabula ex voto, & ſupra votum feliciter peracta, animo geſtiens, Dominæ defert, à qua

a P. Iac. Rinald. hiſtorie ingenieuſe. cap. 2. §. 6.

à qua ut condictum fuerat, pro arte ſua divinatoria lauto ſtipendio donatus, aula exceſſit; dein teſtatus ſe non malis artibus, aut nigris ſpiritibus ſed ſuopte vivo ſpiritu, lepido genio, & ſolerti ingenio uſum: ac malle ſe jacturam vitæ, totiuſque mundi facere, quam cum inferno pactum ſancire. Quo facto, magnam nominis, ingeniique famam reliquit.

O ſi vobis ea cura, ſolicitudo, & ſolertia, pro drachma, hoc eſt, quo nullum monile pretioſius, pro anima deperdita foret, non falſos divinatores; ſed verè hominem divinum, *B. Antonium*, atque ipſam infallibilem divinitatem conſulendo, ut eam quovis etiam divitiarum pretio invenire valeatis!

Sed pergo porrò, & cœptum proſequor. Doctor Seraphicus hanc parabolam de drachma perdita, & diligenter quæſita, Deum, quo nihil pretioſius, interpretatur, dicens: b *ſi ſic facit mulier de drachma ſua, quid tibi facere convenit, ſi Deum tuum perdideris?* Si mulier ſomnum capere non poteſt, multa nocte cum lucerna omnes angulos diſcutit, & domum everrit, quomodo tu cubitum, concedis, non implorata prius luce gratiæ, ut omnes conſcientiæ latebras excutias, & Deum perditum invenias?

Erit aliquando tempus, dum eum quæretis, *c* & non invenietis, quo fulmine Judæos afflavit: *d* QUÆRETIS ME, ET NON INVENIETIS, *& in peccatis veſtris moriemini.* Cui fortè veræ, ac ſeveræ ſententiæ, ſi quis alterum primæ veritatis opponat: QUÆRITE ET INVENIETIS; *& omnis* QUI QUÆRIT, INVENIT. Reſpondeo, quod hic tempus præſens indicatur: *Omnis qui quærit*; illud autem *quæretis*, in futuro eſt, dum ſerò eſt. Erit aliquando tempus, quod *nunc* cordis compunctione, oris confeſſione, mentis devotione quærere, & invenire poteſtis, tunc nec amariſſimis lacrymis, nec omnium Anachoretarum auſteritatibus, nec Martyrum tormentis, imò nec æternis ſuppliciis dabitur invenire. e *Unde* NUNC *eſt* TEMPUS QUÆRENDI, ETIAM INVENIENDI; *quod dicitur*: QUÆRITE *Dominum dum* INVENIRI POTEST, *invocate eum dum prope eſt. Quantum adhuc plorabunt, quantum ululabunt, quam amarè dolebunt, qui modò eum* NON QUÆRUNT. *Sed quid proderit* TUNC *flere, quod ſi fieri poſſet millies occidi*, QUANDO ERIT IMPOSSIBILE INVENIRE? Serò quis avem quærit, quæ è corte avolavit: Serò quis officium quærit, quod jam alteri collatum eſt: Serò quis cauſam, lucrari quærit, quæ abjudicata, & deperdita eſt: Serò quis Sponſam quæ jam alteri tradita, & nupta eſt: Serò quis tempus quærit, quod pervolavit, & deperditum eſt: ita dico vobis, avolavit Spiritus ſancti gratia, dignitas, & hereditas Filii Dei, alteri collata eſt: cauſa tua coram ſupremo Judice jam deperdita eſt: Anima tua, Sponſa Chriſti, jam diabolo tradita eſt, tempus, & occaſio, hæc omnia inveniendi, pervolavit, & perditum eſt.

Nunc eſt tempus quærendi Jeſum perditum, ſed quærunt illum & non inveniunt: quia non eo tempore; non eo modo, ſolertia

b Bonav. in cant. Serm. 64. & Dom. 3. poſt Pent. c Qui male quærant. d Ioan, 8

e Bonav. cit.

tia, & ſolicitudine: non eo loco, ubi inveniri poteſt, & debet, quærunt eum. Fruſtra quis ficus, ceraſa, & uvas quærit in hyeme, & non in tempore ſuo. Fruſtra quis quærit in tenebris margaritam, aut drachmam deperditam, ſi lucernam non accendat, domum everrat, & omnes angulos excutiat. Fruſtra quis quærit ſaccharum in arundinibus ad ripam Schaldis: cinnamomum, & balſamum in plantis Europæ, in loco ubi inveniri non poteſt: aut dilectum ſuum ſponſa in foro, in ſympoſiis, aut ſtertentem in molli ſtrato, qui inveniendus in ſolitudine, in templo, in lectulo crucis. Lacteo ſermone hæc expreſſit divus Bernardus: f *quid eſt*, QUOD NON INVENITUR QUÆSITUS? *ipſe autem dicat*: QUÆRITE, ET INVENIETIS: ET QUI QUÆRIT, INVENIT.

Ad quæſitum, tres rationes aſſignat, cur quæſitus, minimè inveniatur: g *Attendite*, inquit, *tres eſſe cauſas, quæ interim occurrunt, &* QUÆRENTES *fruſtrari ſolent*. Prima eſt, *cum aut videlicet*, NON IN TEMPORE QUÆRUNT. Secunda, *aut non ſicut oportet*. Tertia, *aut non ubi oportet*. Quod primam ſpectat: *Si omne tempus aptum eſt* AD QUÆRENDUM, *cur ergo dicit Propheta*: QUÆRITE, *dum inveniri poteſt? Erit abſque dubio cum inveniri non poterit*; *& hæc una cauſa eſt, quæ impedire poteſt, ne inveniatur Sponſus* A QUÆRENTIBUS *ſe*, CUM NON QUÆRUNT IN TEMPORE OPPORTUNO.

Nimis hoc eventis tragicis comprobatum eſt, ſi quærere differant, *fore abſque dubio tempus, cum inveniri non poterit*; fore tempus, quo nec clementia, nec gratia, nec contritio, nec confeſſio, nec abſolutio, nec ſalus, nec Cœlum, nec Deus *inveniri poterit*. Ita accidiſſe memini in Alſatiâ, *h* nobiliſſimi nominis, & illuſtris familiæ viro, qui in more habebat, remotis menſis, meridiari, & in tumultuario ſtrato ſomnum capere, vitro vini de meliori cado, ſibi in abaco appoſito, quo experrectus reficeretur. Quadam vice, variis cogitationum fluctibus agitatus, fugit ſomnus ab oculis ejus, ſpectatque planè vigilans, vitrum ſibi appoſitum, vino omni effuſo, in fruſta diſſilire. Territus inopinato prodigio, famulum evocat, qui cogitationes diſſipat; novumque illi vitrum, vino ſpumans apponit. At Dominus in vitro ſe vitreum cogitans, & fragilitatis humanæ ſe fortè admoneri, ſerio animo volvere cœpit, ut confeſſarium quærerent; hæc dum agitat, alterum vitrum, nemine tangente, rumpitur. Hic ille uxorem, & familiam omnem convocare, vindicem Dei manum ſibi imminere; ſed uxoris, ſuorumque precibus, & rationibus humanis, in caſu vitri, ex mille circumſtantiis fragilis delinitus, ſe rurſus ad ſomnum, quem minimè cepit, compoſuit, oculis ſemper in tertium vitrum intentis; quod ut corruit, quaſi deſperabundus exclamavit, quantocyus, citò, citò, curriculo, confeſſarium quærerent, actum de ſe, & conclamatum. Uxor illum inſanire, phantaſma eſſe, quod hominem ſanum exagitaret, nil periculi eſſe.

f Bernard. Serm. 75 in cant. g Tres cauſæ, quare Chriſtus non invenitur. 1. Cauſa.

h. Stengelius de ovis Paſchalib. Emb. 75. Fabri feſto S. Ioan.

eſſe. Sic dies illa, & nox abiit; manè ubi pallor faciem, & frigidus ſudor artus occupavit, oculi in morte natabant, famulus eques Bruntrutum, paucis milliaribus à caſtro diſtans, feſtinatò mittitur, ut Confeſſarium quærat: ille totâ viâ aberrat, & integrâ nocte in ſylva vagatur, dum interim Dominus exſpirat. Adeſt ſummo mane Confeſſarius, qui veriſſimum illud deprędicavit: QUÆRETIS ME, ET NON INVENIETIS, ET IN PECCATIS *veſtris moriemini.* Quid uxor hic reſponſum habuerit, ſupremo Judici, & vobis conſiderandum relinquo.

Recentius eſt, quod Antverpiæ à paucis annis accidit. P. Cornelius Danckaert vir Dei Zelo plenus, qui non paucas è cœno libidinis animas extraxerat: cum unam jam per plures annos merſam in profundum luti, identidem ſeverè admonuiſſet, ac væ æternum, niſi reſipiſceret, & ex corde contrito, ac ſincerâ confeſſione, miſericordiam Dei quæreret, interminatus eſſet, contigit ut illa ſubito paroxiſmo oppreſſa, miſerit Antverpiam ad domum Profeſſam, Patrem monitorem ſuum imploratura; ſed ille à janitore, in eo articulo moribundæ, curriculo per domum quæſitus, tandem repertus eſt ad aram facere; jamque ſacris operatus, ut in extimam urbis partem, ubi decumbebat, excurrit, paſſis crinibus, & vultu, ac oculis ungue dilaceratis, inſtar furiæ deſperabundam exſpiraſſe comperit; quo ſpectaculo, ſeu, ut verius dicam ſpectro, attonitus, domeſticis, ac vicinis, hoc ſaluberrimum, ac pulcherrimum monitum, aculei inſtar reliquit: QUÆRETIS ME, *& non invenietis, & in peccatis veſtris moriemini.*

Secunda cauſa eſt, *k* quod inveniri non poſſit, *cum tepidè, aut negligenter, ſeu perfunctoriè; non corde ardenti, & omnino indefatigabiliter quæritur.* Oportet Deum ſolicitè quærere, ſepoſitis omnibus corporis commodis, quemadmodum Sponſa illa in canticis, de qua mortalium ſapientiſſimus Salomon: l *In lectulo meo per noctes* QUÆSIVI *quem diligit anima mea,* QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI. Nil miri, ſi deſes, & pigra, dilectum in lectulo non invenerit; quare torpore excuſſo: *Surgam*, inquit, *& circuibo civitatem; per vicos, & plateas* QUÆRAM, *quem diligit anima mea.* Quem locum Doctor Seraphicus ad mores ſolerter exponit, interiorem animæ noſtræ civitatem perambulandam, perque omnes potentias Deum quærendum, dicens: m *Salvator noſter eſt* QUÆRENDUS *ſolicitè, ut non poſſit homo quieſcere, donec dilectum inveniat, ut Sponſa dicit Canticorum tertio: Surgam, & circuibo civitatem, per vicos, & plateas* QUÆRAM. *Civitatem circuire, eſt omnes animæ potentias circumire, ut dilectum,* QUEM QUÆRIT, *valeat invenire. Unde ibi dicitur, quod ſic ſolicitè* QUÆSIVIT, *ut invenire meruerit.* Hac ratione quærendus Deus, per omnem facultatum noſtrarum, & ſenſuum rempublicam; ſed memoria dicet *non eſt hic*, quia per oblivionem jamdum receſſit à me. Intellectus

k Bern. cit. Secunda cauſa, l Cant. 3. m Bonav. Serm. 64. in cant.

dicet, *non eſt hic*, quia *n non eſt intelligens*, *aut* REQVIRENS DEUM; ſed intelligens vana, curioſa, ſæcularia & carnalia, requirens ea quæ mundi ſunt. Voluntas dicet, *non eſt hic*, quia illa non amat quæ Dei ſunt, tota vana, & vaga, ſpreto Creatore, creaturas ſectatur, & amatores alteros.

Hoc ipſum ſponſa queritur: o *Multi dicunt, Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic eſt, & neque hic, neque illic erat*: quia quærebatur, ubi non erat. Nunc, ſi lubet, omnes *vicos, & plateas* ſenſuum tuorum obambula, & auditus, ſymphoniis, & citharis, blandis & laſcivis canticis aſſuetus, dicet, *non eſt hic*. Viſus, ſpectaculis, vanitatibus, & venuſtis corporum formis irretitus, dicet, *non eſt hic*. Guſtus, cupediis, ſympoſiis, exquiſitis ferculis, & poculis immerſus, dicet, *non eſt hic*. Odoratus, ſuffitu, paſtillis, muſco mure, nardo, & unguentis diffluens, dicet, *non eſt hic*. Tactus, molle ſtratum, roſeum pulvinar, Sardanapali delicias, & carnis illecebras ſectatus, „ dicet, *non eſt hic*. Hoc de ſe veriſ- „ ſimum fatetur Auguſtinus: *p* E- „ go erravi ſicut ovis quæ perie- „ rat, *quærens* te exterius, qui es „ interius: & multum laboravi „ *quærens* te extra me, & tu habi- „ tas in me; ſi tamen ego deſide- „ rem te. Circuivi vicos, & pla- „ teas civitatis hujus mundi, *quæ-* „ *rens te, & non inveni* quia malè „ quærebam foris, qui eras intus: „ *Miſi nuncios meos, omnes ſenſus ex-* „ *teriores*, *ut* QVÆRERENT *te*, „ *& non inveni*; *quia male quære-* „ *bam* Serò te amavi pulchritudo „ tam antiqua, & tam nova, ſerò „ te amavi: & tu intus eras, & „ ego foris, & *ibi te quærebam*: & „ in iſta formoſa, quæ feciſti, ego „ deformis irruebam Circuibam „ enim omnia *quærens te*, & propter omnia derelinquens te. In- „ terrogavi terram, ſi eſſet Deus „ meus, & dixit mihi, quod non: „ & omnia quæ in ea ſunt, hoc „ idem confeſſa ſunt &c. „

Quæramus ergo eum, ubi inveniri poteſt quæramus eum in memoria, per jugem præſentiam ejus, juxta illud Pſaltis, *memoriâ* MEMOR *ero* omnium magnalium, & beneficiorum ejus: q *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui Deus* In intellectu per contemplationem bonitatis, & pulchritudinis ejus. In voluntate per ardentem amorem, & ignita deſideria: in oculis, per modeſtiam, & lectionem librorum ſpiritualium, & repræſentationes amabiles amariſſimæ Paſſionis ejus. In auribus per auſcultationem verbi Dei, hymnos, & cantica ſpiritualia. In guſtu, per jejunia, & abſtinentiæ rigorem. In tactu per cilicia, flagella, humicubationes, aliáſque corporis afflictationes; hoc eſt quod Galfridus commendat: *r* QUÆRENDUS *eſt in corde, in opere, & ſermone. In corde per pœnitentiam delictorum, per contemptum mundanorum, per deſiderium ſupernorum. In opere, miſericordiam exhibendo indigenti, humilem obedientiam præſidenti, firmam patientiam diſciplinæ cœleſti. In ſermone, per confeſſionem peccati, per laudationem Dei, per ædificationem proximi.*

Reſtat, inquit Bernard. s *ut de*

n Pſ. 52. v. 3. o Bern. ſerm. 87. in cant. p Aug. ſoliloq. c. 31.

q Thren. 3. v. 10. Pſ 136. v. 6. r Galfridus in Iſa. c. 55. ſ Tertia cauſa Bern. Serm. 75. in Cant.

tertia cauſa videamus; *ne videlicet, ubi non decet*, *quærat*, & eo loco ubi inveniri non poteſt: *In lectulo*, inquit Sponſa, QVÆSIVI, *quem diligit anima mea*; ſed dilectus, qui in lectulo crucis recumbit, non invenitur in molli ſtrato: t *Non invenitur in terra ſuaviter* (& molliter) *viventium*. v Fruſtra adoleſcens de ſtatu vitæ deliberans, Sponſum ſuum Chriſtum, *in lectulo exiſtens, & jacens*, *aut in lectulo ſedens quærit*: fruſtra illum inter puellarum choros, & tripudia quærit, fruſtra inter myrteta, & roſeta; qui inter rubeta & ſpineta reperiendus eſt. Fruſtra, quæ Chriſti Sponſa eſſe deſiderat, Sponſum quærit in contubernio juvenum, in conſortio procorum, in convivio laſcivientium, in compitis, aut foro proſtantium lenonum: x *Sponſus*, inquit Hieronymus, *in plateis non poteſt* INVENIRI, *Zelotypus eſt* Jesus, *non vult videri faciem tuam Foris vagentur virgines ſtultæ*; *tu intrinſecus*, in domus angulo, in templo, in clauſo cordis cubiculo illum quære; ibi inveniendus eſt. Vnde in eundem ſenſum perappoſite divus Ambroſius: y *Non in foro, non in plateis Chriſtus reperitur*. NON EST CHRISTVS CIRCVMFORANEVS; *Chriſtus enim pax, in foro lites*: *Chriſtus juſtitia, in foro iniquitas &c*. Ac tandem concludit: *Nequaquam igitur ibi* QVÆRAMVS *Chriſtum, ubi invenire non poſſumus*. Non ibi, *ubi non decet*, quæramus, ſed illic, ubi eſt, ut eum perditum inveniamus.

t Iob. 28 v. 13. v Bern. cit. x Hier. Epiſt. 22. ad Euſtoch. y Ambroſ. lib. 3. de virginit.

§. III.

Nunc, qualiter Divus Antonius *pro recuperandis rebus quibuslibet humanis perditis, peculiaris* Patronus z *ſit, videamus*.

VEriſſimum illud divi Bonaventuræ effatum Serm. de Invent. S. Crucis: *Omne quod diligitur, à diligente ſolicitè quæritur*: ſit bos, ſit aſinus, canis, aut felis, ſit res quævis deperdita quam amas, *ſolicite quæritur*. Ita ſacri Regum annales memorant, Saulis parentem aſinas deperditas, omni curâ & diligentia quæri mandaſſe: a *Perierant aſinæ Cis, patris Saul, & dixit Cis ad Saul filium ſuum: tolle tecum unum de pueris, & conſurgens vade, &* QVÆRE ASINAS; *qui cùm tranſiſſent per montem Ephraim, & per terram Saliſa*, ET NON INVENISSENT, *tranſierunt etiam per terram Salim, & non erant; ſed & per terram Jemini, & minime repererunt* b Tribus diebus Saul quærit aſinas, quæ perierant aberrando, ſive paſtu longius digreſſæ, ſive etiam furto ablatæ; jámque diffidens ſe eas invenire poſſe, reditum ad patrem cogitabat, dum prudens illud conſilii famulus ſuggeſſit, *qui ait*: c *Ecce vir Dei eſt in civitate hac, vir nobilis, omne quod loquitur, ſine ambiguitate venit Nunc ergo eamus illuc, ſi fortè indicet nobis &c. Et dixit Saul ad puerum ſuum, optimus ſermo*

z S. Antonius peculiaris Patronus pro recuperandis rebus perditis. a Lib. 1. Reg. cap. 9. vers. 3. b Mendoſa hic. c Verſ. 6.

tuus,

tuus. Veni, eamus, & ierunt in civitatem in qua erat vir Dei. Apparuit autem Samuel egrediens obviam eis, qui perhumaniter illos ſalutavit, & invitavit, & ait ad Saulem: d *Omnia quæ ſunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de aſinis, quas nudiustertius* PERDIDISTI, *ne ſolicitus ſis*, QUIA INVENTÆ SUNT? quid hic aliud innuitur, quam ut, ſi quis rei cujuſpiam ſibi charæ jacturam paſſus eſt, quam deperditam improbo labore, & ſudore, diu, multúmque fruſtra quæſivit, ad virum Dei, e *ſanctum Antonium*, novæ legis Prophetam, cum fiducia ſeſe conferat? de hoc etenim veriſſimè pronuntiare poſſum: *Ecce vir DEI eſt in civitate hac*, VIR NOBILIS, *omne quod loquitur, ſine ambiguitate venit &c.* Hic non de aſinis, quas fortè perdidiſti (nec hoc ſæculo multum quærendæ ſunt) ſeu de equis & mulis, & aliis quibuſcumque pretioſis rebus deperditis, ne ſolicitus ſis, quia per ipſum inventæ, & tibi reſtaurandæ ſunt.

Palam eſt, *ſanctum Antonium Patavinum*, rebus ſeu caſu, ſeu furto perditis, Domino reſtituendis à Deo deſtinatum, ut innumera eorum teſtantur beneficia, qui ejus Patrocinio res amiſſas, omni humanâ induſtriâ, & diligentiâ nequidquam adhibitâ, feliciter recuperârunt; è quibus, ut paſſim omnibus nota præteream, ea quæ recentiora ſunt, & paucis abhinc annis in vita mirabili P. Bernardi Colnagi Societatis Jesu, huic *ſancto Antonio* impensè diditi, & imprimis gratioſi, vulgata ſunt, commemorabo.

d V. 20. 21. e Surius.

f Quadraginta dies effluxerant, ex quo nonnemo mulam, neſcio quo caſu perditam, fruſtra quæſivit, non niſi miraculo reperiendam; Bernardum tamen adiit, ut ejus impetraret precibus, quod fieri poſſe per Superos credebat: neque ſpe ſuâ falſus eſt. Tenebat forte Bernardus caryophylli florem manibus. Itaque ſic homini in mandatis dedit: iret, ſuóque nomine hunc florem *divo Antonio* in ſacra ipſi æde porrigeret, certus beatum virum, qui in deliciis habeat floſculos, oblatas cum flore preces, pronis auribus excepturum. Is quidem imperata fecit; ſed irrito eventu: ideoque rurſum elapſis aliquot diebus patri ſe ſtitit, amicè queſtus, incaſſum preces cecidiſſe. Tandem, cùm pater eadem juſſiſſet, atque ille dicto audiens, *Antonii* opem denuò ſupplex implorâſſet: ecce tibi, ſub auroram ſequentis diei, pulſant fores duo familiæ Franciſcanæ filii; & alter quidem, mulæ diu abhinc quæſitæ inſidens, nutu ſignificat, accedat Herus, ſuúmque recipiat jumentum. At vix ille deſcenderat, cùm iſti ex oculis abiere, tanti beneficii memoriâ, & admiratione in pii clientis animo relictâ.

g Conſimile quid Catanæ mulioni accidit, qui oblatis geminis cereis *divo Antonio*, deperditum jumentum è veſtigio recuperavit.

Sic ruſtico, qui multis diebus equum fruſtra quæſitum deplorabat, prædixit Bernardus fore, ut per *ſanctum Antonium* recuperet. Elapſis inde diebus non mul-

f P. Ioan. Paulinus in vita P. Bernardi Colnagi adita An. 1662, l. 2, c. 7. §. 8.
g Ibid. §. 10.

tis,

tis, audit agricola poſt domus januam, qui monebat : eja, age, recipe tuum, bone vir, equum. Itaque pandit fores, & equum tertiâ noctis horâ ad ædes deductum, fræno, ſelláque ornatum lætus aſpexit.

Eo uſque tandem Bernardi noſtri in exploratam *hujus Divi* potentiam, pietatémque fiducia crevit, ut ſi ſurdis auribus ſuas præteritas fuiſſe preces crederet, etiam amicè conqueri, & dulci prius oſculo ſacræ ejuſdem imagini, de genibus impreſſo, molliter ſubiraſci, & quandoque blandas intentare minas auderet. Ubi demum voti damnatus, obtinuit, quod vi amicâ extorſerat, omnibus incedere lætitiis, ſancto ſuo corollas ex floribus texere, laudes metricis incluſas numeris decantare, iconem amplexari, baſiis demulcere, modíſque omnibus ſibi Patronum demereri plurimum geſtiebat. Et videbatur *ſanctus* pio patris candore non mediocriter delectari.

h Uſu fortè venit, ut Bernardus beneficium pro muliere à *S. Antonio* poſtularet, & licet ignarus, brevi impetraret. Equus erat perditus; ſed à marito, nondum conſciâ uxore, repertus. Itaque arbitratus Pater, preces ſuas non habuiſſe pondus, puerum ex iis, quos clericos vocamus, unum, dato in manus lapillo ad S ædem ablegat: abi inquit ad *S. Antonium*, eique dic in hunc modum: Pater Bernardus, ô Beate, ait, cor tibi eſſe hoc ſaxo durius, quod beneficium tantopere deſideratum non conceſſeris: probatio amoris, exhibitio eſt operis, ; ad quid tam prolixa mora, ubi celeratam neceſſitas opem flagitat? dum ergo parvulus mandata peragit, impoſitóque aræ lapillo, ut fuerat imperatum, tantiſper ad obvium exhomologeterium ſe recipit: videt ex ſumma ara prodire Franciſcanæ Familiæ alumnum, graviter, blandéque arridentem, & dicentem: ecce tuum tibi lapidem, redi ad Patrem, eique ex me nuncia: imò verò ipſum in præcordiis ſaxum circumferre, qui toties experientiâ doctus, nondum ſibi perſuadeat, gratiam dudum eſſe conceſſam. Quod ubi Bernardus accepit, ſupplex à cœlite veniam rogavit, ſuæque incuſavit fiduciæ tarditatem. Hæc Sanctorum inter ſe, ut maximè amicorum, blanda expoſtulatio, & concertatio, amicitiæ ſanctæ redintegratio eſt.

i Habent hic ſubulci, paſtores, opiliones, agaſones, ad quem perdito de grege pecore, magna cum fiducia confugiant; non verò ad aruſpices, & ariolos, magos, qui diabolicis præſtigiis, verſo cribro, forcipi impoſito, nomen furis indicandum perſuadeant, & ut beſtiam lucrentur, animam perdant. De quo videndus Martinus Delrio, diſquiſit. mag. lib. 4. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 4. nu 9.

Quid, quod ea ſit auri fames, ut ſi in familia argenteum cochlear, furcinula, aut pretioſum aliquod monile deperditum ſit, non vereantur etiam Catholici ad has artes necromanticas recurrere. In hanc rem, operæ pre-

h Ibid. §. 11.

i Pro rebus perditis non conſulendos magos.

pretium puto, inquit Delrio *k*, adſcribere, quod duo recentiores Scriptores Germani commemorârunt: in Miſnia hominem quemdam, domum retuliſſe pecuniam veſicæ ſuis, ſeu porci incluſam, & ſcamno impoſuiſſe. Cúmque aliò abiviſſet, ſus domeſtica, ut vorax, & multivorum eſt animal, in veſicam incidit, & ut vidit, devoravit. Ille rediens, quam non inveniebat pecuniam, ab uxore depoſcit. Negat mulier vidiſſe ſe. Quid agit? adit ſtolidus vetulam propè degentem, quam pro veteratrice habebant. Jubet muliercula virum in limine domus conſiſtere, nec à linea, quam cretâ notarat, latum abire culmum: mox ingreſſa cubiculum, & arcam introſpiciens, dæmonem ſciſcitatur his verbis: *Quidam N. pecuniam ſuam domum reverſus tali amiſit die, quem ais furatum?* reſpondit veterator ex arca (novo ſuo tripode) *ſus comedit domeſtica; tu autem dicito, conjugem ejus, ut cum ſacerdote amaſio eam abligurriret, clam ſuſtuliſſe.* En, quo ut corpus, & animam perdat, hæc ſpectent conſilia, & perfugia. Reſpondet illa quod à dæmone juſſa, tacet de ſue; ſed innocenti fœminæ hoc divinæ clementiæ, ſingulare præſidium fuit, quod vir cuncta auſcultâſſet: nam nihil veritus anile interdictum, pedetentim, ac leniter illam fuerat ſubſecutus, & ante oſtium cubiculi ſubſtiterat, ut quidquid malefica moliretur, accurate per rimam obſervaret. Reverſus domum, uxori & amicis cuncta narrat, & ex eorum conſilio, ſuem mactat, crumena potitur. Defert triveneficam, ut calumniatricem, & dęmonis partiariam: Magiſtratus portentum flammâ expiavit. Sed quis animum hujus hominis ſcelerati ſatis expiet? qui tam immani crimine ſeſe contaminavit, & innocentis conjugis vitam, tanto, & tam præſenti diſcrimini expoſuit?

Denique hunc Sanctum, ad recuperationem, aut inventionem deperditorum, peculiari nomine paſſim, ac ubivis celebrari, & invocari, teſtatur gravis Auctor Catharinus, qui narrat fusè, *l* ſe migrantem Toloſâ Lugdunum, ſocii incuria, amiſiſſe ſcriptiones ſuas adhuc ineditas (illas ipſas de certa Sanctorum gloria) ſibi pretioſiſſimas, atque chariſſimas; nec mirum, cum libri, ſint auctorum veluti liberi, juxta ſanctum Ambroſium, atque Syneſium; nec minori labore, ac dolore in partu ſteterint. Fruſtra autem remenſo longo itinere, & per pręconem propoſito præmio, reſtituenti ea ſcripta, ac etiam intentata à Judice pœna retinenti, ſi deprehenderetur, nihil ceſſit è ſententia. Tandem emiſſo tacite per ipſum Catharinum voto, de hoc *ſancti Antonii* chariſmate commendando, & ſcriptis committendo, ut omnibus innoteſceret, illico à voti emiſſione, accurriſſe ait, qui non interrogatus, certò doceret, ubinam ſcripta illa, tamdiu fruſtra quæſita, eſſet reperturus, factúmque ſe voti reum, magna erga *ſanctum Antonium*, grati animi ſignificatione commemorat. Si quid tibi, quod

k Delrio diſq. mag. lib. 4. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 1.

l Catharin. l. 2. de certa SS. gloria cap. de peculiaribus gratiis. Raynaud. pietas ſpecialis, puncto 7. pag. 182.

in deliciis, in amoribus, deperditum? *Ecce vir Dei Antonius*, ille indicabit tibi, ne ſolicitus ſis, quia invenietur. Quantæ in privatis familiis turbæ, ſolicitudines, ſuſpiciones de re quavis perdita, aut furto ſubrepta? rogo te, ne ſolicitus ſis: *Ecce vir Dei* ANTONIUS, ille indicabit tibi. Quare magna cum fiducia ad hunc *ſanctum Patavinum* recurramus, & inſtanter, opportune, importune ejus opem expoſcamus, exemplo perfamiliaris ejus amici, Patris Colnagi, *m* qui Romæ, cùm ſanctus tardior eſſet ad audiendas preces ejus, diu, multumque patienter tulit beneficii procraſtinationem; tandem verò tria in papyro exaravit verba, ſupplicis libelli vicem obitura:

Cunctatum ſatis eſt.

Chartulam ſic in menſa relictam, manè reperit, metro lepide abſolutam, velut quodam exoptabili epiphonemate divinitus ſignatam hiſce verbis:

Vicit patientia, vicit.


Quod ſi hæc temporalia, bos, & aſinus perditus, hujus tam ſtupendi viri patrocinio recuperentur, quanto majori cum fiducia rogare, ſperare, & impetrare poteritis, ut animam, & Deum perditum, ejus interceſſione invenire valeatis?

m In vita lib. 2. cap. 7. §. 11.

FE-

FESTUM B. ALOYSII GONZAGÆ, SOCIETATIS JESU.

Bonum eſt viro cum portaverit jugum ab Adoleſcentia ſua. Thren. 3.



A teneris conſueſcere, multum eſt. Virg. 3. Georg.

ARGUMENTUM.

HEbræi olim, non ſine myſterio, diem non nativitatis, ſed *Ablactationis*, ſolemni convivio celebrarunt:

brârunt: qui & maximè feſtivus eſſe debet Chriſtianis, quo Parvuli non in peccato nati, & damnati, ſed gratiâ dotati, ab uberibus mundi *ablactati*, à teneris Deo conſecrantur, quod in *Beato noſtro Aloyſio* deprædicabimus, qui *n portavit jugum Domini ab Adoleſcentia ſua*, & plantatus in domo Domini, multos grandævos ſenes qui o *annos numerant Religionis, ſed non converſionis*, exſuperavit cordis puritate, mentis pietate, corporis auſteritate, atque heroicarum virtutum varietate, quibus à *teneris aſſueſcere multum eſt.* Tales innumeri pueri, & puellæ, quæ ut Hieronymus commendat, ſæculum neſcierunt; in quo parentes graviſſimè arguendi, qui liberos ſuos mundi vanitates, & carnis illecebras, cum præſentiſſimo animarum periculo deguſtare volunt. A pVerIs tV DeVM CoLe, & exemplo *Aloyſii*, A DoLesCens VIrtVteM qVære. Alterum eſt, Angelicum hunc Juvenem, in primo ætatis flore, mortalibus ereptum, cœlitibus adſcriptum, p *in brevi explêſſe tempora multa: placita enim erat Deo anima illius;* Sed & animæ parvulorum, Deo gratæ, quandoque præmaturè rapiuntur, ne malitia corrumpat, quibus potius gratulandum, quam lacrymis & lamentis parentandum.

§. I. *Bonum eſt viro cum portaverit jugum ab Adoleſcentia ſua.* Thren. 3. v. 27.

§. II. *Conſummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius.* Sap 4. v. 13

§. III. *Parentibus in morte Parvulorum ſolatio ſit illud ſapientis: placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut fictio deciperet animam illius* Sap. 4.

n Thren. 3. o Thom. à Kempis. p Sap. 4.

FE-

FESTUM

BEATI ALOYSII,

SOCIETATIS JESU.

Bonum eſt viro cum portaverit jugum ab Adoleſcentia ſua. Thren. 3. v. 27.

PRudenti ſanè conſilio, etſi hoc ſæculo, inſolenti, Illuſtres illi veteris legis heroës, & inſignes pietate viri, q non diem natalem ſtirpis ſuæ; ſed ablactationis, omni ſolennitate, ſplendidis epulis, ac feſtivis lætitię ſignis celebrare conſueverunt. Ita Abrahamum feciſſe legimus in ablactatione Iſaaci: r *crevit puer*, *&* ABLACTATUS *eſt*: *fecitque Abraham grande convivium in die* ABLACTATIONIS *ejus*; quod Divus Ambroſius expendens: ſ *non mediocre illud, nec uſitatum*; ſed prorſus exquiſitum, opulentum, & opiparum fuiſſe aſſerit. Multis hoc, potiſſimum mulierculis, nutricibus, peregrinum & paradoxum videbitur: *cum ſoleant indignari pueri, quoties à lacte depelluntur*, atque ab ubere matris non ſine fletu, & ejulatu avellantur, diem ablactationis, ſeu complorationis, qua tota domus reſonat, ſymphoniis, ſympoſiis & tripudiis agitare. t Rationem, ſi mentem adverteris, audi. Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus, juxta ſenſum hiſtoricum, & litteralem hanc lætitiæ cauſam adducit, quod infans tum primum comedere per ſe incipit, ita ſcribens: *laudabilis conſuetudo, ut initium comedendi primogeniti, celebretur communi lætitia magni convivii*. Erat autem id rationi valde conſentaneum: quia tunc parvulus clarè fari, tunc ſuis pedibus firmiter ingredi, tunc ſolido cibo veſci, eumque ſuis manibus ſumere auſpicatur.

In eundem ſenſum, conſimiles rationes doctiſſimus interpres Mendoſa noſter excogitavit, v cur potius conſuetudo apud Hebræos obtinuerit, diem abla- „ctationis, quam nativitatis, lau- „ to convivio celebrare. Primo „ inquit, quia in die ablactionis „ jam partus vitalis, ac duraturus „

q Dies ablactationis, non nativitatis olim celebris. r Gen. 21. v. 8. ſ Amb. l. 1. de Abraham. c. 7. Mendoſa. in l. 1. Reg. c. 1. v 22. expoſit. Litt. n. 7. Chryſoſt. hom. 1. de Anna.

t Senſus litteral. cur in ablactatione convivium. Cajetan in Gen. cap 21. v. 8.
v Mendoſa cit. v. 23. expoſit. litt. n. 10.

vide-

„ videbatur; qui in die nativitatis, nullam de ſua duratione ſpem ſatis firmam promittebat. „ Tum quia ſicut infans in die nativitatis accedebat ad mammam matris, ita in die ablactationis ad menſam Patris: Quæ proinde, æquum erat, ut novo aliquo convivio pro novo hoſpite excipiendo ornaretur. Tū quia in die nativitatis adhuc puer vitā agere videbatur belluinam, ſugendo tantum, quod cum beſtiis cōmune erat; in die verò ablactationis, jam humanam: in hominum morem loqui, ingredi, veſci aggrediebatur. Denique quia dies natalis totus flebilis, & lacrymabilis à pueris in lucem editis, ob præſentes & inſtantes miſerias agebatur, ut recte Tertullianus: x *mentior, ſi non ſtatim infans, ut vitam vagitu ſalutavit, hoc ipſum ſe teſtatur ſenſiſſe, atque intellexiſſe quod natus eſt.* Conſentit Auguſtinus lib. 21 de civitate c. 14. ubi loquens de prima infantia, ait: y *quæ quidem, quod non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingreſſa ſit, neſciens prophetat quodammodo.*

Accedit, diem natalem maximè plorandum, ac execrandum, quo homo in peccato naſcitur: unde Huſſæus vates: z *pereat dies in qua natus ſum*, quia malorum omnium, ac miſeriarum exordium. Hac de cauſa inquit Origenes: a *nemo ex omnibus Sanctis invenitur diem feſtum, vel convivium magnum egiſſe in die natalis filii, aut filiæ ſuæ, ſoli peccatores ſuper hujuſmodi nativitate lætantur.* Idipſum confirmat Hieronymus, in cap. 14. Matt. *Nullum alium* inquit, *invenimus obſervaſſe diem natalis ſui, niſi Herodem & Pharaonem, ut quorum erat par impietas, eſſet una ſolennitas.*

Verumenimverò in die ablactationis meritò convivandum, & jure exultandum, b ratio moralis, & ſenſus ſpiritualis, quem nos ſpectamus, evincit: quia ſub hoc typo, dies ille præcipuè colendus indicatur, quo filii non ſimpliciter vitam, ſed bonam vitam auſpicarentur; in quo deſinerent eſſe pueri, & evacuarent quæ erant parvuli: quo abducerentur à terrenis crepundiis, ad bona ſectanda ſuperna & æterna: quo ab uberibus mundi & illecebris carnis abſtracti, & ablactati, deliciis inhærerent cœleſtibus: atque à lacte matris, ad menſam accederent Patris, ubi epulum Euchariſticum apparatur; quæ omnia non meo, ſed Sanctorum Patrum, ac Eccleſiæ Doctorum nixa ſunt teſtimonio. Origenes (de quo Hieronymus, *ubi bene, nemo melius*) ſic ait: c *Apud homines ſæculi hujus, parentes ſolent natalem diem celebrare filiorum; Abraham verò non celebrat natalem diem filii ſui, ſed illum diem agit, & convivia celebrat, cum eum à lacte depellit, & ad cibos ſolidos applicat: quaſi per hoc diceret Iſaac: cum factus ſum vir, depoſui quæ erant parvuli*: Dies ablactationis verè celebrandus, quo puer deponit, & evacuat, quæ ſunt parvuli, quæ ſunt infantilis ignorantię, quę ſunt puerilis ineptiæ, & nequitiæ. Hæc Origenes.

x Tertull. l. de anima, c. 19. y Aug. lib. 21. de civit. cap. 14. z Iob. c. 3 v. 3. a Origenes hom. 8, in Levitic. Hieronym. in c. 14. Matth.

b Senſus myſticus ac moralis cur in ablactione gaudendum. c Origenes. hom. unica in l. reg.

Nec

Nec minus ſolide DoctorHipponenſis, cur potius Abraham Iſaacum ablactatum, quam natum ſolenni convivio, & inuſitato gaudio proſecutus ſit. d *Quæritur*, inquit, *cur Abraham nec die quo natus eſt ei filius, nec die quo circumciſus eſt; ſed die quo* ABLACTATUS EST, *epulum fecerit?* nullam hic naturalem rationem Doctor Doctorum invenit; ſed ad propoſitum noſtrum, hanc optimam ad mores excogitavit. ſic porrò pergit: *quod niſi ad aliquam ſpiritualem ſignificationem referatur, nulla ſolutio eſt. Tunc ſcilicet eſſe debere magnum gaudium ſpiritualis ætatis, quando fuerit factus homo novus ſpiritualis, id eſt, non talis, qualibus dixit Apoſtolus, lac vobis potum dedi, non eſcam.* Matres parvulis lac blanditiæ, indulgentiæ, licentiæ omnis, potum dant: non eſcam ſolidam pietatis, devotionis, omniſque virtutis, quibus ſit *homo novus ſpiritualis.* Similia tradit Ambroſius e; ſed præ his copioſius, & luculentius ſpiritualem hanc ablactationis rationem tractat Abbas Rupertus, cujus verba cœleſti eruditione, & divina dulcedine plena, hic apponere non alienum putavi: f *Quid opus erat* inquit, *in die* ABLACTATIONIS *fieri tam grande convivium, aut ſcribi à Moyſe, niſi quia certè ſubeſt pulchritudo myſterii, quæ lactentes adhuc parvulos; ad ſolidum cibum provocare poſſit? Eſt enim quoddam lac, & quædam infantia, quam verus Iſaac, ſcilicet Chriſtus citò exceſſit: & quam ſupergredi oporteat quemque idoneum Chriſti imitatorem. In quo qui tardiores exiſtunt, redarguuntur per Apoſtolum*: Omnis enim qui lactis mundani eſt particeps, expers eſt ſolidioris pietatis, & ſublimioris doctrinæ; perfectorum verò eſt ſolidus cibus, qui exercitatos habent ſenſus, ut norint reprobare malum & eligere bonum. *Hanc infantiam puer Jeſus ſpiritualiter exceſſit teſtante Luca*: g *Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, apud Deum, & homines; non quod aliquid antea neſcierit, cum ſit ipſa Dei ſapientia, ſed quia paulatim de carnalibus legis ceremoniis intermittens ſermonem,* FEREBAT PUEROS AD PERFECTIONEM. Videtis, ut opinor, tam illuſtri exemplo filii Dei, pueros à teneris ad perfectionem ducendos & educandos, atque à mamma matris, ad menſam patris dirigendos; ſic enim ſubdit: *illic profectò grande fuit convivium: nam relictis lacteis, id eſt infantilibus ritibus, verbi gratia, brutorum animalium ſacrificiis, traduxit ſuos ad verum & unicum ſacrificium corporis & ſanguinis ſui. Hoc eſt utique grande illud convivium de quo dixit Iſaias*: h *faciet Dominus exercituum, omnibus populis in monte hoc convivium pingvium medullatorum, convivium vindemiæ defæcatæ.* Tandem ne hæc ſine fructu, prolixius enarraſſe videatur, his verbis concludit: *ſi hujus Hiſtoria ſimplicem ſequaris litteram, videntur levia, quæ de iſto convivio* (in ablactatione Iſaaci) *ſcripta ſunt; ſin autem interiorem penetres Spiritum, multum ad rem pertinuit narraſſe: quia crevit puer &* ABLACTATUS *eſt, & Abraham fecit grande convivium in die* ABLACTATIONIS *ejus.*

d Aug. quæſt. 50. in Gen. e Amb. lib. 1. de Abraham c. 7. f Rupert. lib. 6. commentar. in Gen. cap. 19.

g Luc. 2. h Iſai 25.

Laudi

Laudi Samueli datum novimus, quod materna ubera non invitus reliquerit, quod rarum & inſolens in infantibus; ita de illo ſcribit Chryſoſtomus: i *nec puer à mamma divulſus, moleſte tulit, cum ſciatis quam ſoleant indignari pueri, quoties à lacte depelluntur.* Nimirum gratius illi adhærere Deo, & Cœleſti gratiæ lacte paſci, in templo ſervire, quam à maternis uberibus pendere.

Sed quam difficile quis mundi ubera deſerat, & ablactetur, expertus eſt Deus in populo Hebreorum, quem vix avellere ex Ægypto potuit; imò vix avulſus, quærere eadem ubera cœpit, ut recte idem Doctor annotavit: k *Quomodo infantes qui ablactantur, omnia habent in parvis calathis bellaria; at illis quoque dabat omnia, & multas delicias; ſed ſicut infans requirit mammam, ita iſti quoque Ægyptum, & quæ ibi erant carnes.* Qui ſic uberibus mundi inhiat, ſimilis mihi videtur infanti illi, *l* qui fame exhauſtus, repertus eſt mortuæ matris ubera ſugere, unde & mortem bibit. Tale lac mundus, diabolus, & caro ſuis propinat.

Sed quorſum hæc tam prolixa de ablactatione filii enarratio, & tam longe petita exordiendi ratio? niſi ut illum diem omni feſtivitate, ac ſumma ſolennitate celebrandum vobis proponam, quo parvuli veſtri ſpiritualiter regenerati, Deo conſecrantur: ab uberibus matris ablactati, ad ubera Virginis matris portantur: quo non amplius lacte materno, ſed ſolidiori cœleſtis diſciplinæ, ac pietatis cibo educantur, & ad Euchariſticas epulas in prima communione ſumendas informantur: denique quo velut teneræ plantæ, è ſterili mundi ericeto, in domo Domini à prima ętate tranſplantantur: ſic etenim *inſtruendorum morum magiſter Ambroſius* m, ut eum Bernardus appellat: n *non quia à nutricis lacte ſubductus eſt puer, magnum convivium exhibuit Abraham: ſed quia idoneus habitus eſt Iſaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento: non adhuc (ut Corinthii) lacte potandus, ſed epulis ſolidioribus mandatorum cœleſtium, mentis ſuæ lacertos firmans.*

Itaque tum feſtum agi debet, cum qui per Baptiſma Chriſto natus, & regeneratus fuit, progreſſu temporis in virtutibus exacti, ſolidiorem & ſanctiorem in Chriſtiana pietate vitam ſectatur. o Quo ſpectat illud Procopii: *magnum convivium, & jucundum ſpectaculum eſt Deo Patri, videre in Chriſto regeneratum, relinquere infantilia alimenta, & ad perfectionem contendere* Exclamat hic Fernandius noſter: p *Quid hoc Iſaaco ablactato formoſius?* Cum virtutes in novo homine adoleſcunt, cum ille in dies ad magna & ardua amore Chriſti exantlanda robuſtior redditur. In ejuſmodi pia ablactatione lætandum & exultandum aureo ſermone docet Chryſologus: q *nos in hymnis, & Spiritualibus convenit exultare in canticis, quando virginei germinis* ABLACTATUR UNIVERSA FOECUNDITAS. Quæ omnia quam

i Chryſoſt. hom. de Anna. k Chryſ. hom 4. in cap. 1. ad Coloſſ. l Novarin. umbra virg. pag. 123.

m Bern. lib. de forma recte vivendi. n Amb. l. de Abraham. cap. 27. o Fernandius in Gen. c. 21. v. 8. p Fernandius cit. q Chryſolog. Serm. 73.

aptè

aptè Beatiſſimo juveni *Aloyſio* conveniant, demonſtrandum ſuſcepi.

§. I.

Bonum eſt viro cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Thren. 3. v. 27.

LIbro 1. Reg. cap. 1. r Samuel quamprimum ablactatus eſt, ſiſtitur Domino, & ab uberibus matris, è domo paterna tranſplantatur in templo. Qua autem ætate Samuel, aliique parvuli apud Hebræos ablactari ſoliti fuerint, diſceptant auctores. Hieronymus ſ refert duas Hebræorum ſuper ea re opiniones quibuſdam quinquennale ablactationis tempus ſtatuentibus; aliis verò uſque ad duodecimum annum extendentibus. Magiſter Hiſtoriæ c. 3. Hugo Card. Dionyſius Carthuſianus, triplicem ablactationem diſtinguunt: unam à lacte mamillæ, quæ fit tertio anno, juxta illud matris Machabæorum ad minimum ejus filium: t *Fili mi,* inquit, *miſerere mei, quæ te novem menſibus in utero portavi, & lac triennio dedi.* Valeſius de ſacrâ Philoſophia. cap. 83. ſcribit legitimum lactationis tempus eſſe biennium. Eos verò qui triennio lacteſcunt (mammotreptos vocant, hoc eſt diu ſugentes) molles evadere, & ſtolidos, quamvis pro complexione parvuli, hic nihil certi ſtatuendum, & in illa priſtina ætate, ubi ſicut viventium, ita & lactentium longiora eſſe ſpatia debuerunt. Alteram ablactationem ponunt à lacte infantiæ, quæ fit ſeptimo anno. Tertiam à lacte pueritiæ, quæ fit decimo vel duodecimo anno. Brevius Lyranus, qui duplicem tantum ablactationem agnoſcit: priorem à lacte, quæ eſt propria; poſteriorem à crepundiis, ſeu à luſibus puerilibus, quæ eſt moralis & metaphorica.

Communis ſententia eſt, Samuelem anno ætatis tertio ablactatum, à matre in templum deductum fuiſſe, v *ut appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi jugiter.* Attendite matres, ſi forte domi Samuelem parvulum habetis, ut exemplo Annæ, ablactatum ſiſtere Domino velitis, ut ab ubere matris, & lacte humano, ad ubera divina transferatur, & ſolido perfectionis cibo enutriatur, priuſquam ut Ieremias queritur, mundus & caro, velut x *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos,* & intimis venis, ac viſceribus parvulorum venena diffundunt. Vbi illud Doctoris mellei, cum felle & aculeo ingerendum occurrit: y *Quærunt ſibi jam in parvulis Babylonis dulces & truces matres, quibus lac mortis emulgeant, quos blandis mulceant favoribus, ac flammis nutriant ſempiternis.* Quales hoc perditiſſimo ſæculo complures *dulces & truces matres,* quæ parvulis ſuis *lac mortis* propinant, dum uberibus mundi & carnis, à te-

r 1. Reg. 1. v. 22. ſ Hier. in tradition. Hebraicis in Gen. c. 21. v. 8. Quo anno infans ablactari ſolitus. t 2. Machab. 7. vers. 27.

v Reg. 1. v. 22. x Ierem. Thren. 4. v. 3. y Bern. epiſt. 78. ad Fulgerium Abbat.

neris inhærere ſinunt, imò compellunt; à quibus ut ablactari queant, Conſtantinopolitanus Antiſtes ore aureo Samuelem deprædicat, & parentibus in exemplum proponit, comparans Samuelem teneræ plantæ, quæ vix nata in aliud fœcundius ſolum, ab induſtrio agricola transſplantatur in domo Domini: z *Neque enim* inquit, *poſt malitiæ experientiam, venit ad malitiæ remiſſionem; ſed ab ipſis cunabulis ad virtutem tranſiliit: non habuit conſortium cum conſeſſibus iniquitati obnoxiis: neque communionem habuit cum conventiculis iniquitate plenis; ſed* PRIMA STATIM PUERITIA, *à mamma matris, venit ad mammam ſpiritualem.*

Legis gratiæ novus Samuel *Aloyſius*, & pluſquam Samuel, quia mater Marchioniſſa inter parturientis anguſtias, votum matri miſericordiæ nuncupavit, ædem Lauretanam cum prole naſcitura viſitandi, *ut à mamma matris, veniret ad mammam ſpiritualem*, ad ubera Virginis: factumque ut nondum totus mundo natus, baptizatus, & Deo conſecratus ſit. Unde Auctor vitæ: a *Ope Virginis baptizatur, & Deo prius natus, quam mundo*: ac proinde lectiſſima matrona parvulum ſuum *Aloyſium*, ut rem ſacram, cum reverentia, ſinu ſuo reclinabat. Hauſerat id forte à divi Bern. Sanctiſſimâ parente Aleta, quæ liberos primum in lucem editos, in brachia ſumebat, & ſuis manibus Chriſto Jeſu offerebat, ac poſtea ut res ſacras reverebatur, factumque ut ſeptem in uno cœnobio filios, omnes Sanctimoniâ vitæ conſpicuos habuerit *b*. Sic lectiſſima Galliarum Regina Blanca, Sanctum ſuum Ludovicum: S. Eliſabetha, Hungariæ Regis Filia, Lantgravio juncta, è puerperio aſſurgens, nudis pedibus, manu cereum portans, infantem aræ imponebat, & Deo conſecrabat. Hanc piam conſuetudinem jam olim divus Hieronymus in Lætâ matronâ Romanâ deprædicavit, epiſt. 7. de inſtitutione filiæ ſuæ Paulæ c *Quæ*, inquit, *prius Chriſto conſecrata eſt, quam genita quam ante votis, quam utero concepiſti.* Conſimilem laudem Marcellæ tribuit, de Aſella filia agens, d *quod in utero benedicitur ei, antequam naſcatur*, & antequam nata, Deo devota ſit; quam epiſtolam, inquit, *adoleſcentulæ* legere dignentur, ut imitentur.

Felices illi, fortunati, ac ter beati, qui antequam nati, aut mox ſæculo dati, Deo conſecrati ſunt: quique à teneris unguiculis, & ab uberibus matris, ad Chriſti vulnera, & ubera Virginis matris tranſlati. Deo vero ſervire didicerunt. Hic ſenſus Sanctorum omnium, è quibus ſuffecerit Ravennatem Antiſtitem audire, qui in hac materia continere ſe non valens, exclamat: e *O vos Beatos, quibus datum eſt antè regnare, quam vivere. Eccleſia felix Mater, quæ vos tales reſpicit. Olim partus iſte præcedentibus deſignabatur exemplis: hinc eſt quod Jacob in utero Matris, cum fratre luctatur, præripit & triũphos:*

z Chryſoſt. hom. de Anna v. 3. a Nierenbergius Hiſpan. in vita.

b Matres prolem natam Deo conſecrent. c Hieronym. Epiſtola 7. de inſtitutione filiæ. d Idem Epiſtola 15. ad Marcellam de laudibus Aſellæ. e Chryſologus. Serm. 72.

hinc eſt quod in utero Thamar, gemini de primatus honore præliantur, nec antè lucem cupiunt videre, quam vincere: hinc eſt quod Ioannes exultat, & antè ſuo occurrit auctori, genitricis ex utero quam procedat. Et ſi humana pignora ſic antè Deo militant, quam naſcantur parentibus: quid mirum, ſi Eccleſia, divina germina, ſi Deo ſuo ſoboles in utero adhuc, quod ſit ſuperni germinis jam fatetur?

Ex quibus patet, quantum ſibi in parvulis benignus Deus complaceat, cum etiam nondum nati Deo conſecrati, adeò ipſi grati, & ſingulari amoris prærogativa donati ſint. Unde Chryſoſtomus ſic quamlibet matrem adhortatur: f *peperiſti filium, imitare Annam. Diſce quid fecerit illa: mox eum ſubduxit, atque obtulit in templum. Quis veſtrum non innumeris modis mallet filium ſuum fieri ſacerdotem, quam totius orbis Regem? At quomodo, inquit, poteſt fieri talis?* & ſtatim reſpondet: *ſi Deo quemadmodum Samuel* A PRIMA INFANTIA *conſecretur.* Antequam matrem, & ſæculum nôſſet, avulſus eſt, ut meritò illud Pſaltis Regii uſurpare, & eo gloriari potuerit: g *in te projectus ſum ab utero*: & illud libens & gaudens ingeminare: h *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.*

Præceptum Doctoris maximi eſt, cui plerumque ſtulti parentes adverſantur, & refragantur, expedire iis, qui à Deo ad ſtatum Religioſum, & illibatum Virginitatis florem ſponſo Virginum conſecrandum, vocati ſunt, id à teneris faciant, priuſquam mundi nequitias, & carnis illecebras nôrint, aut experti ſint. Unde hæc ad Lætam de inſtitutione Paulæ: i *poſtquam ablactaveris eam cum Iſaac, & veſtieris cum Samuele, redde pretioſiſſimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Ieſu vagientis impone: nutriatur in monaſterio, ſit inter Virginum choros: jurare non diſcat: mentiri ſacrilegium putet.* NESCIAT SÆCULUM: *vivat Angelicè: ſit in carne ſine carne: omne hominum genus ſibi ſimile putet*, nec ſciat ſexum diſtinguere. Talis exſtitit k *S. Editha, Edgari Anglorum Regis Filia, virtutibus & miraculis Virgo clariſſima, quæ teſte Baronio, à teneris annis in monaſterio Deo dicata,* SÆCULUM HOC IGNORAVIT POTIUS, QUAM RELIQUIT.

Hoc ſaluberrimum divi Hieronymi conſilium, *neſciat ſæculum*, expendant parentes, qui ſæculum nequam ſuos experiri, & conjugales illecebras ſcire volunt, cum pernicie corporis, & animi. Si quis filius, aut filia exemplo Virginis *Mariæ* trimulæ, à teneris, in prima juventâ Deo, ac Religioni animum adjecit, probandi ſunt per mille pericula. Puella collocatur ſub magiſtrâ morum, ubi ad omnia quæ ornatum, & mundum muliebrem ſpectant, efformetur: ubi capitis crines diſciminare, criſpare, calamiſtrare, cyprio pulvere inſpergere, cilia peniculo ducere, ſi quid exſtet volſellis evellere, faciem ſtibio & purpuriſſo, aliiſque pigmentis ceruſſare: fidibus ludere, leviter ſalire, inter petulantes procos inverecundè garrire condiſcat. Filius crumena lautè inſtructa, phalerato equo, fa-

f Chryſoſt. hom. 21. in epiſt. ad Epheſ. g Pſal. 21, v. 11. h Pſal. 26, v. 10.

i Hierony. Epiſt. 7. ad Lætam. k Baronius. Martyrolog. 16. Septemb.

ımulo comite, inſidens ad uni-
gṙſitatem Pariſienſem, Dolen-
ṁm, ut Gallicè condiſcat, aut ad
xteras Regiones, in Hiſpaniam,
ı Italiam, ut multorum homi-
um mores ſpectet, & urbes, to-
ısque genio, ac libertati vacet, à
ırentibus, experiundæ conſtan-
æ gratiâ, profecturus mittitur;
ırum providi, ſuos ſic proban-
ɔ, non linguam ſed mentem
lurere. Interim ſi ut indies vi-
ːmus, puella 14. aut 15. anno-
ım, à nobili & opulento proco
l nuptias flagitatur, ſatis prove-
a, ſatis matura, ſatis prudens
dicatur. Juvenculæ conſimi-
s, ac juvenes, ſubmerſi ſunt,
iuſquam aquas nôrint.

Non longam deliberationem
t probationem parentes hic re-
ıirunt, ut jugum matrimonii
tolerabile, quod tribulationem,
Paulus ait, & curas, moleſtias,
iſerias, ut SS. PP. loquuntur, &
perientia docet, innumeras an-
xas habet, ſuſcipiant; ſed ut
go Chriſti quod ſuave, & oneri
ri, humeros filii ſupponant, per
ıres annos probandi ſunt.

Quid, quod prætextum hunc
bationis in ſæculo, ſatis ener-
re, & tollere videatur Eccleſia,
m ſtatuit annum probationis,
ue in ipſo Religionis loco,
cul à ſæculi turbis, & ſæcula-
m conſuetudine, inter viros
ligioſos, ſub directione ſpiri-
ıs magiſtri, ubi omnes ſui pe-
ulum facere, & experimentum
ère voluit. Ubi è contra in
trimonio, nullus annus pro-
ionis, nullus reſiliendi mo-
; qui ſi eſſet, haberent Eccle-
Paſtores plures quos ſolve-
t, quàm quos ligarent.

Hic itaque modus probandi in Religione, eſt omnium optimus: ſubmovet enim (quantum fieri poteſt) omnes tentationum occaſiones, & cauſas, quibus ſemen divinum, & ſpiritus ſalutis ſolet extingui: quales ſunt pravæ ſociorum conſuetudo, fœminarum lenocinium, vana colloquia, ſympoſia, convivia, ſpectacula, illecebræ denique innumeræ; in Religione verò ſuppeditantur omnia adminicula, quibus ſemen illud foveri, & creſcere queat: ſalutaria magiſtri documenta, ſuperiorum monita: fratrum exempla, victus parſimonia, precum aſſiduitas, piarum rerum meditatio, frequens ſacramentorum uſurpatio, corporis caſtigatio, tota denique Religionis diſciplina. Jure igitur meritiſſimo vehementer Sanctis Patribus improbatur conſilium illud probandi ſe in ſæculo. S. Bernardus magnus perfectioris vitæ magiſter, & ſpirituum diſcretor, Sermone: *Ecce nos reliquimus omnia*, ſic ait: 1 *Quantos mundi ſapientia ſupplantat, & in eis conceptum extinguit Spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi. Noli inquit præcipitanter agere, diu conſidera, diligentius intuere; magnum eſt quod proponis, & opus habens multa deliberatione. Experire quid poſſis, amicos conſule, ne poſt factum pœnitere contingat.* Hæc ubi enarravit, ſic apis hæc melliflua aculeum exerit: *Hæc ſapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica ſalutis, ſuffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ ſolet Domino vomitum provocare.* En quàm graviter invehitur in tales conſultores.

1 S. Bernardus Serm. Ecce nos reliquimus omnia.

Cùm Paulinus presbyter propoſitum Religionis concepiſſet, & diutius differret exequi, ut interea commodius ſua vendere poſſet, S. Hieronymus luculentam ad illum ſcripſit Epiſtolam, his verbis : m *Feſtina quæſo te, & hærenti in ſolo naviculæ, funem magis præcide, quam ſolve : ſi habes in poteſtate rem tuam, vende ; ſi non habes, projice.*

Parentes carnales, propinqui, filii hujus ſæculi, minimè expedire arbitrantur, ut ubi etiam liberi ad annos pubertatis pervenere, id eſt, maſculus ad annum quartumdecimum, puella verò ad duodecimum, ſe Deo conſecret, & Religioſum ſtatum amplectatur ; quia prius inquiunt exercendi ſunt in præceptis, & vita communi, quam in conſiliis, quæ ad perfectionem pertinent. n Deinde juvenes non cognoſcunt ſuas vires, nec intelligunt quæ ſint onera Religionis, quæ lucta carnis & ſpiritus. Itaque cenſent differendos in 24. vel 25. annum ætatis, ut interim vires ſuas probent, *noſcant ſæculum*, & conſiderent an jugum Religionis ferre poterunt ; *ſed hoc*, inquit nervosè, & Religiosè Leſſius, *inſipiens eſt conſilium, ſacris Scripturis, ſanctis Patribus, & rectæ rationi adverſum.* Idque primo ex Scripturis probatur, Threnorum 3. *Bonum eſt viro cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua* ; quem locum S. Thomas o, & paſſim alii pietatis magiſtri intelligunt de eo, qui in primo adoleſcentiæ flore, jugum Religionis capeſſit.

Alterum argumentum ex illo Marci 10. adducitur : *Offerebant ei parvulos, ut tangeret eos ; Diſcipuli autem comminabantur offerentibus : quos cùm videret* Jesus, *indignè tulit, & ait illis : ſinite parvulos ad me venire, & ne prohibeatis eos : talium eſt enim Regnum cœlorum.* Si Dominus indignabatur in eos, qui parvulos, infantes, qui nondum ſpiritualia capere poterant, impediebant, ne ad Chriſtum accederent benedictionis causâ, quanto magis indignatur in eos, qui adoleſcentes, & adoleſcentulas, jam ſpiritualis doctrinæ capaces, ad Chriſtum accedere, imitatione vitæ cupientes, ejuſque conſilia divino ſpiritu intus monente ſectari volunt, impediunt. p Null[i] *Dei Regno immatura eſt ætas*, inquit Ambroſius.

Præterea, is, cui Dominu[s] Matth. 19. & Luc. 10. ait : *Si vi[s] perfectus eſſe, vade, vende omn[ia] quæ habes, & da pauperibus, & ha[bebis] theſaurum in cœlo, & veni ſ[e]quere me* : Adoleſcens erat, Græcè νεανίσκ☉, id eſt adoleſcentulus : qualis eſt quatuordecim, quindecim, ſedecim annorum.

S. Joannes Evangeliſta juvenis, & à ſæculi corruptione adhuc immunis, Dominum ſecut[us] eſt, & idcirco ſingulari amor[e] Domino dilectus, adeò ut paſſ[im] vocetur in Scriptura, *Diſcipu[lus] dilectus, Diſcipulus quem dilige[bat]* Jesus. Unde & maxima ei m[y]ſteria præ cæteris à Domino [re]velata, ut refert Hieronymus l. 1. contra Jovinianum.

Quod ſi vos parentes delect[a]mini juvencis, catulis, hinnu[lis] & animalium pullis ; ſcitote rerum omnium Dominum de[...]

m Hieronym. Epiſt. ad Paulinum.
n Leſſius diſput. de ſtatu vitæ deligendo, quæſt. 2. o S. Thom. lib. contra retrah. à Relig. c. 3.

p Ambroſ. in Lucam, c. 15.

tias ſuas habere cum parvulis, teſte Clemente Alexandrino : q *Quemadmodum*, inquit, *patres & matres lubentius vident equorum quidem pullos, boum vitulos, leonum catulos, cervorum hinnulos, hominis puellum, ita & univerſorum Pater, hos recipit, diligit, ac defendit* : quo enim illa ætas purior, hoc Deo gratior.

Plurimi etiam in veteri teſtamento ab ineunte ætate Domino conſecrabantur; ut Sampſon, Nazaræi, Samuel, quem ubi Anna Deo devoverat, ut rem ſacram reverebatur, nec attingere audebat. Chryſoſtomus hom. 2. de Anna : *Conſpiciebat infantem illum non tantum ut infantem, verum etiam ut rem Deo conſecratam.*

At longè plures, imò innumeri in lege nova. S Paulus primus Eremita, S. Antonius, & S. Hilarion anno 15. ætatis, venditis omnibus, & in pauperes diſtributis, se in deſertum contulêre, & totos Deo manciparunt. S. Simeon Stylita anno decimo tertio. S. Benedictus valde juvenis erat, quando omnia deſeruit, nempe decem vel duodecim Annorum. S. Maurus anno duodecimo. S. Placidus, & multi alii tempore Sancti Benedicti, à puero Religioni traditi. Horum omnium Dux, & primipilus, hoc inſigni elogio commendatur : r *Joannes in ſolitudine præparatur, ille ſacro ſine venerabilis eſt, is vinum & ſiceram non bibit* : ADHUC PARVULUS *cum Domino ſermocinatur*.

Quæ laus profectò *Aloyſio noſtro* congruit, qui *adhuc parvulus* per plures horas indies, *cum Domino ſermocinatur*, & vix dum octennis perpetuo virginitatis ſacramento, carni & ſanguini bellum indicens, ſe Deo conſecravit.

Jam nemo admiratione defixus, commendet egregiam Hannibalis indolem, quem ingentis animi, mentíſque ſane præcelſæ, illuſtre ſpecimen in ipſa infantia præbuiſſe ſcribit Titus Livius. ſ Nono fermè ætatis anno, cùm Pater Amilcar perfecto Africano bello in Hiſpaniam trajecturus, ſacrificaret: puellus Hannibal altaribus admotus, tactis ſacris, jurejurando ſe obſtrinxit, perpetuum ſe cum populo Romano bellum habiturum. Eximium planè magnanimitatis exemplar, ut qui tantillus eſſet ætate, tanto eſſet animo. Verum quid hoc eſt, & quàm exiguum, ſi cum adoleſcentuli noſtri virtute conferatur? qui in primævo ætatis flore, Deo, ejuſque Virgini Matri æternum dixit ſacramentum, ſe perpetuum cum carne, mundo, & dæmone bellum geſturum, donec iis devictis, glorioſus tiro triumphet.

Ad ejuſmodi à teneris animos concipiendos, triplicis mihi argumentum ſimilitudinis præbet, quod Ælianus tradit, perdicum pullos, ſimul ac pedes exeruerunt de integumentis, velociſſimos eſſe ad currendum : ſimiliter & anatum pullos, ſtatim poſt partum natare. Tertio demum teſtatur catulos leonum, matrum uteros unguibus ſtimulare, non tam ad lucem, quàm ad diripiendas, diſſecandáſque prædas. Tales eſſe debent qui Deo geniti, cœleſtis auræ ſpiritum ducunt. Iſti vix in lucem editi, velociſſimi ſint ad currendam viam mandatorum Dei : expediti ad natandum in

q Clem. Alexand. l. 1. pædag. cap. 5.
r Hieron. Epiſt. 7. ad Lætam.

ſ Livius lib. 1, decad. 3.

hoc

hoc turbido mundi oceano, ne fluctibus obruantur; inſtructi ſimiliter ad prædam, & lanienam inimicorum.

Ita cucurriſſe, ita nataſſe, & enataſſe, ita pugnaſſe lego venerabilem Bedam, qui felicitatem ſuam hac in parte deprædicat, dum de ſe teſtatur: t *Ego ſeptennis monaſterium ingreſſus, ibi totâ vitâ omnem meditandis Scripturis operam dedi: atque inter obſervantiam diſciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui.*

Aptam ſimilitudinem inducit Chryſoſtomus: v habet arborem piri quis in horto, quam tranſeuntes, quia in viam inclinat, impetunt, & fructus decutiunt. Pira ergo immatura colligi Dominus imperat, ut in paleis, loco tuto repoſita, ſenſim matureſcant. Ita ſupremus Dominus videt arbores ad viam ſitas, fructus incipiunt rubeſcere; ſcurræ plateales impetunt, immaturis & oculos & manus injiciunt. Quid agit Deus? illos inter quatuor parietes, in paleis, in loco tuto, in domo Dei reponit.

Nec quiſquam mirabitur æternam ſapientiam, virides, acidos, & immaturos fructus carpere, ſi B. Franciſcum de Sales, Genevenſem Antiſtitem audierit: qui tradit ſaccharopegos, & qui condiendis ſaccharo fructibus occupantur, poma aprica, nuces, melopepones, alióſque fructus immaturos decerpere, & in apothecis ſuis reconditos, ad delicias Regum aſſervare. Ea propter Pſaltes regius exultat: x *Præveni in maturitate.* Ribera y legendum cenſet: *Præveni in immaturitate*; hoc eſt, à prima, & tenera ætate, ut tempus adhuc immaturum videretur. Excurrit hic ambroſio ſuo flumine Mediolanenſis Præſul: z *Præcurrit*, inquit, *ætatis maturitatem, quiſquis in adoleſcentia poſitus, ſenilem gravitatem induit, & juveniles annos veterana quadam continentia regit: fervorémque virentis corporis, in cana morum maturitate componit.* Tum aſſurgit in eos, qui florem ac vigorem juventæ, ſæculo dant, vanitati & voluptati conſecrant; effœtos verò vitæ annos, Deo ac Religioni ſat idoneos dictitant: a *Quid poteſt habere laudis, ſi effœtum corpus voluptatibus, & jam ſenectutis gelu frigidum, ad ſera devotionis officia, depoſito jam ſegnior vigore convertat?*

Hoc execrandum, & deplorandum eſt, innumeros parentes reperiri, filios & filias inveniri, qui, ut Gregorius Nazianzenus loquitur, b *à peſtifero decipiuntur ſpiritu, dicente: da mihi id quod nunc fluit temporis; futurum Deo: mihi ætatis florem; Deo ſenectutem: mihi voluptates; Deo corpus effœtum.*

Conſecrate templis meliorem ſobolis veſtræ, imò veſtri partem, non ignobilem & rejectitiam. Injuria palmaris cœlo fit cùm conamur inter æternorum conviviorum lautitias, menſarum noſtrarum analecta reponere: ut ſi quis regio convivio, ſi quid vile, aut ſcatens vermibus & ſitu obſitum ferculum inferat. Quanta hæc in ipſum creatorem in-

t Hiſtor. Anglic. in vita. v Vide Chryſoſt. in Levit. l. 2. c. 14. x Pſal. 118.

y Ribera in c. 5. ad Hebræos, nu. 18 z Amb. in Pſalm. 118. Serm. 9. a Amb. ibid. b Gregor. Nazianz. orat. 40. in S. Baptiſmo.

ingratitudo! quanta in munificum omnium donatorem, ac benefactorem injuria? quam Petrus Cellenſis his verbis exaggerat: c *Fæces ſenectutis veſtræ immolatis altiſſimo, qui juventutis, & adoleſcentiæ veſtræ florem in rebus nugatoriis* (in otio, in ludo, in choreis, in popinis, in proſtibulis) *expendiſtis.* Quod ſi hæc magis piè quàm verè à ſanctis Patribus exaggerari exiſtimetis, gentilem ſolo rationis ductu diſſerentem attendite: hic ubi illud Poëtæ expendit:

d *Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi*
Prima fugit,

Sic ait: e *Quid ergo ceſſamus nos ipſi concitare, ut velocitatem rapidiſſimæ rei poſſimus æquare? meliora prætervolant, deteriora ſuccedunt.* Quod obviâ, & appoſitâ ſimilitudine exponit: *Quemadmodum ex amphora primum quod eſt ſinceriſſimum, effluit* (uti & ex dolio recens promptum) *graviſſimum quodque, turbidúmque ſubſidit; ſic in ætate noſtra quod optimum, in primo eſt. Id exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis fæcem reſervemus.* Hæc Ethnicus Philoſophus ipſis Ethnicis exprobrat, quod nobiliores vitæ ſpiritus, & muſtum juventutis, in nequitias effundant & exhauriant; ſibi autem ut in ſenectute vivant, viribus corporis, & animi exhauſtis, & mentis ac rationis impotes *fæcem reſervent.* Quid ad hæc Chriſtiani? quid vos juvenes, & adoleſcentulæ? quid vos parentes, qui primum, & ſinceriſſimum effervescentis, & deſpumantis adoleſcentiæ, à liberis veſtris per omnem ſæculi licentiam exhauriri optatis, ut ſibi non ſolum, ſed & Deo vappam, & *fæcem reſervent?*

Quid poteſt magis indignum excogitari, quam mundo, carni, & ſanguini dare puram ſimilaginem, Deo meros furfures? mundo primum muſtum, Deo vappam & fæcem? mundo purum aurum, Deo ſcoriam? mundo uniones & margaritas, Deo conchilia? mundo nucleum, Deo putamina? mundo fructus primævos & ſucculentos, Deo putridos & corruptos? mundo flores recentes, Deo marcidos, & deciduos? mundo veris roſas, Deo devexæ ætatis aridas ſpinas? hoc eſt quod clamitat laſciviens juventus: f *Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Hoc eſt, quod olim queſtus Abbas Claravallenſis: g *Quidquid naribus ſuave eſt, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid cæteris ſenſibus carnis ſuæ jucundum,* (juventus) *exercet, ac ſequitur*; ſi quis venuſtatis floſculus amœnius vernat, hic legendus eſt: ſi quis deliciarum fructus purpuraſcit, hic carpendus eſt. Primos, ac pulcherrimos ætatis ſuæ flores, cupiditatibus ſuis conſecrant, iiſque Deos ſuos, Cupidinem, & Venerem coronant; Deum verò, Sponſum virginum, ſpecioſum præ filiis hominum, adeò in poſtremis reponunt, ut non niſi aridas & exſuccas occiduæ ætatis ſpinas reſervent, iiſque ſacroſanctum ejus verticem, dignum redimiri liliis, & roſis, quia ipſe *flos campi, & lilium convallium*, ſentibus & ſpinis coronare non erubeſcant.

c Petrus Cellenſis, Epiſt. 6. d Virgil. l. 3. Georg. e Seneca Epiſt. 108.

f Proverb. 2. v. 8. g Bernard. lib. de formula honeſtæ vitæ.

hoc turbido mundi oceano, ne fluctibus obruantur; inſtructi ſimiliter ad prædam, & lanienam inimicorum.

Ita cucurriſſe, ita nataſſe, & enataſſe, ita pugnaſſe lego venerabilem Bedam, qui felicitatem ſuam hac in parte deprædicat, dum de ſe teſtatur: t *Ego ſeptennis monaſterium ingreſſus, ibi totâ vitâ omnem meditandis Scripturis operam dedi: atque inter obſervantiam diſciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui.*

Aptam ſimilitudinem inducit Chryſoſtomus: v habet arborem piri quis in horto, quam tranſeuntes, quia in viam inclinat, impetunt, & fructus decutiunt. Pira ergo immatura colligi Dominus imperat, ut in paleis, loco tuto repoſita, ſenſim matureſcant. Ita ſupremus Dominus videt arbores ad viam ſitas, fructus incipiunt rubeſcere; ſcurræ plateales impetunt, immaturis & oculos & manus injiciunt. Quid agit Deus? illos inter quatuor parietes, in paleis, in loco tuto, in domo Dei reponit.

Nec quiſquam mirabitur æternam ſapientiam, virides, acidos, & immaturos fructus carpere, ſi B. Franciſcum de Sales, Genevenſem Antiſtitem audierit: qui tradit ſaccharopegos, & qui condiendis ſaccharo fructibus occupantur, poma aprica, nuces, melopepones, alióſque fructus immaturos decerpere, & in apothecis ſuis reconditos, ad delicias Regum aſſervare. Ea propter Pſaltes regius exultat: x *Præveni in maturitate.* Ribera y legendum cenſet: *Præveni in immaturitate*; hoc eſt, à prima, & tenera ætate, ut tempus adhuc immaturum videretur. Excurrit hic ambroſio ſuo flumine Mediolanenſis Præſul: z *Præcurrit*, inquit, *ætatis maturitatem, quiſquis in adoleſcentia poſitus, ſenilem gravitatem induit, & juveniles annos veterana quadam continentia regit: fervorémque viventis corporis, in cana morum maturitate componit.* Tum aſſurgit in eos, qui florem ac vigorem juventæ, ſæculo dant, vanitati & voluptati conſecrant; effœtos verò vitæ annos, Deo ac Religioni ſat idoneos dictitant: a *Quid poteſt habere laudis, ſi effœtum corpus voluptatibus, & jam ſenectutis gelu frigidum, ad ſera devotionis officia, depoſito jam ſegnior vigore convertat?*

Hoc execrandum, & deplorandum eſt, innumeros parentes reperiri, filios & filias inveniri, qui, ut Gregorius Nazianzenus loquitur, b *à peſtifero decipiuntur ſpiritu dicente: da mihi id quod nunc fluit temporis; futurum Deo: mihi ætatis florem; Deo ſenectutem: mihi voluptates; Deo corpus effœtum.*

Conſecrate templis meliorem ſobolis veſtræ, imò veſtri partem, non ignobilem & rejectitiam. Injuria palmaris cœlo fit cùm conamur inter æternorum conviviorum lautitias, menſarum noſtrarum analecta reponere: ut ſi quis regio convivio, quid vile, aut ſcatens vermibus & ſitu obſitum ferculum inferat. Quanta hæc in ipſum creatorem

t Hiſtor. Anglic. in vita. v Vide Chryſoſt. in Levit, l. 2. c. 14. x Pſal. 118.

y Ribera in c. 5. ad Hebræos, nu. 1 z Amb. in Pſalm. 118. Serm. 9. a Amb. ibid. b Gregor. Nazianz. orat. 40. in S. Baptiſmo.

in

ingratitudo! quanta in munificum omnium donatorem, ac benefactorem injuria? quam Petrus Cellenſis his verbis exaggerat: c *Fæces ſenectutis veſtræ immolatis altiſſimo, qui juventutis, & adoleſcentiæ veſtræ florem in rebus nugatoriis* (in otio, in ludo, in choreis, in popinis, in proſtibulis) *expendiſtis.* Quod ſi hæc magis piè quàm verè à ſanctis Patribus exaggerari exiſtimetis, gentilem ſolo rationis ductu diſſerentem attendite: hic ubi illud Poëtæ expendit:

d *Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi*
Prima fugit,

Sic ait: e *Quid ergo ceſſamus nos ipſi concitare, ut velocitatem rapidiſſimæ rei poſſimus æquare? meliora prætervolant, deteriora ſuccedunt.* Quod obviâ, & appoſitâ ſimilitudine exponit: *Quemadmodum ex amphora primum quod eſt ſinceriſſimum, effluit* (uti & ex dolio recens promptum) *graviſſimum quodque, turbidúmque ſubſidit; ſic in ætate noſtra quod optimum, in primo eſt. Id exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis fæcem reſervemus.* Hæc Ethnicus Philoſophus ipſis Ethnicis exprobrat, quod nobiliores vitæ ſpiritus, & muſtum juventutis, in nequitias effundant & exhauriant; ſibi autem ut in ſenectute vivant, viribus corporis, & animi exhauſtis, & mentis ac rationis impotes *fæcem reſervent.* Quid ad hæc Chriſtiani? quid vos juvenes, & adoleſcentulæ? quid vos parentes, qui primum, & ſinceriſſimum effervеſcentis, & deſpumantis adoleſcentiæ, à liberis veſtris per omnem ſæculi licentiam exhauriri optatis, ut ſibi non ſolum, ſed & Deo vappam, & *fæcem reſervent?*

Quid poteſt magis indignum excogitari, quam mundo, carni, & ſanguini dare puram ſimilaginem, Deo meros furfures? mundo primum muſtum, Deo vappam & fæcem? mundo purum aurum, Deo ſcoriam? mundo uniones & margaritas, Deo conchilia? mundo nucleum, Deo putamina? mundo fructus primævos & ſucculentos, Deo putridos & corruptos? mundo flores recentes, Deo marcidos, & deciduos? mundo veris roſas, Deo devexæ ætatis aridas ſpinas? hoc eſt quod clamitat laſciviens juventus: f *Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Hoc eſt, quod olim queſtus Abbas Claravallenſis: g *Quidquid naribus ſuave eſt, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid cæteris ſenſibus carnis ſuæ jucundum,* (juventus) *exercet, ac ſequitur*; ſi quis venuſtatis floſculus amœnius vernat, hic legendus eſt: ſi quis deliciarum fructus purpuraſcit, hic carpendus eſt. Primos, ac pulcherrimos ætatis ſuæ flores, cupiditatibus ſuis conſecrant, iiſque Deos ſuos, Cupidinem, & Venerem coronant; Deum verò, Sponſum virginum, ſpecioſum præ filiis hominum, adeò in poſtremis reponunt, ut non niſi aridas & exſuccas occiduæ ætatis ſpinas reſervent, iiſque ſacroſanctum ejus verticem, dignum redimiri liliis, & roſis, quia ipſe *flos campi, & lilium convallium*, ſentibus & ſpinis coronare non erubeſcant.

c Petrus Cellenſis, Epiſt. 6. d Virgil. l. 3. Georg. e Seneca Epiſt. 108.

f Proverb. 2. v. 8. g Bernard. lib. de formula honeſtæ vitæ.

O teneri adoleſcentuli! ô caſtæ virgunculæ! date gloriam Deo veſtro, & hoc caput *Nazareni*, id eſt, *floridi*, cingite, & adornate primævis & amœnis vernantis veſtræ ætatis floribus: illibatum, & intactum virginitatis florem illi conſecrate. Ad hoc vos hodie præit Angelicus noſter juvenis *Aloyſius*: præceſſere, & ſecuti ſunt innumeri juvenes, & adoleſcentulæ, quæ cum lacte pietatem, & à teneris annis, integritatis amorem hauſerunt. Unde canit Propheta: *Adducentur Regi virgines poſt eam.* Unum hic Ambroſium l. 3. de virg. audire ſufficiat: h *Certe Theclam non ſenectus, ſed virtus probavit: nec mireris in adoleſcentulis profeſſionem, cùm legeris in parvulis paſſionem. Et quaſi incredibile putamus, ſi puellæ nubiles Chriſtum ſequantur ad Regnum, quem etiam pueri ſequebantur in deſertum.* De iis olim ſapientiſſime vaticinatus eſt Salomon, in ſacro ſuo Epithalamio, Cant. 1. *Adoleſcentulæ dilexerunt te.* Quod expendens Origenes hom. 1. in Cant. ait: i *Non illæ vetulæ, ac veterem hominem indutæ animæ, neque rugas habentes, neque maculas. Sed adoleſcentulæ, in novitate ſpiritus ambulantes, primitias ſpiritus habentes.* Non vetulæ, non ſenes, qui diu fluctuati in ſalo ſæculi, extracti in ſiccum ilico moriuntur.

Diſquirit peraccutè Dionyſius Carthuſianus, cur Deus Levitici cap. 1. inhibuerit, ne piſces adhiberentur ad ſacrificium k *Cur*, inquit, *non etiam de piſcibus ſaltem aliquibus ſacrificium offerri voluit*, cum cæteris in animantibus id permiſerit? reſpondet ſecutus D. Thomam: l *Quia morantur & latent in aquis, & inde extracti protinus moriuntur.* Quo non obſcure innuitur, reſpuere Deum ſacrificia illorum, qui tum ſe illi mancipant, cùm ob dejectam fortunam, aut ob formam marceſcentem, & ætatis annos jam declives, mundo extrahuntur, brevi morituri, aut defectu proci, *per faute de Baron, Fille de Sion.* m Unde lepidum illud cujuſdam Agathæ, alicubi in Hollandia legitur Epitaphium:

Hier leydt begraeven Jonffrouw Aeght,
Die ſeſtich Jaer gheweeſt heeft Maeght,
Niet om dat haer heeft behaeght,
Maer om dat niet is gevraeght.

Idem argumentum, luculentius ad mores proſequitur S. Chryſoſtomus, dicens: n *Si nullus veſtrum vult poſſidere ſervum ſenem*, ancillam vetulam, quos videmus indies jam fractos laboribus, etiam domo exturbari, non alia de cauſa, quàm quod exhauſtis viribus, & robore deſtituti, diu ſervire non poſſint, & ad domeſtica obſequia inepti cenſeantur; quod ſi, inquit ille, vos ejuſmodi ne quidem velitis; ſed juvenes, vegetos, valentes quæritis, & quos ad nutum veſtrum formare poſſitis, qui diu vobis & bene famulari queant, *quanto magis Deus vult adoleſcentiam, & tanquam intactam virginem eam ſibi jungit, ut ejus* VITÆ PRIMITIAS *ambiat. ne quis cum juventutem peccando exhauſerit, languidam & enervatam ſenectutem, ac vitæ fecem, virtuti* (& Deo)

h Ambroſ. l. 3. de virgin. i Origenes hom 1. in Cant. k Dion. Carthuſ. in c. 1. Levit. art. 5.

l S. Thom. m Mendoſa lib 1. Reg. c. 1. ann. 12. ſect. 4. nu. 12. n Chr. in pſ. 11

Deo) *reſervet. Si nullus veſtrum vult poſſidere*, emere, aut alere equum ſtrigoſum: ſi nemo veſtrum in ſponſam adlegere deformem vetulam, anum decrepitã, ſed adoleſcentulam, primum vitæ florem, *quanto magis Deus* (jure ſuo) *vult adoleſcentiam, ut ejus vitæ primitias ambiat, & non vitæ fæcem.*

Sic interim Lutherus cum ſui ſequacibus, cum Deo agendum prædicat, & parentibus hoc virulentum dogma inculcat: *o* homines non eſſe aptos ad religioſum ſtatum, & ad vota emittenda, niſi poſt ſeptuageſimum, vel octogeſimum ætatis annum. *p* Similiter omnes heretici reprehendunt Eccleſię conſuetudinem admittendi pueros ad Religionem; quos impoſtores Democritus ridens, hac lepida narratione ſugillâſſe mihi viſus eſt. *q* Celeberrima illa Venetorum Reſpublica duos adoleſcentes ingenio præſtantes, judicio acres, linguâ promptos, morum maturitate præcellentes, ad Imperatorem legatos deſtinavit; qui cùm ſemel iterúmque à congreſſu & colloquio cum Imperatore arcerentur, nec, ut legationis ſuæ rationes exponerent, admitti poſſent; ſciſcitantibus tandem quid cauſæ eſſet quod repulſam paterentur? hoc reſponſi tulerunt, mirari non parum Imperatorem; Venetos ex ſuo tam illuſtri, & venerando Patrum conſcriptorum Senatu, hos duos juvenes ad ſe delegaſſe, qui hac legatione fungerentur. Hi ut juventutem ſuam deſpicatui haberi cognoverunt, cum ingenio ſolerti eſſent, unum illud Imperatorem rogarunt, ut miſſis quæ in mandatis habebant negotiis, paucis illum ſalutare liceret. Quo impetrato, alter eorum ſic exorſus eſt: *Si Venetorum Reſpublica, ſacratiſſime Imperator, ſapientiam non in corde hominum; ſed in barba ſitam eſſe credidiſſet, jam quidem ad Cæſaream veſtram Majeſtatem duos vetulos, & barbatos hircos miſiſſet.* Quibus ex verbis Imperator intelligens, cum quibus hominibus ſibi res foret, comiter eos audivit, liberalitérque dimiſit. Quæ contra inſulſam Lutheri doctrinam de ſolis ſeptuagenariis, vel octogenariis ad Religionem, cœleſtis Imperatoris aulam admittendis, quadam ratione militare videntur; quaſi verò ſoli hirci barbati, & vetuli, divino cultui deſtinandi. Nempe tunc *Epicuri de grege porci* incipient Deo vero & vivo ſervire, quando non amplius Baccho & Veneri poterunt; ad haram tunc potius illi porci ducantur, quam ad aram, & ſacra limina.

Videant ergò Catholici, ne dum ſibi ſanguine, vel amicitia junctos adoleſcentulos ab ingreſſu Religionis retrahunt, ac retardant, id faciant inſtinctu diaboli, cujus ſpiritu id improbant Hæretici. Hiſce erebi monſtris ſana & ſancta Doctoris Angelici opponenda documenta, qui pueros à teneris Deo conſecrandos, & in monaſteriis nutriendos ſcite & erudite oſtendit: *r* *Sicut Gregorius dicit lib. 2. dialog. Beato benedicto Romani nobiles, ſuos filios Omnipotenti Deo nutriendos dare cœperunt; quod eſt valde expediens, ſecundum illud Threnorum 3. Bonũ eſt viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia*

o Confeſſ. Aug. art 27. p Vide Bellarmin. l. 2. de Monach. 5. cap. 35. q Democritus Ridens.

r S. Thom, 2, 2. qu. 189. art. 5.

leſcentia ſua. Quæ verò, quamque ampla inde commoda, tum corporis, animíque emolumenta, ſic paucis ſolidiſſimè complectitur: „ ſ his qui jugum Domini ab adoleſcentia tollunt, multa bona „ proveniunt, de quibus *Sex* ponere ſufficit. *Primum* eſt quod „ bonitas profundius infigitur, „ cùm inveniat ſubjectum magis „ tenerum. Philoſophus: ſapiunt „ vaſa, quidquid primum acceperint: Poëta:

„ t *Quo ſemel eſt imbuta recens,*
„ *ſervabit odorem*
„ *Teſta diu.*

„ *Secundum* eſt, quod ſervitium „ Deo in adoleſcentia exhibitum, gratius eſt illi. Unde Joannem Evangeliſtam ſpecialiter dilexit, quia ad ejus ſervitium adoleſcens venit; nec mirum, ſi amplius diligit illum, „ qui ad ejus ſervitium adoleſcens venit, quam illum qui in „ ſenectute hoc facit: adoleſcens „ enim offert Deo de meliori vitæ ſuæ, de flore, de vigore, ſenex verò de fæce. Adoleſcens „ offert ei ſimilam; ſenex verò „ offert ei furfur, &c. *Tertium* eſt, „ Jucunda facilitas aſſuefactionem ſequens. Sap. optima forma vivendi aſſumenda eſt, „ quam jucundam reddet aſſuetudo. *Quartum* eſt, ſecuritas in „ vita, & in morte, quod non eſt „ bonum modicum. De ſecuritate in vita dicit Seneca: pulchrum eſt ante mortem conſummare vitam; deinde exſpectare ſecurè reliquam temporis „ partem. Incertus de ſalute ſua moritur, qui in fine vitæ ſuæ „ pœnitet. Auguſtinus: ſi quis, „ poſitus in ultima neceſſitate „ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & hinc vadit; „ fateor vobis, non ei negamus, „ quod petit; ſed quod ſecurè exeat, non præſumimus. Pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem non. Qui ab adoleſcentia „ Domino ſervierunt, ſecuri de „ ſalute decedunt, quod non eſt „ modicum bonum. Gregorius: „ initium retributionis eſt, in „ obitu ſecuritas mortis. *Quintum* „ eſt, majoritas præmii. Habet „ Deus unde melius remuneret „ eos, qui diutius ſibi ſervierunt; „ & licet ſalvetur, qui tardè convertitur, ſi convertitur verè, „ tamen in domo patris manſiones multæ ſunt. *Sextum* eſt, evitatio, vel minoratio cruciatus „ purgatorii: licet ille ſalvetur „ qui in ſenectute ad Dominum „ convertitur; tamen ſalvus erit, „ quaſi per ignem v. Et ut Hieronymus ait, x *ſenex graviori faſce peccatorum onuſtus progreditur.*

En qualia, & quanta bona proveniant, qui jugum Domini, ab infantia tollunt; quo fit, ut Eccleſia tamquam fœcunda mater, innumeris puerorum, & puellarum gaudeat, ac exultet choris. Ad quod ſpectaculum contemplandum Hipponenſis Antiſtes, Jesum virginum Sponſum invitat, dicens: y *Reſpice agmina virginum, puerorum, puellarúmque ſanctarum: in Eccleſia tua eruditum eſt hoc genus: illic tibi à maternis uberibus pullulavit: nomen* *tuum*

ſ S. Thom. lib. 5. de erudit. princip. c. 8. t Horat.

v 1. Cor. 3. x Hier. Ep. 5. ad Heliod. y Auguſt. de S. virginit. cap. 36.

tuum ad loquendum linguam ſolvit: nomen tuum velut lac infantiæ ſuæ ſuxit infuſum.

Non poteſt quiſquam ex hoc numero dicere (uti poſſunt in matura ætate Religionem ingreſſi) *qui prius blaſphemus fui, & perſecutor: imò etiam quod non juſſiſti; ſed tantùm volentibus arripiendum propoſuiſti, dicens: qui poteſt capere, capiat, arripuerunt, voverunt, & propter Regnum cœlorum ſeipſos, non quia minatus es, ſed quia hortatus es, caſtraverunt.* Excellens profectò prærogativa, ut nemo ex hoc numero dicere poſſit, blaſphemus fui, potator fui, ſcortator fui: nec aliqua puellarum dicere poſſit, laſciva fui, luxuriata fui, primos meos amores infamis procus abſtulit; ſed me immaculatam Chriſto conſecravi.

Quare ut eo revertamur, unde exorſi ſumus, ſicut ovo nil candidius, nil nitidius, aut purius, dum recenter matri ſubtractum fuerit; at ſi per aliquod tempus fotum fuerit, fœtore ſuo omnibus abominationi eſt; ita à tenera ætate, matri proles ſubducenda, ne corruptelam contrahat. Non abſimilis illa Cardinalis Damiani comparatio, qui agens de adoleſcentulis, & parvulis, quos Deus ad ſe trahit: z *Iſtos*, inquit, *tollit primo pubeſcentis adoleſcentiæ decore vernantes, illos autem ab ipſo pueritiæ lactentis exordio*, VELUT DE NIDO PULLOS *educat implumes*, ne aucupi pateant, aut accipitri objiciantur.

B. Ægidius Seraphico Franciſco in deliciis, quondam rogatus, ut quid à puero Religionem ingreſſus, tantam vitæ auſteritatem, & pœnitentias amplecteretur, quæ dumtaxat pro commiſſis flagitiis, & vitâ male actâ adhiberi ſolerent? reſpondit Ægidius: carnes ſaliendas, antequam computreſcant, ſerius ſalem adhiberi, ubi computruerint: ſic S. Joannem Bapt. ſanctificatum in utero, teneris in annis deſertum petiiſſe.

Vos verò quicumque lubricos juventutis annos in omni licentia, libidine, ludis, commeſſationibus, flagitiis, peſſimè traduxiſtis, a *quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* quin hodie pœnitentia ductus quiſque veſtrum exclamet: b *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Trivi juventutem meam in vanitatibus, & inſaniis falſis, in ebrietatibus, ſcortationibus, & omnium ſenſuum lenociniis: florem, & vigorem omnem juventæ meæ, dedi mundo, carni, & diabolo: *Delicta juventutis meæ ne memineris Domine.* O quanta me tenuit, ô æterna bonitas, ô pulchritudo tam antiqua, tam nova, tui ignorantia? quam parum cognovi mandata tua, quæ verè gravia non ſunt! quàm parum animo comprehendi lethale virus noxæ mortalis, quo graviſſima ſummo bono injuria irrogatur, & mihi æterna ſupplicia parantur! quàm parum mihi perſpectum bivium illud diſparis æternitatis? quam raro mihi objectus infinitus miſericordiæ tuæ theſaurus, & inæſtimabile pretium mortis, & ſanguinis tui! *Ignorantias meas ne memineris Domine.* Serò cognovi te, ſerò amavi te, bonitas infinita!

z Damian. l. 6. Epiſt. 17. in ordine.

a Ad Rom. 6. v. 21. b Pſ. 24. v. 7.

c Ipſis Kalendis Januarii, cùm ad frequentem concionem verba faceret Pater Ignatius Martinez, Societatis noſtræ vir undequaque perfectus, dolere ſe profitebatur, quod ab utero matris, Deo dicari, & ab anno ætatis ſeptimo Societatem ingredi non licuiſſet. Optare ſe vehementer, ut in gratiarum actionem ſuæ vocationis, liceret ſibi deinceps reliquum vitæ flexis genibus, brachiis expanſis, cum Beatorum choris laudes Deo concinere. Plora tu ſeptem annos, imò ſeptemdecim juventutis tuæ, & plures deperditos.

Quanto fortunatior, ac beatior *Aloyſius*, *d* de quo Bellarminus Cardinalis, qui animum *Aloyſii* perſpectum habebat, ſanctè affirmavit, primam mentis innocentiam, quam in baptiſmo acceperat, velut candidam veſtem, ab omni labe puram, intactámque ſerváſſe; quodque propè inauditum, primo quo ad uſum rationis venit momento, ea gratia præventum, ut ſe per actum divini amoris perfectè ad Deum converterit; quam verò exinde ad omnem pietatem, & ſanctimoniam juventutem ſuam inſtituerit, videamus. Quod olim non minus verè quam magnificè de Joanne Baptiſta Igniacenſis Abbas pronuntiavit: e *Joannis rudimenta primæ ætatis, gravitatem ſapientiæ vicere ſenilis: qui enim antequam natus, Sanctus fuit, quid mirum, ſi in proceſſu converſationis, pluſquam Sanctus fuit?* Idipſum quadam ratione de Religioſiſſimo Adoleſcente noſtro uſurpare poſſe videor; qui antequam natus, per gratiam baptiſmi ſanctificatus fuit, & in ipſis rudimentis primæ ætatis, ſanctitatem multorum vicit ſenilem. *f* Hic etiamnum Adoleſcentulus, ac propè puer, prolixis precibus cū Deo ſermocinabatur, atque ipſa concubia nocte, dum omnes decubuiſſent, ille frigidiſſima hyeme, nudus ſuper pavimentum tenera membra adſternebat, expanſiſque brachiis, tam largo lacrymarum imbre perfundebatur, ut ſolum cui ingeniculatus fuerat, perplutum diceres. Non raro per plures horas in terram pronum domeſtici obſervarunt. Ea autem in orando animi attentione, & mentis intenſione fuit, ut quaſi in ſtatuam obriguiſſet, nullum unquam, ut moris apud nos eſt ſingulorum conclavia luſtrētur, an orationi vacent, ad ſe inſpiciendi gratia veniſſe ſenſerit; illudque candide ſuperiori ſciſcitanti aperuerit, non tanto diſtractionis ſpatio, quo ſalutatio Angelica percurritur, aliò vel leviter evagatum fuiſſe; ut exclamare jure liceat cum Petro Damiano: g *mira rerum converſio! hominem vix mundum ingreſſum, mundi fugere gloriam, & ſæculi cupiditates non ſolum obliviſci, ſed neſcire: perpetuum cum divinitate ſtabilire conſortium*: à quo avelli graviſſimum ſibi tormenti genus ducebat, affirmabatque, longè ſibi difficilius fore, mente alio evagari, & ad hæc inferiora diſtrahere, quam de Deo jugiter cogitare, & divinis ruminandis inhærere. Hujus

c Exempl. virorum illuſt. d Ceparius in vita l. 1. cap. 1. Nierenb. Hiſpan. e Guarricus Serm. de S. Ioan. Bapt.

f Nierenb. in vita c. 7. Ceparius. l. 1. c. 6. Rho variæ virtut. hiſt. l. 3. c. 8 noſtra. §. 6. g B. Pet. Damian. feſto S. Ioan. Bapt.

autem

autem cauſam, de qua agimus, illam adducebat, *h* quod à puero precatiunculis, & oratiunculis aſſuetus, *uſu quodam id ſibi nunc naturale fore* dictitaret. Ut per omnem vitam fuerit illi oratio continua, ita *à teneris aſſueſcere multum eſt.*

Sic *uſu quodam* à teneris, perpetuam inediam ſibi quaſi *naturalem* fecit: nam puer adhuc, bis aut ter in hebdomadâ, jejunio tenerum corpuſculum macerabat, atque eo ſenſim parſimoniæ devenit, ut ovum unicum in refectionem gravare dictitaret, compertumque ſit, in diem unciatim vivere. *i* Hac aſſuetudine poſtea pane & frigida vitam toleravit, quin omnis guſtus, ac ſaporis expertem, miraculoſe, ac planè divinitus vitam ſuſtentaſſe, graviſſimi auctores tradidere.

His ad ardua, & heroica prorſus præluſit: Parvulus etiamnum & tenellus, ter quot hebdomadis in ſe flagellis ſæviebat; at ubi adolevit quotidie; quod ſi flagellum ad manum non eſſet, loris quibus canes alligantur, aut catenâ ferreâ ſe diverberabat, adeò dire, ut matri non ſemel induſia ſanguine imbuta, ſint oſtenſa. Tandem intra noctis ac diei ſpatium tertiò, ut cruor largè difflueret, innocuum corpuſculum excruciabat. Jam ille in dura cubare, fragmen tabulæ linteis ſubſternere, & pro cilicio calcaria nudo corpori admovere conſverat. Inexpertis hæc loquor, qui toti in cute curanda intenti, ad nudam rei enarrationem cohorreſcunt, non alia de cauſa, quam quod à pueritiâ in ejuſmodi cruciatibus exercitati non ſint. Hinc illis terrifica videntur, quæ *Aloyſio*, aliiſque fervidis religioſæ vitæ tironibus ludicra cenſentur.

k *Egregie*, inquit Seneca, *Virgilius noſter*, dum ſic canit.

Terribiles viſu formæ, lethumque, laboſque;

Non re dixit terribiles eſſe, ſed viſu: id eſt videri, non eſſe. Quid, inquam *in iſtis eſt*, ſi rite expendas, *formidabile*, quæ & tenelluli adoleſcentuli, & molliculæ virgunculæ avide arripuerunt? habetis, Adoleſcentes, quem imitemini *Aloyſium*; ſed ut & Adoleſcentulæ, & ſuam habeant quam ſequantur virgunculam, Demetriadem ipſis D. Hieronymus in exemplum proponit, cujus ſanctitatis præconia ſic propè auſpicatur: l *ajunt ſanctæ, & nobiles filiæ, quæ eam viderunt, & norunt, noctibus & ſecreto, conſciis tantum Virginibus Dei, numquam eam linteaminum, numquam plumarum uſam mollitie: ſed ciliciolum in nuda humo habuiſſe pro ſtrato, jugibus faciem rigaſſe lacrymis.* Credò equidem ita fieri debuiſſe, ut hæc à teneris, & Beatus ille Adoleſcens divino Spiritu incitatus, magna & ardua aggrederetur, ut nos ſuo exemplo à juventute ad magna & ardua incitaret.

Plura recitat ſacræ ſcripturæ exempla in hanc ſententiam B. Petrus Damianus epiſt. ad Henricum Imperatoris Filium, inquiens; m *ecce Joas Rex Juda* TENER ADHUC, *de ſartis tectis templi celeriter inſtaurandis, cum Sacerdotibus diſputat David vixdum adoleſcentiæ*

h Nierenb, §.8.& 3.Ribadin. i Nier. §.2.Rho.l.7.c,6.Ceparius lib.1.c.6.

k Seneca Ep.104. l Hieron.Ep.8 ad Demetriad. m Damian. l. 7.epiſt.5.ad Henricum Henrici Imp.Filium.

ſcentiæ limen ingrediens, adverſus Goliath non cum gladio, ſed cum lapillis quaſi pueriliter dimicat. ADOLESCENTULUS *adhuc Joſias omnia vaſa Baal, de templo Domini cum ſacerdotibus projicit, & in convalle Cedron, flamma vorante ſuccendit.* Quibus auditis, conſidera quæ tuæ ſint partes, & quando gigantem proſternere, quando dirutum animæ templum denuo excitare: & eliminatis vanitatum idolis, veri numinis cultum inducere, quando demum charitatis flammâ, idola cupiditatum, libidinis, avaritiæ deſtruere neglexiſti; nunc ſaltem poſt acta in caſtris Dei, plurium annorum ſtipendia, impigrè perficias, & quæ præſtantiſſime licet, ipſo amœno flore melioris ætatis, hoc eſt in ipſo tirocinio Sanctitatis, dudum fuerant abſolvenda, jam aggredi quid moraris? A prima ætate, & n *à teneris aſſueſcere multum eſt.*

Hoc in præfixo ſymbolo cernere eſt, ubi avicula ad crucem anhelare, in eâque requieſcere, à puero edocetur;

Quid ni liberos veſtros ſic cruci aſſueſcere poteſtis? cujus jugum leve erit, ſi à teneris portare didicerint, juxta illud Jeremiæ vaticinium: o *bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua:* quod viſione cœleſti evidenter declaratum, quam Humbertus vir Clariſſimus, ac PP. Prædicatorum Magiſter Generalis enarrare ſolebat; *p* virum quendam Religioſum vita functum apparuiſſe aliquando de nocte fratri, ſocioque ſuo, magno ſplendore collucentem; cumque eum ex cella eduxiſſet, oſtendiſſe magnum numerum hominum candida veſte, mirabilique luce micantium, qui pulcherrimas cruces humeris deferebant; erat autem omnium iter in Cœlum. Poſtea modico intervallo, alius ſequebatur ordo, iſque multo pulchrior, multoque lucidior, quorum unuſquiſque ornatiſſimam crucem non jam humeris, ſed manibus geſtaret. Deinde tertius ordo omnium longe ſplendidiſſimus & ſpecioſiſſimus, quorum cruces forma & pulchritudine, reliquorum cruces ſuperabant: neque eas ipſi portabant, ſed ſuus qui ſingulos præibat Angelus, atque ipſi alacres & ludibundi ſequebantur. Quod ſpectaculum cum ille miraretur, expoſuit ei ſocius: primos illos eſſe, qui provecta jam ætate religioſam vitam amplexi fuiſſent; ſecundos, qui in virili, poſtremos autem, quos adeò expeditos, hilareſque vidiſſet, eos eſſe qui in adoleſcentia. Illos ſi ſapitis imitari poteſtis, ſi à teneris jugo Chriſti aſſueſcere volueritis.

Hoc in omni arte, & ſcientia videre eſt, quarum elementa ab ipſa pueritia haurienda, & arripienda ſunt; quam ſimilitudinem adducit S. Thomas, diſputans utrum pueri ad Religionem admittendi? quod inde probat, & confirmat, *q* quod *communi conſuetudine pueri applicantur illis officiis, vel artibus, in quibus ſunt vitam acturi.* Idipſum ſcitè Philoſophus Romanus obſervavit: qui dum præmiſit illud Maronis:

n Virg. 2. Georg. o Thren. 3. p Platus de bono ſtatus Relig. l. 3, c. 33.

q S. Thom. 22. q. 189. art. 5.

r Optima

r *Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi*
Prima fugit:

Sic ait: *quare optima? quia juvenes poſſumus diſcere, poſſumus facilem animum, & adhuc tractabilem ad meliora convertere: quia hoc tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Quod ſupereſt, ſegnius, & languidius eſt, & propius à fine*, ſic linguæ, ſic opificia, ſic artes omnes facilè acquiruntur, quid ni & virtutes à pueritia ediſcantur? Argumentum hoc ſolidiori ac ſanctiori ſtylo proſequitur Ambroſius: ſ *Quemadmodum*, inquit, *parvulorum ingenia primis litterarum elementis, aſſueſcunt diſcendi uſum aſſumere: ita nos hujuſmodi elementis* (pietatis & Sanctitatis, de quibus agit) *uſum diſcamus vivendi, & quibus ætas puerilis aſſuevit, ad maturitatem virtutis excreſcat.*

Unde tanto omnium virtutum decore Balduinus Imperator excelluit, t niſi quod à teneris à parentibus, & pædagogo ſuo pietatem edoctus eſt? quos etiam cum jam eques creatus eſſet, ſuique juris factus, diligere, colere ac venerari perſeveravit. Unum de multis hoc exemplũ eſto. Redierat aliquando appetente nocte, ex longa, difficilique venatione oppidò feſſus, & jejuno ſtomacho Balduinus: cum oblatum ſibi lupum piſcem avidè admovit ori, pædagogus qui non longè aberat, mox tuſſiit: & quod voce non audebat, hoc ſigno, atque oculi nictu, eſurialis feriæ, cujus optimus Princeps non recordabatur, admonuit. Ille ſimul ſignum, cui non ſecus ac paſtoris ſibilo ovicula aſſuêrat, intellexit: Eſculentum hoc fruſtum continuo ex ore egerere, cauſatus illud cibi genus ad ſalutem minus ſibi conducere: & inde pudore ſuffuſus, quaſi piaculum conſciviſſet, incœnatus ſeſe cubitum recepit. Legat hæc ætas noſtra; & diſſimiles in ima quamvis nobilitate mores noſtros obſtupeſcat, non alia ex cauſa, quam quod ejuſmodi piis elementis non imbuatur.

Econtra vero, ſi à pueritia vitiis, & nequitiis aſſueti, v *citius frangas quam corrigas, quæ in pravum obduraverunt*, ut bene Quintilianus. Hinc multis, qui poſtquam diu ſæculo, & carni ſervierunt, ac tandem ad Religioſum clauſtrum, quaſi ſalutis portum ſero appellunt, gravis & acerba cum carne, & ſpiritu lucta; quod diſerte junioribus inculcat Hieronymus: x *difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia, quis in priſtinum candorem revocet? Recens teſta diu & ſaporem retinet, & odorem, quo primum imbuta eſt.*

Scio non unam Religioſam animam, inter crates, & cellæ anguſtias concluſam, ob verbum obſcœnum à laſcivo proco auribus ingeſtum, aliam ob geſtum, aut petulantem manum, per plures annos moleſtis phantaſmatis, carnis ſtimulis, & dæmonum luſionibus divexatas, multis lacrymis, prolixis precibus, acerbis

r Seneca. epiſt. 108. ſ Ambroſ. in prolog. ad Pſal. 118. t P. Petri Doutermans Conſtantinopolis Belgica, lib. 1. c. 1. fol. 5.

v Quintilian. l. 1. inſtit. cap. 3. x Hieronym. ep. 7. ad Lætam de inſtit. filiæ.

corporis

corporis cruciatibus expugnare conatas, à quibus aliæ innocuæ, & candidæ animulæ prorſus immunes, & expertes ſunt.

Qui ſæculum experti ubi etiam è ſalo in tutum ſe receperunt, graviores ſæpe in ſicco fluctus animorum, corporis motus, ac tempeſtates experiuntur, quam dum medio oceano fluctuarent: recurſant enim animo omnes illæ ſirenes, & cantrices, & ſaltatrices, quæ antea placuerunt. Quod egregiè D. Hilarius adnotavit, ad ea verba Pſalmi 118. v. 9. *in quo corriget adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos*, ubi in hanc rem pulchrè & perapposite exſpatiatur: y *placiturum Deo virum Propheta non expectat, poſt longam ac diuturnam criminum conſuetudinem; ſed rudes à peccatis annos, & ætatem adhuc criminum neſciam, vult non modo ſtudiis aliquando innocentiæ, ſed etiam ipſa adoleſcentiæ conſuetudine imbui.* Cauſam ſubjungit: *quia difficile eſt ab uſitatis deſinere, difficile eſt à familiaribus abſtrahi. Magnum in ſe conſuetudo habet vinculum; & idcirco optimus ille fuerit cultor, quem non modo delictorum remiſſio, ſed ipſa illa præſtiterit vitiorum ignorantia innocentem:* quod ſacri Vatis probat teſtimonio; *novit Jeremias Propheta ætatis hujus beatitudinem, dicens bonum eſt juveni viro, cum fert jugum grave in juventute ſua. Vult eum Chriſti ſervum, quem ne ipſa quidem præteritorum criminum recordatio polluat*, & fœdis phantaſiis inficiat, ac infeſtet; non tales Cœleſtis Sponſus deſiderat, ſed eas ſibi ſiſti, & adduci poſtulat, de quibus per regium Pſaltem vaticinatur: z *adducentur Regi Virgines poſt eam:* quæ Doctor Melleus, ſuaviſſime ad rem noſtram exponit: a *Virgines*, inquit, *dico illas, quæ ante Chriſto fœderatæ, quam fœdatæ mundi amplexibus, ipſi firmiter perſeverant. cui ſe tanto felicius, quanto maturius* (nihil nævi, aut fæcis terrenæ habentes) *devoverunt.*

Faceſſant ergo veſanæ voces, & inſana conſilia eorum, quos vel gentilis homo ſic inſectatur: b *audies pleroſque dicentes: anno quinquageſimo in otium ſecedam: ſexageſimus annus ab officiis me demittet. Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? Quis iſta ſicuti diſponis, ire patietur? non pudet te reliquias vitæ tibi reſervare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſet?* Ac tandem aureo epiphonemate concludit: *Quam ſerum eſt, vivere incipere, cum deſinendum eſt? Quæ tam ſtulta mortalitatis oblivio, in quinquageſimum, & ſexageſimum annum differre ſana conſilia? Et inde velle vitam inchoare, quo pauci pervenerunt?* Opus aliquod elegans dentatum, exile ex ebore toreuma ſcalpro fingendum, aut ſtola pretioſa acu pingenda, non bene ad nocturnum cereum perficitur: ſic viles centones, ſic rudis tela, ſic lupuli ſaccus conſui poteſt; non ſindon ſubtilior, non res templi pretioſior, non acupictura elegantior. Ita *ſerum eſt* ad cereum vitæ noſtræ nunc fatiſcentem, opus illud pretioſum animæ, vivis & ſanctis coloribus depingendæ, cali-

y Hilarius in Pſal. 118. v. 9.

z Pſal. 44. v. 15. a Bern. ſerm. 14. in cant. b Seneca, de brevitate vitæ. cap. 4.

caligantibus oculis velle elucubrare.

§. II.

Conſummatus in Brevi, explevit tempora multa: placita enim erat DEO anima illius. Sapient. 14. v. 13.

VErum illud effatum, Romani Philoſophi ore pronuntiatum, atque ipſa experientiâ comprobatum: c *nulla res conſummata eſt, dum incipit. Nec in hac tantum re omnium maxima, atque involutiſſima, in qua etiam cum multum actum erit, omnis tamen ætas, quod agat, inveniet, ſed in omni alio negotio, longè ſemper à perfecto fuere principia*: hoc in plantis, in animalibus, in ædificiis, in omnibus artificiis cernere eſt: *nulla res conſummata eſt, dum incipit: longè ſemper à perfecto fuere principia.*

Sic natura operatur; at longè aliter gratia. Eximii Sanctitate viri inde incepere, quò in devexa ætate plures non pervenere; hæc Doctoris Angelici ſententia eſt, qui de præclaris Sanctis diſſerens, illud ſcriptum reliquit: d *unus ab altioris Sanctitatis gradu incipit, quam ſit ſummum alterius, ad quod per totam vitam ſuam alter perveniet*; quam Doctrinam excellens illa divi Ennodii Paræneſis de S. Paulo comprobare videtur, ubi ait: e *An quiſquam dubitaverit etiam nunc an perfectus fuerit, qui de perfectione cœpit: ſi legitimè coronandus ſit agone decurſo, cum currere cœperit à Corona.*

Hanc ſingularem laudem S. Hieronymus Demetriadi tribuit, ubi inter illuſtria virtutum encomia, illam in cœlum extollit, quod f *puellares annos fidei ardore ſuperarit, & inde cœperit, ubi aliis deſiiſſe, perfectæ, conſummatæque virtutis eſt.*

Quæ profectò ut ſumma laudum eſt, non alienam à *B. Aloyſio* ducerem, g *qui ab altioris Sanctitatis gradu incepit, quam ſit ſummum alterius, ad quod per totam vitam ſuam alter perveniet*: qui ab eo charitatis actu incepit, ad quem pauci veſtrum per totam vitam pervenerunt: qui ſæculi pompam, vanos honoris titulos, & corruptibilem Marchionis coronam pedibus conculcavit, ut immarceſſibilem acciperet; & adhuc *quiſquam dubitaverit etiam nunc, an perfectus fuerit, qui de perfectione cœpit: & legitimè coronandus ſit, agone decurſo, cum currere cœperit à Corona?* Qui non modò ad pauperes, mendicoſque ulceroſos in noſocomiis ſe abjecit, ſed nec præſens peſtiferæ luis periculum, ipſum deterruit, unde & victima charitatis, febrim lethalem domum intulit, quæ animum adeò non dejecit, ut votum conceperit, vitam ſi ſuperſtes foret, peſtilentiæ malo infectis impendere, ac devovere. Hinc in actis canonizationis agi-

c Seneca lib 6. nat. quæſt. c. 5.
d S. Thom. opuſc. 17. cap. 7. e S. Ennodius epiſt. 26. de laud. S. Paul.

f Hieron epiſt. 8. ad Demetriad. de ſervanda Virg. S. Thom. cit.

agitatum, an non Martyrii corona dignus cenſenſus, qui pro proximo animam ponere non dubitavit. Atque inter Martyres à ſe conſpectum B. Magdalena de Pazzis declaravit, ut alias diximus.

Sed filum proſequamur. Juveniles annos *fidei ardore ſuperavit*, *& inde cœpit, ubi aliis deſiiſſe, perfectæ, conſummatæque virtutis eſt.* Crederes in divi Maximi laudibus *Aloyſium* noſtrum ab Euſebio Gallicano commendatum, tam apta in illum verba cadunt: h *locuturi*, inquit, *de perfectione Sancti Confeſſoris, multum veremur, ne merita ejus, tenuitas ſermonis abſcondat: qui cum* A PRIMA ÆTATE, *novis virtutibus uſque ad finem, quaſi ſemper inceperit,* INTER IPSA PRIMORDIA CONSUMMATUS APPARUIT. Quo tenderent Gonzagæ faſtigia, cujus ſic eminebant fundamenta? ibi cœpit perfectionis, ubi veneranda canitie ſenes non pervenere. *i* De illo quippe eruditione & Sanctitate Eminentiſſimus Bellarminus affirmare non dubitavit: *à ſeptennio, non cuivis, ſed perfectæ ſanctitati adhæſiſſe*, ut de illo prædicari jure poſſit illud Tobiæ in pueritia ſua, *nihil puerile geſſit* k. Infantiam ſuam prætendit vates Jeremias; ſed à Domino audit: l *noli dicere, puer ſum, quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis.* Puer non erat, quia egregia virtus in ætate licet puerili, & annorum crepundiis, virilem ætatem præferebat. Divus Ambroſius in Pſal. 118, m *Jeremiæ dicitur, noli dicere, quia juvenis ſum, & utique erat ætate juvenis; ſed prohibet eum juvenem ſe dicere, qui eſſet maturioris prudentiæ*, virtutis, & Sanctitatis.

Erexerunt Roma Camillo ſtatuam bullatam, quia puer adhuc prætextatus, ſub bulla quodammodo, & crepundiis adhuc, in acie ſervaſſet civem, ſubjungitque Valerius Maximus: n *iniquum enim putavit Senatus, eum honori nondum tempeſtivum videri, qui jam virtuti maturus fuiſſet*; & certe numquam ſtatuam diceres viriliorem iſta bullata. *Aloyſius noſter*, qui in bulla mundum riſit, adhuc prætextatus inter Ephebos Reginæ non ſolum ſuæ, ſed & alienæ ſalutis conſilia dirigebat, ut plures in Palatio à ſe ſervatos poſſet numerare: cui fama ſtatuam omni metallo vivaciorem conſecravit, vel hoc ſolo titulo, quod parens hujus juvenis affirmarit, *Aloyſium Filium*, ſibi contritionem in extremis à Deo impetraſſe, atque ita animam ſalvam in Cœlum evolaſſe. *o*

An non ſub ipſa pueritia, & lubrica adoleſcentia, ſpiritualis ætatis virilitatem conſecutus eſt Gonzaga, qui ea corporis & animi puritate, inter mundi illecebras, & Aulæ delicias enituit, ut juveniles annos, virginitatis ardore ſuperarit? Quis illam non miretur ac veneretur pudicitiam, qua non aliter in palatio, quam in clauſtri angulo, aut eremi tugurio degeret? Florentem adoleſcentiam venuſtiſſimo decore ornavit, & glorioſam reddidit: iis legibus adoleſcentiam miſcuit, tamque ſeveram ſenſi-

h Euſebius Gallican. Serm. de S. Maximo i Pintus Ramirez Stromata. pag. 471. Caparius in vita. k Tobiæ. c. 1. v. 4. l Ierem. cap. 1. v. 7. m S. Ambroſ. in Pſal. 118.

n Valer. Max. l. 3. cap. 1. o Pintus Ramirez, cit. Nierenb. in vita.

bus

buſ cuſtodiam adhibuit,ut veſtali pudore inſignis haberetur: p *quis enim* (ut Ambroſii de Valentiniano verba uſurpem) *tam Dominus ſervi, quam ille corporis ſui? Quis tam aliorum arbiter, quam ille ſuæ cenſor ætatis?* ſanè in ipſomet ferventis ſanguinis æſtu: q *ubi charybdis luxuriæ ſalutem vorat, ubi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia, ſcylla, ſeu renidens libido blanditur*, tam floridus, tam illibatus *Aloyſii* pudor, ut frequenter in eo ſuperfluam magis verecundiam prædicares, quam neceſſariam quæreres; ſed nunquam ſuperflua pudicitiæ cautela.

r Divinum prorſus quis dixerit *Aloyſium* indies in conſpectu Imperatricis, lectiſſima forma fœminæ, ejuſque intimo in contubernio verſari, nec unquam in vultum ejus oculos conjeciſſe. Joannes ſolitudine oculos ſepſit; hic facit ſolitudinem in Palatio ſ, Bellarminus de feneſtra domus ſuæ, numquam ſubjectum Dominicanorum hortum viſus deſpicere. Franciſcus Cajetanus è cubiculo ſuo numquam portum Meſſanæ: Abbatiſſa quædam pratum cellæ adjacens, nunquam intuita; t longè majus eſt non inſpexiſſe vultum Imperatricis, & omnes ſenſuales affectus, ac animi motus ſubjugaſſe.

De ſuo Principe illud aliquando mirificè ac magnificè jactavit Caſſiodorus: v *mirabili temperamento concordiæ antequam poſſit populos regere; ſuis jam cœpit moribus imperare. Hoc eſt profectò difficillimum regnandi genus, exercere* JUVENEM *in ſuis ſenſibus principatum. Rarum omnino bonum eſt, Dominum triumphare de moribus, &* HOC CONSEQUI IN FLORIDA ÆTATE, *ad quod vix credit cana modeſtia pervenire.* Quam multa, quam heroica tantillo tempore patravit *Aloyſius*? ut de illo aptè dici queat quod anthologia lib. 1. de juvene curſore: *aut in carceribus, aut in meta viſus ſemper eſt iſte Juvenis, nunquam medio in ſtadio*; ſic curſus *Aloyſii* ad virtutes fuit, cœptus fere ſimul, & conſummatus. Magnorum fluminum ortus navigabiles eſſe, teſtatur vetus parœmia. Sic Lucanus:

x *Nulli parvum licuit te Nile videre.*

O ALOYSI! *nulli parvum licuit te, parve, videre*, nulla in re parvus exſtitiſti, qui à prima pueritia, tenera in Virginem Matrem pietate: ardenti in Chriſtum charitate: Angelica puritate, corporis auſteritate, cæteriſque virtutibus planè magnus fuiſti, & omni perfectione ad unguem expolitùs. Quo in genere y *magni artificis eſt, totum poſuiſſe in exiguo*; quod non in mortuis dumtaxat ſimulacris, ſed & in ipſis vivis pumilionum corpuſculis cernere eſt; quid ni in animis? ſic etenim idem Seneca: z *Quemadmodum in minore corporis habitu, poteſt homo eſſe perfectus; ſic & minore temporis modo, poteſt eſſe vita perfecta* Longum eſſet hoc in Beatiſſimo noſtro juvene demonſtrare, quiſque

p S. Amb. orat. de obitu Valentinian. q Hier. Epiſt. ad Heliodor. r Amb. in obitu Satyr. ſ Fullonius in Machabæos tom. 2. in indice feſto B. Aloyſii. t V. Dom. 4. quad. part. 1. Lucis Evang. v Caſſiodor. l. 11. variar.

x Lucan. lib. 5. Pharſalic. y Seneca. z Idem epiſt 93.

que pro ingenii ſui fœcunditate, & linguæ facundiâ, poterit id ex vitæ actis copiosè enarrare.

Unum mihi de te dixiſſe ſufficiat, quod de Aurelio ſuo Divus Cyprianus: a *Aurelius* (dicam ego, *Aloyſius*) *frater noſter, illuſtris Adoleſcens à Domino jam probatus, & ideo charus eſt: in annis adhuc novellus; ſed in virtutis, ac fidei laude provectus: minor in ætatis ſuæ indole, ſed major in honore.* Quibus poſitis exclamare mihi libet, beatiſſime *frater noſter, illuſtris Adoleſcens*, tibique gratulari, quod in paucos cadit, ſapientis elogium: b *Conſummatus in brevi, explevit tempora multa.* Invenire eſt nonnullos felici ſidere natos, qui è tenui fortunâ, breviſſimo tempore ad ſummas divitias pervenerunt, aut fortuitò, invento theſauro, aut opimâ in bello prædâ potiti, aut propriâ induſtria, quaſque alii magno labore & ſudore multorum annorum adipiſci non potuere, hi intra paucos menſes, aut annos, facultates ſibi compararunt, atque adeò *in brevi explerunt tempora multa.*

Venator unus per invia & avia, per ſaltus & teſqua totos dies vagatur, atque irrito conatu, oppido laſſus domum divertit; alter vix pedem in campos effert, & lepores, & damas, ac opimas prædas agit: quem ſi cum Patriarcha Iſaac percuncteris, c *quomodo tam citò invenire potuiſti?* perappoſitè reſpondebit: *voluntas Dei fuit*, diligentia mea fuit, & gratia Dei mecum.

Sunt qui è Belgio in Hiſpaniam vela facturi, ad plures menſes adverſo vento luctantur, aut malacia divexantur, ubi alii ſecundo flumine & flamine, breviſſimo ſpatio Oceanum trajecerunt, & *in brevi explerunt tempora multa.* Haud aliter, inquit Seneca, ſi quis in mortem ante primos annos delatus eſt, *non magis conqueri debet, quam qui citò navigavit.*

Novi non paucos nautas, & epibatas, qui ex uno navali ſpolio, eas ſibi in omnem vitam divitias obtinuerunt, quas opera manuum per centum annos non acquiſiviſſent. Felices illi ac fortunati jure habentur, & nuncupantur; at longe feliciores illi, qui paucis vitæ ſuæ annis, ingentes ſibi gratiarum ac meritorum theſauros, quo fur non appropiat, nec tinea demolitur, ſibi acervarunt, & *in brevi explerunt tempora multa* ac plura, quam octoginta annorum ſenes.

Ad hanc praxim tam utilem, tam ſanam, tam Sanctam Abbas Igniacenſis ſuos exemplo S. Joannis, & illius vos ac B. *Aloyſii*, exhortari audeo: d *O fratres quorum propoſitum eſt, utinam & deſiderium, ad perfectionem feſtinare! Quam citò Chriſtianam aſſequeretur perfectionem, qui huic Magiſtro animum accommodaret docilem: cujus etiam prima elementa juſtitiæ modum ſupergreſſa ſunt perfectionis humanæ: cujus rudimenta primævæ ætatis, gravitatem ſapientiæ vicere ſenilis.* e Non eſt quod quis *diu* vixiſſe optet, ſed *bene*: ſatis annorum vel ephebus numerat, qui virtuti, qui Sanctitati, & æternitati, ad quam natus eſt, vixit. An non ſatis locutus eſt, qui verbulo,

a Cyprian. epiſt. ad presbyteros.
b Sap. 4. c Gen. 27.
d Guarricus Serm. 1. de S. Ioan. Bapt.
e Seneca de brevit. vitæ.

lo, vel nutu perſuaſit? An non ſatis navigavit, qui ſecundis velis & remis, pernici volatu portum feliciter tenuit? ſatis diu vixit, qui in hoc ſæculo; & vitæ ſplendore, & virtutum undique diffuſis radiis, Deo, Angelis & hominibus luxit.

Hic te compello piiſſima Gonzagæ parens Quid tu, cum videres ſenilem in juvene prudentiam, victorem omnium voluptatum animum, carentem vitio, diu tibi putabas illum ſoſpitem poſſe contingere? f *Quidquid ad ſummum venit, ad exitum prope eſt. Eripit ſe, aufertque ex oculis perfecta virtus, nec ultimum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt: Ignis quo clarior fulſit, citiùs extinguitur.* Quæ utinam, ereptis parvulis, aut immatura morte liberis ſublatis, parentes ſecum ruminarent, non in futiles & inutiles lacrymas ſolverentur, non lamentis, & fœmineo ululatu ædes complerent, non in Deum, ſi non blaſphemas, impatientiæ, deſolationis, & propè deſperationis voces jactarent: ad quorum immoderatum dolorem leniendum, & mortem ſuorum æquanimiter, quin & hilariter ferendam, quædam ab ipſis Ethnicis, & Chriſtianis documenta, argumenta, & exempla petemus.

f Seneca de conſolat. ad Marciam, cap. 23.

§. III.

Parentibus in morte liberorum, qui immatura morte ſublati, ſolatio ſit illud Sapientis: placens Deo factus eſt dilectus & vivens inter peccatores translatus eſt. RAPTUS EST, NE MALITIA MUTARET INTELLECTUM EJUS, AUT FICTIO DECIPERET ANIMAM ILLIUS *Sap.* 4.

g NEmo quiſquam mortalium immaturam *Beatiſſimi Aloyſii* mortem lugendam duxerit, quod in primo ætatis flore è vivis ereptus ſit; ſed omnes ei, qui *in brevi explevit tempora multa*, plurimum gratulandum, quod ad ſuperos tranſlatus ſit, mecum jure longe meritiſſimo ſuffragabuntur: *Placita enim erat Deo anima illius.* Plures ſibi cœleſtis olitor indies floſculos legit, vitæ innocentiâ, & animi, corporiſque integritate *Aloyſio* ſimiles, è quibus ne aliqua fortè imprudens mater ſuum ex oculis ſublatum lacrymis proſequatur, conſolationi ſerviet fœminæ Chriſtianæ, quod Annæus Marciæ gentili præſcripſit, dicens: h *Facilius ad ſuperos iter eſt, animis citò ab humana converſatione dimiſſis; minus enim fæcis, ponderiſque traxerunt. Antequam obducerentur, & altius terrena conciperent liberati leviores ad originē ſuā revolant, & facilius quidquid eſt illud, abſoluti transfluunt. Nec un-*

g Solatia matrum in morte parvulorum. Sap 4. h. Sen. conſol. ad Marciam c. 23.

quam magnis ingeniis cara in corpore mora eſt; exire, atque erumpere geſtiunt. Ægrè has anguſtias ferunt, vagi per omne ſublime, & ex alto aſſueti humana deſpicere. Tum ſubdit: k *Incipe virtutibus illum non annis æſtimare: ſatis diu vixit.*

Verum hæc, quæ ſolatio ac lenimento maximè eſſe deberent, inſanis matribus majoris doloris incitamento, & exulceratis animis ſtimulo ſunt, dum & naturæ dotes, & animi virtutes, quaſque è filio amiſſo voluptates percepere, non ſine acerbiſſimo mœrore recordantur; & in luctus ſui argumentum adferunt, illum tam formoſulum, tam ingenioſum, tam pium, tam obſequentem, omnes ſuas delicias ereptas. „Rurſus his opponit Seneca: l „dolor tuus, ô Marcia (ô quæcumque mater) ſi modò illi ulla ratio eſt, utrum ſua ſpectat „incommoda, an ejus qui deceſſit? utrúmne amiſſo filio movet, quod nullas ex illo voluptates cepiſti: an quod majores, ſi diutius vixiſſet, percipere „potuiſti? ſi nullas te percepiſſe „dixeris (ſi filius ſtrabo, loripes, „ſtupidus, diſcolus) tolerabilius „efficies detrimentum tuum: „minus enim homines deſiderant ea, ex quibus nihil gaudii, „lætitiæque perceperunt. Si confeſſa fueris percepiſſe magnas „voluptates, oportet te non de eo „quod detractum eſt queri; ſed „de eo gratias agere, quod collegiſti.

„Perverſa porrò hæc, & Deo „injuria plurium querela eſt, lamentari magis bona amiſſa, „quibus ad tempus frui conceſſum eſt, quam ſi numquam ea poſſederis: quoniam ſi ponatur „electio, utrum ſatius ſit non diu „felicem eſſe, an numquam: „melius eſt, diſceſſura à nobis „bona, quam nulla continere. An „fortè majus beneficium duceres, & levius ferres, ſi filium „degenerem, perverſum, perduellem nacta fuiſſes, qui in æternum corporis & animæ jacturam feciſſet? m utrúmne „malles degenerem aliquem, & „numerum tantum noménq; filii explentem habuiſſe, an tantę „indolis, quantæ tuus fuit. Juvenis cito prudens, cito pius, cito „omnis officii curioſus & omnia tam propera. Nulli ferè, & „magna bona, & diuturna contingunt. Filium tibi dii immortales diu daturi, ſtatim talem dederunt, qualis diu effici „poteſt. Quid habes, quod quereris? tum exempla inducit eorum, qui ſimilem jacturam prudenter ac fortiter tulerunt.

Et ne unius hujus gentilis Philoſophi nitar teſtimonio, Chriſtianâ facundiâ omni Tullio magis diſertum, Doctorem maximum Hieronymum induco, qui de funere Nepotiani in juventute mortui agens, ſic luctum parentum in obitu filiorum ſolatur: n *Ubi illa Anaxagoræ ac Telamonis ſemper laudata ſententia: ſciebam me genuiſſe mortalem? legimus Crantorem, cujus volumen, ad confovendum dolorem ſuum ſecutus eſt Cicero: Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Poſidonii ad ſedandos luctus opuſcula percurrimus, qui diverſis ætatibus diverſorum luctum vel libris, vel epiſtolis minuere ſunt conati: ut etiamſi noſtrum* are-

k Idem c. 24. l Idem c. 12.

m Ibid. n Hieron. Epiſt. 3, ad Heliodor. de Epitaph. Nepotiani.

areret ingenium, de illorum poſſet fontibus irrigari. Tum illi in medium adducuntur, qui in hoc genere excelluerunt: *Proponunt innumerabiles viros, & maxime Periclem, & Xenophontem Socraticum; quorum alter amiſſis duobus filiis, coronatus in concione diſſeruit: alter, cùm ſacrificans filium in bello audiſſet occiſū, depoſuiſſe coronam dicitur, & eandem capiti repoſuiſſe, poſtquam fortiter in acie dimicantē reperit concidiſſe.* Tum è Sapientibus Græciæ, ad Romanos Heroas delabitur: *Quid memorem*, inquit, *Romanos Duces, quorum virtutibus, quaſi quibuſdam ſtellis, Latinæ micant Hiſtoriæ? Pulvillus* (conſul) *capitolinum dedicans, mortuum ut nuntiabatur, ſubito filium ſe juſſit abſente ſepeliri*, nec vultum à Religione removit, inquit Valerius o. *Paulus ſeptem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans urbem ingreſſus eſt. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Metellos, Marcellos &c. quorum orbitates in conſolationis libro Tullius explicavit, ne videar potius aliena, quàm noſtra quæſiviſſe.* Atque his enarratis, illud Epiphonematis loco, ad Chriſtianorum ruborem ſubjungit: *Quamquam & hæc in ſugillationem noſtri breviter dicta ſint; ſi non præſtet fides, quod exhibuit infidelitas.* In confuſionem & ſugillationem veſtri ſunt illæ voces: *Sciebam me genuiſſe mortalem*; cùm parvuli veſtri ad vitam immortalem tranſeant, *præſtet fides, quod exhibuit infidelitas*; & dicite vos matres, quibus filii immaturo fato auferuntur, quod illa, p *ſupra modum mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna: quæ pereuntes ſeptem filios, ſub unius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat, propter ſpem quam in Deum habebat, & fœmineæ cogitationi maſculinum animum inferens, dicebat: Creator vobis iterum ſpiritum cum miſericordia reddet, & vitam*; quem illa in atroci ſeptem filiorum funere, vos in unius placido obitu, animum fortem exhibete.

Ad ruborem & *ſugillationem dicta ſunt*, hominem gentilem ſacrificio intentum, accepta filii morte, ne vultum mutaſſe, ubi *fortiter in acie dimicantem reperit concidiſſe.* Libet iterum exclamare: *Præſtet fides, quod infidelitas exhibuit*; ut cum divino ſacrificio, & piis cum Deo precibus intenta es, audito de morte filii nuntio, in exteris terris mortuo, aut in bello occiſo, non mente & corpore evageris: q *Nec eat omnis inter luctus dies, aut noctes ſine ſomno triſtitia conſumat: non ingerantur pectori manus, & in ipſam faciem impetus fiat.* Ceſſent inania lamenta: *Non licuit matri ultima filii oſcula, gratúmque extremi ſermonem oris haurire.*

Sed ut ad noſtra veniamus: r Alphonſus Carthejæ Dux fortiſſimus, quem olim obſederant Mauri, & jam ſæpius qua pollicitationibus, qua minis, qua etiam armis, & impetu facto, ad deditionem ſollicitârant. Ille Hiſpanæ fidei, animíque tenax, omnes deditionis leges reſpuere, fugere, averſari. Interea filius, qui erat unicus, dum forte imprudens & incautus elabitur, hoſtiúmque agros pererrat, in eorum manus incidit. Hic exultare Mauri,

o Valer. Maxim. lib. 5. cap. 10. p Lib. 2. Machab. c. 7. v. 20. & 23.

q Seneca conſolat. ad Marciam cap. 6. Cap. 3. r Lobbetius de fortit. Chriſtiana cap. 2. §. 11.

jámque

jamque de Cartheja actum credere: captivum adoleſcentem bellico plauſa ac clamore circum mœnia ducunt, patri oſtentant, minantúrque niſi urbem dedat, acturos ſe nati in viſcera ferrum. Quid ad hæc ille?

Méne, inquit, deterrere putatis,
Venales animæ, & Dominos mutare paratæ?
Si me feciſſet proles centena parentem,
Staret & hoſtili natorum turba ſub ictu;
Nil me præterea recti de tramite flectant,
Exarmentve Ducem lacrymæ, mortéſque meorum.
Hæc dicens, ſubitò vaginæ liberat enſem,
Elatóque minax: rabies ſi tanta cruoris,
Ferrum, ait, accipite: ferrum de mœnibus altis
Projecit pater, inde ſuos, & tecta reviſit
Securus potuitque paratæ accumbere menſæ.

Hæc Alphonſi conſtantia primo Mauros attonitos habuit, ac dein ira, ac furore præcipites, in miſeri adoleſcentis vulnera, & cædem egit. It cœlo Barbarorum clamor, & civium è mœnibus ſpectantium comploratio:

Evocat Alphonſum fragor, atque in mœnia currit,
Et nati aſpiciens letho languentia membra,
Quamquam animo redit uſque parens; tamen exuit illum,
Dux melior, civéſque objurgans: hoc erat, inquit,
Quod veluti captâ comploraviſtis in urbe,
Vóſque, puérque meus caſu pendetis ab uno?
Illum ego nutribam patriæ, jam reddidi & urbi.
Dixit, & extemplo ad convivia nota recurrit.
O ingens anima, ô fato inſuperabile pectus.

Hæc Alphonſus, devotum patriæ pectus, regique ſuo in paucis fidum. Dic tu: illum ego nutriebam cœleſti patriæ, & Regi immortali, atque in animæ illius refrigerium, feſtina divinæ accumbere menſæ. Verum enimverò dum hæc illuſtria virorum exempla ob oculos pono, ſ *ſcio quid dicas: oblitus es fœminam te conſolari, virorum refers exempla. Quis autem dixerit naturam malignè cum muliebribus ingeniis egiſſe, & virtutes illarum in arctum retraxiſſe? par illis, mihi crede, vigor, par ad honeſta facultas eſt.* Atque, ut quam ſequi velint, an impotenter dolentem an æquanimiter abitum filii ferentem, utriuſque non obſcurum ſpecimen adfert. t Octavia & Livia, altera ſoror „ Auguſti, altera uxor, amiſerunt „ filios juvenes, utraque ſpe futu- „ ri Principis certa Octavia Mar- „ cellum, cui & avunculus, & ſo- „ ror incumbere cœperat, in „ quem onus imperii reclinaret. „ Adoleſcentem animo alacrem, „ ingenio potentem; ſed & fru- „ galitatis, continentiæque in „ illis aut annis, aut opibus non „ mediocriter admirandum. Hoc „ ſpei ſuę fulcro immatura morte, „

ſ Seneca conſol. ad Marciam, cap. 16. t Seneca cit. cap. 2. Duæ fœminæ Romanæ, quarum una impotenter, altera æquanimiter filii mortem tulit.

ſublato,

„ ſublato, nullum finem per om-
„ ne vitæ ſuæ tempus, flendi, ge-
„ mendique fecit : nec ullas ad-
„ mittere voces ſalutare aliquid
„ afferentes. Talis per omnem
„ vitam fuit, qualis in funere:
„ nullam habere imaginem filii
„ chariſſimi voluit, nullam ſibi
„ fieri de illo mentionem. Oderat
„ omnes matres, & in Liviam
„ maxime furebat: quia videba-
„ tur ad illius filium tranſiſſe ſi-
„ bi promiſſa felicitas. Veſtem
„ non depoſuit; tenebris & ſoli-
„ tudini familiariſſima, defodit
„ ſe, & abdidit. Quid autem ex hac animi pertinacia, & inſano dolore fructus conſecuta ſit, ſubjungit: *Non ſine contumelia omnium ſuorum, quibus ſalvis orba ſibi videbatur*; non ſine acerbiſſimo miſerrimæ vitæ cruciatu, cui nec ipſa ab ullo medelam adferri volebat. Tum alteram inducit, quæ *pari affecta caſu, majore damno, non tamen dedit longum malis ſuis dominium, ſed citò animum in ſedem ſuam revocavit.* v Livia amiſerat
„ filium Druſum, magnum futu-
„ rum Principem, jam magnum
„ Ducem (hic in bello victor &
„ inter medios triumphos occu-
„ buerat) non licuerat matri ul-
„ tima filii oſcula, gratúmque
„ extremi ſermonem oris hauri-
„ re: *Ut primum tamen intulit tu-*
„ *mulo, ſimul & illum, & dolorem*
„ *ſuum poſuit.* Non deſiit itaque
„ Druſi ſui celebrare nomen, u-
„ bique illum ſibi privatim pu-
„ bliceque repræſentare, & li-
„ bentiſſime de illo loqui Nunc
„ quærit, quam prudentiorem,
„ quam feliciorem duxeris, quam
„ tibi imitandam propoſueris?
„ *Elige itaque, utrum exemplum*
„ *putas probabilius.* Si prius ſequi
vis, eximis te numero vivorum; „
averſaberis alienos liberos, & „
tuos, ipſumque deſiderans, tri- „
ſte matribus omen occurres. In- „
viſam habebis lucem: quod tur- „
piſſimum, alieniſſimumque ab „
animo tuo (dicam ego, Chri- „
ſtiano) oſtendes te vivere nolle, „
mori non poſſe. Quod ſi ad hoc „
maximæ fœminæ (Liviæ) te ex- „
emplum applicueris moderati- „
us ac mitius; non eris in ærum- „
nis, nec te tormentis macerabis: „
Quæ enim amentia eſt pœnas à ſe „
infelicitatis exigere, & mala ſua „
augere? illum ipſum juvenē, digniſ- „
ſimum quiete, ſemper nominans, co- „
gitánſque, meliore pones loco, ſi ma- „
tri ſuæ, qualis vivus ſolebat, hilaris, „
& cum gaudio occurrat. Hactenus „
Seneca, quo neminem ad ſolan- „
dum aptiorem, efficaciorémque inveni.

Quod ſi hæc gentilium exempla non moveant, rationes & argumenta convincant. Hieronymus, ut ſibi, ac Heliodoro ſuper obitu juvenis Nepotiani ſolatii aliquid afferat: x *Cur*, inquit, *non replico vicinas miſerias, & noſtri temporis calamitates? ut non tam plangendus ſit, qui hac luce caruerit, quam gratulandum ei, qui de his tantis malis evaſerit.* Quibus enarratis, ſic pergit: *Felix Nepotianus, qui hæc non videt; felix, qui hæc non audit. Nos miſeri, qui aut patimur, aut patiētes fratres noſtros tanta perſpicimus; & tamen vivere volumus, eoſque qui his carent, flendos potius, quàm beatos putamus.*

Profectò ſi parentes animo revolverent, & in cumulum conferrent mala omnia, quę ipſi perpeſſi ſunt, & liberorum ſuorum

v Idem cit. cap. 3.

x Hieron. Epiſt. 3. ad Heliodor. de Epitaph. Nepotiani.

capitibus imminebant, *non illos flendos, ſed prorſus beatos putarent.* Mirum multis videri poſſet, quod habetur Joannis 11. Chriſtum in morte Lazari gaviſum fuiſſe: y *Lazarus,* inquit, *mortuus eſt, & gaudeo*; & mox ſubdit Evangeliſta; ut vidit eum mortuum, *lacrymatus eſt* Jesus, ut adſtantes dicerent: *quomodo amabat eum?* cauſam noſtis? eam pulcherrime exponit D. Petrus Chryſologus: z *Chriſtus recipiens Lazarum flevit, non amittens*, ut ſignificaret mortem gaudio, vitam hanc miſerrimam lacrymis proſequendam: in morte etenim ſalutis portus aperitur, in vita, ſalutis naufragium timetur. In eandem ſententiam concinit & conſentit Iſidorus Peluſiota: a *Quoniam ipſum à morte ad vitam excitaturus eſſet, collacrymavit,* quaſi diceret, eum qui ad portum jam appulerat, rurſus ad fluctus, & procellas revoco: eum qui jam bravium, & coronam prenſabat, iterum ad certamen, & arenam provoco. Diſertiſſimè in hanc rem Cyrillus ille, Pontifex Alexandrinus: b *Conſuetudo eſt hominibus, mortuos lugere, quos prius charos habebant, & amore conjunctos; ſecundum hanc conſuetudinem, Iudæi Dominum flere putabant, dicentes: ecce quomodo amabat eum? Cum tamen potius triſtem Lazari deflebat ſortem, ad hanc vitam mortalem plenã miſeriæ, & doloris revocandi.* Accedit Petrus Bleſenſis epiſt. 174. c *Chriſtus non pro morte Lazari; ſed pro ipſius revocatione ad miſerias tẽporales planxiſſe dicitur.* Idque veriſſime, nam ſi quis præſentem Patriæ ſtatum, omnemque fortunam, quaſi è ſpecula contemplatur (quæ fuſiſſime pro loci, ac temporis circumſtantiis exponi poſſunt) quis non illud Hipponenſis Præſulis percunctari poteſt: d *quæro utrum ſatius ſit, unam mortem perpeti moriendo, quam innumerabiles timere vivendo?* Quo omni metu, parvuli veſtri jam cœlo recepti, omnino liberi, rident inanes lacrymas, & vanas complorationes, Neptunum furentem, ſcyllas, & naufragia ex portu ſpectantes. Vita procelloſum mare, mors fida ſtatio. Quis inter adverſos vitæ fluctus jactatis non commiſereatur? Quis in ipſius mortis littore conſtitutis non congaudeat, plurimumque gratuletur, quod decumanos illos fluctus, vitæque ſyrtes ac ſcopulos tot naufragiis infames ſuperarint?

Certè D. Cyprianus inde ſibi, aliiſque animos fecit, lacrymaſque puſillis mentibus deterſit: e *non ſunt,* inquiebat, *lugendi fratres noſtri de ſæculo liberati; cum ſciamus non eos amitti, ſed præmitti ut proficiſcentes & navigantes deſiderari eos debere non plangi. Nec accipiendas hic eſſe atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba jam ſumpſerint.* Nôrat hoc Propheta regius, qui dum infans ægrotaret, f *deprecatus eſt Dominum pro parvulo, & jejunavit, & ingreſſus ſeorſum, jacuit ſuper terram.* At ubi intellexit, quod mortuus eſſet infantulus, *ſurrexit de terra, & lotus unctuſque eſt*, deterſoque omni do-

y Ioan. 11. v. 15. z Chryſologus Serm. 64. a Iſidor. Peluſiot. lib. 2. Epiſtola 175. b Cyrill. Alexand. lib. 7. in Ioan. cap. 2. c Pet. Bleſenſis epiſtola 174.

d Aug. lib. 1. de civit. cap. 11 e Cyprian. Serm. 5. de mortalit. f 2. Reg. 12.

lore, menſam poni juſſit, & comedit; jam illum è peregrinatione, quam vitam noſtram eſſe diſerte vaticinatur, in Patria receptum ſciebat. Hæ cogitationes ad mortis dolorem vel temperandum, vel etiam penitus extinguendum efficaciſſimæ ſunt. g *Profectio eſt*, clamat Tertullianus, *quam putas mortem: non eſt lugendus, qui antecedit, ſed planè deſiderandus.*

Sunt qui filium, negotiorum ac mercaturæ cauſa in Hiſpanias, in Indias uſque navigare ſinunt, cujus abſentiam nonnihil ſentiunt, ſed eam ſolantur, ſi intelligant illic diteſcere, bene illi eſſe, ac felici fortunâ perfrui. Melius de illis ſentiendum, ac mitius ferendum, qui è turbido hujus mundi ſalo ad fortunatas illas Beatorum Inſulas, ubi deliciis perfruuntur æternis, appulerunt, ut recte ſentit D. Hieronymus in illud Matthæi 2. *noluit conſolari, quia non ſunt*, ubi ſic ait: h *ſicut mater Rachel nollet conſolari, eo quod non eſſet Joſeph, & tamen erat, & non ſolum vivebat, verum etiam potens erat, & proſperè agebat Joſeph: ita qualibet mater plorabat quidem pietatis affectu filium occiſum, tanquam ſi non eſſet, & non ſolum erat, verum etiam melius erat, & verius vivebat.* Sic i Agnes virguncula vivebat in cœlis, quam parentes mortuam lugebant in terris: quibus ad ejus ſepulcrum aſſidue vigilantibus (& plorantibus) quadam nocte Beata Agnes, choro virginum comitata cum apparuiſſet, ſic ad eos locuta dicitur: ne me parentes mortuam lugeatis: nam una cum his virginibus vivo apud illum in cœlis, quem in terris tota mente dilexi. Conſimilem rationem ad conſolationem adfert Chryſoſtomus, dicens: ſi filiam alicui ſponſo in matrimonium copulaveris, deinde ille eam abducens in longinquam diſceſſerit regionem, atque ibi in omnium rerum affluentia vivat, nequaquam id moleſte feres; ſed dolorem, quem ex abſentiæ diuturnitate cepiſti, proſperitatis illius communi fama mitigas, nunc autem filiam tuam non à mortali homine, ſed à cœleſti ſponſo adlectam mœres, ac lamentaris. Vanæ & inſanæ ſunt iſtuſmodi lacrymæ.

Saniori ac ſanctiori mente *Melania*, quæ teſte Hieronymo, k *calente adhuc mariti corpuſculo, & necdum humato, duos ſimul perdidit filios. Rem ſum dicturus incredibilem, ſed teſte Chriſto, non falſam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico ſparſis crinibus, veſte conſciſſa, lacerum pectus invadere? Lacrymæ gutta non fluxit: ſtetit immobilis, & ad pedes advoluta Chriſti, quaſi ipſum teneret, arriſit: Expeditius, inquit, tibi ſervitura ſum Domine, quia tanto me onere liberaſti.*

Cujus exemplum, & fortem ac conſtantem in morte charorum animum imitata S. Michelina, *l* quæ viro extincto, cum unica ſcintilla domus, filiolus delicium matris ſupereſſet, Deum ardenter precata eſt, ne amores ſuos divideret, ut & hanc chariſſimam pupillam oculi ſui eriperet.

g Tertullian. l. de patientia. cap. 9.
h Hierony in Matt. 2. v. 18. i Breviar. Rom. 28. Ian.

k Hieron. epiſt. 25. ad Paulam in obitu Bleſillæ l Chron. min. Nierenberg. de amore Ieſu. c. 8.

peret. Piis ejus votis cum Deus annuiſſet, calente adhuc filioli corpuſculo: *nunc* inquit, tibi ſoli *expeditius ſervire potero*, & omnes amores meos ſolus poſſidebis. Filiolum ſuum innumeris mortalis vitæ miſeriis ereptum, & quod unicè angebat, tot imminentibus animæ periculis liberum gaudebat.

Ubi illud mihi argumentum, & fortiſſimus aries, quem opponam, occurrit, non ex eo dumtaxat gaudendum & applaudendum illis, qui in prima innocentia ad ſuperos tranſierunt, quod vitæ huic, quæ militia eſt ſuper terram, & repletur multis miſeriis, ſeſe expedierint; ſed potiſſimum quod unicum Chriſtianis parentibus in omnis filii obitu ad ſolatium inculcandum ſapientis monitum: m *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Hujus rei luculentum unum, alterumve exemplum adducam. Filium amiſiſti morigerum, modeſtum, pium, pudicum, probum, imò & pulchrum ac formoſum; at quis promiſit talem uſque in adoleſcentiam, virilem ætatem, & ipſam ſenectutem permanſurum? Compello te verbis Philoſophi: n *Quis tibi recepit illud pulcherrimum filii tui corpus, & ſumma pudoris cuſtodia inter luxurioſæ urbis oculos conſervatum, potuiſſe ita morbos evadere, ut ad ſenectutem formæ illæſum perferret decus?* Inde & ad animum aſcendens: o *Cogita* inquit, *animi mille labes: neque enim recta ingenia, qualem in adoloſcentia ſpem ſui fecerant, uſque in ſenectutem pertulerunt; ſed interverſa plerumque ſunt, aut ſera, eoque fœdior luxuria invadit, & cogit dehoneſtare ſpecioſa principia.*

Quod ne filio, aut filiæ quam ploras, eventurum fuiſſet, quis reſpondebit? unâ, alterave hiſtoriola rem breviter comprobabo. p Olim vir opulentus rogavit D. Joannem Eleemoſynarium, pro filii, quem unicum habebat, incolumitate: imò liberalem dederat eleemoſynam, quaſi pactâ pecuniâ filiolo vitam empturus longiorem. Sed, ô malum! nec divi Joannis vota, nec parentis preces Cœlum audiit: ſublatus enim intra menſem. Hinc dolor, gemitus, & lacrymæ orbo parenti: hinc etiam de Sancto Præſule in populo diffidentia, ac vilior exiſtimatio, dum Deus Angelum è cœlo miſit, qui aſſereret in ætate tenella eductum è vivis juvenem, ne in adultâ periret, quod certo certius prævidebat Numen. Ecce mors quæ videri potuit immatura, dira, crudelis: eadem matura, pia, ac mitis cenſeri debuit. Ita, ut prædixi, cœleſtis colonus floſculos ſibi legit, ne pruina, aut ſævior tempeſtas decoquat, & depaſcatur. Hieronymus epiſt. 25 de obitu Bleſillæ hoc argumento Paulam ſolatur q *ſi viventem crederes filiam, & ad meliora migraſſe, numquam plangeres.* Et ſubdit *placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit eam Dominus educere de medio iniquitatis, ne longæ vitæ itinere, deviis aberraret anfractibus.* Idipſum divino oſtento divæ Brigittæ aliquando declaratum eſt. r Hæc filiolum ſuum Carolum, corculum ſuum, hoc flebat

m Sap. 4. n Seneca. conſolat. ad Marciam. c. 21. o Idem c. 22.

p Surius in vita. q Hier. epiſt. 25 ad Paulam. de obitu Bleſillæ. r In vita Binet. amour. divin. c. 26.

flebat uberius, quod ſubita morte, catarrho oppreſſus, quaſi abreptus eſſet: nec lacrymis temperavit, donec cœlitus edocta filium æternis cruciatibus damnandum fuiſſe; niſi morte illa ſubitanea præventus, in portum ſalutis delatus fuiſſet. Quo audito, illa non modò conquievit, ſed Deo grates reddidit, ac omnem amorem filioli, in prædilectum puerulum Jeſum tranſtulit.

Æmulata in eo, utinam & vos, quod Suetonius refert de Auguſto Cæſare, ſ immoderatius filiolum mortuum plangente, uxorem ejus juſſiſſe parvum Cupidinem ex argento fabricari, oculis, ore, vultu, totiuſque corporis formâ, filiolo defuncto ſimillimum, quem in mariti cubili, baſi impoſitum collocavit. Cæſar ſummopere ejus aſpectu delectabatur nec ingrediebatur unquam, quin duodena baſia ſuo Cupidini figeret, ac veluti Phœbo ſuo, omnem doloris nubem detergenti, litaret. Quanto tu blandius, quanto ſanctius, filiolo ſublato, in cubili tuo divinum Cupidinem, Jeſum parvulum ſubſtitues, in quem amores tuos transferas, & mille ac mille baſia figas, mille & mille gratias reddas, quod filiolum tuum ſuum effecerit, & ne malitia mutaret intellectum, huic ſæculo nequam, in tempore opportuno ſubtraxerit?

Eluceſcet aliquando illa dies, quando hanc ſuavem divinæ providentiæ diſpoſitionem clarè intueri licebit, ex mille parvulis vix unum futurum fuiſſe, qui noxa lethali immenſam Dei bonitatem non oſtendiſſet, & in æternum periiſſet. Teſtes induco Hebræorum infantes, qui pro Chriſto occiſi ſunt, ad 44 millia, ut apud Cornelium videre eſt. Ex quibus ſi ſupervixiſſent, graviſſimi auctores non vanè opinantur, plures è conſilio malignantium Judices, carnifices, & Chriſticidas futuros fuiſſe; paucos admodum, aut neminem ſalutem conſecuturum fuiſſe; ut diſertiſſimè ſimul & veriſſimè de crudeliſſimo Herode tyranno dixerit Auguſtinus: t *Ecce profanus hoſtis numquam beatis parvulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio.* Quod obſequium, & beneficium, nemo non damnatorum ſibi ardentiſſime exoptaret, quorum omnium vox illa Jobi. cap. 10. *utinam de utero tranſlatus ad tumulum.*

v Sed unus ſupereſt mulierculis puerperis, iſque graviſſimus ſcrupulus eximendus, quo novi quaſdam in deſperationem actas, quod parvulus ſine baptiſmo deceſſiſſet, eamque jacturam irremediabilibus lacrymis plorabant, innocentulum qui vix aut numquam lucem aſpexerat, æternis tenebris, & igni damnari, quodque ipſa gehennâ gravius ducunt, conſpectu Dei in æternum arceri. Quibus ut quid ſolidi ſolatii in hoc tanto luctu adhibeam, ex ipſis graviſſimis auctoribus, & Theologicis præceptis argumenta adducam. Ac primum quidē non exiſtimandum eſt parvulorum ſortem adeò miſerandā eſſe, ut pœnâ ignis, cum dæmonibus in æternum crucientur;

ſ Suetonius in Auguſto.

t Auguſt. Serm. 10. de Sanctis. v Solatia Matrum in morte parvulorum, qui ſine Baptiſmo moriuntur. Parvuli ſine baptiſmo morientes an careant pœnæ ſenſus?

ſed omni pœnâ ſenſus omnino liberos fore graviſſimorum Doctorum, & Sanctorum Patrum auctoritas evincit; quos inter Gregorius Nazian. orat. in ſanctum lavacrum de infantibus qui ſine baptiſmo moriuntur, ſic ait: x *nec Cœleſti gloria, nec ſuppliciis à juſto Judice afficiuntur.* Et S. Auguſtinus lib. 5. contra Julianum cap. 8. alias 11. y *non dico parvulos ſine Chriſti Baptiſmate morientes tanta pœna eſſe plectendos, ut eis non naſci potius expediret.* Atqui damnatis omnibus, qui ſenſibilibus pœnis torquendi ſunt, æque ac Judæ proditori, convenit pronuntiatum illud Chriſti: z *melius erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.* Nec minus diſerte paulò infra, leviſſimam eorum pœnam aſtruit, etſi ſe fateri neſciat quæ & qualis illa ſit. a *Quis*, inquit, *dubitaverit parvulos non baptizatos, in damnatione omnium leviſſima futuros, quæ, quibus, & quanta erit, quamvis definire non poſſim; non tamen audeo dicere quod eis ut nulli eſſent, quam ut ibi eſſent, potius expediret.* Quæ certè, ut obſervat Ambroſius Catharinus *b*, eximius Ordinis Dominicani Theologus, non ſtant cum crudeli ſententia: ſi enim pœna eorum ſit gehenna ignis, qua crucientur cum dæmonibus, jam ſatis conſtat quænam ſit, & qualis, quodque non leviſſima, ſed graviſſima, & atrociſſima ſit. Ex Scholaſticis, Doctorum Aquila Thomas Aquinas poſt varias objectiones, more ſuo ſic reſpondet: c *ſed contra eſt quod dicit Bernardus* (Serm. 3. de Reſurrect.) *quod ſola voluntas ardet in inferno, ſed originale peccatum, non eſt peccatum propriæ voluntatis; imò conſequitur ex voluntate aliena, ergo peccato originali non debetur pœna ſenſus*, quod confirmat ipſius ſummi Pontificis oraculo: *Innocentius III. in decretali, quod pœna ſenſus debetur pro peccato actuali, ſed originale peccatum non eſt actuale, ergo ei pœna ſenſus non debetur.* Tum in corpore ſic concludit: *dicendum quod communiter dicitur: peccato originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolum pœna damni, ſcilicet carentia viſionis divinæ, idque propter tria. &c.*

Et ad *primum*, quod objicitur de pœna combuſtionis, *dicendum*, inquit, *quod nomen tormenti, ſupplicii, gehennæ & cruciatus, vel ſi quid ſimile in dictis Sanctorum inveniatur, eſt largè accipiendum pro pœna, ut ſumatur ſpecies pro genere.* Unde alibi dicit: d *Carentia hujus viſionis eſt propria pœna, & ſola pœna originalis peccati poſt mortem.* Accedit Doctor Seraphicus in 2. diſt. 33. art. 3. q. 1. *parvuli decedentes in peccato originali, & non cum actuali crimine, nullam habebunt pœnam ſenſus in corpore, aut ſenſu exteriori.* Ita Scotus, Alexander Alenſis, Gabriel, Malderus &c.

Et adhuc ploratus, & ululatus matrum auditur, quaſi non ſint, quaſi melius illis foret non eſſe, quam æternis gehennæ ignibus cruciari? quibus ad ſolatium, unius Catharini argumenta proponenda ſunt, qui tractatu erudito & polito hunc ſtatum parvulorum pertractavit, & eminentiſſimo

x Gregor. Naz. orat. de S. lavacro. y Aug. lib 5 contra Iulian c 8. alias. 11. z Matt. 26. v. 24. a Aug cit. b Catharinus. opuſc. De ſtatu parvulorum ſine baptiſmo morientium. c S. Thom. de malo. quæſt. 5.

d S. Th. in 2. diſtinct. 33. quæſt. 2. art. 1.

tiſſimo Domino Nicolao Rodulpho Cardinali dedicavit, ubi ſic
„ diſſerit : *e* quod quidam in
„ Eccleſiis Prædicantes, imperitis
„ perſuadere conantur, ſcilicet
„ pueros abſque Sacramento de-
„ cedentes, igni æterno traden-
„ dos, qui paratus eſt diabolo, &
„ Angelis ejus. Hæc inquit, eo-
„ rum audacia me perpulit, ut
„ proprio libello plane oſtende-
„ rem hujuſmodi *tam crudele do-*
„ *gma*, non ſolum non elici de
„ ſcripturis Sanctis, ut jactitant;
„ verum etiam ex illis reprobari
„ quam maxime (ut diſerte o-
„ ſtendit) atque ipſam non fuiſ-
„ ſe perpetuam Auguſtini ſen-
„ tentiam, ut ſuprà demonſtra-
„ vimus; contra quam & aliæ
„ ipſius præclariſſimi Doctoris
„ veriores doctrinæ, & omnis
„ bonorum auctorum ſchola, de-
„ nique ipſa Pontificum Ro-
„ manorum traditio fortiſſime
„ militat.

His itaque tam evidentibus, & convincentibus rationibus, & argumentationibus, ut piæ matres acquieſcant parvulos ſuos pœna ignis æterni non torqueri, ſupereſt aculeum maxime ſenſibilem earum animis evellamus, de pœna damni, quam ducunt tormentum ipſa gehennâ longe acerbius, privari viſione Dei. Rem hanc enucleatius pertracto, quia multis non tempus, nec libri ſuppetunt. *f* Ad hoc ſciendum eſt, privationem proprie eſſe, ut Philoſophus docet, cum aliquid eo habitu caret, cujus eſt ſuſceptibile, & quem jam habuit, aut ſaltem innatum erat habere: ſic homo qui caret viſu, quem habuit, privatus dicitur viſu: Et ſi nunquam habuiſſet, etiam privatus diceretur, quia innatus erat habere illum. Catuli autem non dicuntur privati viſu ſtatim cum oriuntur, quia eo tempore nondum ſunt innati habere, neque edentulus infans cum naſcitur, quia non eſt tunc innatus habere dentes (nec mater plorat quod dentibus privatus) ſunt & quædam animalia, quæ in ſua ſpecie non ſunt innata habere viſum, ut talpæ, & quædam alia. Nunquid igitur & hæc dicemus, inquit Catharinus, privari viſu, & cœca eſſe? vix profectò; ſed quodammodo, ſcilicet propter genus ipſum animantium, quod innatum eſt univerſaliter habere viſum. Ergo in re propoſita, hos pueros quodammodo dicemus privari Regno, & quodammodo non, reſpectu nempe ſpeciei, quia erant homines, & ad illud ſaltem elevari poterant. At reſpectu ſuiipſorum, quia non erant innati in ſeipſis habere Regnum, non proprie, neque omnino verè dicuntur privati Regno, *g* *& ideo non dolebunt cum viderint, ſe carere illo, ad quod non ſunt unquam agnati cum cæteris*. Quare eleganter Innocentius III. cap. cum Marthæ. de celebrat. Miſſ. *non privationem vocavit hujuſmodi pœnam, ſed carentiam vitæ æternæ.* Quod ſimilitudine ad captum accommodata Doctor Angelicus pergit comprobare: *h* *ſciendum* inquit, *quod ex hoc quod caret aliquis eo quod ſuam proportionem excedit, non affligitur, ſi ſit re-*

e Catharin. cit. *f* Quæ in parvulis non baptizatis pœna damni. Catharin. cit.

g Idem. *h* S. Thom. in 2. ſentent. diſt. 33. quæſt. 2. art. 2. in corp.

ctæ rationis. Sicut nullus ſapiens homo affligitur de hoc quod non poteſt volare ſicut avis, vel quia non eſt Rex, vel Imperator, cum ſibi non ſit debitum.

Certe Filius civis, aut ruſtici, ſi interſit inaugurationi Regis, aut Imperatoris, non dolebit, aut affliget ſe, quod ipſe ad Regnum vocatus nõ ſit, niſi amens aut inſanus ſit, hoc etenim jus ſucceſſionis legitimis Regum filiis tanquam heredibus, propriè competit, atque adeo illo privari, & Regno excludi, tormenti genus foret graviſſimum. Conſimili ratione pœna damni, & privatio viſionis Dei iis ſupplicium ipſa gehenna atrocius eſt, qui per Baptiſmi gratiam filii Dei, & coheredes Regni Cœleſtis, ſuâ malitiâ tam felici ſorte exciderunt; At parvuli qui baptizati non ſunt, vident ſibi, ut filii bubulci, nullum jus aut hæreditatem in Regno Dei competere. *i Et ideo nihil omnino dolebunt de carentia viſionis divinæ, imò magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate, & perfectionibus naturalibus. Nec poteſt dici quod fuerunt proportionati ad vitam æternam conſequendam, quia potuerunt ab aliis baptizari, ſicut & multi pueri ejuſdem conditionis baptizati vitam æternam conſecuti ſunt. Hoc enim eſt ſuperexcellentis gratiæ, ut aliquis ſine actu proprio præmietur. Vnde defectus totus gratiæ, non magis triſtitiam cauſat in pueris decedentibus non baptizatis, quam in ſapientibus hoc, quod eis multæ gratiæ non fiunt, quæ in aliis ſimilibus factæ ſunt.* Hæc S. Thomas.

i S. Thom. cit.

k Denique matribus anxiis, ſcrupuloſis, & afflictis de parvulis ſuis non baptizatis, ſummo ſolatio eſſe poteſt, illos non ſolum à pœna ſenſus, & damni immunes eſſe, ſed inſuper beatitudine quadam naturali in omnem æternitatem gaudere, & perfrui: quia non erat conveniens, ut quidquam fraudaretur ſuo fine, id eſt illo, qui ei juxta naturam ſuam competit, idcirco *illa eos manebit felicitas*, quam homini dignum eſt competere, ut homo eſt: illa enim Cœleſtis vita, & beatitudo, naturæ humanæ conditionem longiſſime ſuperat. Ergo iſtis pueris, qui humanam naturam ſine crimine habebunt, illa quæ naturæ humanæ conveniens, & quodammodo ipſi jure debetur, felicitas dabitur: l *Noſcent ergo (quatenus naturalis cognitio ſe extendere poterit) Dominum Deum, & ſubſtantias ſeparatas longè ſuper omnes Philoſophos*: Non enim habebunt ullum impedimentum ex corpore, neque exterius: & in æternum viventes proficient quodammodo in immenſum. Probabile etiam mihi videtur, inquit Catharinus; quod cum non ſint futuri proprie exules à Regno Dei; ſed relegatis magis ſimiles, *non carebunt Angelicis revelationibus, & viſitationibus, etiam eorum qui ſunt in Cœlis* (V.G. parentum) qui ſic eos recreabunt, & ſolabuntur, ut præter divinæ viſionem Majeſtatis, nihil eis deeſſe ſentiamus. (Si enim in hac viſitatio Sanctorum quaſdam pias animas tanta lætitia, & mentis dulcedine complerit, ut Cœ-

k An parvuli morientes ſine Baptiſmo fruantur beatitudine naturali. l Catharin. cit.

lum

lum in terris habere viderentur, quidni quid ſimile parvulis illis accidat?

m Quis autem locus illis conveniat, mecum animo meditans, probabiliſſimum, inquit citatus auctor, judicavi, quod quidam dicunt, habitationem eorum fore ſuper terram, quia locus eſt proprius hominum: ubi contemplabuntur opera Dei; & hoc aſpexit forſitan qui dixit: n *Cœlum Cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum.* Et fortè hoc etiam quod dixit Apoſtolus: o *inſtaurata per Jeſum omnia, & quæ in Cœlis, & quæ in terra*, id eſt, quæ cœleſtem habitationem habebunt, & quæ terrenam. Eſt & alia ratio pro hoc non rejicienda, quam docti quidam induxerunt: quoniam cum terra hæc manſura ſit in æternum, & purgatior, & pulchrior, ſicut ſcriptum eſt: p *Et vidi Cœlum novum, & terram novam*, ſicut autem cœlum non modò pro cœlo ſumitur, ſine habitatore, ita nec terra. Et verò valde incongruum videtur, locum talem, & tantum, fore perpetuo vacuum ſine habitatore: & ſimiliter terrenos homines carere habitatione ſua propria; quæ eſt terra hæc: nam ſub terra manere tales, minus conveniens eorum conditioni videtur. Quod ſi nunc animæ tenentur limbo, ſicut olim SS. Patres detenti ſunt, qui locus ſubterraneus eſſe meritò creditur, hoc illi originali peccato datur interim, uſque ad diem magnæ Reſurrectionis: quando enim totum Chriſti corpus reſurrexerit, ſcilicet in Sanctis ſuis; tunc æquum erit & parvulos potiri perfectione ſua, nimirum juxta eorum naturalem conditionem. Hæc Catharinus, atque hæc ad dolorem matrum leniendū, quæ parvulos ante baptiſmū amiſerunt, dicta ſint ſatis.

Sic tamen hæc dicta velim, ut nihil Eccleſiæ ſenſui repugnet, nec inde matres anſam ſumant, ut parvulos ſuos negligant, & viſione Dei, in qua vera & ſumma beatit[illegible]o eſt, ſua incuria, luxuria, licentia, in æternum priventur, dum ut alibi diximus, ſaltando, laſciviendo, paſſionibus indulgendo, abortum faciunt, aut fœtum luci datum, propinquos, aut amicos, patrinos magnates expectando, ſine baptiſmo, quo parvuli hæredes Regni fiunt, non ſine graviſſimo mortali peccato, mori ſinunt. Illæ vero quarum per baptiſmum renatos Cœlum ſibi rapuit, nulla conſolatione: ſed potius congratulatione dignæ ſunt.

Mittat itaque mater lacrymas & planctus, Deum laudet, & glorificet, ſuoque parvulo gratuletur, qui in baptiſmatis fonte, originali macula expiatus, gratia donatus, heres factus eſt Regni Cœlorum, & inter Angelorum choros, beatiſſimo Dei aſpectu fruitur; ne ſuis vanis & inſanis lacrymis parvulo ſuo non modò non proſit, ſed graviſſime adverſetur.

Quis hoc crederet? niſi graviſſimus Cantipratanus id edoceret, qui refert *q* filium mortuum apparuiſſe matri, qui vas aquæ plenū portabat, dicens: hoc vas eſſe plenū lacrymis inordinatis maternis, quæ impedirent aditum ad

m Quis locus parvulorum poſt diem Iudicii. n Pſal. 113. v. 16. o ad Epheſ. 1. v. 10. p Apoc. cap. 21. v. 1.

q Cantipratanus lib. 2. apum. c. 15.

ad Patriam Cœleſtem. Qua viſione mota mater, ad Eleemoſynas, & ſacrificia confugit. Hoc Chryſoſtomus docet hom. 61. in Ioan. r Honor mortui non fletus eſt, & ejulatus, ſed hymni, & Pſalmi (de profundis, miſerere) & vita optima. Ille moriens in Cœlum evolabit, etſi nemo exequiis interveniat, etſi nulla comitantium pompa, & campanarum ſtrepitu, memoria eorum pereat cum ſonitu.

Ac tandem pro concluſione, iterum iterumque monebo, ut omnis mater memori hæc mente reponat, filium ſe genuiſſe, qui ea conditione natus eſt, ut numquam veniali, nedum mortali injuria in Deum peccaturus, & mille periculis æternæ damnationis ereptus ſit. Quæ omni animæ, divinam bonitatem amanti, uberrima gaudendi, & exultandi materia eſt: ſ *quia placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores tranſlatus eſt, raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*; ſed in æternum ſummo bono, & deliciis cœleſtibus perfrueretur.

r Chryſoſt. hom. 61. in Ioan.

ſ Sap. 4. v. 10. & 11.

FE-

FESTUM
S. JOANNIS BAPTISTÆ, PRÆCURSORIS DOMINI.

Ecce iſte venit SALIENS. Cant. 2. v. 8.



Dat in aëre SALTUS Ovid, 2. metam.

ARGUMENTUM.

INſolens & inauditum, è ſacro ſuggeſtu argumentum tractaturus videor, ſi vos omnes, viros, mulie-

res, adoleſcentes, adoleſcentulas; imò & Religioſos ac Sanctimoniales, ad ſaltus, & choreas invitare & excitare conatus fuero. Id tamen quiſque mirari, & cavillari deſinet, ubi Chriſtum & Joannem, velut capreas, hinnulóſque cervorum, in montibus ſalientes induxero: ubi ſaltus non leves, ſed graves: non inſulſos & petulcos; ſed ſanctos ac ſalubres exhibuero, quibus è taberna in templum, de proſtibulo in Religioſum clauſtrum, de cœno in cœlum, de inferno in Paradiſum ſalire liceat: eſt etenim ſanCtorVM ſaLtVs aD sVperos. Tum inſanos illos ſaltus, & laſcivas choreas, exemplo Herodiadis ſaltantis, aliorúmque tragico exitu, inſectabor; quibus urbe & orbe proſcriptis, ubi ſaltus ille ultimus, iſque difficillimus, quo animus è corpore ſalierit, peragendus erit, in nuptiis Agni choreas ducere valeatis.

§. I. *Ecce iſte venit* SALIENS *in montibus*. Cant. 2. verſ 8.

§. II. EXULTAVIT *infans in utero*. Luc. 1. v. 41.

§. III. *Quæ & quanta in laſcivis choreis flagitia, in ſaltatrice patet Herodiade, de qua Ambroſius:* QUANTA IN UNO FACINORE CRIMINA?

§. IV. *Paræneſis, ut ubi anima è corpore ſalierit, in nuptiis Agni cœleſtes choreas ducere queat.*

FE-

FESTUM

S. JOANNIS BAPTISTÆ, PRÆCURSORIS DOMINI.

Ecce iſte venit SALIENS. Cant. 2. v. 8.

SI hac amœniſſima anni tempeſtate, urbe tantiſper relictâ, exire in agros, commorari in villis placeat, occurrent continuo ſua oculis & animis oblectamenta, pratorum viriditas, agrorum fertilitas, proceritas arborum: ſuſpicimus cum jucunditate elatos montes: deſpicimus voluptate non minori depreſſas valles: & cum omnia amœna facie rideant, ſpecie ſuâ placeant, & delectent; tum jucundum maximè humanis oculis præbent ſpectaculum ſubſultantes in pratis agni, ſalientes in montibus capreæ, hinnulique cervorum. Quod ſi rerum omnium Conditori placeat divinos oculos in terram defigere, profectò nullum toto orbe jucundius ſpectaculum, quam dilectum ſuum filium, & amantiſſimum prodromum Joannem, ceu capreas, hinnulóſque cervorum in montibus ſalientes contemplabitur. Nec minus ad hunc optatiſſimum conſpectum, dilecti Sponſa anhelavit, & exultavit: quémque tot votis, & ſuſpiriis vocarat, properantem per montana videns, exclamat: t *Ecce iſte venit ſaliens in montibus*, TRANSILIENS *colles: ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque cervorum.* Quare nemo quiſquam mirabitur, ſi hodiernâ luce, Joannem ſaltantem in utero, ſalientem ex utero in mundum, ex mundo in cœlum tranſilientem induxero, ubi prius Salvatorem mundi, è cœlo in uterum, ex utero in mundum, & inde in cœlum, divino quodam ſaltu ſaliiſſe, Scripturarum oraculis, & ſanctorum Patrum teſtimoniis comprobavero.

§. I.

Ecce iſte venit SALIENS *in montibus*. Cant. 2. vers. 8.

v MIros, ac myſticos filii Dei ſaltus, ſuper montes, & colles, attentius juvat contemplari, quoties in libro generationis audis decantari: x *Abraham genuit Iſaac; Iſaac autem genuit Iacob &c.*

v De divinis ſaltibus, & diabolicis tripudiis. x Matth I.

Sic

Sic etenim Bernardus : y *Ecce venit hic* SALIENS *in montibus*, TRANSILIENS *colles; montes & colles Patriarchas, & prophetas accipe, & quemadmodum venerit* SALIENS, *in libro generationis lege : Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob &c. Ex his montibus prodiit*, per hos ſaliendo, & exultando, ad nos venit. Saliebat quidem in montibus populi Hebræi, id eſt, in Patriarchis, Regibus, & Prophetis, quibus promiſſio ſpecialis Meſſiæ facta eſt, ex quorum genere naſciturus erat; ſaliebat de uno monte in alium, ex Abraham in Iſaac, ex Iſaac in Jacob, ex Jacob in Davidem, Salomonem, & reliquos progenitores; tranſiliebat autem colles, id eſt, Magnates, & Principes populi gentilis, idololatriæ deditı; unde non ſine myſterio D. Matthæus cùm pervenit ad Joram, z tranſiliit tres Reges ab illo deſcendentes in vindictam idololatriæ ſui parentis, qui genere ethnico, impiæ Jezabeli ſe miſcuerant; idipſum obſervat Hieronymus : indigni fuerunt, inquit, qui in ordine progenitorum Chriſti ponerentur. Sed quoniam Deus gentes non reſpuit, ſi idololatria relicta, ad fidem convertantur, voluit in eo ordine Raab, & Ruth alienigenas, ſed fideles collocari. Permiſit etiam aliquos ex his montibus, ſuper quos ſaliebat, graviſſimis peccatis fœdari, ut ſciremus quod peccatores non reſpueret, qui pro peccatoribus naſcebatur; dum tamen ad illum converterentur, alioquin parum illis adventus Chriſti prodeſſet, uti parum profuit Joram, Achaz, aliiſque Regibus iniquis, progenitores fuiſſe Meſſiæ : quia cùm ipſi perierint, non ſibi, ſed nobis genuerunt Salvatorem. Sic etiam parum proderit ſceleratis parentibus liberos, nepotes, Religioſos, & Sanctos genuiſſe. Uti nec iniquis Prælatis, ac concionatoribus, in Chriſto plurimos genuiſſe.

Alibi idem Doctor, montes, & colles ſublimes, illas cœlorum intelligentias, & divinos Spiritus interpretatur, quos tranſiliendo in terras deſcendit : a *Illi* (inquit cœleſtes Spiritus) *ſunt montes, atque colles, in quibus Eccleſia vidit cœleſtem Sponſum mira alacritate* SALIENTEM, *cùm ad ſuos properaret amplexus : nec modo* SALIENTEM, *ſed &* TRANSILIENTEM *eos. Vis tibi hos* SALTUS *ex litteris Prophetarum, Apoſtolorúmque demonſtrem? dicit de illo David :* b *quia poſuit in ſole tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus.* EN QUANTUM SALTUM *dedit, à ſummo cœlo ad terras. Sane non invenio alibi, ubi in ſole poſuerit tabernaculum ſuum, id eſt, in luce, & in manifeſto ſuam dignatus ſit exhibere præſentiam, ipſe lucis inacceſſibilis habitator, niſi utique in terris*, dum in carne viſibilis apparuit; quæ ubi enarravit, ſic proſequitur: SALIIT *ergo in montibus, id eſt, in illis ſupremis ſpiritibus, cùm ad eos uſque deſcendit, ſacramentum à ſæculis abſconditum, & magnum pietatis myſterium eis dignanter aperiens; ſed* TRANSILIENS *hos ſuperiores,*

y Bernard. Serm. 1. de Adventu Dom.
z Matth. 1. Cùm dixit Ioram genuit Oziam, prætermiſſi ſunt Ochozias, Ioas, Amazias.

a Bern. Serm. 53. in Cant. b Pſal. 18.

periores, atque eminentiores montes, Cherubim ſcilicet, atque Seraphim, nec non Dominationes, Principatus, & Poteſtates, virtutéſque: etiam uſque ad inferiorem ordinem Angelorum deſcendere, tanquam ad colles dignatus eſt; ſed numquid vel in illis remanſit? TRANSILIIT *& colles: non enim Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, quod utique Angelis inferius eſt.* Hos ubi montes, & colles tranſiliit, *en* QUANTUM SALTUM *dedit, à ſummo cœlo ad terras,* in Virginis uterum. TRANSILIIT *Gabriel, & pervenit ad Virginem.* c *Qui*? *quem modo reliquiſti in cœlo, nunc in utero reperis? quonam modo? volavit, & prævolavit ſuper pennas ventorum. Victus es, ô Archangele,* TRANSILIT *te, qui præmiſit te. Qui* SALIT, *de loco ad locum vadit, quod non cadit in Deū* (qui ſemper ubique eſt) *ergo in montibus, id eſt, in Angelis* SALIEBAT, *qui in ſe non poterat. Et* SALIEBAT *uſque ad colles, id eſt, Patriarchas, & Prophetas, cæteroſque ſpirituales viros de terra Sed* TRANSILIEBAT *& colles, cùm non ſolum magnis, & ſpiritualibus viris, ſed & aliquibus de populo etiam, & nonnullis mulieribus æquè in Angelis loqui, & apparere dignatus eſt.* Paucis illud hic ad mores expendamus: *Qui ſalit, de loco ad locum vadit*; quibus verbis, non leves, ſed graves; non inſulſi & petulci, ſed ſancti, & ſalubres ſaltus mihi exhiberi videntur. Si tu unum ſaltum facias, *d* & SALIAS *de loco ad locum,* de taberna in templum, de proſtibulo in Religioſum clauſtrum, de cœno in cœlum, de inferno in Paradiſum, hoc enimverò eſt *exultare*: quod Hugo exponit, *extra ſaltare*, exemplo Joannis (ut mox dicemus) qui generoſo ſaltu, ex paterna domo, è deliciis, & divitiis ſæculi, in eremum, in deſertum proſiliit.

Æmulemur S. Eliſabetham Thuringiæ Principem, & Regis Hungariæ filiam, *e* quæ cùm ſemel choreis, quas bonâ parentum veniâ vitare non poterat, interfuiſſet, ſatis eſſe dicebat: uno ſe gyro, mundi amatoribus geſſiſſe morem, quo deinceps Chriſti amore, uno ſaltu ſeſe expedivit. Hanc choragam tot nobiles, & nubiles filiæ, de mundo in clauſtrum, ex aula in cellam, è cella in cœlum ſalientes, ſecutæ ſunt; quas inter venerabilis Mater Anna de S. Bartholomæo, *f* quæ cùm ſub Bacchanalia choreis, licet invita, intereſſet, in ictu oculi exhibuit ſe *ſpecioſus formâ præ filiis hominum*; quo viſo, illa Euro ocyus, ex omnium oculis evolavit, & è mundi gyro, in Thereſianum ſeptum uno ſaltu ſe recepit. Optandum ut & tu

Terwijl den bas hier ronckt,
Met eene Cabriol uyt d'ydel Wereldt
ſpronckt.

Ita innumeros juvenes, genere, ingenio, & opibus florentes, indies è cella vinaria, in cellam Religioſam, de loco in locum ſalire cernimus. Quantò hi ſaltus ſanctiores, ac ſalubriores, quàm quos Bernardus exaggerat, deplorans eos, qui ad pravos mores reſiliant, & è clauſtro ad ſæculum: g *Præſumitur,* inquit, ILLE SALTUS *de excelſo in abyſſum: de pavimento in ſterquilinium: de ſolio in cloacam: de cœlo in cœnum: de clauſtro in ſæculum: de Paradiſo in infernum.*

c Bern. Serm. 54. in Cant. d Saltus morales.

e Hiſtoria Seraphica, pag. 566. f In vita. g Bern. Serm. 63. in Cant.

ternum. Ut hiſce tam infeſtis choreis, & infauſtis ſaltibus occurreret, coram Patre cœleſti deſcribitur Filius Dei ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, quod Philo exponit: h *Choreas ducens in orbe terrarum*; venit intra matris uterum, ſaliens ſuper montes, & colles illius Regionis; ſed perveniens in domum Zachariæ, cœpit ſpiritualiter ſalire in montibus ſibi dilectis, ex uno in alterum mirabiles ſuis ſaltibus perficiens effectus: nam per Virginis ſalutationem, ſaliit in Joannem, ut illum ſanctificaret, & jubilis ſalire faceret. Ex Joanne ſaliit in Eliſabeth, ut Spiritu Sancto eam repleret, & Virginem, Dei Matrem agnoſceret. Rurſus reſiliit in beatiſſimam Virginem, novo jubilo replens eam, ut exultaret in Deo ſalutari ſuo, qui magna in illa operatus fuerat. Tandem ſaliit in Zachariam, os mutum ejus aperiens, ut etiam Spiritu Sancto repletus, mira de utroque infante prædicaret. O felices quatuor montes, in quibus Chriſti ros, & gratiæ cœleſtis pluvia deſcendit.

Cæterum, ſaliens in iis montibus, tranſiliit colles, quia Proceres Judæorum reliquit, quibus tanti myſterii notitiam tunc declarare noluit. Non incongrue Ambroſius, homines meritis ac virtutibus ſublimes, longè à terrenis ſemotos, montibus in quibus Chriſtus ſalit, conferre non dubitavit: i *Utinam*, inquit, *ego miſer dicam, & dicat anima mea: ecce iſte advenit non ſuper terrena, non ſuper valles; ſed advenit* SALIENS *ſuper montes: Deus enim montium eſt, non vallium. Ubi ergo* SALIT? *ſuper montes* SALIT; SALIT *ſuper Iſaiam, & Ieremiam:* SALIT *ſuper Petrum, Iacobum, & Ioannem: nam montes in circuitu ejus; ſi non potes mons eſſe, eſto vel collis, ut ſuper te Chriſtus aſcendat. Et ſi tranſiliit, ita tranſiliat, ut te tranſitus ejus umbra cuſtodiat.*

Si vis ergo mons eſſe, in quo Chriſtus ſaliat, exhibe te *montem myrrhæ, & thuris*: quia ut Doctor Aſceticus exponit, k ſpeciali quadam ratione, „ Chriſtus toto ſuæ „ peregrinationis tempore ſaliit, „ in *montibus myrrhæ*, id eſt, acer- „ biſſimæ mortificationis, & ab- „ negationis propriæ: & in *colli-* „ *bus thuris*, hoc eſt, ſublimis ora- „ tionis, ut doceret nos, in hoc „ duplici monte & colle, ſemper „ nobis eſſe ſaliendum, ſi ad ver- „ ticem ſanctitatis aſcendere ve- „ limus: univerſa enim Euange- „ lica perfectio non obtinetur, niſi in *colle thuris* per orationem, & fontes lacrymarum ad cœlum uſque ſaliendo: & in *monte myrrhæ*, per fortem abnegationem, terrenis omnibus, ac carnalibus affectibus conculcatis, ad ſublimia tendendo. Myſteria quædam in ipſis montibus deſignantur: in uno enim monte orabat, in alio docebat, in uno eſt transfiguratus, in altero crucifixus, ex alio aſcendit in cœlos, quaſi de uno in alium tranſiliens, ut per omnes nos tranſiliret.

In monte thuris per exuberantem animi lætitiam, & mentis ecſtaſim, nonnulli Sancti è terra in cœlum ſalierunt, nec ſe continere potuêre, quin & corporis pedes ad feſtivos ſaltus move-

h Philo in lib. quod Deus immut. de Ponte in Cant. pag. 1080. i Ambroſ. Serm. 6. in Pſalm. 11.

k Ludov. de Ponte in Cant. l. 5. exhort. 4. pag. 1087.

rent.

rent. Sic *l* Nicol. Factorius, Ord. Seraphici venerandus ſenex, in ſumma vitæ auſteritate, tantis cœleſtis voluptatis deliciis diffluebat, ut nocte concubiâ ligneis ſoleis poſitis, ne ſtrepitum exciret, ante aram ſaltare deprehenſus ſit, choraula charitate. Conſimile quid Annales noſtri referunt de *m* Carolo à Lotharingia, qui abdicato Verdunenſi Epiſcopatu, & dimiſſis octoginta millium annuis redditibus, in Societatem adlectus, veſtem exoſculari, & in cubili ſaltitare viſus eſt. Tales in monte Thuris magnæ animæ ſaltus faciunt. Ad quos invitat Richardus Victorinus in illud Pſalmi: *Montes exultaverunt.* Ubi ſic diſſerit: *n Spirituales, non corporales* SALTUS *in hac Prophetæ ſententia quæramus, quales decebat Spiritum Sanctum docere.* CORPORALIS SALTUS *eſt totum corpus à terra ſuſpendere;* SPIRITUALIS SALTUS *eſt Spiritum, & totum quod Spiritus eſt, à terrenis abalienare.* CORPORALIS SALTUS *eſt terræ tactum uſquequaque deſerere, & totius corporis membra per inane librare.* SPIRITUALIS SALTUS *eſt mente excedere, & infimis in imo relictis, in inviſibilium contemplationem totum tranſire, & in cordis tripudio, quoſdam quaſi* SALTUS *in ſuperna, & æterna miris modis, & multis inexpertis dare.*

Aſt invenire eſt, qui *in colle Thuris*, orationi, meditationi intenti, exoticos, & inſanos ſaltus faciunt, mentes prorſus inquietæ, quæ de calcaria in carbonariam, nunc animo in cœlos cum Paulo tranſiliunt, mox in culinam, quid oleris in prandio paretur: nunc in montem Calvariæ, inde in cellam vinariam ſaltus faciunt. Excelſus profectò mons, & toto vertice ſupra terras, ſupra nubes Claravallenſis Abbas exſtitit, qui cùm ſe præ ſublimi humilitate inter montes Domini numerare non audeat, nos potiori jure, & verius ejus verba promamus: *o Heu omnes montes in circuitu meo viſitat Dominus, ad me autem non appropinquat: nam collis non ſum, ex his quos* TRANSILIT *Dominus Sponſus* (ſed alios omnes fratres ſuos, ut montes ſuſpicit) *nam alium quidem intueor ſingularis abſtinentiæ; alium verò patientiæ admirandæ: alium autem ſummæ humilitatis, & manſuetudinis; alium multæ miſericordiæ, & pietatis: illum in contemplatione frequenter excedere: hunc pulſare, & penetrare cœlos, orationum inſtantia, alioſque in aliis præeminere virtutibus. Hos inquam conſidero omnes ferventes, omnes devotos, omnes in Chriſto unanimes, omnes donis cœleſtibus, & gratia affluentes, tanquam ſpirituales revera* MONTES, *qui à Domino viſitantur, & Sponſum* IN SE SALIENTEM *frequenter recipiunt. Ego autem qui horum in me invenio nihil, quid me aliud putem, quam unum de montibus Gelboe, quem præterit in ira, & indignatione ſua, ille cæterorum omnium benigniſſimus viſitator? filioli hæc cogitatio tollit extollentiam oculorum, conciliat gratiam,* SPONSI SALTIBUS PRÆPARAT.

Vos adoleſcentes vagi, vos filiæ vanæ, attendite montes in circuitu veſtro, illum adoleſcentem.

l P. Ioan. Rho, variæ virtut. hiſt. lib. 1. c. 19. pag. 128. m Idem pag. 133. n Richard. Victorin. part. 2. in Pſalm. 113.

o Bern. in Cant. Serm. 54. Iſte venit ſaliens.

tem genere nobilem, ſpretis mundi honoribus, in Religioſo clauſtro *ſingularis abſtinentiæ*: puellam illam formâ præſtantem, omnibus naturæ dotibus excultam, mille petitam procis, ſpretis mundi & carnis illecebris, corpus ciliciis macerantem, flagellis domantem, inter omnia adverſa *patientiæ admirandæ*. Aliam virginem Deo devotam, *ſummæ humilitatis, & manſuetudinis, miſericordiæ, & pietatis*. Tu autem, *ſi non potes mons eſſe, eſto collis*, ut loquitur Bernardus *p*, hoc eſt, aliquo uſque è terrenis ad cœleſtia conſcende, & illos montes adæquare contende; ut & ſuper *te Sponſus ſaliat*; quandoque enim *ad hoc* SALIT, *ut tranſiliat, qui non vult ad omnes pertingere: neque enim in omnibus eſt beneplacitum Deo. Obſervemus Sponſi diſcretos, & circumſpectos* SALTUS, *quemadmodum videlicet tam apud Angelos, quam apud nos, &* IN HUMILES SALIAT, *& ſuperbos* TRANSILIAT; cave ne per extollentiam oculorum & pompam, morum arrogantiam, vitæ ſuperbiam, te Sponſus tranſiliat. Quid? quod per omnem vitam Chriſtus ſaliendo de monte in montem, de una civitate in alteram, divinos quoſdam ſaltus fecit: *Ecce iſte venit* SALIENS, q *Sponſum loquitur, qui profectò tunc in montibus ſaliit, cùm miſſus à Patre ad Evangelizandum pauperibus*, dum tranſiit benefaciendo, & ſanando omnes. Denique, ne hic longior ſim, compendio omnia complexus Gregorius, ſic ait: r *Ecce iſte venit* SALIENS *in montibus; veniendo quippe ad redemptionem noſtram, quoſdam ut ita dicam* SALTUS *dedit. Vultis ipſos ejus* SALTUS *agnoſcere? de cœlo venit in uterum; de utero venit in præſepe; de præſepi in crucem; de cruce venit in ſepulchrum; de ſepulchro rediit in cœlum.* Nunc Joannem propè paſſibus æquis ſalientem ſpectemus.

p Bernard. Serm. 54. in Cant. q Ibid. r Gregor. in Marc. c. 16. hom. 29. & in Pſ. 118 Serm. 6.

§. II.

EXULTAVIT *infans in utero* ſ. Luc. cap. 1. v. 41.

t DAvidem ſaltantem, Michol levitatis, imò ſcurrilitatis palam inſimulavit: *Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit Regem David* SUBSILIENTEM, ATQUE SALTANTEM *coram Domino, & deſpexit eum in corde ſuo, & egreſſa in occurſum David ait: quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris*, cum ſaltus hic myſteriis plenus, planè divinus, & Rege Iſrael digniſſimus fuerit. Arcanum hoc exponit Ambroſius: v *David Rex pariter, & Propheta, ante arcam* SALTASSE *dicitur: elatus enim gaudio,* IN SALTATIONEM *prorupit: prævidebat enim in ſpiritu, per Mariam de germine ſuo Eccleſiam, Chriſti thalamo ſociandam.* At potiori jure Præcurſor Domini, ante arcam virgineam, quæ non manna, ſed DEI Filium claudebat, ſaltavit: EXULTAVIT *infans in utero.* HOC mirum, quod grandævum Regem, parvulus ſuis ſaltibus nondum natus, æquavit; fallor, ſupe-

ſ Saltus S Ioannis. t 2 Reg. 6.
v Ambroſ. Serm. 16 ante Octavam Epiphaniæ, ad Catechumenos.

ſuperavit. Ante nobiliorem arcam, non in obſequium exultat, ſed ad miraculum. O inauditam novitatem! ô ſtupendum prodigium! ô pulcherrimum, & mundi theatro hactenus inuſitatum ſpectaculum! parvuli materno utero clauſi, invicem ſe ſalutant, alter alteri colludunt, non ſicut Iſmael cum Iſaaco, non ſicut Jacob & Eſau, qui in utero collidebantur, ſed ut hic ſanctitatem conferat, alter ſalutis auctorem agnoſcat. Abrahamo quidem ingens beneficium collatum, cùm de illo dicitur: x *Abraham* EXULTAVIT *ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt*; ſed hæc in figuris illi contingebant; exultabat rei futuræ ſpe; Joannes præſentis Salvatoris re: & quod voce nondum valuit, geſtiendo, & exultando declaravit, ac prodigioſo tripudio faciem ad JESUM in utero Virginis obvertit.

Alii apud Salmeronem graves Auctores tradunt, y Mariam in complexu Eliſabeth conſpexiſſe Joannem genuflexum, ante Chriſtum; atque hi divini infantes ſe mutuò reſpexêre, & Chriſtus velut in ſolio conſidens, alteri benedictionem impertivit, & ſanctitatem contulit, & peccati noctem diſcuſſit. Ubi non abſimile quid accidiſſe mihi videtur, quod populis Septentrionalibus, qui ſub polo degunt, & ſex integros menſes in tenebris verſantur, atque hac longa nocte tranſacta, ubi ſol primum illuceſcit, ſuiſque radiis totum eorum hemiſphærium colluſtrat, omnes incredibili gaudio exultant, ac cantibus ludis, tripudiis illum optatiſſimum diem concelebrant. Haud aliter Joannes per ſex menſes horrendis noxæ originalis tenebris involutus, ubi ſol juſtitiæ illuxit, & gratiæ ſuæ radios diffudit, Joannes incredibili gaudio geſtiit, & exultavit ſuperis pleno choragio plaudentibus; eodem tempore, tanto gratiæ, aliorúmque donorum cœleſtium faſtigio, intra materni uteri clauſtra coronatus, ut nullus hominum illo major, ipſius veritatis teſtimonio, cœlum intraverit: eâdem divinâ apotheoſi Joannes tripudians in hominum maximum, in Superûm Primatem, in Gigantem ſanctitatis extollitur. Magni titulum, quem alii poſt orbem domitum, ipſe naſcens accepit, & jure: quia non inquilinus, ſed triumphator mundum intravit; ne terrenis adhæreſcere videretur, vitam à ſaltibus orditur, & unico ſaltu cœlum, atque aſtra tranſcendit, fortunatiſſimis initiis, cùm in ipſis carceribus beatus curſor, felicitatis metam inveniat.

In ſaltibus, & tripudiis primum neceſſe, quis à terra in altum ſe efferat; ſic non corpore, ſed mente, & ſpiritu exultare juvat. Alterum eſt, ut quis apte, & concinnè tripudiet, opus eſſe, ut omnes motus corporis, ad ſonitum citharæ, & fidium, libret, ac attemperet. Quod ſi & vos choreas cœleſtes, & grata in conſpectu Domini tripudia exercere velitis, curandum eſt, ut omnia opera fidei ſono conformentur, quod propriè eſt EXULTARE *in Domino*. Hos pios ac divinos ſaltus, Mediolanenſis Antiſtes probat, & cōmendat: z *Da-*

x Ioan. 8 v. 56. y Palavicino in vita Deiparæ, p. 398. Salmeron Tō. 3. Tract. 10.

z Ambroſ. lib. 6 in Lucam, cap. 7.

vid

vid, inquit, *ante Arcam non pro laſcivia, ſed pro Religione* SALTAVIT. Quod hiſce verbis mirificè extollit Gregorius: a *Quid de ejus factis ab aliis ſentiatur, ignoro: ego David plus* SALTANTEM *ſtupeo, quàm pugnantem.* Et ego S. Patrem Ignatium, *plus* SALTANTEM *ſtupeo*, quàm dæmonia expugnantem. *b* Juſſus vir ſanctus privatim ſaltare more Cantabrico, ſuo ſaltu reduxit ab amentiâ ad ſanam mentem Ortizium, Legatum Regis Hiſpaniæ, in monte Caſſinate delirare incipientem in primâ hebdomada Exercitiorum, quæ ei dabat S. Pater noſter. Hoc eſt ſancte, & ſalubriter ſaltare.

Mediolanenſis præſul, Paulum quoque divinè ſaltantem inducit, elucidans illa divina verba: c *cantavimus vobis*, ET NON SALTASTIS. Ubi ait: *d non iſta deliciarum comes, atque luxuriæ* SALTATIO *prædicatur; ſed quod unuſquiſque corpus attollat impigrum, nec humi pigra jacere membra, vel tardis ſinat torpere veſtigiis:* SALTABAT *ſpiritualiter* PAULUS, *cum ſe pro nobis extenderet, & poſteriora obliviſcens, priora appetens, contenderet ad bravium Chriſti. Tu quoque manus elevare, pedes quibus ad æternam vitam conſcendas, velociores habere admoneris. Hæc* SALTATIO *fidei ſocia, gratiæ comes.* Ac tandem proſequitur, dicens: e *docuit nos ſcriptura* SALTARE SAPIENTER, *dicente Domino* (*juxta* 70) *ad Ezechielem*: f *plaude manu, & percute, ſeu obſtrepe pede: neque enim hiſtrionicos flexu corporis motus, Deus morum Cenſor exigeret, aut indecoros ſtrepitus viris, plauſuſque fœmineos imperaret, ut tantum Prophetam deduceret ad ludibria ſcenicorum, & mollia fœminarum.* Tum quos ſaltus Deus requirat, exponit: *Eſt quidam proprius bonorum actuum, factorumque plauſus, cujus ſonus in orbem exeat, & bene geſtorum reſultet gloria*: EST HONESTA SALTATIO, *qua* TRIPUDIAT *animus, & bonis operibus corpus elevatur.* In hos ſaltus, quod Judæi non eruperint, à Chriſto Domino arguũtur: g *cantavimus*, inquit, *vobis, &* NON SALTATIS; hoc eſt, ut ſuaviſſimus Doctor interpretatur: h *Annuntiamus vobis Regni Cœleſtis gaudium, & minimè corda veſtra motu quodam alacritatis* EXULTANT; nec ad divinæ fidei ſonum, membra, menteſque ſuas moverunt.

Scriptura Sacra, non incongruè, citharæ comparatur, cujus fidibus tot Sancti Patres, tot divini interpretes, tot Sacri oratores, vobis, ô hæretici, cantârunt, & *non ſaltaſtis*. Vobis, ô peccatores, adhuc indies cantant, & *non ſaltatis*. Qualiter autem ſaltare debeatis, non ex me, ſed magno Ambroſio diſcite: † SALTATIONEM, inquit, *à nobis requirit Dominus; non utique ſinnoſi volubilitatem corporis, ſed extollentis ſe fide i Sanctitatem. Sicut enim qui corporaliter* SALTAT, *nunc in aere ſuſpenditur, nunc ad altiora jactatur, nunc* ALTERNIS SALTIBUS *loca diverſa colluſtrat; ita & qui* SPIRITUALITER SALTAT, *interveniente fide, modò in aeris ſublimitatem erigitur, modò ad ſiderum altiora tollitur, modò diverſis cogitationum* SALTIBUS, *Paradiſum, cœlumque colluſtrat.*

Sed ad *Joannem* revertamur, quem

a Greg. lib. 27. moral. c. 26. b Lancicius opuſc. 19 n 51. pag. 639. c Luc 7. v. 32. d Ambr l. 2. de pœnit. c. 6.
e Amb. l. 6. in Luc. c. 7. f Ezech. 6. v. 11.
g Luc. 7. v. 32. h Amb. Serm. 80.
† Amb. ſup. cit.

quem priuſquam in Cœlum ſalientem videamus, juvat leviculam, & laſcivam *ſaltatricem*, quæ *Ioanni* pedem movit, inducere. A pio ſaltu Joannes vitam inchoavit, qui accepturus erat ab impiis ſaltibus mortem, ut mors ſanctiſſima, beatiſſimæ vitæ reſpondeat. Joannes *i* pellitus, populorum Pater, & Regum cenſor, Apoſtolum cum Propheta conjungens, novus Elias, Herodis aulam ingreditur, de impietate cum Achabo certantis, ut poſt tinctos ſalutari luſtratione populos, Regis inceſtas maculas, novo ex oculis Jordane fluente, ſuis lacrymis ſi poſſet, elueret. Non clamavit tantum *Verbi* vox, ſed tonuit, & imminens de cœlo, coronato capiti (in quo tot vitia regnabant) fulmen indicavit. Vidit, quod numquam contigerat, Herodiana Aula, Herodem Herodi pingi, exprimique totum coloribus ſuis. Sed Magnus Baptiſta in teterrimo Herode, vitiis inquinatiſſimo, quem nec toto Jordane emaculaſſet, Æthiopem lavit.

Viſum eſt Regi capitale piaculum, illud dictum Dei nomine: *non licet*; quaſi liceat ſemper Regibus, quidquid libet. Quam pauci jam Joannes Baptiſtæ, quam rara hæc vox Paſtoris, Concionatoris, Confeſſarii perſonat: *non licet*, quibus ex officio incumbit. liberè edicere, & admonere: *non licet* tibi, conjugate, detinere in domo talem pediſſequam, talem ancillam: non licet tibi, adoleſcens, tale conſortium, tales ædes frequentare: *non licet tibi* filia, ſoli, cum ſolo, clauſo cubili agere, foras evagari, nocturnas choreas ducere: *non licet tibi* Ampliſſime Domine, munera admittere, jus viduarum, & pupillorum pervertere: *non licet tibi*, nobiliſſime Domine, libros obſcœnos, nudas tabulas habere. &c. Purpurata pellex Herodias, libidine ſuâ, omnium incentrix ſcelerum, totius Regni Erinnys, facem furialem admovit, faciléq; perſuaſit, ut liberam vocem, quę commune nefas inſectabatur, carceri damnaret, vinculiſque adſtringeret. Scelera cumulantur ſceleribus, & adultero matris proco, filia procax ſaltu lenocinatur, ſiquidem non ſuo nomine, ſed matris agat imperio, in ſuorum ſaltuum prę mium, ut emphaticè Mediolanenſis Antiſtes: k *præmium* SALTATRICIS, *mors eſt Prophetæ.* Mediam Regni partem exhibenti Herodi, Joannem impudentiſſimâ poſtulatione popoſcit, toto Regno, imo toto orbe majorem. Non minus funeſtum Herodi erat, dividi Joannem, quam Regnum. Miror etiam inconſultam puellam, poſtulaſſe in diſco Joannis caput, quem Aula Herodis non capiebat, niſi forte, ut Chryſologus, *numquã tam lautè gula cœnavit, margaritum menſæ apponens*, *l* ſupra inſanam barbaræ Reginæ liberalitatem, pretioſiſſimum; prodigioſa prorſus prodigalitas fuit, tantum caput, ad ſaltatriculæ pedes abjicere; niſi etiam gemina ebrietas, vini, & veneris, convivæ Regi caput abſtuliſſet. Iniquo jure actum eſt cum graviſſimo homine, ubi ceſſit in præmium levitatis, ſaltanti puellæ, quæ cum careret capite, pedibus tantum ſapiebat.

Secuta eſt non claudo pede, pe-

i Marci 6.

k Amb. lib. 3. de virginit. l V. Aug. Serm. 16. in novis Serm.

diſſe-

diſſe qua pœna. Saltitârat olim in Regia, in polito marmore puella, ſuoque ſaltu, caput Joannis extulerat in diſco. m Saltavit deinde in rigente glacie, quæ ut ſaltatricem collo tenus hauſit, glaciei teſta caput à cervicibus revulſum, in rigido fluvii æquore ſubſiliit, fatalique ſaltu crudelem quondam, & impium ſaltum damnavit. Audi Nicephorum: n *Eundum ei quodam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus: qui cum glacie conſtrictus, coagmentatuſque eſſet, pedes eum tranſibat: glacie autem rupta, idque non ſine Dei numine, demergitur illa ſtatim capite tenus, & inferioribus corporis partibus laſciviens, molliuſque ſe movens,* SALTAT *non in terra, ſed in undis: Caput verò ſceleſtum, frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & à reliquo corpore, non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum, in glacie ipſa* SALTATIONEM LETHALEM EXHIBET, *ſpectaculoque ejus omnibus præbito, in memoriam quæ fecerat.* Quin & alterum huic immani flagitio, & proſtitutâ ſaltatricula condignum ſupplicium conſiderandum occurrit, quod dum caput reciſum in glacie ſaltitavit, ſimul corpus & animam, terrifico ſaltu, ad inferorum abyſſum præcipitatam.

Et adhuc matres, Herodiadis ſectatrices, hoc perditiſſimo ſæculo reperire eſt, quæ filias ſuas petulanter, & imprudenter, ſalire, & ad omnes modulos levium ſaltatricum inſtrui, nocturnas cum laſcivis juvenibus, & viris, choreas frequentare volunt & injuriam ducunt, ſi ejuſmodi ſaltationibus, & tripudiis, filiæ adhibitæ non ſint? ubi, ut cum Ambroſio loquar: o *intuta verecundia, illecebra ſuſpecta eſt, ubi comes deliciarum eſt* EXTREMA SALTATIO. Unde ſic Chriſtianas, & pias matres compellat: p *Quid dicitis vos ſanctæ fœminæ? videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis.* SALTET, *ſed adulteræ filia: quæ vero pudica eſt, quæ caſta eſt, filias ſuas Religionem doceat*, NON SALTATIONEM. Adeo ut judicio graviſſimi Doctoris, ac Sanctiſſimi Pontificis, ſine turpi adulteræ nota, ſaltatio non fiat; hinc reperta eſt pia matrona, quæ affirmabat, quod prius filiæ crura confringeret, quam ad laſciva tripudia ire permitteret. Quare, cum tam immania, ſacrilega, infanda, ab hac una Herodiadis ſaltatione exorta ſint ſcelera, cum gemitu magnus Ambroſius exclamat:

§. III.

q *Quanta in uno facinore ſunt crimina!*

PRolixius nos ea, quæ per ejuſmodi choreas, & tripudia committuntur, deducemus. Ac primum quidem r neminem niſi ſtultum, nullam niſi amentem, aut fatuam ſalire, aut tripudiare, omnemque ſaltationem, amentiam inducere comprobabo. Hippocrates, quem Hipponenſis Doctor ſ miris encomiis extollit, & *medici nobiliſſimi no-*

m Caput Herodiadis ſaltat in glacie. Niceph. l. 1. c. 20.

o Amb. l. 3. de virgin. p Amb. ibid. q Amb. cit. r Saltare ſtultorum eſt. ſ Aug. tom. 6. l. 33. c. 6. contra Fauſtum l. 5. de civit. c. 2.

mine

mine celebrat, atque ipſius Tullii judicio confirmat: *Cicero dicit Hippocratem Nobiliſſimum medicum.* hic in aphoriſmis ſuis planè divinis, & orbi celeberrimis, de affectionibus & morbis capitis humani, unde velut à capitolio omnis ſalus, & vita promanat, ſcitè, & erudite diſſerẽs, unam ex præcipuis, & maximè periculoſis, vertiginem capitis adſtruit: *vertigines*, inquit, *in morbis longis periculoſæ*; *& univerſim, vertigines mali aliqt id ſignificant*: paſſim enim in apoplexiam, ſeu morbum caducum, in maniam, & amentiam inducunt. Conſentiunt medicorum peritiſſimi: t *periculoſior eſt vertigo, in qua caput, vel corpus circumagi videntur, quam in qua externa dumtaxat.*

Et ſi vertigo adeo invaleſcat, ut homo concidat, apoplexiæ, & Epilepſiæ prænuncia eſt, & ejuſmodi ad maniam proni cenſentur. Adfert clariſſimus, & expertiſſimus in arte ſua, levi corporis motu in gyrum circumacti, quendam tanta vertigine correptum, ut multis annis in pedes conſiſtere non valeret: *mercator*, inquit, *multis annis vertigine laborans, nec ambulare, nec è lecto amplius ſurgere, quin corrueret, poterat. Ab anguſtia enim vaſorum cerebri, ſpiritus impediti, retentique in cerebro, ex levi corporis motu circumducti, incurabilem vertiginem pepererant.* Hunc morbum adeo gravem, has vertigines adeò lethales, nemo quiſquam mortalium non reformidat, & averſatur, cum interim innumeri ſint, qui capitis vertiginem ſibi ſponte accerſunt, ultro incurrunt, dum ſe ſpontaneè in gyrum ſaltando agunt, iis ſe conventibus, & occaſionibus inſerunt, ubi choreæ agitandæ ſunt, ut recte Petrarcha: v *ſi delectant choreæ, propter aliud delectant: per ſe enim tota quidem inſulſa res eſt, & plus tædii allatura, quam gaudii: nam quid omnino eſt* IN GYRUM VOLVI, *quam excire vertiginem?* Ecquis enim inficiabitur, quin choreis caput vertatur, & cerebrum circumgyretur? cum nemo quiſquam tam forti cerebro, quin ſi ſe quinto, ſexto in gyrum agat, in pedes ſtare neſciat, ſed pronus in terram corruat; ejuſmodi porro accidere ſolet, quod navibus in mari, quæ ubi in vortices incidunt, tamdiu circumgyrantur, dum ſuccu ſſatione varia repente in profundum deſcendant Rotatum hunc, inſaniam gignere, baſilice SeleucienſisAntiſtes pertractat homilia de ebrietate: x *Moves pedes*, ET INSANUS SALTAS, *choreas ducis imprudens, cum genua ad Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti cultum flectere oporteat*; meritò ſaltantem, inſanum nuncupat: Nam qui choreas ex turri ſpectaret, aut vicinior aures occluderet, ne muſicum ſonum audiret, nemo non eos inſanos, & amentes diceret: y *finge te choream ducere vel cernere, neque tibicinem audire, atque ita ſtultas mulierculas, & viros mulierculis molliores in ſilentio circumferri, redire, ineptire; Quid quæſo unquam abſurdius, aut* DELIRANTIUS *vidiſti?* quod & probatur judicio omnium, qui choreas numquam viderunt,

t Daniel Sennertus. Vratilavienſis Doctor, & Profeſſor. Med. tom. 2. l. 1. pag. 2. c. 4 de vertigin.

v Petrarcha de dial. Remed. l. 1. c. 24.
x Baſil. hom. 14. de ebriet. y Petrarcha. de remediis utriuſque fort. l. 1. Dial. 24.

runt, ut ſi in ruſticos, aut Turcas ſaltantes incidant, qui in templis ſuis extenſis brachiis, & capite in dorſum retorto, tamdiu ſe gyrare conſueverunt, donec vertigine, & laſſitudine oppreſſi, in terram concidant, ſpument, & ſudent, non fatuos, ac phanaticos ejuſmodi æſtiment, & inſaniæ arguant? Quid verò aliud de nobis Turcæ ſentirent, ſi choreas noſtras viderent? Unde perappoſitè Alphonſus ille Aragonum Rex, re, & nomine *ſapiens*, dixiſſe fertur: z *hoc ſolum inter* STULTUM ET SALTATOREM *intereſſe, quod hic perpetuo ſtultus ſit: ille autem tamdiu, quam* SALTAT.

Hinc ipſis etiam Ethnicis ſtultum, & turpe viſum eſt ſaltare: porro *a* Domitianus Imp. Cælium Rufinum amovit Senatu, quod ſaltaſſe diceretur, ut refert Xiphilinus *b* Tiberius Imperator Rom. ſaltatores urbe expulit, vetuitque ne eam artem, aut potius inſaniam exercerent. M. Tullius Antonio, & Gabinio, viro conſulari, ſaltandi ſtudium, ut probrum objecit, & oratione pro Murena ait: c *nemo fere* SALTAT *ſobrius, niſi fortè inſanit*; quæ ubi purpuratus Eccleſiæ Princeps, Robertus Bellarminus expendit, in has voces prorumpit: *d* Erubeſce ô Chriſtiane, erubeſce, vinceris ab Ethnico, & ab Ethnico procul dubio in judicio condem-„ naberis. Ille ſolo naturali lu-„ mine, ſine dono fidei docere „ potuit non eſſe ſaltationem, „ niſi ebriorum, aut *inſanorum*; & tu filius Dei, cœleſti lumine „ illuſtratus, apud quem tales „ ineptiæ ne nominari debue-„ runt, in ipſa etiam, & ſacratiſ-„ ſima ſolennitate *inſanis*.

Libet hæc non Ethnicorum; ſed & ſaniori, & ſanctiori divi Ambroſii probare teſtimonio; hic duplicem cauſam ſaltationis ponit, temulentiam, vel dementiam: e *nemo enim, ut dixit quidam ſæcularium Doctor*, SALTAT SOBRIUS, *niſi qui* INSANIT. *Quod ſi juxta ſapientiam ſæcularem* SALTATIONIS *aut temulentia author eſt, aut* DEMENTIA; *quid divinarum ſcripturarum cautum putamus exemplis, cum Joannes prænuncius Chriſti*, SALTATRICIS *optione jugulatus, exemplo ſit plus nocuiſſe* SALTATIONIS ILLECEBRAM, *quam ſacrilegi furoris amentiam.* Ipſam denique ſaltationem, *omnium vitiorum poſtremum* pronuntiavit. *f* Una hæc inſana ſaltatrix, Joannis caput petiit, ſed complures hac tempeſtate ſunt, quæ plurium Adoleſcentum, & virorum animas perdunt, nec dimidium, ſed totum cœlorum Regnum ſaltationi poſtponunt. g *An quidquam eſt tam pronum ad libidines, quam inconditis motibus ea quæ vel natura abſcondit, vel diſciplina velavit, membrorum aperta nudare, ludere oculis, rotare cervicem, comam ſpargere? merito inde in injuriam divinitatis proceditur: quid enim ibi verecundiæ poteſt eſſe, ubi* SALTATUR, *ſtrepitur, concrepatur?* Quare, inquit, *ab* HAC SALTATIONE VIRGINES DEI PROCUL

z Petrarcha, de remed. utriuſque fort. l. 1. Dial. 24. a Xiphilin. b Dion. Nicæus in Tiberio. c Cic. pro Murena. d Bellarm. Conc. 6. Dom. 3. Advent.

e Amb. lib. 3. de Virgin. V. Raynaud. de vitiis, & virt. p. 680 & 679. f Saltatio immanium ſcelerum cauſa, Libidinis incentiva. g Amb. ibid.

ESSE

ESSE DESIDERO; Si virginitatem intactam, & illibatam ſervare velint, quî enim hic candidus flos, agitatione, concuſſione, tactu, complexu, oſculis non marceſcat, & inter tot incentiva libidinum non decidat? *Choreis* „ *inquit, delector.* Reſpondeo cum „ litteratiſſimo Conſule Romano *h*, non tam ibi delectatio, „ quam ſperatæ delectationis auſpicium, veneris præludium, „ miſellas circumducere, urgere „ & ſtringere, ac ſpecie urbanitatis atterere ſolet: Liberæ ibi „ manus, liberi oculi, liberæ „ volant voces, & quæ ſæpe ludis „ additur, *hoſtis pudicitiæ, & amica ſcelerum nox ipſa.* Hæc ſunt „ quæ timorem, ac pudorem pellunt, hi ſunt libidinum ſtimuli, hæc laxamenta licentiæ. „ i *Quanta in uno facinore crimina!* Et hæc eſt illa delectatio, „ quam ſimpliciter, & velut innocuè chorearum appellatione profitemini, & ludi tegmine crimen obnubitis. O quot innocentes, & candidæ animæ, quot honeſtæ matronæ hic in gyrum actæ, à ſtatu mentis, & integritatis dejiciuntur? O ſi mariti, quid uxores; ſi matres familias, quid filiæ in choreis agitent, per rimam ſpeculari poſſent, quantum illis pudorem incuterent?

Narrat Ludovicus Garon, *k* fœminis quondam nocturnas choreas frequentantibus, maritos larvatos ſubingreſſos, quemque ſuam poſt tapetes abductam ad flagitium invitaſſe, nec abnuiſſe, quod argumentum ſatis illis erat, ut choreas execrarentur, & uxores ſuas ab iis ſeveriſſimè arcerent. Unde ſubdit præfatus Auctor: *hic ludus multorum dedecorum cauſa fuit. Sæpe illic matrona diu ſervatum decus perdidit ſæpe infelix virguncula ipſo nuptiali die didicit, quod melius ignoraſſet.*

Finis hujus vertiginis & circulationis, cadere eſt: tolle ſpeciem puellarum, tolle libidinem, ſuſtuleris choream: non enim ſoli inter ſe viri, aut ſolæ fœminæ totas noctes tripudiando ſeſe defatigabunt.

Vultis plura *in una ſaltatione crimina*? Exodi. 32. de Iſraelitis idololatris dicitur: l *ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*, id eſt chorizare, ſaltare, cantare, ut patet ex ſequentibus. Præcipui hujus factionis fuere ex tribu Dan, unde aliqui derivant *Danſen* à *Dan*: & verè illis convenit; quod prophetizatum eſt de tribu *Dan: Fiat Dan ſicut* m *coluber in via*, cujus anfractus, & circuitus imitantur. Ad quod alludens B. Ephrem: *unde* inquit, *didicere* CHOREAS? *quis talia Chriſtianos edocuit? non Petrus, non Joannes, non alius divino numine afflatus; verum ille draco antiquus ſuis voluminibus docuit.* n

Vincentii Bellovacenſis hæc verba ſunt: *Diaboli cultus hic eſt, qui fuit hujuſmodi* CHOREARUM INVENTOR; ac primum quidem omnium parentem Evam viventium matrem ſuis ſpiris, & gyris, in mortem induxit, & choragam omnium, qui choros ducendo perierunt, conſtituit. Hic ſenſus

h Petrarcha de remed. utriuſque fort. l. 1. c. 24. i Amb. cit. k Lud Garon. cent. 3. §. 100. Petrarcha. cit.

l Exodi. 32 Liran. Corn. hic. m Serpens auctor chorearum Gen. 49. n V. Novarinum electa ſacra. p. 275.

Gregorii illius Thaumaturgi: o *Eva ſola in Paradiſo* CHORUM AGENS, *atque* TRIPUDIANS, *per auctorem omnis mali ſerpentem, mortem in mundum introduxit.* Hujus matris peſſima filia Herodias tripudians mundum ingreſſa, ferali tripudio prælusit, quod Divus Auguſtinus innuiſſe videtur, dum dixit: p *mulier deteſtabilis odium concipiebat, quod aliquando pareret; quando autem parturiebat, peperit filiam* SALTANTEM; quaſi tripudians naſceretur, & ſaltans cum Eva, per tortuoſos circulos à Coryphæo ſerpente erudita eſſet. Niſus eſt ſerpens ſaltum dare uſque in caput Joannis, quod cum per ſe non poſſet, per pedes puellæ petiit ejus ſanguinem, ut eleganter Sanctus Fulgentius: q *producitur laſciva carnifex fœmina, quæ Prophetam non gladio, ſed* SALTATIONE PROSTERNAT. *Molli puella greſſu procedit in medium, homicidium petitura, & adultero placitura, alienum in pedibus portans ſanguinem, & ſceleris poſtulatura mercedem. Sic* SALTAT, *ut placeat, ſic placet ut occidat.* Unde, quis mirabitur chorearum Magiſtrum, tartareum tenebrionem in nocturnis tripudiis choragum, omniumque ſcelerum incentorem à Sanctis Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus aſtrui, & indigitari?

Guilielmi Lugdunenſis, viri in paucis eruditiſſimi teſtimonium eſt: r *Chorea eſt circulus, cujus centrum eſt diabolus, & circumferentia Angeli ejus*, ſeu miniſtri Sitanæ: nam ut in centro quies, ita orbem pervagando, in choreis eam ſibi adinvenit. Rem attendite: Inſinuarat ſe primum cacodæmon in Aulas Regum, ubi quidem principum licentia, & procerum luxu, jactantiâ, invidia capiebatur; verum ut advertit & iſtic juſtitiam coli, religionem vigere, miſſæ ſacrificium frequentari, ſtata jejunia obſervari, eo ſe proripiens, ad celebre Emporium ſeſe contulit, ubi mercatorum fraudes, monopolia, uſuræ, Senatorum faſtus, avaritia, civium intemperantia, perverſa ſtudia mirè arridebant; At cum cerneret ab ejuſmodi etiam amplas Eleemoſynas in pauperes erogari, ſacra tribunalia frequentari, non ſine indignatione inde profugit, & prope deſperabundus ad molitorem ſe recepit, nec contubernium diſplicuit, ipſius, ac ſervorum ejus furtis, & fraudibus delectatus; dum advertit molitorem etiam cum Roſario in manu, Marianos globulos pervolvere, & conſuetas in dies preces perſolvere, fulmine ocyor avolavit. Tandem è longinquo audit ſonitum citharæ, vociferationes chorizantium: ſubintrat larvatus, & choreas ſpectat & exultat, ubi hos ad omnem nequitiam ludos contemplatur: viri etenim puellis commixti inter ſe tripudiabant, veſtes ad omnem Venerem compoſitæ, corpora vino diſtenta, verba laſciviæ plena, pedes, manus, oculi, ora, unius libidinis incentiva: s *riſus ab utriſque effuſi, cantilenæ turpes, habitus meretricius, ad petulantiam irritantes movent pedes, & furioſè exiliunt, ac infeliciter* TRI-

o Greg. Thaumat. Serm. 1. in Annunciat. p Aug. Serm. 10. in novis. q S. Fulgent. Serm. in decollat S. Ioan. Bapt. r Dæmon choragus tripudiantium.

s Baſil. Serm. 14 ad ebrios.

PUDI-

PUDIANT, *cum genua flectere oportuerat ad orationem.* Sed nil hic ſanum, ſanctum, nil quod pietatem, religionem, Dei timorem redoleret invenit: *nam ubi tympana ſonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat*, quis ibi Dei timor, ubi nullus virtuti locus eſt? Quare aptatiſſimam hic ſibi ſtygius lavernio commorationem fixit, ſeque individuum ſocium, imo choragum tripudiantibus addixit. Quo ſpectat illud aurei oratoris oraculum: t *ubi SALTUS LASCIVUS, ibi Diabolus certè adeſt. Quod ſi corpus turpe ſit impudenter* SALIENDO, *quantò magis animam fœdare credendum eſt? in* HIS TRIPUDIIS DIABOLUS SALTAT: *his à dæmonum miniſtris homines decipiuntur.* Videntur mihi tartareorum adverſariorum conatus eſſe ſimillimi invento Hannibalis, qui cum ſemel inimicam urbem expugnare non poſſet, conſilium hujuſmodi dicitur iniviſſe. *v* Expectavit ut cives lætabundi, ac tripudiabundi de more, ad quoddam Sacrificium peragendum progrederentur, & quia rem ſacram ad numerum ſaltantes peragebant, effecit, ut milites numeroſam illam pedum glomerationem perdiſcerent, atque exercerent; quocirca facile ceſſerunt omnia ex animi ſententia: quippe milites Hannibalis choreas ducentes, facile ſeſe cum civibus immiſcuerunt, & ſaltantes, mutuo manuum nexu, una cum civibus urbem ingreſſi, eandem redegerunt in ſuam poteſtatem, & ſervitutem. Sic cacodæmon arcem, & cœleſtem animæ urbem, quam ſuis viribus, & technis aliis invadere nequit, choreas ducendo, & dexteras dexteris implicando, in miſeram trahit ſervitutem, & in omnium miſeriarum barathrum devolvit: x *audite hæc viri*, clamat Hieronymus, *qui magnifica convivia, ebrietate plena, conſectamini: Audite, & diaboli Barathrum* (ipſas de quibus agit choreas) *perhorreſcite.*

Natatores quandoque ex ſublimi ponte, aut alia excelſa crepidine, temerario ſaltu ſe in aquas præcipitant, è quibus, audivi quoſdam in ſubjectum ſtipitem incidentes, toto corpore fiſſos fuiſſe alios in voraginem actos, aut limo infixos, miſere periiſſe. Horror eſt parentibus ea ſpectare, atque ſevero edicto ejuſmodi ſaltus ſuis interminari conſueverunt; at ſi uno ſaltu ſeſe in cloacam omnium vitiorum præcipites agant, & in profundum inferni proruant, nulla cura ſolicitat, cum celeberrimus Doctor Auguſtinus aſſerere non dubitarit: *Omnis motus, &* SALTUS PETULANTIÆ, *eſt* SALTUS IN PROFUNDUM *cloacæ* omnium flagitiorum, & inde in barathrum inferni.

Sapienter, & ſalubriter monet Sapiens: *y* CUM SALTATRICE *ne aſſiduus ſis, ne fortè pereas in efficacia illius*; etenim ſi ex colliſione duorum frigidorum lapidum, ignis abſiſtat, quidni ex approximatione, & contactu ignis ac ſtupæ, flamma concupiſcentiæ concipiatur.

z Mulier quædam ne ſe Romanis dedere cogeretur, filios duos injectis collo laqueis, ad pe-

t Chryſoſt. hom 49. in Matt. v Pelegrini. paradoxa tom. 1. pag. 244.

x Hier. ad Helvidium. y Eccl. 9. v. 4. z Lipſius monita politica l. 5. c. 93.

des ſuos alligavit, & ſe è trabe ſuſpendens, tres uno ſaltu ſtrangulavit. Hæc non animas, ſed corpora ſuorum perdidit; at mater, quæ una manu filium, altera filiam: aut juvenis, qui utraque manu unam puellam ad choreas ducit, una ſaltatione, quandoque plures animas interficit. Quocirca viderint parentes, dum filios & filias, nocturnas choreas frequentare ſinunt, quanto corporis, & animæ periculo exponant. Audiant D. Baſilium intonantem, ut ambæ aures tinniant: a *Viri ſimul ac fœminæ, communes choreas ſtatuentes, malóque dæmoni miſeras animas tradentes, ſeſe invicem libidinum telis confodiunt: nam ſi quæ fortè peccatum corpore vitavere; animo tamen admiſere.*

Hinc factum credo, quod narrat gravis Auctor Cæſarius, *b* dæmones, cùm nil in Chriſtianos proficerent, in puellas ſpecioſiſſimas ſe transformaſſe, choreáſque duxiſſe, variis anfractibus juvenes pelliciendo; ex quibus una cæteris præſtantior, quemdam è ſcholaribus delegit, ad quem quoties chorizando perveniſſet, toties annulum aureum ei porrigebat, ut his tandem in catenam colligatis in præcipiti traheret.

Quod ſi hæc non moveant, vindex Dei manus, & graviſſima, quæ in tripudiantes immiſit ſupplicia, ab infandis his choreis deterreant. *c* Hebræi choreas ducentes circum vitulum, Moyſem virum mitiſſimum quaſi in rabiem egerunt, ut tabulas legis, Dei manu exaratas, ad crepidinem montis confregerit, deſperans, ut ejuſmodi licentiam vidit, de mandatorum Dei obſervatione; atque ilico ſtrages, & plaga ſecuta eſt multorum millium. Exodi 32. *Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum.*

Saltus paſſim præſagium ſunt mali, & quando Delphini ſaltant, & ludunt in mari, ac ſirenes ſuaviſſime modulantur, tempeſtas certò imminet, & ingens naufragium. Lib. Judic. cap. 21. cùm filiæ Silonitæ exiſſent cum fiſtulis, & citharis, choros ducentes, à Benjamitis ducentis, in vineis latentibus, ut olim Sabinæ raptæ, virginitatis, & libertatis naufragium incurrere. Mitto hic, quot filias reperire ſit, è quibus non paucas novi, quæ totius anteactæ quam integerrimè, & caſtiſſimè vitæ merita, precum, jejuniorum, eleemoſynarum, SS. communionum, actuúmque ſupernaturalium, una chorearum vertigine abreptæ, naufragio numquam ſatis deplorando, amiſere.

Quid, quod nonnullæ, & corpore, & animo, uno ſaltu ad inferos præcipitatæ ſint. Magni Thomæ Aquinatis, magnus diſcipulus, Thomas Cantipratanus hæc refert; *d* in Gallia, juxta Laudunum, ſicut à presbytero villæ percepimus, quidam chorizantes ſaltibus ſuper pontem, diſrupto ſubitò ponte ſolidiſſimo, fluctibus hauſti, perierunt. Vidi & ego, inquit, adhuc puer, in choreis procaciſſimam fœminam,

a Baſil. hom 14. de ebrietate. b Cæſarius lib. 5. cap. 4. Novarin. electa ſacra, pag 75. c Vindicta divina, & pœnæ tripudiantibus inflictæ.

d Thom. Cantiprat. l. 2. apum, cap. 49.

nam, quæ me præſente, poſt choreas inſolenter cum adultero luctabatur, ſubitaneâ morte percuſſam, miſerabiliter expirâſſe.

Elementa omnia, & creaturas univerſas, videtur Deus exarmâſſe in ultionem petulcè, & laſcivè ſaltantium. Narrat Crantzius, *e* Lubecæ nuptias celebratas, in quibus dum ingens virorum, ac mulierum turba choreas duceret, improviſo incendium exortum, quo centum, octoginta, vivi uſtulati ſint; utinam non æternum arſuri! verum hoc in genere nihil magis tragicum, quàm quod Iſaias vaticinatus eſt: f *Piloſi ſaltabunt*, ut quondam de iis enarravimus, qui piloſis induti veſtibus, capripedum in morem ſaltantes, face propius admota, vivi combuſti ſunt. *g*

Hos tam funeſtos, tam tragicos exitus, ob immania ſcelera, quæ in choreis peraguntur, ab irato numine immitti, Sanctorum Patrum, ut ſupra oſtendimus, evincit auctoritas.

Fatendum tamen eſt, quædam *h* honeſta, ac modeſta tripudia quandoque exerceri poſſe. Seneca, optimus morum magiſter, choreas certè adeo non cenſurâ perſtrinxit, ut commendarit, & viros omni exceptione majores ſaltitaſſe, deprædicarit: i *Scipio*, inquit, *triumphale illud, & militare corpus movit ad numeros, non molliter ſe infringens, ut nunc mos eſt; etiam in inceſſu ipſo ultra muliebrem mollitiem fluentibus; ſed ut antiqui illi viri ſolebant inter luſum, ac feſta tempora, virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, ſi etiam ab hoſtibus ſpectarentur.* Ejuſmodi modeſtas, & honeſtas choreas, vir Societatis Apoſtolicus, Catholicis, & quidem neophytis permiſit. *k* In Sinaloâ complures luſtrali bapriſmatis lympha tincti, & in novos homines regenerati, cùm ab omni Ethnicorum conſuetudine remoti degerent, Patrem Perez de Riba obnixè rogarunt, liceret ipſis paululum animum relaxare, cúmque aliis fœminis, ac puellis recens converſis, ſaltitare. Quod cum illi primum indecens videretur, inſtitere, ut ipſo ſpectante choreas ducerent, & non niſi approbante pergerent. Hac itaque ratione ſaltarunt, ut nulla nupta, vel innupta, unquam oculos ſuſtolleret: viri ſeorſim cum viris, fœminæ inter ſe tripudiarent, tantâ honeſtatis obſervantiâ, ut ne alter alterius manum contingeret, ſed veſtem, aut ſtrophium mutuum prenſaret, qui mos ipſis etiam gentilibus in choreis uſitatiſſimus. Si cui veſtrum pruriunt pedes ad ſaltandum, tales vobis choreas non invidebo, ejuſmodi tripudia non inhibebo, quæ omnis modeſtiæ norma, omnis honeſtatis diſciplina. Verum enimverò, cùm aliæ prorſus choreæ, petulantiæ, licentiæ, luxuriæ fomenta, ut vos ipſi teſtari poteſtis, agitentur, non fruſtra SS. Patres, & Eccleſiæ Doctores eas inſectantur, & execrantur.

Illud autem jure longè meritiſſimo graviſſimè deteſtantur,

e Crantzius lib. 2 hiſt. Wandalicæ. c. 14. Novarin. electa, p 275. f Iſai. 13. v. 21. g Biderm. l. 3 acroamatê ult. h Choreæ honeſtæ, ac modeſtæ. i Seneca lib. de tranquill. c 15.

k Novarini electa ſacra, pag. 679.

tam inſana, tam obſcœna tripudia, *l* Dominicis, ipſis Chriſti Redemptoris noſtri ſolennitatibus, ac Virginis Matris, divorúmque feſtivitatibus paſſim celebrari; quod quam impium ſacrilegium, atque homine Chriſtiano indignum ſit, pluribus proſequendum, ac perſequendum putavi. E cathedra veritatis, infelices illos, atque ipſis paganis deteriores, ſummus Eccleſiæ Doctor pronuntiat: m *Iſti*, inquit, *infelices, & miſeri homines, qui* BALATIONES ET SALTATIONES *ante ipſas baſilicas Sanctorum exercere nec metuunt, nec erubeſcunt. Et ſi Chriſtiani ad Eccleſiam venerint, Pagani de Eccleſia revertuntur: quia iſta conſuetudo* BALANDI, *de Paganorum obſervatione remanſit.* Religioni quis ſibi ducit dominicis, feſtíſque diebus, ſervile opus exercere, officinæ omnes occluſæ ſunt, non dolare, non arare, non fodere præſumunt; atque interim quod longè deterius, ac deteſtabilius, agere non metuunt, nec erubeſcunt: n *Obſerva*, inquit Auguſtinus, *diem Sabbati non carnaliter, non Judaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam: melius utique tota die foderent, quàm tota die* (& nocte) SALTARENT. Ecquis enim non ſuavius, & ſanctius ducat, operi manuum fodiendo, texendo, pingendo, imò otiando incumbere, quam petulcis choreis, inter mutuos complexus, & laſciva oſcula, idque feſtis vacare? Suffragantem mihi iterum habeo Auguſtinum, in titulum Pſalm. 91. o *Ecce hodiernus Sabbati eſt: hunc in præſenti tempore, otio quodam corporaliter languido, & luxurioſo celebrant Judæi. Vacatio noſtra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operibus eſt*: MELIUS EST ENIM ARARE, QUÀM SALTARE; *illi à bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant.* Idem Doctor lib. de decem chordis, cap. 3. *Melius faceret Judæus in agro ſuo aliquid utile, quàm in theatro ſederet, & melius fœminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quam tota die in neomeniis ſuis* IMPUDICÈ SALTARENT. Quod potiori jure in Chriſtianos contorſit, cùm nihil aliud ſit, quàm dies feſtos divino Numini, ac Divorum cultui dicatos, non modo feriatos, & profanos reddere, ſed ipſi ſatanæ conſecrare.

Sic etenim Chryſoſtomus: p *Ubi cithara, & choreæ, & plauſus manuum, ibi virorum tenebræ & mulierum perditio: Angelorum triſtitia, & diaboli feſtum.* En quò Chriſtiani, quò Catholici, quo illi qui timorati, qui pii haberi volunt, devenere, dum diaboli feſta celebrare non reformidant. Mirari deſinant, ſi filiæ deflorentur, ſi filii laſciviant, ſi infauſta matrimonia contrahantur, ſi raptus fiant, ſi filii prodigi, perditionis exiſtant, ſi ſpurii gignantur, ſi diſcordia, & rixæ inter maritum, & uxorem: inter fratres, & ſorores ſuboriantur: ſi paupertas tanquam vir armatus in domum irrumpat, dum attenderint quam ſevere Deus in chorizantes feſtis diebus animadverterit.

Pauca ad terrorem, & errorem illum, urbe, & orbe eliminandum

l Choreæ in feſtis Chriſti, ac Sanctorum execrandæ. m Auguſt. Serm. 215. de temp. n Auguſt. in Pſal. 32. conc. 1. o Auguſt. in Pſalm 91.

p Chryſoſt. Tom. 1. quod ludicris abſtinendum.

dum adduxiſſe ſufficiet. *q* Anno ſalutis 1012. Imperatore Henrico II. cùm Rupertus Presbyter Eccleſiæ S. Magni Martyris, in Saxonia, primam nocte Nativitatis Domini Miſſam inchoaſſet, quidam Othertus Laicus, cum aliis viris quindecim, & tribus fœminis choream ducens in cœmiterio, ac profanis perſtrepens cantilenis, celebrantem non mediocriter diſturbaſſet; mandavit hic per æditùum, ut debacchantes ab hujuſmodi levitatibus nocte tam ſacra deſiſterent. Cui præcipienti, cum non obtemperarent, Sacerdos ſtans ad aram non leviter commotus, dixit: *faciat Omnipotens Deus, ut totum Annum ſic ſaltantes permaneant.* Mirabile dictu, imperantis vocem extemplo ſecutus eſt effectus, ut toto anno, dies & noctes, ſine intermiſſione, non cibum, non potum, non ſomnum capiendo, neminem cum ullo ſermonem miſcendo, terrâ ſenſim ad genua, ad femora ſubſidente, ſub dio, æſtu, & gelu toſti ſaltitarint. Anno tandem devoluto, S. Heribertus Archiepiſcopus Colonienſis ad cœmiterium venit, & ſaltantes quieſcere juſſit, introductóſque in Eccleſiam Domino reconciliavit; ſic tamen, ut fœminæ, & viri aliquot mox extincti ſint; ii verò qui ſupervixêre, tremore membrorum, quid iis accidiſſet, exemplo poſteros docuere. Optandum forte eſſet, quo ſalubriter reſipiſcerent, quibus pedes adeò ad tripudiandum pruriunt, ut per Annum totum ad defatigationem ſaltare cogerentur.

q Albert. Crantz. lib. 4. Saxon. cap 3. Trithem in Chron. Monaſterii Hirſaugren. Genebr. lib. 4. ſub Anno Dom. 1017.

r Apud Campanos, & Neapolitanos phalangio percuſſos, ſeu tarantulâ morſos, nullo alio remedio ſanari poſſe dicunt, quàm tibicinis, aut citharœdi ſono. Eſt autem tarantula aranei ſpecies, ſic dicta, quod in Tarentino agro copioſa, in terræ cavernis reperiatur, & per æſtatem meſſores ex inopinato impetat, ut ocreati metere cogantur. Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 17. genialium dierum, *ſ* cùm per Apuliæ campos, inquit, ubi hoc malum peculiare exiſtit, ſub canicularibus iter facerem, undique oppida, & vici tympanis, fiſtulis, ac tibiis circumſonabant; cujus rei cauſam quærentibus, Tarantulæ morbo affectos per oppida curſare dictitabant: cumque ejus rei gratia ad pagum quendam diverteremus, invenimus adoleſcentem, ejuſmodi morbo divexatum, qui velut repentino furore abreptus, & mente captus, ad tympani ſonitum, manus, pedéſque complodere, aures tympano adhibere, quaſi ſolatium, ac medelam inde ſe recipere teſtaretur. Quæ res cum riſu, & ludo digna videretur, ſonitu parumper intermiſſo, attonito ſimilem, ſtatim linqui ſenſibus vidimus. Rurſus reſumpto tympano, ubi primum modulos audivit, priſtinas vires reſumpſit, & acrius ac alacrius in choreas exſurgere ſpectabamus. Credunt vim illam veneni, harmonia, & agitatione curari; defatigatos autem à ſaltu, linteis impoſitos, in aërem excutiunt, ut etiamnum ſaltare videantur Quis non commiſeratione dignos tales ſaltitantes duxerit? quis nō parentum, filium, aut

r Beyerlinck theat. I. M. p. 812. ſ Alexan. ab Alexan lib. 2. c. 17.

filiam à tarantula morſos, noctes & dies nullam quietem capientes, dolore ſummo proſecutus fuerit? atque interim ſuis applaudunt, quià tortuoſo ſerpente morſi, & ab ipſis ſtygiis furiis inſeſſi, bacchantium, ac corybantium more furere, & impudicè ſalire non erubeſcunt. Non mihi, ſed divo Andreæ Cretenſi fides habenda eſt, ejuſmodi à dæmone obſeſſos, & energumenos cenſeri: t *Quid eorum, quæ ad voluptatem pertinent, non habet* SALTATIO CORYBANTICA? *quæ autem non eſt plenum turpitudine corpus, quod celeriter movetur, & membra quæ tanquam turbo rotantur? quæ ſunt revera ſimulacra eorum, qui ſunt correpti à dæmone.* Quibus verbis manifeſtò innuit, eos qui diaboli feſtum chorizando celebrant, à diabolo infeſtari, ac miſerrime torqueri.

Tragico documento erit, quod ſubjungo. Feſtivitas D. Petro, & Paulo Eccleſiæ Principibus ſacra agebatur, cùm in quodam vico prope Noviomenſe oppidum, venerandus Præſul Eligius *v* ad populum verba faceret, atque in ludos, ac choreas ſub ſolennia frequentari ſolitas, potenter inveheretur; nec quidquam illo commonente, ac comminante à nefandis ludis, ac diabolicis tripudiis deſiſterent, omnes ilico ad quinquaginta à malo genio obſeſſi fuere; ut vel ſic cognoſcerent, quibus obſequerentur, & conſueſcerent, cum eorum operibus delectarentur; quo immani ſpectaculo alii perterriti, ad pedes S. Eligii ſeſe cum lacrymis abjecêre, obnixè deprecati, ne eadem pœna illos involveret: fuere autem anno toto ab hoc tartareo hoſpite inſeſſi, ac miſerè divexati, donec eadem Feſtivitate redeunte, à ſancto viro, monitione inſtructi, omnes liberati ſunt: & didicere, *non corporis tripudio, ſed mentis motu, & religione feſtos dies celebrari.* x

Non tam feliciter evenit in Saxonia opulentæ virgini, *y* quæ ipſo nuptiarum die, cum totis ædibus perſtreperet hymenæus, duo cacodæmones, nobilium equitum ſpecie ſubingreſſi ſunt; remotis menſis eorum alter invitatur, ut cum ſponſâ choros ducat: non recuſat, unum alterumque gyrum cum eâ deſultat, & fulmine ocyor, è conſpectu omnium illam aufert, & avolat. Veriſſimum illud Ezechielis vaticinium: z *pro eo quod plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gaviſa es ex toto affectu, extendam manum meam ſuper te, & interficiam te.*

Quare ut ab his inſanis vanitatibus, & diabolicis gyris te, tuoſque, potiſſimum Dominicis, Sanctorumque Feſtivitatibus ſubtrahas, & cultui divino, divorumque impendas, expende documenta, quæ vir eruditione, & Sanctimoniâ clariſſimus, Franciſcus de Sales ruminanda proponit. Attende, inquit, primò, quod dum homines vani hic ludo, & choreis vacant, innumeras animas horrendis inferorum tormentis excruciari, ob peccata in choreis commiſſa. Habes certè

t S. Andr. Cretenſ. orat de Decollat. S. Ioan. Baptiſt. v In vita 1. Decemb.

x S. Epiph. in feſto Palm. pag 153. y Chreſolit. antolog. part. 1. p. 150. Delrio. Tom. 2. diſq. mag. l. 3. part. 1. q. 7. ſect 1. z Ezech. 25. v. 6.

de

de ſorore S. Petri Damiani, *a* quod ob levem delectationem, quam in cantilena quadam ex cubiculo in choreis audita, habuerat, decem & octo integras dies & noctes piacularibus flammis expianda fuerit; ut ipſa cuidam viro Sancto revelavit. Attende ſecundò, multas pias, & Religioſas animas eadem hora Deo aſſiſtentes, divinas laudes concinere, cœleſtia contemplari, & toto Spiritu exultare, dum gyrovagi iſti juvenes, & petulcæ puellæ exultant in rebus peſſimis. Attende tertiò, ſub id tempus, quo alii tripudiant, complures in extremo agone, mille animi anguſtiis in fatali lectulo conflictari, qui jam vana, & humana omnia pertæſi, tempus hiſce levitatibus, & vanitatibus leviter & nequiter inſumptum, amariſſimis lacrymis deplorant; quod ſi vel unum è mortuis redivivum perorantem audiremus, me tacente, vel muta umbra omnes omnino è ludis, & choreis, è veſtigio ſeſe proripere cogeret. Ita eveniſſe narrat Hector Boëtius: *b* nam dum Alexander III. Scotorum Rex cum Jolanta nuptias contraheret, & nox ludis, ac choreis dicata eſſet, umbra mortualis ſe iis immiſcuit, quæ choros ducentes quocumque ſe conferrent, inſequebatur; quo viſo perterriti, omnes ſe ad propria receperunt. Quod ſi mortuales animarum larvas, quæ choreis veſtris immixtæ ſunt, cernere liceret, nemo non tam horrifico ſpectro ſeſe è medio proriperet. Quartò denique attendas velim tu Virgo, choreas Cœlitum, Virginumque cum Chriſto Sponſo, qui *paſcit inter lilia*, *ſeptus choreis Virginum*, *Sponſus decorus gloria*, *ſponſiſque reddens præmia.*

a Fæliſius. c. 14. præc. 3. b Hect. Boet. in hiſt. Scotiæ. Bonaert. in Eccl. c. 9. v. 4.

§. IV.

Parænesis, ut ubi animus è mortali corpore ſalierit, in nuptiis agni cœleſtes choreas ducere queat.

SAltus unus, iſque ultimus, & difficillimus omnibus peragendus, *c* quo ex umbra mortis in regionem vivorum, è terra in Cœlum, ab exilio in Patriam, ex miſero & anguſto hujus corporis ergaſtulo, è cella, è vili tugurio, in Paradiſum, & locum deliciarum beatæ æternitatis ſaltitare poſſumus. Chriſtianè gentilis Seneca: *d* *Subſilire in Cœlum ex angulo licet.* Ita Joanni ex abſtruſo carceris angulo, *ſubſilire in cælum licuit.* Ita innumeri confeſſores, & Virgines, è cryptis, & ſpeluncis terræ, ex anguſtis cellis in Cœlum ſaltarunt, choreas in cœlis cum Beatis illis mentibus ducturi: *e* *choros*, inquit S. Ephrem, *cum Angelis jungunt*, *qui in ſolitudinibus, montibus, ſpeluncis, terræque foraminibus, jejunando, orando, vigilando, ac lacrymando ſe ipſi confecerunt.* Mortalibus omnibus, ſint Reges, Principes, potentes Sæculi, qui Regna, Provincias, latifundia ſub ditione habent, non niſi ex angulo, & loculo ſepulcrali, quem occupant, ſaltus hic

c Anima è corpore in Cœlum ſaltet. d Seneca Epiſt. 31. e S. Ephrem. lib. de locis Beatis.

longinquus trans omnia humana, trans flumina, & maria, & ipſam ſtyga conficiendus eſt.

Miraculo propè ſimile eſt, quod fidus & oculatus Hiſtoricus refert: Comes Henricus à Bergis, inſtante à tergo hoſte, equo tranſilivit uno ſaltu foſſam viginti pedum; ſtupendum magis, quod addit: f Ipſe, inquit, vidi inter Crutzenacum, & Alzæum lapides duos in agro defoſſos, diſtantes ab invicem viginti ſex pedes, qui imaginem equi ſalientis referunt, iiſque adſcriptus dies, quo Fredericus II. Comes Palatinus tantum ſpatii 26. pedum, eques generoſo ſaltu trajecit. Timor equiti alas addidit, & ipſe equo calcaria, ut ſaluti ſuæ tam audaci ſaltu conſuleret; g qualis minus feliciter ceſſit Nobili Ephebo, qui equo foſſam 20. pedum tranſvolavit; ſed equus, & eques, ſubita & una pæne morte conciderunt. Id vetus monumentum in caſtro Ambri prope Oenipontum teſtatur, equi exuviæ, atque Ephebi veſtes hodie loquuntur, ait Hippolytus Guarinomius l. 1. c. 1. §. 20.

At longe generoſior, & periculoſior ſaltus, ſtygio hoſte cum copiis ſuis tartareis à tergo; à latere, à fronte imminente, nobis equo, & valde fallaci peragendus eſt, de quo Pſaltes Regius: h *Fallax equus ad ſalutem*: Vatablus ex Hebræo vertit: *mendacium eſt ipſe equus*; in eundem ſenſum Auguſtinus: i *cum tu vides equum bene formatum, bonis viribus, magno curſu præditum, iſta omnia velut promittunt tibi de illo ſalutem, ſed fallunt*. Corderius hic moraliter: k Poſſes, inquit, cum Auguſtino accipere per equum, quamlibet Sæculi amplitudinem, & quemlibet honorem, in quem ſuperbus aſcendit, & quo altius ingreditur, eò ſe non tantum celſiorem, ſed etiam tutiorem falſo putat; quomodo enim illum dejiciat, neſcit: tanto eliſum gravius, quanto ſublimius ferebatur. Quo manifeſto innuit, eos qui opulentiæ, honoris, magnificentiæ equo, ſibi ſalutem quærunt, miſere falli, & turpiter præcipitari.

Liranus non minus appoſite, quoſdam corpore ſpecioſo, valido, vivido, quaſi optimo equo inſidentes, ſalutis ſuæ ſecuros inducit: l *Equus*, inquit, *eſt corpus hominis, quantumcumque ſpecioſum, & bene formatum; tamen fallax eſt ad ſalutem corporalem, & ſpiritualem*. Ubi deplorandum, & execrandum illud occurrit, complures huic tam fallaci equo confiſos, minimè cogitare, tam præcipiti ſaltu ſalutem æternam periclitari. *Hic Rhodus, hic ſaltus*: hic Cœlum, ſubtus infernus: hic ſaltus in locum deliciarum, vel in barathrum miſeriarum agendus eſt.

Diſertiſſimus, & minimæ Societatis noſtræ orator maximus, coram Sereniſſimo Archiduce Leopoldo, hunc ad propoſitum noſtrum, ſaltum mirandum magis, quam imitandum expoſuit. m Dum Romæ in Æde Principis Apoſtolorum, toto orbe celeberrima, cupula ingenti quadrato lapide claudenda eſſet, jámque miris, ac magnis machinis exſtru-

f Hermannus Hugo. de militia equeſtri. pag. 165. g Herman. Hugo. ibid. h Pſal. 32. v. 17. i Aug. hic.

k Corderius hic. l Liran. in Pſ. cit. m Saltus mirandus, non imitandus.

ctis,

ctis, moles hæc, cui præfectus operis ad dirigendum inſiſtebat, ſenſim attolleretur, atque ad locum prope deſtinatum in ſublime lapis provectus eſſet, contigit derepente ruptis funibus, rotis, & trochleis, immane illud ſaxum homine inſiſtente decidere; manſit ille, forte ferro infixo, quo in medio ſe librabat immotus, donec uno, alterove à pavimento pede, uno ſaltu in terram illæſus deſiliit, ſaxo in mille fruſta comminuto. Quis veſtrum hunc ſaltum, ut feliciter ſucceſſerit, imitari audeat? Imo verò, quis non ſaltus multo magis temerarios ſubire reformidat, dum hujus unius rariſſimo è millibus eventu, ſibi perſuadet, in ultimo humanæ machinæ actu, ubi omnes nervi, membra omnia, arteriæ & venæ, & tendines omnes diſſolventur, ſe ſaltu uno immane illud profundum incolumem evadere, & ſalutem conſequi poſſe præfidit? ſaniora vobis ſuggero conſilia, ne temere hoc poſtremo ſaltu, magnatum potentiæ, opum affluentiæ, aut firmæ corporis machinæ confiſi, ſalutis æternæ, & Regni cujus non erit finis, jacturam faciatis, & choreis hujus ſæculi laſcivis, vos proripiatis, ut in cœlis cum Beatorum agminibus in perpetuas æternitates choros ducere poſſitis. Herodes dimidium Regni ſui pro levi ſaltu puellæ donavit: n *Vide*, inquit Ambroſius, *quemadmodum ſæculares ipſi de ſæcularibus ipſis judicent poteſtatibus, ut* PRO SALTATIONE *etiam Regna donentur*. Deus pro ſaltu è mundo, non dimidium, ſed totum Regnum cœlorum obtinendum proponit, & tantæ levitatis, ac fatuitatis juvenculas, & juvenculos reperire eſt, ut levi, & brevi ſæculi ſaltu, ſpes, & res omnes amittant.

n. Ambroſ. lib. 3. de Virg.

o Certabat inter Græciæ juvenes, qui Agariſtam Cliſtenis filiam procabant, Tiſandri filius, nomine Hippoclides, qui ſe nulli in ſaltandi venuſtate, & dexteritate ſecundum putabat; itaque ut Agariſta conjuge potiretur, omnem artem impendit, omnes articulos movit, ac mirè geſticulatus eſt. Verum omninò diſplicuit ſponſæ parenti, qui hæc paucis ad illum: *p* ô Hippoclides, inquit, *perdidiſti ſponſam* SALTANDO. Sic plurimi ſponſam illam venuſtiſſimam, animam ſuam, aut cœleſtem Jeruſalem, leviter geſticulando, & nequiter ſaltando perdiderunt.

Quot ſunt, qui hic in ludo ſaltatorio leviter agitant manus, & verſant in orbem pedes, & poſtea ligatis manibus, & pedibus, mittuntur in tenebras exteriores? bene hic Vincentius Bellovacenſis, hoſce ſaltatores perſtringens: *Ligata habent membra, quia diſſoluta habuerunt.* Audis quem finem habet hæc ludicra ſaltatio, quam infelix finis ſequatur, nunquam finem habiturus?

Quare vos omnes adhortor, quibus pruriunt ad citharæ ſonitum aures, ad choreas pedes, illos hic ad breve perituræ vitæ tempus reſtringere velitis, ut citra ullam corporis defatigationem, aut mentis vertiginem, beatas ac perpetuas, de quibus nunc acturus ſum, choreas pervenire valeatis.

o Drexel. de recta intent. l. 2. cap. 4. §. 6. p Herodotus l. 6. ante finem.

Quæſtionem hanc: q *An beati in cœlo choreas acturi*, ex profeſſo examinat Guilielmus Pariſienſis, ac variis adductis argumentis, reſpondet negativè. Ait tamen quæſtionem hanc *aggravare ex parte, & difficiliorem facere ſermones ſapientum, qui præceſſerunt in gente Chriſtianorum, qui hoc evidenter ſcripſiſſe inveniuntur*; quorum claſſis affirmativam tenentium, & ſanctorum Patrum, & Theologorum locupletiſſima eſt, Sacrarum litterarum, ac Eccleſiæ teſtimonio ſtabilita. Colligitur primo hæc ſententia ex Malachia, agente de juſtis in futuro ſæculo, juxta probatiores interpretes: r *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitiæ, & ſanitas de pœnis ejus, & egrediemini, &* SALIETIS *ſicut vituli de armento.* Quæ verba in rem noſtram ſic exponit P. Gaſpar Sanchez: ſ *Clauſi quodammodo, atque conſtricti vinculis tenebantur viri timentes Deum &c. Ex illa igitur fortuna, & ſtatu egredientur, non aliter quàm vituli, qui noctu in ſtabulis clauſi, ubi primum illuxerit, apertum nacti campum, diſcurſant læti, & ludibundi vagantur, &* EXULTANT; quod amœniſſimum ſpectaculum ex ſtabulis mane in campos egredientium, & ſaltitantium vitulorum, ovium, & agnorum indies videre eſt. In quem ſenſum D. Ambroſius: t *Cùm examen cœperit fieri omnium rerum in judicii die, & omnia falſa commenta, & dogmata in confuſionem deduci, tunc in Chriſtum credentes* TRIPUDIABUNT, & gaudio inenarrabili exultabunt. Colligitur ſecundo ex illo Eccleſiaſtæ: v *In* MOTU SALTATIONIS *homo ſuæ mentis gaudium, & animi demonſtrat affectum*; ex quo infert Salonius, cum Beati maximo afficiantur gaudio, incitabuntur ad Dei laudes canticibus, & ſaltibus concelebrandas, ut in hominibus, experientiâ teſte, magnâ lætitia exultantibus fieri conſuevit. Quod ſi ad præſentiam Dei deſcendentis in Sina, x *montes* EXULTAVERUNT *ut arietes, & colles ſicut agni ovium*, ut ſacer vates decantat; quem de vero & reali motu, in ſignum quaſi lætitiæ, & gratulabundæ admirationis, intelligi ſine incommodo poſſe, atque adeo debere, obſervant Lorinus, Cornelius, Magallanes, aliique complures y; haud mirum videbitur, ſi cœlicolæ, quibus Deus præſentiam ſuam declarat corporaliter, præ gaudio, præcinentibus citharœdis Angelis, exultent: nam ſi Boëtio credimus, lib. de muſica, cap. I. *Cum aliquis cantilenas libentius auribus, atque animo capit, ad illas etiam non ſponte convertitur, ut motum quoque aliquem ſimilem, auditis cantilenis, in corpore effingat*, & ad modulos tripudiet; quomodo Beati, pedes continere poterunt, cœleſtibus choraulis, voce, & fidibus plaudentibus? evincit illud tertio Eccleſiæ auctoritas, cujus ſuaviſſimis hymnis, mellifluus Doctor,

q An Beati in cœlo tripudiaturi? Guil. Pariſienſ. de univerſo, part. 2. c. 43. r Malachias cap. 4. v. 2. ſ Sanchez hic. t Ambroſ. in cap. 10. ad Roman.

v Eccleſiaſt. c. 3. v. 4. Salonius hic. x Pſalm. 113. v. 4. y Lorin. in Pſal. cit. Cornel. in cap. 19. ſapientiæ v. 9. Coſmas Magallanes in Cantic. Moſis, ſect. 11. annot. 6. n. 9.

ſororem

ſororem ſuam exſtimulat: z *Si Chriſtum tota mente ſecuta fueris, & eum tota mente dilexeris, abſque ulla dubitatione cum eo in cœleſti patria gaudebis, & cum ſanctis Virginibus, quocumque ierit, ſequêris. Si cum omni devotione Chriſto adhæſeris, & ad eum die, ac nocte ſuſpiraveris in præſenti ſæculo, ſine dubio cum eo* EXULTABIS *in cœleſti Paradiſo, atque* INTER VIRGINUM CHOROS, *cantabis illi dulces hymnos, ſicut ſcriptum eſt:*

Qui paſcis inter lilia,
Septus CHOREIS *virginum,*
Sponſus decorus gloria,
Sponſiſque reddens præmia.

Huic doctrinæ ſuffragatur venerandus Sanctorum Patrum Senatus. S. Hieronymus in cap. 3. Eccleſiaſtes, inquit: a *Plangendum eſt in præſentiarum, ut poſtea* SALTARE *valeamus illa* SALTATIONE, *qua* SALTAVIT *David ante arcam teſtamenti, & Saulis filiæ diſplicens, magis placuit Deo* S. Baſilius homilia 20. de quadraginta martyribus: b *Incendatur frigore pes, ut cum Angelis continuo* SALTET. Divus Epiphanius, cœleſtis Jeruſalem, atque eam inhabitantium civium gaudia, eleganti calamo depingens, ait: c *Quomodo non glorioſum quod reſurgit, & in æternum permanet? & quod in ſpe benignitatis Dei, Regnum cœlorum adipiſcitur? ubi fulgebunt juſti velut ſol, ubi erunt æquales Angelis, ubi* CUM SPONSO TRIPUDIABUNT. Idem alibi hoc ipſum confirmans: d *Sancti ſunt in honore, quies ipſorum in gloria, ſors in beatitudine*, TRIPUDIUM CUM ANGELIS. In eundem ſenſum, in eandem ſententiam S. Athanaſius: e *Sanctorum animæ, à Sancto Spiritu incitatæ, cum Angelis in regione vivorum Deum laudant, &* TRIPUDIANT. Hanc Beatorum prærogativam S Gregorius Nazianzi Antiſtes, felici animæ fratris ſui Cæſarii gratulatur: f *At tu divinum, & ſacrum caput, utinam cœlos penetres, atque in Abrahæ ſinu; quicumque tandem ille eſt, conquieſcas, &* ANGELORUM CHOREAM, *ac beatorum virorum gloriam, & ſplendorem ſpectes, vel potius* UNA TRIPUDIES, ET EXULTES.

z Bernard. de modo bene vivendi ad ſororem, Serm. 12. a Hieron. in cap. 3. Eccleſ. b Baſil. c Epiphan. hæreſi 64. d Idem hæreſi 78.

Idipſum, ut tandem finem imponam, cuique veſtrum ex animo voveo, ut cum Angelis, & virginibus, divinos choros, citra ullam morum levitatem, aut membrorum defatigationem in Aula cœleſti ducatis. Has choreas Deus præſignaſſe videtur in dedicatione Templi Salomonici, quando teſte Joſeph: g *neque hymnos canentibus, neque* CHOREAS DUCENTIBUS *laſſitudo eſt oborta, dum ad templum pervenirent.* Libet igitur cum purpurato Vate de ſuperna illa Jeruſalem exclamare: h *ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te*; qualis præ nimio gaudio, celebrantium inter ſe convivia, & choros ducentium, & agitantium tripudia. Unde ubi vulgatus textus habet: *ſicut lætantium*, alii legunt,

e Athanaſ. in quæſt. 33. ad Antiochum. f S. Gregor. Nazianz. orat. 10. in funere Cæſarii fratris. g Ioſephus lib. 8. antiquit. cap. 2. n. 4. h Pſalm. 86. vers. 7.

gunt, *ſicut choros ducentium.* Alii, ſicut ſaltantium, & tripudiantium.

D. Anſelmus in ſuo elucidario, cui aſſentiuntur complures Theologi *k* (qui veras in Cœlo choreas futuras aſſerunt) tradit Angelos ſpecioſiſſima in aere efformaturos corpora, quibus ſe Beatis omnibus ſpectandos exhibebunt, cum iiſdem ſuaviſſima colloquia miſcebunt, modulabuntur, cantabunt, tripudiabunt. Accedit mos Hebræorum, Numini non ingratus, agendi choreas, ad ipſi habendas gratias, ob inſignem aliquam victoriam: Enimvero cum jam Pharao cum florentiſſimo totius Ægypti exercitu, fluctibus maris rubri hauſtus periiſſet, & Iſraelitæ ſalvi, atque incolumes ſiccis pedibus ad littus perveniſſent: *Tunc*, ait ſcriptura, l *cecinit Moyſes, & Filii Iſrael, carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: Equum, & aſcenſorem dejecit in mare.* Deinde addit: *ſumpſit ergo Maria Prophetiſſa, ſoror Aaron tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, &* CHORIS, *quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim &c.* *m* Tradit Philo Moyſen ſingulos hujus carminis verſus dictaſſe, & præcinuiſſe, quos deinde populus ſuccinuit, ut fit in choris, & tripudiis. Primo itaque canebat, & tripudiabat Moyſes cum choro virorum, tum Maria ſoror ejus cum choro mulierum. Quis nunc dubitet, quin Beati cum meminerint non Ægyptium, ſed ſtygium illum Pharaonem ſubmerſum eſſe, proſtratos jam eſſe hoſtes ſuos, relatam victoriam, debellatis inferorum copiis: cum viderint ſe tot præſentia evaſiſſe pericula, toties ſe ipſis æternæ mortis faucibus ereptos, toties præcipitio proximos: & cum ſecum ipſi verba illa repetent: n *niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea*; horum omnium cum meminerint, quis ambigat, quin ipſi præ exuberantis lætitiæ copia, jucundiſſima carmina, & laudis acroamata ſint modulando cantaturi: Ac deinde gaudio per totum corpus diffuſo, in ſignum lætitiæ, membra omnia ad numeros moturi, ac ſaliendo tripudiaturi? Ita devicto Goliatho, filiæ Sion occurrerunt David triumphanti, cum inſtrumentis muſicis choros ducentes. Ita proſtrato Holoferne *o*: *omnes populi gaudebant cum mulieribus, & Judith præivit omnem populum in chorea*, ut eſt in textu Græco. Quidni proſtrato dæmone, & carne, & mundo, triumphabunda anima in laudes Domini erumpat, & inſolenti gaudio delibuta tripudiet?

Appoſitiſſimum huic argumento noſtro illud quod refert Roaz: *p* Puella erat, cui præter claritatem ſanguinis, & florem ætatis, formæ dignitas ſuffragabatur. Huic unum propè erat in ſummo otio negotium, pedibus ſolum pulſare, corpus ad nume-

k Salas in 1.2. tract 2. diſp. & ſect. 14. Ægidius. tom. 3. de beatitudi. l. 4. q. 22. art. 4. n. 1. Iacobus Pintus, lib. 6. de Chriſto Crucifixo. tit. 4. loco 1. num. 321. c. 13. de ſtatu Beatorum. l Exod. 15. v. 20 m Roaz de mirabilib. alter. mundi. c. 13.

n Pſal. 93. v. 17. o Iudith. p Roaz pag. 124. Hiſtoria Filiæ, ſpretis mundi choreis, ad cœleſtes anhelantis.

movere, choreas agere, totos dies,& noctes ſaltare, tripudiare. Domeſtici veriti, ne ob nimiam hanc levitatem, graviter quandoque à Deo puniretur, rem totam cuidam è D. Dominici familiâ ſacerdoti prodidere, ut eam is officii, & modeſtiæ admoneret. Qui cùm nil magis cuperet, quam ut illa huic chorearum vanitati nuntium remitteret, amicè ab illa quæſivit: *Quod ſi alterutrum tibi è duobus eligendum offerretur, vel die una carere hac tripudiandi voluptate, ut deinde pro arbitrio, integro anno eadem fruaris: vel anno integro carere, ut poſtea per omnem vitam ad libitum potiaris; nónne hæc tibi arrideret conditio?* oppidò, inquit illa, mihi, & nimium quantum perplaceret. Rectè inquit alter; ſed ulterius: nónne perlubenter hac te fraudare velles ſaltandi in hac vita jucunditate, ſi ea in æternum cum Agno, & Angelis, ac Virginibus, quæ eum ſequuntur, in campis illis Elyſiis frui poſſes? Cui illa: nil in hoc mundo offerri mihi poſſet tam optabile, aut delectabile, cujus gratia hoc tripudiandi oblectamento me vellem privare, niſi ob id unum, ut poſſim æternum in Cœlis tripudiare. Itaque tu ſi argumentis evincere poſſis, Beatos in cœlo tripudiaturos, jam libens voto tuo ſubſcribam, nec deinceps hoc ſaltandi exercitium uſurpabo. Tum alter id ſolidiſſimis rationibus probare cœpit, exponens hymnum illum ſacrum, ſolitum in officio de SS. Virginibus in Eccleſia decantari.

Qui pergis inter lilia,
Septus CHOREIS VIRGINUM *&c.*

Quod ut idem ille confirmaret, adduxit ex divinis paginis loca, præſertim illum Davidis agentis de Chriſti ad cœlum aſcendentis triumpho: q *Pervenerunt Principes conjuncti pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum.* Ecce inquit, quomodo juvenculæ tympaniſtriæ pſallent, & ſalient, & tripudiabunt. Puella convicta ejus rationibus tam ſolidis, & auctoritate Scripturæ firmatis, ſpe æternum ſaltandi in cœlis, ilico nuntium remiſit huic levitati, ac vanitati, totámque ſe cultui divino conſecravit. Tandem quadriennio in hoc vitæ genere peracto, morbo extremo afflicta, animam cœpit agere. Præſto tunc ei morienti adfuit ſacerdos ille, auctor tam pii conſilii; ad quem vultu placido, & ridenti conversa: *Mi pater*, inquit, *cùm mihi auctor eſſes, ut hoc ſanctioris vitæ inſtitutum ſectarer, promiſiſti* JUCUNDUM ME TRIPUDIUM TRIPUDIATURAM *cum cœleſtibus illis tympaniſtriis, coram Chriſto & ejus Matre: jam tuo te abſolvo promiſſo, vidi enim Chriſtum Sponſum meum, & Matrem ejus,* CUM CHORO VIRGINUM SALIENTIUM, ET TRIPUDIANTIUM: *& jam certa ſum* HAC TRIPUDIANDI *me oblectatione fruituram.* Quibus dictis anima è corpore, ſaltu unico ad beatas choreas tranſiliit. Hanc tu quiſquis es, ſequere, & imitare, ſi iiſdem Beatorum choris intereſſe concupiſcis.

q Pſalm. 67. v. 26.

FE-

FESTUM
PRINCIPUM APOSTOLORUM
SS. PETRI ET PAULI.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ. Pſal. 96.



Duo Fulmina. Virg. lib. 6. Æneid.

ARGUMENTUM.

ODioſa omnis non ſolum inter mortales, verum etiam ſanctos inter, comparatio eſt: nec minus per-

niciosa, r *quis eorum videatur major*, contentio. Quare nos hos duos Eccleſiæ principes laudaturi, eorum encomia pariter celebrabimus, *quos* ut ſanctus Leo ait ſ, *electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit eſſe æquales*; quod aſſequi me poſſe confido, dum eos ex ſanctorum Patrum ſuffragiis, & Doctorum placitis, *geminos* Chriſtiani orbis *oculos*, gregi ſuo intentos; aut *duo ubera*, lacte cœleſtis doctrinæ, Neophytos *quaſi modo genitos infantes* lactantia demonſtraro; vel potius, quod hic probandum ſuſcepi, *nubes*, non leves & inanes ſine aqua, omni vento mobiles: ſed quæ t *aquis gratiarum plenæ, terram compluunt exemplis & doctrinis*; juxta illud Eccl. 11. *ſi repletæ fuerint NUBES, imbrem ſuper terram effundent*; atque eas tandem in tonitrua, & fulgura erumpentes exhibuero: de illis etenim pſaltes Regius vaticinatus eſt: v *illuxerunt FULGURA ejus orbi terræ*; quam verò potenter tonuerint hæc fulgura mundi, mirari ſimul & imitari licebit.

§. I. PETRUS ET PAULUS *à quibuſdam mundi OCULI, ab aliis* DUO UBERA *nuncupantur.*

§. II. QUI SUNT HI, QUI UT NUBES VOLANT? *Iſaiæ* 60.

§. III. ILLUXERUNT FULGURA EJUS ORBI TERRÆ. *Pſal.* 96.

r Luc. 22. ſ S. Leo. ſerm. 1 de SS. Petro & Paulo. t Hugo Card. in c. 60. Iſa. v Pſal. 96.

F E-

FESTUM
PRINCIPUM APOSTOLORUM
SS. PETRI ET PAULI.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ. Pſal. 96.

VAria & inſana eſt contentio, inter ipſos principes Eccleſiæ, uter alterum meritis, ſanctitate, dignitate antecellat: x *quis eorum videatur eſſe major in regno cœlorum*, & majori cultu ac veneratione etiam in terris dignus ſit, diſceptare. Idque eſt quod ſanctus Hieronymus in Epitaphio Marcellæ, ad Principiam virginem his verbis reprehendit, cum Marcellam Annæ Phanuelis filiæ contuliſſet: y *non facio ullam inter ſanctas fœminas differentiam, quod nonnulli inter ſanctos viros, & Eccleſiarum principes, ſtulte facere conſueverunt.* Tales duo illi Clerici pariſienſes, quorum unus Joannem baptiſtam deperibat, alter Joannem Evangeliſtam, *ita quod* inquit Cantipratanus z, *zelo nimio, quo ſuum quiſque præferret, diſſidebant.* Additque, poſt aliquod tempus, ſanctos illos ſuo quemque amatori apparuiſſe, illiſque hæc denunciaſſe: *vobis primo dicimus, ne pro prærogativa meritorum noſtrorum ulterius contendatis, cum nos in cœlo de pari meritorum privilegio concordemus.* Guilielmus Durandus *a* magiſtros vocat, & ait diſputationem illos ad id inſtituiſſe condicta die; utrumlibet autem ſanctum, ſuo æmulatori conſpicuum factum; dixiſſe: *bene concordes ſumus in cœlis, de nobis non diſputetis in terris.* Eos verò concertatores ſibi invicem, & univerſo populo rem geſtam enarraſſe, ſicque diremptam eſſe concertationem. Matthæus Raderus conſimilem narrat apparitionem Trinitatis Theologorum Græcorum, ita nominat Philotheus Conſtantinopolitanus *Baſilium, Greg. Nazianzenum, & Chryſoſtomum.* *b* Exorta ſiquidem controverſia, Alexio Comneno imperante, de horum ſanctorum præcellentia, ita tandem efferbuit, ut aliqui *Gregoriani*, alii *Baſiliani*, denique nonnulli *Ioannitæ* dicerentur. Quod quam ſanctis diſplicuerit, argumento eſt, quod beati illi cœlites Joanni Eucharitarum Antiſtiti apparentes, primum ſinguli ſingillatim, deinde ſimul omnes, una voce ſic eum ſunt affati: nos unum ſumus apud Deum, nec inter nos pugnamus, aut nobis adverſamur; „ ſed opportunis temporibus, ſin-

x Luc 22. v. 24. y Hieron. in Epitap. Marcellæ. ad Principiam virg. z Cant. I. prat. l. 2. apum c. 29. n. 11.

a Durandus l. 7. ration c. 41. n. 8.
b Raderus ex Græcorum menæis. 30. Sept.

guli

„ guli à divino impulſi ſpiritu ſa„ lutaria mortalibus præcepta „ tradidimus, & edidimus, quæ „ de divinis litteris, ſacriſque „ myſteriis ante meditati era„ mus, nullusque inter nos pri„ mus, nullus ſecundus; ſed „ unum ſi nominaris, omnes es „ complexus. Quapropter ſurge, & diſſentientes pacem colere jube. Subdidere mandatum, ut feſtum diem ſingulorum, tanquam qui unum eſſent in Domino, una celebritate peragi deinceps curaret; quod & factum eſt, addicta ei feſto de tribus hiſce ſanctis, die ultima Januarii, quod tres illi ſancti menſe Januario colantur ſigillatim, viſumque ſit omnes ſimul denuo in fine colendos. Damnat & merito eam fatuitatem ſanctos conferendi, præferendi, ac præeligendi ratione ſanctitatis, ac gratiæ, qua apud Deum pollent, doctor Aſceticus, Thomas à Kempis, qui ſic cœleſtem magiſtrum loquentem inducit: c *noli inquirere, nec diſputare de meritis ſanctorum, quis alio ſit ſanctior, aut quis major fuerit in regno cœlorum. Talia generant ſæpe lites, & contentiones inutiles, nutriunt quoque ſuperbiam, & vanam gloriam: unde oriuntur invidiæ, & diſſenſiones, dum iſte illum ſanctum, & alius alium conatur ſuperbè præferre. Talia autem velle ſcire, & inveſtigare, nullum fructum afferunt; ſed magis ſanctis diſplicent, quia non ſum Deus diſſenſionis, ſed pacis, quidam zelo dilectionis trahuntur ad hos vel illos ampliori affectu; ſed humano potius, quam divino. Ego ſum qui cunctos condidi ſanctos, ego novi ſingulorum merita. Ego laudandus ſum in omnibus ſanctis. Omnes unum ſunt per charitatis vinculum, &c. Cave ergo, fili, de iſtis curioſè tractare, quæ tuam ſcientiam excedunt; ſed hoc magis ſatage, & intende, ut vel minimus in regno Dei queas inveniri.* Multi hodierna die ſtolidè, & ſtultè contendunt, quis ſanctorum major ſit in cœlo? an cui peculiariter afficiuntur patrono, aut patronæ, non aliis omnibus præferendus ſit? at quotus quiſque ſatagit in terris, ut quibus cohabitat, aliiſque ſui ſtatus, viris ſanctis & perfectis præferendus ſit in cœlis, *ut vel minimus in regno Dei queat inveniri?* idem argumentum proſequitur Heſſelius in Decalogo c. 88. & Philippus Abbas, qui poſt agitatam controverſiam de comparatione Apoſtolorum, & Joannis Baptiſtæ, concludit in hæc verba: d *non eſt noſtrum occulta ſanctorum merita, cùm de ſcripturis non habemus, inconſulta lance diſcutere; ne dum aliis quaſi deferimus, aliis inveniamur detrahere. Horum judicium Chriſto ſummo, & vero judici debemus relinquere, ut ipſe qui contulit, inter eorum ſanctitatem diſcernat.* Quæ omnia hactenus dicta, eo ſpectant, ut contentio non ſit, e an *S. Petrus* major *Paulo*, an ille præferendus *Petro?* quis à læva, quis à dextra pingendus eſſet? quam ſanctorum præelectionem, veteres Chriſtianos excludere voluiſſe, tradit Bellarminus per quaſdam picturas, de quibus jam olim fuit concertatio. Plerumque ergo in picturis antiquis principum Apoſtolorum,

c Thomas à Kempis, de imitatione Chriſti l. 3. c. 58.

d Philippus Abbas lib. de continentia c. 74. e Bellarm. lib. 1. de Rom. pont. cap. 27.

ſan-

ſanctus Paulus (quem ſemper ratum fuit in Eccleſia, eſſe poteſtate minorem *Petro*) tamen conſpicitur ad dexteram; *Petrus* verò ad ſiniſtram. Omnino probabile eſt id factum à Chriſtianis illis priſcis, ne ordinaria ſuprema poteſtas, qua *Petrus* major eſt *Paulo*, traheretur ab imperitis ad imminutionem meritorum *Pauli*, atque inde concluderent, *Beatum Petrum* præeligendum eſſe, tanquam ſanctitate quoque, & meritis majorem; ut ergo docerent fideles ſapere in hac parte ad ſobrietatem, & neutrum Apoſtolum alteri præferre, conſulto pingi curarunt *Paulum* ad dexteram, etſi in æque multis antiquis picturis contrarium cernere ſit, ut Bellarminus notavit. Quæ cum ita ſint, optimè ſtatuit Eccleſia, uno die, ac pari cultu celebrandos, quod SS. Patrum, ſuis monumentis & argumentis, evincit auctoritas; tum quia amor Chriſti, ut divus Maximus loquitur *f*, & zelus divinæ gloriæ, eos ſic indiviſos voluit, & arctè confœderavit, *ut uno die, uno loco, unius tyranni tolerarent ſententiam, & ſanguinem profunderent*. Tū quia, inquit S. Leo, Pontifex Maximus *g*, *de quorum meritis, atque virtutibus, quæ omnem loquendi ſuperant facultatem, nihil diverſum, nihil debemus ſentire diſcretum: nam illos & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.* Conſimili laude magnus pater Auguſtinus, utrumque complectitur, dicens: h *concordem vitam ambo duxerunt, ſocium ſanguinem ambo fuderunt, cæleſtem coronā ambo ſumpſerunt, diem hodiernum ambo conſecrarunt.* Hac igitur aurea luce, roſeo eorum cruore purpurata, in qua per crucem alter, alter enſe triumphat, eorum encomia pariter celebremus, quemadmodum à primariis orbis ingeniis, doctorum calamis, ſacrorum oratorum linguis factitatum fuiſſe, comprobabo. *i* Olim in porta urbis Mantuanæ, viſebatur Angelus, ſublimior utique genius Poëticæ, qui dexterâ coronam prætendebat: Hinc Virgilius, inde Baptiſta Mantuanus, Poëtæ laureati expreſſi cernebantur, ſubjecto hoc lemmate: *cui dabo?* adeo pares à calamo, doctique ingenii monumento. Ne uni daret, non ſine injuria & invidia alterius, neutri dedit. Ego ambos Eccleſiæ principes, pari laurea donabo, & ſive orbis Chriſtiani *lumina*, ſive *ubera*, ſeu *nubes*, aut *fulgura* dixero, pari encomio utrumque me complecti, judicabitis.

f S. Maximus hom. 5. de SS. Petro & Paulo. g S. Leo ſerm. 5. de SS Petro & Paulo. h Aug. ſerm. 2. de SS. Petro & Paulo.

§. I.

PETRUS ET PAULUS *à quibusdam mundi* OCULI, *ab aliis* DUO UBERA *nuncupatur.*

QUibus comparabo vos glorioſiſſimos Eccleſiæ principes, quibus aſſimilabo vos invictiſſimos ſacrorum heroum anteſignanos, k *quos electio pares, & finis fecit eſſe æquales?* benè de vo-

i Lobbet. præfat. feſto SS. Petri & Pauli. k S. Leo. ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo.

bis

bis cenſuere, qui vos Romani Capitolii, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ac univerſi corporis myſtici, *geminos oculos* nuncuparunt; ſed eos adeo fulgidos, tantoſque ſanctitatis radios undique evibrantes, quis audeat contueri, cum luce ſua intuentium aciem perſtringere videantur? ut potiori jure mihi de illis ſentiendum, quod de Cæſare Auguſto ſcribit Juſtinus, eum oculis fuiſſe præditum non fulgentibus modo, ſed & fulgurantibus: fulgur ad terrorem, fulgor ad levamen animorum, utrumque ad quandam majeſtatem Auguſto dignam; de quo ſic Suetonius in vita: l *oculos habuit claros & nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam divini fulgoris: gaudebatque ſi quis ſibi contuenti, quaſi ad fulgorem Solis, vultum ſubmitteret.* Ita gaviſus dicitur, cum miles eum intuitus, ilico oculos demiſiſſet. Rogatus ab Auguſto, cur id feciſſet? reſpondit, quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum. Quam id verè, & non potius adulatoriè, non diſputo; hoc de Apoſtolis noſtris affirmare audeo, fulgorem illum oculorum, nihil terroris mortalibus incuſſiſſe, ſed amoris & favoris radios miſeris ſparſiſſe. Teſtis ille claudus ex utero, quem Petrus intuens, & ut in ſe intenderet jubens, ilico in pedes erexit: m *intuens autem in eum PETRUS cum Joanne, dixit: RESPICE in nos; at ille INTENDEBAT in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis, PETRUS autem dixit: argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu ejus dextera allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulabat, & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Hæc vis oculorũ Petri intuentis claudum, & claudi reſpicientis in vultum Petri. Quis non ad hunc tam amabilem & mirabilem fulgorem oculorum aciem intendat? quin & oculi tui me rapiunt ſanctiſſime Paule, dum Chryſoſtomum audio fulguranti aſpectu tuo ſatiari non potuiſſe: ſic enim de ſe teſtatur, dum Paulum non ſemel viſibilem habuit: n *ſæpe delectatus oculos ad ſpectaculum oppoſiti è regione luminis, ſeſe violenter intendit: & licet ſentiat aciem ſuam imparem radiorum eſſe certamini, deſiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inacceſſibili radiantis orbis reluctatur ſplendori. Tale igitur quidpiam ego ipſe perpetior, qui cum videam propriæ mentis oculos, ex radiis Apoſtolici ſplendoris hebetari; cupio tamen PAULI ANIMAM, miro fulgore virtutum radiantem, velut eminus intueri.* Hoc itaque, pace veſtra, facturus ſum, ut vos *mire fulgore virtutum radiantes, velut eminus* audeam intueri. Oculi quidem in auguſto, & honorato illo humanitatis propylæo, & ſenſuum arce, facile primas, & dominatum obtinent, ut rectè Hugo Cardinalis: o *eorum, quæ in nobis ſunt, membrorum honorabilior eſt OCULUS: idcirco in quodam regali loco collocatur, aliis ſenſibus præſidens.* In hac capitis arce, velut in ſpecula, hoſtium acceſſus

l Sueton in vita m Act. 3. v. 4.

n Chryſ. hom. 8. de laudib. Pauli. o HugoCard. in c. 9. Joan.

pro-

proſpectant, inſidias detegunt, & pericula imminentia prævertunt, ut præclarè Mediolanenſis Antiſtes obſervavit p OCULI, inquit *tanquam in ſummo locati, de quadam ſcena ſuperiore, univerſa proſpectant: ſpecula enim ſemper in alto eſt, ut advenientium catervarum hoſtilium explorari poſſit adventus.* Quæ omnia cum in Eccleſiæ principes aptè quadrare D. Leo Pontifex advertiſſet, illos in myſtico Chriſti corpore, tanquam duos lucidiſſimos oculos cenſeri affirmavit, dicens: q *in horum excellentia Patrum merito eſt excellentius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus,* QUASI GEMINUM CONSTITUERIT LUMEN OCULORUM. Quam hi duo oculi ſemper vigiles, è ſpecula jugiter contemplati ſint, eorum ſcripta, & acta ſatis loquuntur, ac teſtantur. Petrus è ſua ſpecula, leonem qui oves devoret, appropinquare; eique reſiſtendum admonet: r *adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret; cui reſiſtite fortes in fide.* Haud aliter Doctor gentium ſemper in ſpecula, ſ *in labore, & ærumna, in vigiliis multis,* mille, ſi haberet, oculis in gregem intentus: *præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum;* quam indefeſſam vigilantiam admirans Gregorius, ait: t *cujus rogo virtutis eſt, plus de utilitate proximorum, quam de ſua afflictione cogitare? quis hoc dignè æſtimet? quis dignè penſet? laborat, luget, eſurit, vigilat; & tamen vigilando de Eccleſiarum omnium ſalute cogitabat.* v *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Columbinos illis oculos in divino Epithalamio, ſapiens adſcribere videtur, dum ab illis ſponſum commendat: x OCULI *ejus ſicut columbæ, ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima;* ubi perappoſite purpuratus Doctor: y OCULI TUI *columbarum, quæ dum per umbram vident accipitrem, id eſt, diabolum, & fugiunt, & alios fugere docent. Oculi,* ait idem Hugo Cardinalis z, *ſunt prælati,* ſuperiores, parentes, quos omnibus membris, ſi fieri poſſet, oculatos eſſe oporteret; quorum typum expreſſit Ezechiel in myſticis illis animalibus, quæ ante, & retro, omnibuſque membris oculatiſſima erant: a *totum corpus plenum oculis.* Quid hic myſterii lateat, attendite: b *ſcriptura omnimodam circumſpectionem docet.* Parentes, vigiles oculos circumferant in cubili, qua honeſtate, gravitate, maturitate agatur cum filiabus; oculos intendant, quid interim foris agatur à filiis. Superiores, oculos circumferant, quid hic agat in cubiculo, ille in choro, alter in foro, quid cuipiam deſit, quid alteri noceat, quis abundet, quis penuriam patiatur; quod Paulus monet: c *alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Ut juxta eundem Doctorem, ſit totum *corpus plenum oculis, ſicut*

p Amb. l. 6. Hexam. c. 6. q S. Leo. ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo. r 1. Petri c. 5. v. 8. ſ 2. Cor. 11. v. 23. t S. Greg. l. 2. in Ezech.

v Act. 20. v. 29. x Cant. 5. v. 12. y Hugo in 1. Cor. 12. z Hugo in Thren. c. 4. a Ezech. c. 1. b Hug. hic. c 1. Cor. 11. v. 21

caudæ

cauda pavonis , ut alias diximus *d*. Sed dolendum , inquit , querelam illam Jeremiæ, in iis quandoq; locum habere : e *erraverunt cæci*. Ut in aureo annulo gemmæ,ſuo ſplendore mirabiles, & pretioſæ , ita in corpore divinitus oculi collucent. Parum dixi,cum gemmas nominavi , melius ſtellas geminas , aut ſoles nuncupaſſem , qui caput velut cœlum animatum ornant,& mirabilius irradiant ; ſed his oculis nihil triſtius, atque miſerabilius evenire poteſt , quam ſi cæci fiant , per nimiam conniventiam , & affectum inordinatum ; adde nihil deformius , ut graviſſimus Pater Ambroſius : f *ipſum cœlum ſine ſole non habet decorem ſuum : triſtes ſine ſole dies ducimus : noctes ſine luna non placent : ipſi enim ſunt quidam* MUNDI OCULI ; *detrahe ſtellarum lumina , & quædam eſt in cœlo ipſo cæcitatis deformitas*. Eccleſia cœlum eſt ; ſed tolle ex hoc myſtico cœlo, geminas illas rutilantes ſtellas, ſeu ſoles , & mundi oculos *Petrum & Paulum* , quædam erit in *cœlo iſto cæcitatis deformitas*. Reſpublica , Religio,familia veſtra, cœlum eſt ; ſed tolle vigiles oculos,erit in cœlo iſto *quædam cæcitatis deformitas*. Dum Pater & mater in familia, Prælati in diœceſi , qui in myſtico corpore oculi eſſe debent , ſuo lumine fruſtrantur , *eſt quædam cæcitatis deformitas* ; quod ſuo tempore queſtus , & jure nunc quereretur lumen illud & columen Dominicanæ familiæ : g *hodie* ILLI OCULI EXCÆCATI *ſunt pulvere terrenorum,aut defluunt ſanie delictorum*. Oculi vividi, ac lucidi,vigorem membrorum,vitamque corporis manifeſto declarant; caligantes verò, ac jam fracti , languorem mortemque denuntiant ; ita rerum naturalium obſervator ſolertiſſimus Plinius : *h* OCULI *pars corporis pretioſiſſima , & qui lucis uſu , vitam diſtinguant à morte* ; ex his itaque de vita , & morte membrorum , in omni corpore myſtico rectè judicabitis. Vivant vero & luceant neceſſe eſt, cum omnium membrorum duces ſint. Hinc duo hi Principes Apoſtolorum , jure meritiſſimo oculi nominantur, magno fulgore lucentes , qui in Eccleſiæ corpore , ſacro principatu ad omnium gubernationem niteant. Qui enim ſua luce alios dirigunt , oculi ſunt in divinis monumentis ; ſic libro numerorum , Moyſes cognatum ſuum invitans , ut DEI populum ad terram promiſſionis deducere velit : i *eris* , inquit , *ductor noſter* ; Cajetanus , Oleaſter , aliique ex Hebræo : *eris nobis* PRO OCULIS. Et profectò fidelibus hi gemini Apoſtoli , ad promiſſam beatorum patriam , *pro oculis* fuere ; ita Procopius eos appellat , k *perſpicaces & acutos Eccleſiæ* OCULOS , qui divinitus illuminati , alios illuminent,qui non lucem, ut de oculis Auguſti quidam produnt , ambibitionis miniſtram ; ſed utilem , & mundo ſalutarem ſparſerunt

d v Pantheon feſto S. Ioan. e Hugo in Thren. c. 4. f Amb. l. de Noe c. 7. g Hugo Card. in Apoc. c. 1.

h Plin. l. 11. c. 37. i Num. 10. v. 31. k Procop. in c. 56. Iſaiæ.

ſerunt. Huc ſpectat illud Chryſologi, qui aureo ſermone, ſic oculum depingit : l OCULUS *eſt animæ feneſtra, ſpeculum mentis, lumen corporis, membrorum dux* : ſunt enim oculi, veluti quidam anteambulones, qui viam demonſtrent, qui ducant, qui doceant quæ ineunda ſit ſemita, quæve declinanda. Hæc ſi ad mores, ſi ad mentem, ad viam cœli, ad ſemitam virtutum ſectandam, & vitiorum declinandam referamus, perappoſitè divinis *Petri & Pauli* geminis Eccleſiæ oculis (de quibus agimus) congruere reperiemus. Etenim ſi veriſſimè D. Gregorius, Nyſſeni Antiſtes pronuntiarit : m OCULI *nobis omnium operum magiſtri ſunt, atque doctores*, quis non *Petrum*, oculum dixerit, qui non ſolum Judæos docuit, & ſemitam ſalutis oſtendit ; ſed & Romanis, & Anglis, ſcriptiſque epiſtolis ad omnes, quammaxime diſſitos, per Pontum, Galatiam, Capadociam, Aſiam, Bithyniam, quos ad Chriſtum convertit : Hugo Cardinalis : n *oculi Eccleſiæ ſunt doctores : eam enim debent illuminare*, membrorum omnium ductores ſunt, atque doctores, juxta illud Jobi 29 : OCULUS *fui cæco*, ac pro omnibus membris maximè ſolicitus. Quid ni Eccleſiæ oculus *Paulus*, doctor gentium à Deo electus, qui tot gentes natione Barbaras, tot populos errorum tenebris immerſos, orbem denique univerſum, doctrinæ ſuæ radiis illuminando, ad lucem fidei, & ſalutis patriam, viam monſtravit, duxit, & docuit, ut de illo illud glorioſum acroama celebret Eccleſia : *Deus qui univerſum mundum* BEATI PAULI APOSTOLI *prædicatione docuiſti*. Sic inter viros Apoſtolicos Gregorius Nazianzenus, orat. 23. Athanaſium vocat *ſanctiſſimum* ORBIS OCULUM, quales ſi Eccleſia plures haberet, plures duces, & doctores numeraret, qui viam ſalutis monſtrarent. Quid ni Eccleſiæ oculus Paulus, qui pro omnibus membris maxime ſolicitus ? S. Auguſtinus in illud Apoſtoli : o *alia pro aliis ſolicita ſunt* membra, ſubtilem ingenii ſui aciem intendens, oculum pro omnibus maxime ſolicitum obſervavit : p *Ecce*, inquit, *ſpinam calcat pes, quid tam longè ab OCULIS, quam* pes ? *longè eſt loco, proximus charitatis affectu*. Quid tam longe ab hiſce oculis, quam pauperes, miſeri, morbis variis, ac cruciatibus, velut pedes ſpinis, compuncti ? *ſed proximi facti ſunt PAULINÆ CHARITATIS affectu.*

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi ;

Sic oculus ille, ſe lædi ſenſit, imo & uri, ubi vel minimum Eccleſiæ membrum, in Deum peccaret, Chriſto injuriam inferret, ab Eccleſia turpiter deficeret ; quod ardentiſſimis hiſce vocibus profitetur : q *quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non uror* ? hoc ad omnes, & quoſcumque, toto Oceano diſſitos : oculus erat longe locorum loco, *ſed proximus charitatis affectu*, & compaſſionis effectu. Veriſſime, & aptiſſime hic

l Chryſol ſerm. 139. m Greg. Nyſſ. hom. 7. in cant. n Hugo Card. in Pſ. 30

o 1. Cor. 12. p Aug. lib. 50. hom. 15 q 2. Cor. 11. v. 29.

mihi uſurpare licet illud : r *pulchriores ſunt* OCVLI EORVM *vino* ; habent quippe vinum & miſeratio id commune, quod lacrymas in oculis provocent, ut experientia conſtat, & Phyſici docent : cujus hæc eſt ratio è naturâ petita, quod ab utroque vis caloris in ſublime evecta, humorem diſcutiat, unde manant guttæ in lumina, & ſalubrem illam lacrymarum pluviam eliciant. Oculi ſunt januæ quædam miſerationis : per eos enim intrat, ſeſeque inſinuat in cor, triſtium rerum, & miſerandarum ſpecies, inducitque ad miſerendum. Hoc ipſum maximè in oculis Pauli, divini Patres animadverterunt, & prædicaverunt, qui ubique paternam ſuam compaſſionem clarâ in luce ponit, ſolitus flere cum flentibus: cumque videret Hebræorum gentem, quam florentiſſimam, & Deo amicam, ac cœleſtibus bonis affluentem eſſe cupiebat, Dei gratiam, & invectum à Meſſia lumen, cœco & obſtinato animo repudiantem, inconſolabili dolore plangebat, & teneritudine patientis animi, prope dicam emoriebatur. Stillant adhuc piis lacrymis divina illius monumenta, de cujus rei veritate teſtem invocat Deum : ſ *quoniam*, inquit, *triſtitia mihi magna eſt*, *& continuus dolor cordi meo* ; quod ſuſpicit in eo Divus Bernardus, cum dicentem audiret, mundum ſibi crucifixum, & ſe mundo : t *quia*, inquit, *crucifixum mundum videbat obligationibus vitiorum*, *& ipſe crucifigebatur ei per compaſſionis affectum.* Cum innumera in mundo flagitia notaret, prope exanimabatur: nec minores cruciatus ſuſtinebat, quam ſi patibulo confixus, lenta morte vitam effunderet ; quod aperte miſerationis ejus magnitudinem, & ardentiſſimi illius animi zelum declarat. Oculi Pauli, ut piſcinæ jugiter lacrymis madentes, & deflentes erant delicta membrorum Chriſti; ſic enim ait ad Philipp. 3. v *multi ambulant*, *quos ſæpe dicebam vobis*, *nunc autem* ET FLENS DICO, *inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, quorum gloria in confuſione.* At quos veſtrum tangit miſerorum, aut in pauperie, in morbis, aut in flagitiis verſantium commiſeratio? ſi aliter ſubvenire non poſſitis, aut velitis, nobile miſericordiæ genus quod Chryſoſtomus ſuppeditat, uſurpate, quod eſt x *ingemiſcere*; *flere propter eos qui affliguntur* ; in hac enim hominum ſocietate, communique nexu Religionis, ubi myſticum omnes conficiunt corpus, ſi quod malum in aliud cadit, illud à ſe minime alienum putent ; ſed potius æquum, honeſtumque ducant alienis doloribus affligi. Ad quod invitat ſapientis monitio : y *ne deſis plorantibus in conſolatione*, *& cum lugentibus ambula*, ut impleas & illud Apoſtoli z *flete cum flentibus*. Quod præceptum longe ante, Job jam inde ab infantia, uberibuſque hauſerat : a *Flebam*, inquit, *ſuper eo qui afflictus erat*, *& compatiebatur anima mea pauperi* ; cui ſi

r Geneſ. 49. vers. 12. ſ Ad Rom. 9. vers. 2. Bernardus ſermon. 7. de quad.

v Philipp. 3. x Chryſoſt. in Pſal. 129. y Eccl. 7. v. 37. z Rom. 12. v. 15. a Iob, 30. v. 25.

vos nec victum, nec amictum elargiri poſſitis, quas habetis, compaſſionis lacrymas date; ſi errantem, ſi peccantem nec ſalubriter monere, nec efficaciter movere valeatis, compaſſionis lacrymas fundite, ut de Paulo legimus: b *per triennium nocte & die non ceſſavi, cum* LACRYMIS *monens unumquemque veſtrum.* Has Apoſtoli lacrymas Chryſoſtomus tam uberes fuiſſe aſſerit, ut oculi ejus fuerint fontes lacrymarum: c *Ex quonam fonte tanta emanarunt fluenta, ut ex illius oculis lacrymæ?* Et paulò poſt: *quemnam fontem vis comparare cum hiſce lacrymis? Eumne qui eſt in Paradiſo, qui irrigat univerſam terram? ſed nihil dices æquale.* O oculi præclari! ô lumina flumina! quibus non terreſtris Paradiſus, ſed animæ largiter aſperſæ ſunt. Denique expreſſos mihi hos duos Apoſtolos video in ſacro Salomonis Cantico: d OCULI *ſicut piſcinæ in Heſebon*; oculi enim hi inſtar duplicis piſcinæ, ſemper fluentes fuere lacrymis pœnitentiæ, quaſi limpidiſſimis aquis, quibus eluerent ſordes vitiorum, quibus & ſe, & totum corpus Eccleſiæ, quoad fieri poſſet, immaculatum redderent. Non eſt dubium quin oculi, ut ſpecies viſibiles recipiant, aqueo humore pleni ſint, quaſi duo fontes in capite conſtituti; unde oculi apud Hebræos, idem cum fonte nomen ſortiti. Sic Pineda in Job: e OCULORUM *nomen idem eſſe, quod fontis, conſtat ex Deuteronomio.* Quod oculi Divi Petri inſtar piſcinæ continuis lacrymis maduerint, teſtatur Evangeliſta: f *Egreſſus foras*, FLEVIT AMARE. Hic ne Petrus flendi finem fecit? flevit, inquit S. Lucas, quaſi jam lacrymæ illæ præteritæ exaruiſſent; at Marcus in rem noſtram expreſſius: *& cœpit flere*; ubi diſertè & dilucide divinus interpres: g Petrus cœpit lacrymas profundere, & numquam flere deſtitit, adeo ut magno teſte Clemente, canales in oculis ejus exarati eſſent. Paulus h *ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, perſecutus eſt Eccleſiam Dei*; ſed & oculi Pauli jugi lacrymarum fonte manarunt, illud identidem ingeminans, cum amariſſimis lacrymis: k *non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Et rurſus, *prius*, inquit *l*, *blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus.* Et alibi corde contrito, & humiliato, vocat ſe *ſanctorum*, hoc eſt Chriſtianorum, *minimum* m, & quod amplius: *peccatorum primum*, hoc eſt maximum. Unde Chryſoſtomus: n *Ea ſanctis conſuetudo, quæ perperam fecerunt, expendunt quotidie, deplorant, omnibuſque ob oculos ponunt. Talis eſt hic ſanctus noſter, peccata ſua vel nemine impellente, perpetuo verſat,* atque aſſiduis lacrymis deplorat.

Qui cum Petro peccavit, Chriſtum negavit: cum Paulo monenti Deo, ac ſtimulanti recalcitravit, incipiat flere, & fleat amarè, nec de venia deſperet,

b Act.20.v.31. c Chryſoſt. hom. 12. in Ep. ad Coloſſ. d Cant.7.v.4. e Pineda in Iob.c.16.v.17.

f Matth. cap. 26. v.76. g Eſcobar Mendoſa tom.6.in Euang.pag.304. h Act.9.v.1. k 1.Cor.15. l 1. Timot. c.1. m Eph.3. n Chryſoſt.hom. ult.in poſter.Epiſt.ad Corinth.

hortante,

hortante, Apoſtolorum exemplo, Divo Bernardo: o *forte peccaſti in ſæculo? numquid amplius PAULO? Quod ſi & in ipſa Religione, numquid plus PETRO? Attamen illi non modo ſalutem, ſed & ſanctitatem conſecuti ſunt; etiam & ſalutem, & miniſterium adepti ſunt ſanctitatis.* Atque hæc de myſticis Eccleſiæ oculis, veris ac vivis Apoſtolorum ſymbolis. Placuerit forte aliis, alia ſimilitudo, qua p *duo Eccleſiæ ubera*, hi Apoſtoli nuncupentur. Etenim hi ſunt, qui lacte doctrinæ cœleſtis, novellos gregis Chriſti filios aluerunt, donec in ætatem perfectam eos perducerent. Audi Apoſtolum Petrum, primitivos fideles ad hæc ubera ſugenda invitantem: q *quaſi modo geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis ad ſalutem.* Ubera PETRVS præbuit, ubera porrexit & PAVLVS; quin & ambo, ubera fuerunt. Sed quis lacte replevit? An terreni alimenti copiam, in lac converſam fuiſſe arbitramini? minimè. Spiritu è cœlo miſſo hęc ubera replentur; ita Abbas Igniacenſis: r *Ecce repente ſpiritu miſſo de cœlo*, PETRVS *impletus eſt lacte primo, nec multo poſt de Saulo fit* PAVLVS, *prædicator de perſecutore*, MATER *de tortore*, NVTRIX *de carnifice. Vt plane intelligeres, totum ejus ſanguinem mutatum* IN LACTIS DVLCEDINEM, *ſævitiam in pietatem. His igitur* VBERIBVS GEMINIS *pectori ſuo affixis gloriatur Eccleſia.*

o Bern. ſerm. 3 feſto SS. Petri & Pauli. p Petrus & Paulus duo Eccleſiæ ubera. q 1. Petri 2. Vid. S. Thom.
r Guarricus ſermon. 2. de SS. Petro & Paulo.

Petrus ubere de cœlo pleno, omnibus ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, lac cœleſtis doctrinæ inſtillavit, quando in die Pentecoſtes tria millia, & die ſubſequenti quinque millia convertit. Paulum, nutricis inſtar, ſuis ubera præbuiſſe, ipſius evincitur teſtimonio, 1. Cor. 3. ſ *tanquam parvulis in Chriſto* LAC *vobis potum dedi*, appoſitè ad captum eorum, cœleſtis doctrinæ pabulum accommodando. Et 1. Theſſalon. c. 2. t *facti ſumus in medio veſtri, tanquam* SI NVTRIX *foveat filios ſuos.* Hugo Cardinalis in illud ad Heb. 5. *facti eſtis quibus* LACTE *opus eſt*, ſic ait: v *Apoſtolus enim fuit* BONA NUTRIX, fœcundus *lacte cœleſtis doctrinæ.* Hinc minus mirandum dicit Ambroſius, ſi dum capite plexus eſt, inſtar nutricis, lac dederit pro ſanguine: x *de* PAVLI *cervice, cum eam perſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe* LACTIS MAGIS VNDA, *quam ſanguinis; quæ quidem res in* PAULO *ſtupenda non eſt: quid enim mirum ſi* ABUNDAT LACTE, NUTRITOR ECCLESIÆ? Idem confirmat Guarricus Abbas: y *quam plenus* LACTE REDUNDARIT SPIRITUALI, *pulchrè ſignificatum eſt* VNDA ILLIUS LACTIS VISIBILIS, *quod de corpore ipſius fertur exiſſe loco ſanguinis, cum decollaretur: quibus dedit* MAMILLAM, *dedit & animam*, id eſt vitam ſpiritualem, & æternam: hoc etenim lactis flumine plures etiam filios, atque

ſ 1. Corinth. cap. 3. t 1. Theſſal. 2.
v Hugo in Epiſt. ad Hebr. 5. x Ambroſ. ſerm. 69. & Auguſt. ſerm. 2. de SS. Petro & Paulo. ſerm. 26. de ſanctis.
y Guarricus cit.

ipſos carnifices parturiſſe dicitur. Imitatores Petri & Pauli, prædicatores, præceptores, parentes eſſe poſſunt, dum ſpirituali lacte ſuos nutriunt, quod qui faciunt, ſeſe potius matres, & nutrices exhibent, quam qui corporalia ubera parvulis tradunt ſugenda; exponens enim Magnus Gregorius illud Matt. 12. *qui fecerit voluntatem Patris mei, ille meus frater, & ſoror, & MATER eſt*, ſic ait: z *quærendum eſt, quomodo etiam & MATER eſſe poſſit? ſciendum nobis eſt, quod qui Chriſti ſoror, & frater eſt credendo, MATER efficitur prædicando, ſi per ejus vocem amor Domini, in proximi mente generatur*; quod & parentibus convenire, patet ex eo quod ſubdit: *Ad quam rem nobis idoneè confirmandam, adeſt B. Felicitas, quæ credendo extitit ancilla Chriſti, & prædicando facta eſt* MATER, ET NVTRIX, de cujuſmodi veriſſime pronuntiaro:

a *Magna dati NUTRIX præmia LACTIS habet.*

Finio hic, ubi unum illud Apoſtoli inculcaro, ut verbi Dei miniſtri, & magiſtri, non ambulent in ſublimibus & mirabilibus conceptibus, in ſubtilibus ac aridis Theologiæ ſpeculationibus; ſed *lac* ſuis *potum dent*, quo *illis opus eſt, non ſolido cibo*, id eſt, interprete eminentiſſimo Cardinale Hugone, b *doctrina ſubtiliori & altiori*, ſed lacte: *lac enim eſt facilis doctrina, quæ ædificat parvulos, quorum mentes teneras, & anguſtas, panis ſuffocat, quod autem dicitur Thren. 4. parvuli petierunt panem, id eſt ruſtici idiotæ* (mulierculæ) *volunt doctrinam difficilem, & ideo ſunt hæretici, quia* LACTE SIMPLICIS DOCTRINÆ *non ſunt contenti. Hoc eſt contra ſcholares, qui dimiſſa hiſtoria, & moralitate ſcripturæ, quæ* UT LAC NUTRIT, *ſtatim inſiſtunt ad quæſtiones difficiles*; cum præcepta Dei, & Eccleſiæ inculcanda, vitia & flagitia exaggeranda, noviſſima, & æternitatis ſupplicia ac præmia prædicanda, via denique ſecura ſalutis demonſtranda. Quos Chriſto genuerunt, velut parvulos, inſtructionis, ac monitionis, & orationis lacte alant, promiſſis animent, ſi cadere contingat, erigant, & infirmos greſſus firmare contendant, quæ omnia Chryſoſtomus in Paulo commendat, de quo illud aurei oris encomium: c *quaſi univerſum mundum* GENUISSET, *ſic currebat, ſic feſtinabat, omnes in regnum Dei inducere, docendo, pollicendo, orando, ſupplicando, aliquando epiſtolis, aliquando ſermone, & præſentia: nunc per diſcipulos, nunc per ſemetipſum conabatur erigere labantes, firmare ſtantes, humi jacentes ſuſtollere*, ut parvulos in humeris portare. Plura non addo, qui hæc myſtica Eccleſiæ ubera premere voluerit, quæ *Petrus & Paulus* ſcripſit, conſulat, & uberrimum animarum ſibi commiſſarum lac eliciet.

Hos duos Apoſtolorum primipilos, geminas columnas eſſe oſtendimus in cœleſti Pantheo d

z S. Greg. hom. 3. in Evang. a Ovid. lib. 2. faſt. b Hugo in cap. 5. Epiſt. ad Heb.

c S Chryſoſt. hom. 3. de laud. Pauli. d V. Pantheon. feſto SS. Petri & Pauli & SS. Simonis & Iudæ.

Qu

Qui duas tubas eſſe, demonſtrare voluerit, ex feſto SS. Simonis & Judæ petere poterit. Vnicum qui mihi hoc in argumento ſcopus eſt, ſectabor, ut *nubes*, & ex iis *fulgura*, *Petrum & Paulum* exſtitiſſe, valeam comprobare,

§. II.

Qui ſunt hi, qui ut NUBES *volant?* Iſa. 60.

Cum divinus vates, velut anceps, & anxius hæreat, qui, qualeſque viri ſint, quos nubibus audeat compararet, emere hic fortaſſe agere videbor, ſi Eccleſiæ Principes, ſanctos hos Apoſtolos conferre in animum induxero, & hanc nubium comparationem quis forte omnino futilem ac inutilem, tantæque dignitati ineptam arbitrabitur: nihil enim videtur nube levius, inanius, aut vanius, quæ omni vento jactatur, aut ſi ardore ſolis incaluerit, inani ſtrepitu diſſilit, in pluviam ſolvitur, & evaneſcit. Quare de iis, qui vana & inania ſectantur, dicimus: e NVBES *& inania captat.* Iſto in genere doctis fabularum commentis, nobilitata fuit Ixionis captio, & deceptio, qui pro Junone, inanem nubem complexus eſt. Quales hic multi, quos *fallax gratia, & vana pulchritudo,* & umbra, aut nubes humanæ felicitatis fallit, ut ad inanitatem adumbrandam, nihil videatur accommodatius; omnes pulchritudinem, qui fluxa & inania ſectantur, pro Junone, nubem amplexantur. Quid, quod Magnus Gregorius, nubes vanitatis, & mobilitatis ſymbola indigitet? f *Per* NVBES *quippe mobilitas humanæ mentis exprimitur, ſicut Salomon ait: qui ventum obſervat, non ſeminat. Et qui conſiderat* NVBES, *non metit. Ventum procul dubio immundum ſpiritum:* NVBES *vero ſubjectos ei homines appellat, quos toties huc illucque impellit, & revocat.* Sed ſi divina oracula, & quæ æterna Dei ſapientia in nubibus myſteria celarit, expendamus, nihil ſubtilius, nihil ſublimius, utpote quas ſupremæ intelligentiæ, ipſumque numen in ſuos uſus aptavit, & adamavit, excogitari poteſt. Ex illis enim ſibi currum triumphalem, & imperatoriam ſellam conficit, iis velut honorato paludamento veſtitur, in iiſdem ut ſplendido ac ſpecioſo palatio inhabitat. Cum Moyſi de adventu ſuo prædicit: g *veniam*, inquit, *ad te in caligine* NVBIS. Illo apparatu magnifico venientem mirabatur Iſaias: h *Ecce Dominus aſcendet ſuper* NVBEM LEVEM; in Hebræo: *Equitabat ſuper* NVBEM LEVEM; quæ proinde nubes, aut imperatorium ſolium, aut regia rheda, cœleſtibus quibuſdam ornamentis collucens videatur. Atque in ipſo pretioſiſſimo orbis templo, dixit i *habitaret* IN NEBVLA; adeo ut ſi pſaltes regius, admiratione at-

e Horat. de arte.

f S. Greg. lib. 27. mor. cap. 5.
g Exodi 19. vers. 9.
h Iſaiæ 19. vers. 1. i 3. Reg. 8.

tonitus exclamet: k *magnificentia ejus, & virtus ejus* IN NUBIBUS. Quam magnificentiam ab æterno patre, in lege veteri patefactam, tantum abeſt, ut filius in novo teſtamento imminuiſſe putandus ſit, ut etiam cumularit: nam in ſua glorioſiſſimâ transfiguratione, ubi eluxit magnifica gloria, ut Divus Petrus oculatus teſtis tradidit *l*, pro ſplendore eximiæ pompæ, grande veluti conopæum roſeæ nubis adhibuit, non divinitate minus, quam argentea luce radiantis. Cum vero in cœlum, domitâ morte victor remearet, non elephantis ut alii, non leonibus, non albis quadrigis in empyreum eſt invectus; ſed *m* NUBES *ſuſcepit eum*, & quod ſubtiliter notat Chryſoſtomus, paternum currum delegare voluit, jam toties à divinitate uſurpatum, ad indicandam auguſtiſſimam majeſtatem. Inde quoque ad orbis univerſi ſpectaculum, ad generalia illa comitia, extremo die, cum gloriâ & majeſtate, *n* IN NUBIBUS *cœli eſt venturus*. Non eſt igitur, quod quis nimis humilem, aut levem hanc virorum Apoſtolicorum imaginem arbitretur, ſi dicamus eos in divinis oraculis ſpecie nubium fuiſſe expreſſos; de iis enim ſacri commentatores, illud Pſaltis purpurati intelligunt: o *Quis* IN NUBIBUS *æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filiis Dei?* unde dum clamat Iſaias: p *qui ſunt hi, qui* VT NVBES *volant*, Hugo Cardinalis propriiſſimè in rem noſtram exponit, dicens: q *comparantur ſancti Apoſtoli, & prædicatores* NVBIBVS, *multis rationibus: volant enim ad alta per contemplationem.* Sic cum r *aſcendiſſet* PETRVS *in ſuperiora, ut oraret, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum.* S. Thomas: s *raptus fuit* PETRVS, *quando vidit linteum immiſſum de cœlo, & dicitur quod factus fuit in Ecſtaſi.* Sic Paulus *raptus eſt in tertium cœlum*; qui *raptus*, ut tradit Doctor Angelicus, t *fit per virtutem divinam; & tum proprie dicitur elevatio*, qua animus imo & corpus, inſtar nubis levis, in ſublime attollitur. Et *ideo raptus definitur ſic: raptus eſt, ab eo quod eſt ſecundum naturam, in id quod eſt ſupra naturam, in vi ſuperioris naturæ elevatio.* Tertium autem cœlum, paſſim Patres intelligunt empyreum, ſeu ut ipſe loquitur, paradiſum, v *ad videndum eſſentiam Dei ita clare, ſicut vident eum angeli ſuperioris & primæ hierarchiæ*; hoc autem tam familiare fuit Paulo, ſupra omnia terrena rapi, ut ipſe liberè profiteatur: x *noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Tales nubes extitere ſancti, & ſanctæ, per ſublimem contemplationem in aëre penduli, & ſupra nubes rapti ſunt, quos cum innumeros reperire ſit, cuique ſuos recenſendos relinquo. Hi ſunt, *y qui* VT NVBES *volant: qt ia terram quaſi non tangunt, quia in ipſa nihil appetunt*; ſuper omnes mundi vanitates, & inſanias falſas, ſuper

k Pſal. 67. v. 35. l 2. Petr. 1. m Act. c. 1. v. 9. n Matth. 26. o Pſal. 88. p Iſa. 60.

q Hugo Card. hic. r Act. 10. v. 10. ſ S. Thom in 2. Cor. 11. t S. Thom. 2. 2. quæſt. 17. & in 2. Cor. 12. v S. Thom. cit. x Philip. 3. verſ. 20. y S. Greg. hom. 18. in Ezech.

car-

carnis delicias, & fluxas divitias, & vanos honoris titulos, & faſces, & mitras, & ſceptra, evolant, quia hic nihil appetunt. Rurſus percunctari libet: *qui ſunt iſti, qui* VT NVBES *volant?* & reſpondet: z *qui per mundum diſcurrunt ad prædicandum, & compluendum.* Quod, qua ratione fiat, mox ſubjungit: NVBES *replentur, ſive concreſcunt, & inturgeſcunt aquis, ſcilicet gratiarum: Proverb.* 3. *ſapientiâ illius eruperunt abyſſi, &* NVBES *rore concreſcunt Poſt repletionem autem reſolvuntur per ardorem ſolis, & depluunt in opera pietatis, & in pluviam bonæ exhortationis, & ſic terram compluunt exemplis & doctrinis. Unde Eccl.* 11. *ſi repletæ fuerint* NVBES, *imbrem effundunt ſuper terram.* Repleri prius oportet, verbi Dei præconem, rore cœli, & *aquis gratiarum*, priuſquam pluat, & ſe effundat; alias velut a *nubes ſine aqua*, ſine fructu circumfertur, & inaniter crepat; undè malè ſibi nubis, doctoriſque munus aſſumit, qui ſibi ſapiens videtur, & tanquam *nubes ſine aqua*, inanis gloriæ vento abripitur; nam ut ait Thalaſſius cent 4. n. 26. *mens opinione ſua ſibi ſapiens,* NVBES *eſt ſine aqua, à ſpiritu inanis gloriæ, & ſuperbiæ agitata*: cujuſmodi nubes, hoc ſæculo complures videmus volantes, & audimus inaniter crepantes, ſordes & lutum generantes, ut rectè Bernardus: b *væ nubibus pluentibus imbres, qui lutum faciant, fructum non adferant.* Non in his quieſcit Dominus, aut ſedem figit, ut ſcitè Origenes, tract. 35. in Matt. obſervavit, expendens illud: *videbitis filium hominis venientem* IN NVBIBVS COELI, Apoſtolos nubibus conferendo, ait: *quæ ſunt* NVBES, *ſuper quas veniet, aut cum quibus veniet, aut ad quas pertinget veritas* DEI, *ſecundum quod ſcriptum eſt: Et veritas tua uſque ad* NVBES, *Prophetæ Dei, &* APOSTOLI *Chriſti, quibus mandat pluere ſuper vineam ſine fructu.* Super has nubes veniet excelſus in aëre; non ſuper illas nubes, quæ ſine aqua, inanes, leves, & omni vento mobiles Non tales, de quibus Zacharias vaticinatur, dum viros Apoſtolicos, c *nubes ſanctas* appellare non dubitat; cujus nominis duas omnino cauſas vir doctiſſimus, idemque ſanctiſſimus, Cyrillus Alexand. profert: d *vel quod,* inquit, *ſanctorum mens ſublime feratur, & terrena cogitata, humiliaq; repudiet; cœleſtia verò perſequatur: vel quod* SPIRITVALIVM MORE NVBIVM, *pluviis altos irrigare ſoleant.* Quod fit, cum divinus ſpiritus, verbi Dei concionatores, ut myſticas nubes, charitate, doniſque imbuerit, quibus ſapientiæ fluenta diffundant. Tum ros quidem ab illis divinè ſparſus, omnibus omnia fiet, in terra flores, in conchis uniones, in alvearibus mel, ambroſiamque germinabit. Veriſſimum fateberis illud pſaltis: e *vocem dederunt* NVBES, vocem virtutis, qua populum ad omnem virtutem informent. Abſque illo divino ſole brutæ ſunt nubes, atque inani bombo crepantes veſicæ, quæ puerili ludo potius, quam veritatis præconio inſerviant; ſed quo-

z Hugo cit. a S Iudæ. 12.
b Bern. in Cant. ſerm. 58.

c Zachar. 2. ex ſeptuag. d Cyrill. Alexand. hic. e Pſal. 76, v. 18.

rum, ut ros, aut pluvia, eloquium fluit, ad omnem creaturam ſe accommodant. Nam ut Cyrillus Hieroſolymitanus: f *labens aqua è* NUBIBUS, *alba fit in liliis, rubra in roſis, purpurea in hyacinthis, ac in diverſis ſpeciebus diverſa, & in omnibus fit omnia*; quæ Paulus de ſe ipſe teſtatur: *omnibus omnia factus ſum*, ut pluviæ inſtar, omnium animis illaberetur, & Chriſto lucrifaceret. Cum Phariſæis, Hieroſolymæ legiſperitum agit: Athenis inter Philoſophos, & Poëticæ amatores diſputat, & Poëtice loqui non dedignatur: opifices inter, profitetur opificem, & arte Scenofactoriâ duratas manus oſtendit: Græcis Græcanicus, Judæis Hebræus, Romanus Latinis eſt: Flet cum flentibus, gaudet cum gaudentibus, omnibus denique fit omnia. *Qui ſunt* igitur, divine Propheta, *qui* VT NVBES VOLANT? Audiamus Gregorium, qui teſte S. Hildephonſo, g *vicit ſanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, ſapientia Auguſtinum*, hic in Ezech. cap. 18. h *Rectè, prædicatores ſancti*, NVBES *appellati ſunt: quia verbis pluunt, miraculis coruſcant; qui volare quoque ut* NVBES *dicuntur*. Quæ omnia, quam inſtituto noſtro accommodata ſint, & Apoſtolis noſtris convenientia, videamus. Nonne Petrus & Paulus *ut nubes volant*, & ad ultimas mundi oras, *ſpiritu vehementi* feruntur, *ut nubes vento ducitur*, & ubi erat impetus *ſpiritus, illuc gradiebantur* i. Teſtis eſt Antiochia, ubi primum vocati ſunt Chriſtiani: Teſtis Pontus, Galatia, Cappadocia: teſtis Aſia, atque Bithynia, quas everſis idolorum delubris, & gentilium monſtris, diſcuſſis errorum tenebris, veræ lucis radiis colluſtravit, & cœleſtis doctrinæ pluvia *Petrus* irrigavit: teſtis orbis Domina Roma, quam ſuo ſanguine purpuravit: teſtis univerſus orbis, quem dum voce tonuit, & miraculis coruſcavit, ad Chriſtum pertraxit; ſic etenim de hoc Apoſtolorum Principe S. *Leo*, k *illuſtre fidei lumen*, differit: l *jam populos, qui ex circumciſione crediderant, erudieras: jam Antiochenam Eccleſiam, ubi primum Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaveras. Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras. Nec ut dubius de proventu operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Chriſti, Romanis arcibus inferebas*. Anguſtus illi orbis erat. Paulus autem, cujus ardor immenſæ charitatis, unius Judææ finibus contineri non potuit; ut nubes volans, adit Corinthum, in Peloponeſum, in Macedoniam: irrigat Aſiæ urbes, atque Europæ: luſtrat Hiſpaniam, inſulis quoque per Ægæum mare ſparſis, Evangelii lucem impertitur: in Italiam cataplum cœleſtium bonorum inducit, pluit undique aureum imbrem Religionis, & ſanctitatis. O mirificam nubem! quam ſol magnus ad mortalium bonum ſuſtulit, & è mundani hujus maris

f Cyrillus Hieroſol. Catech. 16. g S. Hildephonſ. de viris illuſt. cap. 1. h S. Greg. hom. 18. in Ezech. i Hugo in Acta, & in Iſai. c. 60. Ezech. 1.

k Sophron. orat. in Chriſti Nat. l S. Leo. ſerm. 1. feſto SS. Petri & Pauli.

ris ſalſugine attractam, in dulcem pluviam fecit redundare: m *non enim* NVBES *retinent amaritudinem marinam*, *ſed mutant in ſe ſaporem maris*; ipſe de ſe loquatur ad Rom. 15 n *Ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum*, & omnes interjacentes provincias peragravit, aut potius volavit, prædicans verbum Dei; quæ Chryſoſtomus ſic paucis complexus eſt: o *in tantum progreſſus eſt, ut vix triginta annorum ſpatio, Romanos, Perſas, & Parthos, & Medos, & Saracenos, & omne prorſus humanum genus, ſub jugum mitteret veritatis.* De Palladio, curſore quodam Romani Imperii celeberrimo, ac celerrimo, dicere ſolebant ad Theodoſium, ejus Principes ac dynaſtæ, cum feſtivo quodam plauſu: *p* Palladium feciſſe auguſtiſſimum illud Romanorum Imperium breve, & anguſtum, quia tanta illud celeritate circuibat, ac perluſtrabat, ut breve & anguſtum videretur. Quid vero *Paulus?* Non modo Romanum Imperium, ſed univerſum orbem, exiguum reddebat, & anguſtum, tanta illum pernicitate decurrebat, aut potius pervolabat; quod D. Chryſoſt. diſertè expreſſit, dicens: q *Apoſtolum totam ſub cœlis Regionem, quanta eſt*, VOLITANDO *circumiviſſe*. Et iterum: *tanquam pennatus totum docendo* PERVOLAVIT *orbem*. Unde S. Thomas, hoc de illo prædicare non dubitavit: r *nullus Apoſtolus per tot loca prædicavit, & annuntiavit Chriſtum*, UT PAVLVS. Addit Hieronymus, s *ut antè eum terra deficeret, quam ſtudium prædicandi.* Porro ſi Romanus Philoſophus magis magnificè, quam verè pronuntiavit: t *non ſum uni angulo natus*; quanto verius hi ſpiritu Dei pleni, hæ nubes volantes (qualis Xaverius, aliique viri Apoſtolici, quibus hæc omnia accommodari poſſunt) *non uni angulo*; ſed Provinciis, ſed Regionibus, ſed Regnis, ſed orbi univerſo ſe natos, jure queunt prædicare? *Ut* v *in omnem terram exeat ſonus eorum, & in fines orbis terræ, verba eorum*; idque roris inſtar, aut pluviæ uberrimæ. Appoſite Doctor Africanus, in illud Iſaiæ: x NVBIBVS *mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem*, de SS. Apoſtolis, & ſacris myſtis intelligit, qui doctrina, concionibuſque ſuis, imperitæ multitudinis animos irrigare, & fœcundare ſolent: y *Intelligimus, fratres*, NVBES ISTAS, *ſicut cœlos, prædicatores eſſe veritatis, Prophetas, Apoſtolos, annunciatores verbi Dei: nam iſta omnia prædictorum*, NVBES ESSE DICTAS, *ex illa Prophetia intelligimus, ubi Deus iratus vineæ ſuæ dixit: mandabo* NVBIBVS MEIS, *ne pluant ſuper eam imbrem.* Ex quibus conſtat, nubes Apoſtolos, & Eccleſiæ operarios nominatos, quod pluviam ſalutaris eloquentiæ, doctrinæq; cœleſtis placidè in animos omnium dimittant, unde uberrimi & diviniſſimi fructus oriantur. Pluviam enim ſymbolum eruditionis, atq; facundiæ, tum ſacri, tum profani

m Hugo in Iſa. 60. n Rom. 15. v. 17. o Chryſoſt. hom. 1. de laudibus Pauli. p Nicephor. lib. 14 c. 21. q Chryſoſt. hom 1. de laudibus S. Pauli. r S. Th. in Epiſt. ad Rom. 15.

s Hier. l. 2. in 15. Amoſi. t Sen. Ep. 28. v Pſal. 18. x Iſaiæ 5. v. 6. y V. Aug. in Iſa.

auctores voluerunt: z *concreſcat*, inquit Propheta, *ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.* In hanc ſententiam S. Cyrillus: a NVBES INTELLIGIBILES, *eſſe dicimus ſupernas poteſtates, à quibus ſpirituales conſolationes, pluviæ inſtar demittuntur, & in corda diſtillant credentium; vel etiam ipſos ſanctos Myſtagogos, & eos qui ſunt in terra; quorum primi, & primitiæ fuerunt diſcipuli, & ſacroſanctum ſermonem diſſiparunt, & quaſi ſiticuloſam quampiam & fructuoſam terram, quotquot ubique ſunt exhilarantes, & quaſi intelligibiliter irrigantes, ſpiritualis feracitatis cauſæ in illis exſtiterunt.* Attendite, & expendite, auditores, felicitatem veſtram, ſuper quos tot Apoſtolorum ſectatores, ut nubes volantes, doctrinæ ſacræ eloquium velut pluviam ſalutarem, & imbrem aureum ubertim depluunt: b *Prædicatores enim* NVBES SVNT, *qui totam terram animarum fidelium irrigant imbre, & pluviâ doctrinæ Evangelicæ, ut fructificent fructus bonorum operum*; illis aures, illis cordis ſinum pandite, ut hunc cœleſtem rorem, & gratiæ pluviam excipere valeatis: c ISTÆ NVBES *reſolvuntur in aquam, cum terram cordis noſtri, doctrinæ ſuæ fluentis inebriant: ut eam ad proferenda pii operis germina, fertilem reddant.* Qua ſalubri irrigatione, recogitate animis veſtris, quot barbaræ, deſertæ, ac heterodoxæ nationes, etiam nobis vicinæ, deſtitutæ ſint, quæ velut montes Gelboe, ſuper quos nec ros, nec pluvia cadit, aut vinea, cui maledixit Dominus: d NVBIBVS *mandabo ne pluant ſuper eam imbrem*, meritò lacrymarum imbre rigandæ, hoc de Judæa, deſertiſque fidei myſtis Regionibus, & Inſulis, queritur Auguſtinus in Pſal. 45. e *irrigaverunt terram* NVBES ILLÆ (Apoſtoli, & Prædicatores) *de* HIS NVBIBVS *minatur cuidam vineæ ſterili*: MANDABO NUBIBUS MEIS, *ne pluant ſuper eam imbrem; quando dictum eſt, ad vos miſſi eramus; ſed quia reſpuiſtis verbum Dei, ibimus ad gentes. Impletum eſt*, MANDABO NUBIBUS MEIS *ne pluant ſuper eam imbrem. Denique ipſa gens Judæa, modo ſic remanſit, tanquam vellus ſiccum in areâ.* Quo ſimul innuit & illi urbi, ac populo timendum, qui hunc aureum verbi Dei imbrem, viliſſimè pendunt, nec ad eum hauriendum pedem movent; ſed potius ad fabulas comœdi, & hiſtrionis convertuntur, ne maledictione illa Dominus vineam etiam catholicam ſuo ſanguine aſperſam percutiat, *mandabo* NVBIBVS MEIS *ne pluant ſuper eam imbrem*; ſed quid eſt myſterii, quod Apoſtolos, & horum maximè Principes, nubes potius, quam ſeminatores indigitem, & compellem? Suavem ad mores, libet ex Olivâ fructum decerpere, ut quid miniſtros Evangelicos, Iſaias nubes appellet: f *qui ſunt hi, qui* VT

z Deuteron c. 32. v. 2. a S. Cyrillus lib. 4. in Iſai. in illud, ſpargant nubes juſtitiã, vel ut in vulg. nubes pluant juſtum. b S. Thom. de villa nova. conc. in Dom. 4. Advent. c B. Pet. Damian. ſerm. 42, de nubibus.

d Iſa. 5. v. 6. e Aug. in Pſal. 45.
f Ioan. Paulus Oliva. tom. 2. Conc. 9. num. 121. pag. 147. Apoſtoli nubes, quæ gratis pluunt; non ſeminatores, qui lucrum intendunt.

NVBES VOLANT? Eos potius ſeminatores dixiſſem, quando cum agro comparatur Eccleſia, cum ſemine verbum Dei, & cum frumento ac fruge, actiones Chriſtianorum, dubito an non conveniat Agricolæ, & ſeminatoris appellatio: quoniam qui agrum colit, tres adhibet cautiones, quibus oſtendit ſe utilitati ſuæ valde ſtudere. Primum, Agricola dum ſerit, ſpargit tritici quam minimum poteſt, idque manu compreſſa potius, quam aperta; tum nequaquam ſerit, ſi ager cultus non ſit, ſi exhorreſcat ſaxis, aut vepribus; denique ſemen jacit; ſed ut mox colligat, plura ſperans, quam donet. Econtrario nubes, largè effundunt aquarum copiam, tam in ſteriles Gelboe montes, quibus maledixerat David, atque in Carmelum habitatum ab Helia, & ab arte excultum: neque in ſpem ſibi meſſis eliquantur in pluviam; imo imbribus irrigant tam ſpinas quæ pungunt, quam roſas quæ recreant. Hæc, inquit obſervatio eſt Petri Cellenſis: g *nam qui ſeminat, primum in ſpe percipiendi fructus, ſeminat: deinde non fundit, ſed ſpargit. Poſtremos non niſi cultæ terræ ſemen ſuum credit. Horum nihil imitatur pluvia; ſed ſeipſam, ut ita dicam, perdit in terræ viſceribus, & ſine delectu rigat fœcunda, & infœcunda: fertilem agrum, & ſterilem: granum electum, & germen reprobum.* Hocce ſymbolo depingitur verus Chriſti miniſter, & vir Apoſtolico ſpiritu plenus, qui non attendit an ſuſcepta occupatio ſit infœcunda, an ſterilis: an munus vulgare ſit, an ſublime: an quos inſtruit, nobiles & divites; an ſuis laboribus propoſita ſit merces, an oblivio: an ex hoc gradu, tranſitus ſit ad ſublimiorem dignitatem; ſed his omnibus motivis humanis rejectis, impoſitum ſibi munus, ſolam DEI gloriam, & honorem præ oculis habens, exequitur: Et nubium inſtar, nihil cupit, ſe totum miniſteriis Evangelicis tradens. Hoc eſt quod ſanctus Abbas inculcabat: *malim te pluere, quam ſeminare.* Hodierna die raros invenire eſt, qui nubium inſtar ſe effundant, & pluant ſuper juſtos & injuſtos, ſuper divites & pauperes; ſuper paucos & multos, nullâ laborum mercede propoſitâ; ſeminatores verò plures, qui ne unum quidem granum ſpargerent, niſi ex illo quamprimum ſe lecturos ſperarent amplos manipulos. Scio ab iis, qui utilitati ac lucro temporali intenti ſunt, mox opponi: ſi ſpes præmii, operariis in vineâ, nulla ſit, brevi illam deſerendam, nec futurum, qui excoleret, & ligonem poneret: vix ad colendum agrum hominem invenies, qui ſi ſtipendio fruſtretur, non ſimul laborem ſubterfugiat, & Apoſtolatum ejuret. At, quid ſi vobis comprobaro, nullum aptiorem fore ad culturam agri Eccleſiaſtici, aut magis idoneum ad divinum cultum promovendum, quam eum qui mercedem neque flagitat, neque ſpectat? Quis magis in Eccleſiâ deſudavit, quam hi, de quibus agimus, Apoſtoli? Quid illis vires, & animos ad operandum addidit? Quid ad prædicandum ſtimulos ſubdidit? Quid famem, ſitim, ærumnas, carceres,

g. Pet. Cellenſis lib. 1. cap. 23.

carceres, probra, flagella, pericula quævis adire impulit? Quid acerbiſſimos cruciatus tolerare, vitam, & ſanguinem fundere fecit? niſi ſolus animarum zelus, & unicus fidei, ac gloriæ propagandæ ſcopus, nulla nec honoris, aut laudis, vel promotionis, aut lucri temporalis per umbram, mercede ſpectata, quam ſi conſequi voluiſſent, omnem laboris, & ſudoris, & ſanguinis ſui, (quo agrum Domini largè irrigarunt) fructum: & apud ipſos gentiles avaritiæ, & ambitionis merito inſimulati, omnem ſanctitatis exiſtimationem perdidiſſent, quamvis vocis tonitruo tot mortuos ad vivos, quot extremæ tubæ ſonitus, revocaſſent: nam ut orator aureus ſolerter obſervavit, inſtitores, aut deceptores potius, quam primæ veritatis præcones habiti fuiſſent: h *Quid igitur, inquies, fuit, quod illos magnos effecit? Certè verus, ac non ſimulatus gloriæ, atque pecuniæ contemptus. Nam niſi hoc habuiſſent, etiamſi à morte innumeros homines ſuſcitaſſent, nomen deceptorum non effugiſſent.* Unde non ſterileſcet vinea Domini, nec ſilveſcet ager Eccleſiæ, ſi miniſtri Chriſti, & viri Apoſtolici, nubium inſtar, ſe gratis effundant; imo qui ad hunc excolendum, ſtudio & zelo divinæ gloriæ acceſſerit, multo plura & præſtantiora efficiet, quam innumeri operarii cupiditate ſtipendii illecti, aut propriæ laudis, vel promotionis ineſcati. Illi, illi prorſus zizania, & infelix lolium exſtirpant, atque infœcundos palmites intrepidè reſecant, quibus Deus ſolus, omnis laboris, & ſudoris ſcopus, atque unica miniſterii abjecti licet & ardui, merces eſt. Viles ac venales animæ ſunt, quæ paſcunt oves, ut paſcantur ab ovibus: qui agrum excolunt, ut de fructibus ejus edant: qui laborant ut manducent: ad hoc militant, ut ſtipendium mereant. An artium ulla eſt, quæ ſui utilitati magis intenta ſit quàm militaris? gloriæ tam cupida & rapinæ avida? miles non pugnat, nec in propugnaculorum pinnas evadet, niſi ſpe lucri, aut honoris animos erigat; hac potitus, turpiter ſe à periculis recipiet, & partis fruetur, ac dominabitur. Arma Lucullus in oriente contra Mithridatem movebat, quem ut prima fronte perterrefaceret, ad Regni limites munitiſſimam arcem obſedit. Dum exercitus vario aſſultu obſeſſos agitat, miles quidam gregarius ludens cum ſociis, nummos aliquot amiſit, quos multis annis parſimoniâ ſua collegerat, ut poſt ſtipendia facta, jam ſenior haberet unde viveret. Poſtridie Lucullus, ut arcem tandem expugnaret, omnium copiarum impreſſionem inſtituit. Erat arx acceſſu perdifficili, neque ullus erat, qui auderet in murum conſcendere. Tunc conſul militem inflammaturus, pollicetur auri talentum, & gradum militiæ ſublimiorem, ei qui primus in hoſtili propugnaculo Romanum ſignum defigeret. Miles cui pridie ludus omnem pecuniam ademerat, pertæſus vitæ in tanta inopia peragendæ, àudito edicto, rem agendam ſuſcepit, & ſigno ad humeros alligato, fortitudine admirabili, gladio in oppoſitum murum enitens, emerſit in propugnaculum, hoſtem

h Chryſoſt. hom. 47. in Matt.

ſtem perculſum ſubmovit, ſignum conſtituit, commilitonibus viam aperuit; unde tandem capta arx, & expugnata eſt. Statim Imperator promiſſo præmio donavit militem, & eventu proſpero impulſus, aliam arcem oppugnat, arte & præſidio munitiſſimam. Cum autem oppugnatio lentius, & ſegnius progrederetur, evocat victorem illum militem, jam centurionem, atque invitat ut ſimili impreſſione, qua primam arcem invaſerat, gloriam ante partam cumulet, atque inſtauret:

k *I bone, quo virtus tua te vocat; i pede fauſto,*
Grandia laturus meritorum præmia. Quid ſtas?

Miles jam opulentior, excuſare ſe modeſte, modo invaletudinem ſimulans, modo affirmans in tuto eſſe fortunam; temerarium illam ſæpe tentare, & provocare; deinde, locum ſe fortioribus permittere, poſtea dicere, nolle ſe invidiam concitare, aliiſque æmulis palmam præripere. Tandem cum Lucullus inſtaret, apertè dixit: Imperator, cui auro plenum eſt marſupium, non facile, ut cum vita omnia perdat, ſeſe expoſuerit. Forſitan putas me vitam in diſcrimen tantum adduxiſſe, dum muro hoſtili Aquilam infixi, ut Romanum Imperium, novam hanc urbem, inter devictas numeraret? Ille mihi animus non fuit: potiri præmio, aut mori cum gloria volui, quia inglorius cum inopia conflictabar; modo cum res meæ in tuto ſint, & ſenectuti proviſum eſt, ſtabo quidem fortis in ſtatione, ſed non ibo eum in locum, à quo tam multi abſcedunt:

Poſt hæc ille catus quantumvis ruſticus ibit;
Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit.

Ecce quomodo ſtudium utilitatis, fortes animos enervet, & dejiciat, & generoſos à magnanimis auſis abducat. Ex quo falſiſſimum patet axioma, Eccleſiam viris Apoſtolicis, ac ſtrenuis operariis deſtituendam, ſi ſpes lucri temporalis, aut promotionis præcidatur. Noſſe vultis fidos Eccleſiæ operarios, ac Chriſti miniſtros? Hi ſunt, qui ut nubes volant, ut nubes, laboris, ſudoris, ac ſermonis ſui pluviam fundunt, rumpi & diſcindi optant, ut fulmina in obduratos ejaculentur, non alio fine, quam ut ſaxea corda moveant, & rupes in fontes aquarum, in lacrymarum imbres ad Dei gloriam eliqueſcere faciant; ſic de Illuſtri Antiſtite Arverno Sidonius: l *tota illi actionum ſuarum intentio celeritas, moræ, erat Chriſtus; ſic Petrus, ſic Paulus,* ſic viri Apoſtolici deſudarunt. Verum hæc miranda potius, quam imitanda, mercenarii occlamant: raros, aut nullos in hoc mundo reperiri, qui ad eum perfectionis apicem pertingant. Ignis quidem ſub concavo lunæ lucet, & ardet ſine ullo pabulo, aut materiæ alimento; at in mundo inferiore, neque ignis vivit, nec agit, niſi quo paſcatur, & nutriatur, fomentum habeat; ita nec humanus animus, niſi ſpe mercedis ac præmii foveatur. Ejuſmodi homines, mercatores, ac inſtitores, quam

k Horat. Ep. ad Iul. Flor.

l Sidonius l. 7. Ep. 13.

toto

toto cœlo aberrent, illuſtres veteris ac novæ legis heroes evincunt. Quid Magnus ille Patriarcha Abraham ſpectavit, aut expectavit, dum ferrum in unici Filii jugulum ſtrinxit, quo ſpem omnem poſteritatis demeteret? Quid Joſeph ſperavit, cum integritatis amans, dominam in ſe concitavit, quam ſervam, ſi peccaſſet, reddere poterat? Quid Moſem impulit, cum aula egreſſus, mancipiis ſe adjunxit? Quid Daniel, & tres ſocii ambitionis habuere, dum ne DEI legem violarent, in ſe Regis furorem concitarunt? Quid innumeri Martyres, dum intrepidi in rogos, & rotas ruerunt? Quid denique tot Virgines, & juvenes, qui ſpretis mundi divitiis, & carnis deliciis, intra Religionis clauſtra ſeſe vivos tumulantes, humanæ mercedis ſpectaſſe exiſtimatis? non aliam, quam Angelicus ille ſanctimoniâ, & ſcientiâ Doctor, cui poſt tot exarata volumina, ſeu divinæ veritatis oracula, Chriſtus è cruce illi offerens quidquid in rebus creatis eximium foret: *bene ſcripſiſti de me Thoma: quam ergo mercedem habebis?* Ad quæ inflammato corde reſpondit: *nullam præter te Domine*; quibus quatuor verbis, quatuor mundi partes, & quidquid iis continetur abjecit: quod & reipſa oſtendit, dum in Vaticano ad ſummi Pontificis pedes, mitram ſibi oblatam dimiſit. Hic ſanè ſe dignum Chriſti miniſtrum, & verum Eccleſiæ operarium exhibuit, dum famæ celebritatem, & nominis immortalitatem, & dignitatis titulos, & librorum venerationem, & quidquid mundus amat, & amplectitur, generosè aſpernatus eſt. Tantum ergo abeſt, ut merces intenta, aptos, & eximios Chriſti operarios reddat, ut eos tanquam mercenarios à grege ſuo arcendos, ſummus Paſtor, graviſſimè execretur: m *Mercenarius videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oves.* Ubi Magnus Gregorius, n *Organum ſancti ſpiritus*, ſic diſſerit: o *ſunt nonnulli, qui dum plus terrenam ſubſtantiam, quam oves diligunt, merito nomen Paſtoris perdunt: non enim Paſtor, ſed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas; ſed ad temporales mercedes paſcit. Mercenarius quippe eſt, qui Paſtoris locum tenet; ſed lucrum animarum non quærit: terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet.* Tales ſunt etiam ſub hoc, quo ſpiramus cœlo, ſimiles Paſtoribus Iſraëlis, quibus Propheta intentat mœſtum illud, ac formidoloſum: p *væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non paſcebatis*; quod tamen ex æquo, bonoque oportuit: quis enim bene ſentiatus, non oderit illud, ac deploret, ut ſeipſe farciat, ac ſaginet Paſtor, dum inediâ tabeſcunt, ac male pereunt oves, velluſque Paſtori cedunt? Imò & carnem, & animam fœdè prodigunt, ut ei ſit quam lautiſſimè; ducit Epiſcop. Prælatus, Paſtor Sponſam, quam accipit paſcendam Eccleſiam: quis autem tolerandum exiſtimet, ut Paſtor inſtar Sponſi cincinnatus, ac calamiſtratus, ſplen-

m Ioan. cap. 10. n Honorius lib. de lumin. Eccl. o Greg. hom. 14. in Caten. D. Thomæ Ioan. 10. p Ezech. 34. v. 3.

didè

didè togatus, lautè argenteis & aureis vaſis epulatus procedat, & Sponſa CHRISTI ſquallida, inops, famelica, miſera contabeſcat. Inaudita ſunt hæc: Utinam, ſed & jam olim hæc amariſſimè queſtus Doctor Melliſluus: q *non omnes*, inquit, *ſunt amici Sponſi, quos hodie Sponſæ hinc inde aſſiſtere cernis.* Rationem porro hanc ſubjicit *quia pauci admodum ſunt, qui non quæ ſua ſunt, quærant ex omnibus caris ejus. Diligunt munera; nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dederunt mammonæ Intuere quomodo incedant nitidi, & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam Sponſa procedens de thalamo ſuo: nonne ſi quempiam talium repentè eminus procedentem aſpexeris, ſponſam potius putabis, quam ſponſæ cuſtodem? unde vero hanc illis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exangui. Propter hoc, non hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere: non eſt inſtituere, ſed proſtituere non eſt paſcere gregem, ſed mactare, & devorare, dicente de illis Domino*: r *qui devorant plebem meam ut cibum panis. Quem dabis mihi de numero Prælatorum, qui non plus invigilat ſubditorum vacuandis marſupiis, quam vitiis extirpandis? ubi qui orando flectat iram? qui prædicet annum placabilem Domino. O utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad cathedram.* Quæ ne & ad hæc tempora noſtra referantur; animo ac cogitatione recolite, quo vultu, quo pede, alias benigniſſimus Chriſtus in templum venerit; fecit ille ſibi flagellum de funiculis, ejecit vendentes & ementes de templo, menſas numulariorum ſubvertit, æſque malè partum diſſipavit Ubi quærit Hieronymus, cur in hos adeo ſeverus Salvator, qui in alios peccatores mitiſſimus? Et ait, illos fuiſſe ſacerdotes, ac Doctores legis, quorum cathedras evertit: quia per illa mercimonia, ſpecie quidem pietatis ac Religionis, plus inſudabant lucris, quam ſacrificiis: nec tam immortali Deo victimas parabant, quam importunam avaro marſupio ſarcinam, & pondus æris malè accumulatum. An non flagello eliminandi, qui lucro inhiant, pingues præbendas ambiunt, ovile ex quo nihil lactis, aut lanæ ſperandum, contemnunt, aut deſerunt, & pro lauto beneficio, relictis alteri ovibus ſuis, paſtoralem curam omnem deponunt; non ſic verus Paſtor, ovibus ille ſuis, non ſibi ſtudet: animis inhiat, non fortunis: ſimilis Abrahamo, qui à prælio redux, & victor, non opima ſpolia, non prædas expetiit, ſed animas: *da mihi animas, cætera tolle tibi*; ſint licet multæ hoſtium exuviæ, ſint opulenta caſtrorum ſpolia, ſit quamtumvis ingens auri pondus, ſit ab extremo orbe petita gemmarum vis, & copia: ſint greges, & armenta primorum ſæculorum, ſint urbium ac regnorum, imo etiam univerſi ſi voles, theſauri, mea nihil intereſt, iſta nec ambio: animas volo,

q Bern. ſerm. 77. in cant. r Pſal. 13.

ſ Gen. 14. v. 21.

& quæ-

& quæro, illas mihi concede, cætera per me licet, tolle tibi. Quod olim ille gentium Pater, hoc ardentiori zelo, gentium Doctor *Paulus*, ut teſtatur his verbis, & opere comprobavit: t *Ego autem* (non tantum libenter, ſed) *libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris*. S. Thomas hic, Paulum non paratum duntaxat ſe impendere prædicando, labores exantlando, pericula attentando, ſed quod boni Paſtoris eſt, & ſanguinem, & vitam, amore Chriſti litare, aſſerit: v *non ſolum*, inquit, *impendam me vobis; ſed paratus ſum mori pro ſalute animarum veſtrarum*. Hanc Apoſtolicam virtutem, Deo gratis ſerviendi, non turpis lucri gratiâ, ſe totum in lucrum animarum effundendi, commendat Hugo Cardinalis, ſimilitudinem è nubibus derivando: x *nota:* inquit, *quod NUBES miniſtrat id, quod eſt: quia ipſa in imbrem reſolvitur; ſic Prædicator non tantum ſua, ſed ſeipſum debet impendere*. Tum ſubjungit: *talis NUBES erat ille, qui dicebat: libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris*; nec ullam ex his omnibus, *Paulus* gratiam à Corinthiis, favorem, aut mercedem ſpectavit, dum ſic præfatur: y *non ero gravis vobis, non enim quæro quæ veſtra ſunt; ſed vos*. Quiſquis cum Apoſtolo ſeſe impendit, & ſuperimpendit pro animabus, liberè præfari poteſt: *non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos*; quo ſibi etiam apud Atheos, & Politicos, imo & apud Chriſtianos, januam ſalutis aperiet, quam ſibi & aliis paſſim occluduut, qui ſua, non animas quærunt: z *Prædicatores in prædicando, aliqui intendunt quæſtum, & bona temporalia, & ideo totam prædicationem ad hoc ordinant & diſponunt; aliqui vero, intendunt ſalutem animarum. Quia ergo Apoſtolus intendebat in prædicatione ſua ſalutem Corinthiorum, & videbat quod non expediebat quod reciperet ab eis ſumptus, tum quia pſeudoavari erant, ideo noluit accipere ſumptus. Et ideo rationem aſſignat, dicens: non gravabo vos, ſumptus accipiendo: quia non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos, & veſtram ſalutem procurare intendo*. Uti ad Philippenſes 4. loquitur: *non quæro datum, ſed fructum*; quod autem gratis ſe impendere velit, ex eo patet, quod ſubdit: *licet plus vos diligens, minus diligar*; quæ ſic exponit S. Thomas: *licet ſitis ingrati, plus vos diligo quam pſeudo illi; quia ego quæro ſalutem veſtram tantum, illi vero bona veſtra ſolum*. Quod *Paulus*, hoc Apoſtolorum Princeps *Petrus* in ſe expreſſit, & ſuis inculcavit, dicens: a *paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè, neque turpis lucri gratia; ſed voluntariè*: ubi oves paſci, non mulgeri, aut tonderi præcipit: non enim vos Domini, ſed Paſtores: carnes, lanæ, butyrum, & lac, Chriſti ſint, qui unus gregis eſt Dominus; veſtra ſunt, cura, ſolicitudo, vigiliæ: veſtrum eſt cum lupis luctari, algere, ſudare, animam ponere; quæ Chriſtus ab ipſo Petro fieri deſideravit, ut Divus Auguſtinus diſertè obſervavit: b *Simon Joannis diligis me?*

t 2. Cor. 12. v. 15. v S. Thom. hic.
x Hugo in Iſa. 60. qui ſunt hi, qui ut nubes volant. y 2. Cor. 12.

z S. Thom. cit. a 1. Petri 5.
b Aug. in Ioan. tract. 123.

paſce

paſce oves meas. Nam quid eſt aliud, ſi diligis me, paſce oves meas, quam ſi diceretur: ſi me diligis, non te paſcere cogita; ſed oves meas, ſicut meas paſce, non ſicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam: dominium meum, non tuum: lucra mea, non tua. Sed quis eſt hic, & laudabimus eum. Circumage mentis oculos, per omnes hominum conditiones, & ſtatus, non aliquos, ſed multos, imo omnes invenies, ſi viros zelo Dei plenos, & vere Apoſtolicos exceperis, proprio lucro, commodo, honori intentos: hoc effatum Pauli eſt: c *omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*; quod ut in ſæcularibus damnandum, in Eccleſiaſticis prorſus abominandum, & execrandum eſt, qui dignitatem ſacram vertunt in mercaturam, & ſanctuarium in profanum Emporium; de his, pedo formidandus Africanus Antiſtes: *d qui hoc animo paſcunt oves Chriſti, ut ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe convincuntur amare, non Chriſtum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & ſubveniendi, & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata illa vox Chriſti, quos Apoſtolus gemit ſua quærere, non quæ Jeſu Chriſti.* Nunc ut ulterius progrediamur, nubes quas volantes, & largè terram irrigantes vidimus, tonantes & fulgurantes audiamus.

c Philipp. 2. v. 21.
d Aug. Ibidem.

§. III.

Illuxerunt FULGURA *ejus orbi terræ.* Pſal. 69. v. 4.

PEricli, oratori diſertiſſimo gloriæ fuit, quod de illo Quintilianus: e *non loqui, non orare; ſed TONARE ET FULGURARE videbatur*; ſi hoc tam excellens, de profana mundi ſapientia, & vana gentilis eloquentia encomium, quanto verius de divinæ facundiæ Principe, de cœleſti oratorum omnium Anteſignano, Doctor Seraphicus: f *pluunt verbis, CORUSCANT miraculis, TONANT judiciis, volant contemplatione mentis.* Quanto luculentius *Hieronymus*, g *catholicorum magiſter, cujus ſcripta per univerſum mundum, quaſi divinæ lampades rutilant*, fatetur Epiſtola ad Pammachium, *h* quotieſcumque Paulum legeret, *videri ſibi non verba audire, ſed* TONITRUA; Apoſtolos vero ubique gentium tonitrua, & fulgura, velut effractâ nube ſparſiſſe, ſanctus Auguſtinus declarat: i *unde* FULGURA, inquit, *ex nubibus? miſit Dominus Apoſtolos ſuos, velut nubes: videbantur homines, & contemnebantur; quomodo videntur nubes, & contemnuntur, antequam de eis exiliat quod mireris: Erant illi primum homines carnem portantes, infirmi; ſed erat in illis quod* FULGURARET, *quod* CORUSCARET; ut in illos aptè cadat illud, quod de magno Baſilio elatè dixit, & ſcripſit Divus Gregorius Nazianzenus:

e Quintil. l. 6. c. 16. f Bonavent. feſto SS. Simonis & Iudæ. g Caſſian. lib. 7. de incarn. cap. 26. h Hieron. Epiſt. ad Pammach. i Auguſt. in Pſal. 96.

TO-

TONITRUUM *erat ejus oratio, quia vita* FULGUR erat; ſic in ipſo ortu Eccleſiæ, TONITRUUM *erat* PETRI *oratio, quia vita* FULGUR *erat*, quo factum, ut unicâ ſacræ dictionis concione, à Judaiſmo ad fidem Chriſti, circiter tria hominum millia traduxerit: afflati enim veluti cœleſti hoc fulmine, ad intima cordium penetrante, exclamarunt: k *quid faciemus, viri fratres*? Quibus Petrus: *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Et ecce illico *baptizati ſunt, & appoſita ſunt in die illo animæ circiter tria millia.* De his olim vaticinatus Pſaltes Regius: l *Illuxerunt* FULGURA *ejus orbi terræ.* Nubes obſcura, moles aquea, nil terroris, aut vigoris habere videtur, niſi dum diſrupta, tonitrua & fulmina ejaculatur, ita Auguſtinus de Apoſtolis loquitur: m *nubes viluerunt forma humana; ſed* FULGOR MIRANDUS *in verbis, vel factis eorum apparuit, & inde mota eſt terra.* Olim Veſpaſiano laudi fuit, quod de eo Plinius: n *quanto tu ore, Patris laudes* TONAS? Parum hoc, non voces humanas, ſed divinas, tonitrua, & fulgura ex ore Pauli emicare, magnificè docuit Hieronymus: PAULUS *vas electionis, tuba Evangelii, rugitus Leonis noſtri, flumen eloquentiæ Chriſtianæ; quem quotieſcumque lego, videor mihi non verba, ſed* AUDIRE TONITRUA. Ita quondam illo apud Præſidem Felicem *diſputante de juſtitia, & caſtitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix* o, quaſi ingenti tonitru percuſſus, cætera audire reformidavit; ut de eo verum ſit illud Prophetæ Regii: p *ab increpatione fugient., à* VOCE TONITRUI TUI *formidabunt.* Sed amabo vos; unde hæc nubibus tonandi, & fulgurandi vis? Unde hæc tonitrua, & fulgura, non ſemel, ſed ſæpius, & per omnem Apoſtolorum vitam undique, & in omnes, novis ſemper ignibus evibrata? Non aliam cauſam aſſignat Divus Gregorius, quam quod ad Deum tonitrui, & qui mittit fulgura ſua, redirent, novaſque flammas conciperent: exponens enim illud Job 38. *nunquid mittes* FULGURA, *& ibunt, & revertentia dicent, adſumus?* ſic ait: q FVLGVRA *etenim, ſancti viri mittuntur, & eunt, cum à ſecreto contemplationis, in publicum operationis exeunt. Mittuntur & vadunt, cum de abſcondito ſpeculationis intima, in activa vitæ latitudinem diffunduntur; ſed revertentes, dicunt Deo: Adſumus; quia per opera exteriora quæ peragunt, ſemper ad ſinum contemplationis recurrunt, ut illic ardoris ſui flammam reficiant, & quaſi ex tactu ſupernæ charitatis igneſcant. Unde bene per Salomonem dicitur:* r *ad locum de quo exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. Ipſi quippe illic flumina, qui hic* FVLMINA *ſunt vocati: quia enim corda audientium rigant, dicuntur flumina; quia vero accendunt,* FULGVRA *vocantur*: cito etenim inter exteriora opera prædicantium corda frigeſcunt, niſi per contemplationem ad Deum revertantur, & *tactu ſupernæ cha-*

k Actor. 2. vers. 38. l Pſalm. 96. m Auguſt. hic. n Plinius in præfat. o Actor. 24.

p Pſalm. 103. q Gregor. lib. 30. moral. c. 2. r Eccl. 1.

ritatis

ritatis igneſcant. Hinc eſt quod Apoſtoli tonant verbis, coruſcant miraculis, fulgurant virtutibus, & ſanctitatis radiis: ut enim ex nube gravida, & ignitis exhalationibus plenâ, emittuntur fulgura, & fulmina, ſic ex Apoſtolis zelo Dei, & igne divino plenis, non ſolum corporum, ſed & animorum miracula, quorum morbis medebantur, & vitam gratiæ largiebantur, coruſcabant: ſ *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ; vidit & commota eſt terra*, imo & inferi. Ad quas operationes amabiles, & commotiones mirabiles, attonitus David rurſum exclamat: *FVLGURA coruſcationes*, hoc eſt, ait S. Hilarius, t *Apoſtolicas prædicationes, & ſplendorem doctrinæ Dei.* Sed quid eſt, quod verbi Dei prædicatores, dum tonant è ſacris cathedris, nullos cum Apoſtolis animorum motus, & peccatorum converſiones, divinaſque metamorphoſes patrare ſoleant? quia *vita fulgur non eſt*; quia virtutibus temperantiæ, caſtimoniæ, mortificationis, humilitatis, contemptus ſui, orationis, & conjunctionis cum Deo non coruſcant: quia moribus honeſtatis, pietatis, modeſtiæ, vitâ ipſa Eccleſiaſticâ, ſeu religioſa, *fulgur non ſunt*: quia non Chriſtum, ſed ſeipſos prædicant: quod loco citato D. Gregorius diſertè pertractat: v *numquid mittes FULGURA, & ibunt, & revertentia dicent, adſumus?* ubi oſtendit quidquid fructus per prædicationes colligitur, non in laudē propriam, ſed in auctorem Deum refundendum: x *vadunt FULGURA, cum prædicatores miraculis coruſcant, & auditorum corda transfigunt: revertentia vero dicunt, Adſumus, cum non ſibi, ſed Dei viribus tribuunt, quidquid ſe fortiter egiſſe cognoſcunt. Revertentes itaque prædicatores ſanctos dicere, adſumus, eſt illi laudem tribuere gratiæ, à quo ſe accepiſſe ſentiunt victoriam pugnæ, ne ſibi tribuant, quod operantur. Et ire quidem FVLGVRA operando poſſunt: ſed reverti ſuperbiendo non poſſunt.* Quod exemplo Principis Apoſtolorum confirmat, dicens: *videamus itaque* FULGUR *vadens: claudo cuidam ait Petrus:* y *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Et apprehensâ manu ejus dexterâ allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ.* Tum ſubdit, non virtuti propriæ hoc Petrum tribuiſſe, ſed divinæ: *videamus nunc* FULGUR REDIENS, cum omnis populus Petrum laudaret, ſilentio indicto *reſpondit ad populum: viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum glorificavit filium ſuum Jeſum, &c. Et in fide nominis ejus, hunc quem vos vidiſtis, & nôſtis, confirmavit nomen ejus.* Quibus enarratis ſic concludit: *ivit ergo FVLGVR, cum Petrus miraculum fecit; rediit cum non ſibi tribuit, ſed auctori quod fecit. VADVNT FVLGVRA cum prædicatores ſancti mira opera oſtendunt; ſed revertendo dicunt, adſumus, cum in eo quod faciunt, ad potentiam Auctoris recurrunt.* Ab his longe abſunt, qui vanâ, & inſanâ garrulitate, ut ſecta-

ſ Pſal. 76. t Pſal. 143 Hilarius hic. v Iob. 36. x S. Greg. lib. 33. mor. c. 2.

y Act. 3. v. 5.

ſectariorum miniſtelli declamitant,& multum à cœleſti tonitru Apoſtolorum, & miniſtrorum Chriſti diſcrepant; quod S. Auguſtinus in illud Pſalmi 45. z *dedit vocem ſuam, & mota eſt terra*, his verbis ediſſerit: *Arreptitii idolorum, tanquam ranæ de paludibus perſonabant, tanto tumultuoſius, quanto ſordidius è delictorum cœno. Et quid ſtrepitus ranarum, ad* TONITRUA NUBIUM; *inde enim dedit vocem ſuam altiſſimus,& mota eſt terra.* TONUIT DE NUBIBUS SUIS: *Quæ ſunt nubes ejus? Apoſtoli ejus, prædicatores ejus, de quibus* INTONABAT *præceptis*, CORUSCABAT *miraculis.* NUBES *propter pluviam, & ubertatem.* Blateronum iſtorum vita fulgur non eſt,niſi forte, ut in communi parœmia: a *fulgur è pelvi*,dum non niſi practeatam jactant eloquentiam, & calamiſtrato verborum ſplendore, non fulmina, ſed evanidas flammas ejaculantur,quibus nil niſi fumum vanitatis aucupantur. Conſimiles hac noſtra tempeſtate complures reperire eſt, inani vocis ſono, & elato vanæ loquacitatis clamore tonantes; ſed paucos ignitis verborum jaculis fulgurantes; quos recte Hector Pintus machinis bellicis, ac bombardis ſulphureo pulvere, ſed nulla glande, aut telo,quo hoſtem feriant, arces evertant,inſtructis,comparavit *b*; ſic inquit, nec muros ſuperbiæ auditorum,nec turres vanitatis eorum evertunt; nec animi hoſtes vulnerant, qui ex inani cerebro,& pectore omni virtute vacuo,vacuum populi plauſum captantes,deblaterant, c *magiſtri prurientes auribus*, qui toti ſunt in comenda, & ſtruenda oratione, quam puerilibus pigmentis, veluti pavoniis plumis ad inſignem varietatem, expingunt,& profanâ exoticarum rerum varietate, ac fabularum amœnitate condecorant. Id contigiſſe temporibus ſuis,olim queſtus Hieronymus; quod dimiſſis Apoſtolorum inſtitutis, tanquam mimi,aut hiſtriones, vaniſſimam pompam inſtruerent divini verbi doctores, dum ad auditoria convenitur, d *ut oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quaſi quædam meretricula procederet in publicum, non tam eruditura populum,quam favorem populi quæſitura*: & in modum Pſalterii, & tibiæ dulce ſonantis, ſenſus demulceat audientium. Ut verè illud Ezechielis noſtris temporibus aptari poſſit, dicente Domino ad eum: e *es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuavi, dulcique ſono canitur;& audiunt verba tua, & non faciunt.* Non ſic de quo agimus, Doctor gentium, f *flumen eloquentiæ Chriſtianæ*, & fulmen Eccleſiæ PAULUS: g *ſermo meus*, inquit, *& prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis: ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, ſapientiam vero non hujus ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio.* Scire vultis, quo fructu verba ſua,ut fulmina vibrarit, & conciones ſuas, ut coruſcationes ful-

z Aug. in pſal. 45. a Manutius in adag. b Hector Pintus in Iſa.c.35.

c Timot.4.v.5. d Hierony. præf. l. 3.in epiſt.ad Galat. e Ezech. 33. v. 32. f Hieron.cit. g 1.Cor.2,v.4.

fulgurarit? eo profecto, ut ferrea gentilium corda penetrarit, homines vitiis, & flagitiis, pervicaciâ, & pertinacia obduratos, ſicut ceram ante faciem ignis colliquarit, & titiones ignis infernalis in Seraphinos divini amoris, in viros Apoſtolicos, in Religioſorum omnium archetypos commutarit, ipſo teſte: *vos* inquit, h *imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti: ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia, à vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolum in Macedonia, & in Achaia, ſed in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt.* Hæc autem tam divina gentilium ad Chriſti cultum, & Religionem metamorphoſis, hæc primæ Eccleſiæ ſanctitas, cui cœlites extra meriti terminum poſiti, jure poterant invidere, non aliunde quam ex ſermone, & virtute Pauli, qua

i *Potentius ictu fulmineo*,

obſtantia quæque pervadebat, vim, & efficaciam habuit: ſic enim ait, k *ſcientes fratres dilecti à Deo, electi à Deo, electionem veſtram: quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed in virtute & Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis*: quantum ab hac Pauli fulminatrice eloquentia, diſtat phalerata, & fucata ſacrorum Oratorum vaniloquentia? quam vel ipſe gentilis, Romanæ eloquentiæ Princeps inſectatur, & execratur: *l quid eſt*, inquit, *tam furioſum, quam verborum, vel optimorum atque ornatiſſimorum, ſonitus inanis*? Quid eſt tam ignominioſum, & indecorum Chriſtiano Oratori, quam in re ſeria ludere: in myſterjis fidei, in momentis æternitatis, in totius ſupremo orbis excidio, à veritate auditum avertere, & ad fabulas, & nugas converti? non tulit verus, & ſeverus morum cenſor, Philoſophus Romanus Seneca *m* in *Poëtarum ingenioſiſſimo* carmen aliquod levius, quod calamo effluxit in communi mundi diluvio, dum cecinit:

n *Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones.*

Hæc legens, librum abjecit, & indignans in tanta mortalium ſtrage, illum voluiſſe ludicrum exhibere ſpectaculum, his verbis perſtringit o *non eſt res ſatis ſobria, laſcivire devorato orbe terrarum. Natari in diluvio poteſt*? notam ſibi, & ingenio & judicio inuſſiſſe aſſerit, dum *tantum impetum ingenii, ad pueriles ineptias reduxit*: at quanto graviori cenſura digni, qui non in commentis, ſed Sacramentis: non in comœdia; ſed in cruenta Chriſti patientis tragœdia ludere, & lenociniis verborum laſcivire non erubeſcunt? Quintilianus, Oratorum facile Princeps; intolerandæ levitatis jure arguit Patremfamilias, qui apud judices, ultionem de filii ſui prædilecti peremptore expoſtulans, phaleratis ad pompam tropis, & calamiſtratis orationis figuris, fucatis verborum elegantiis uteretur, cum pro rei dignitate, & ſceleris gravitate, quaſi urſa raptis catulis to-

h 1. Theſſ. 1. v. 6. i Horat. k 1. Theſſ. 1. v. 4. l Cicero l. 1. de Orat.

m Seneca l. 3. nat. quæſt. n Ovid. l. 1. Metam. o Seneca cit.

nare

nare, & fulminare, furere, lamentari, lacrymari, affectus omnes in ſe, ac auditores ciere, artificii omnis oblitus, ſicarii ſanguinem, & animam ardentiſſime expoſcere deberet: p *age* inquit, *ſi de morte filii ſui, aut injuria, quæ morte ſit gravior, dicendum Patri fuerit, aut in narrando gratiam quæret aut argumenta deducet in digitos, & propoſitionum, ac partitionum captabit leporem? non ab exordio uſque ad ultimam vocem, continuus quidam gemitus, & idem triſtitiæ vultus ſervabitur, ſi quidem volet dolorem ſuum, etiam in audientes transfundere?* At ſi in morte Filii (inquit graviſſimus Orator *q*) debet pater quemlibet orationis ornatum mittere, & ab arte petitum; ſi præterire oportet propoſitiones, & figuras; cum indecorum ſit in argumento tam lugubri ullum adhibere ordinem, quam perturbatum, & alia uti arte quam fulmineâ, & incenſâ cupiditate vindictæ. Quomodo poterimus nos ad concionem, Deum peccatis noſtris crucifixum proponere florenti oratione, juvenilibus deſcriptionibus, narrationibus fabuloſis, & antithetorum illecebris? ubi in deicidas tonandum, & fulminandum eſt. Romanus Philoſophus de vi, & virtute fulminis agens, r *mira* inquit, FVLMINIS, *ſi intueri velis, opera ſunt, nec quidquam dubii relinquitur, quin* DIVINA *inſit illis, & ſubtilis potentia*, quæ in eo cumprimis elucet, quod in dura & obſiſtentia vim ſuam exerit, frangit ea, comminuit, & emollit; rariora, & teneriora, intacta pertranſit. Sic integro manente corpore, interiora oſſa conſumit: arboris, cortice intacto, robur omne, & duritiem enervat: vagina illæſa ferrum, & crumena ne leviter afflata, argentum liquefacit. De his Seneca in quæſtionibus naturalibus: ſ *valentiora, quia reſiſtunt, vehementius diſſipat: cedentia nonnumquam ſine injuria tranſit. Cum lapide ferroque, & duriſſimis quibuſque confligit: quia viam, neceſſe eſt, per illa impetu quærat. Itaque facit viam qua effugiat. Teneris & rarioribus parcit.* Quod exemplis confirmat, & nos alias pluribus demonſtravimus *t*, *loculis integris, pecunia quæ in his fuerat, conflata reperitur: quia ignis tenuiſſimus per occulta foramina tranſcurrit. Quidquid autem in ligno ſolidum invenit, ut contumax vincit. In arbore quod ſolidiſſimum & duriſſimum eſt, terebrat, & frangit. Ferrum & æs fundit.* Sic *v* DVO FVLMINA BELLI, contra obduratas Barbarorum, & Gentilium phalanges, vim ſuam exeruerunt, eorumque ferreos animos ita fregerunt, & emollierunt, ut cum exterius in corpore ſimiles aliis remanerent, in carne videlicet ambulantes; non tamen ſecundum carnem militantes, omnem cordis duritiem interius amitterent, & divino igne liquefacti, rebus omnibus humanis valere juſſis, mundo mortui,

p Quintil. inſtitut. lib. 11. cap. 1. q P. N. Ioan. Paulus oliva. quem vide. part. 2. conc. 3. per totum. r Seneca nat. q. lib. 2. cap. 31.

s Seneca lib 2. q. c. 52. t v. Luc. Evan. part. 1. Dom. 15. v Virgil. l.6. Æneid.

velut

velut cœleſti quodam fulmine percuſſi viderentur. Sic detonandum, ſic fulminandum è ſacris pulpitis, & Eliæ inſtar etiam è cœlo fulmina devocanda in obſtinata capita, in duras cervices, & in ſaxo, ferroque duriora corda; at in tribunali conſcientiæ, in foro miſericordiæ, vicarii Chriſti, & Apoſtolorum, *cedentibus, & teneris parcant*: in ſupplices, & ante pedes ſuos palpitantes, pœnitudine emollitos Vaticana fulmina non vibrent, ſed illæſos, & innoxios, potius lambant, quam adurant. Meminerint opere complere, quod divina bonitas per Pſaltem denuntiavit: *fulgura in pluviam fecit.* Quid igni cum aqua? Hieronymus in c. 3. Marci: x *ut extinguat miſericordia, quod judicium inurit*; ut, quod non raro videre eſt, iratum cœlum dum fulmina mittit, illa velut pluvia ingruente reſtingui, ac pacari? ita fulmen y *quod cum duriſſimis quibuſque confligit*, vim ſuam amittat, cum in lacrymas contritionis, & compunctionis, pœnitentium corda ſolvuntur. Findunt fulgura rupes, & *feriunt altos fulmina montes*; ſed humiliora, & proſtrata tranſiliunt: tales decet eſſe confeſſarii monitiones, talia verba, talia fulmina, quæ cordi humiliato, & in terram poſtrato parcunt: *quaſi* Fulgura *ſunt hæc*, inquit Gilbertus Abbas, *ſumma feriunt, & ſubmiſſa refugiunt.* Æmulentur animarum Paſtores, benigniſſimum, ac indulgentiſſimum patrem, qui filium prodigum poſt diſſipatam cum meretricibus omnem ſubſtantiam ſuam, ſupplicem cum lacrymis, paternè complexus eſt, oſculatur, pretioſa induit ſtola, lauto epulo excipit, domus tota læto concentu, & feſtiva reſonat ſymphonia; non diras, non iras in illum evomit, non verborum tonitrua, non opprobriorum fulmina ejaculatur; ſed ut aureo ſermone Ravennatum Antiſtes: z *ſic pater judicat, ſic emendat, ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella*, non immittit fulgura, ſi tales vos, in hoc clementiæ tribunali exhibeatis, quis reformidabit accedere, quis hoc forum ut crudelitatis cataſtam, & ſupplicum ac pœnitentium lanienam arbitrabitur? a *rogo quis hic deſperationi locus? hic ſimulatio timoris? niſi forte timetur occurſus, terret oſculum, turbat amplexus.* Norint peccatores, ſacrum tribunal, non eſſe antrum ubi Brontes & Steropes ſua cudant fulmina, & ipſos ſupplices ad incudem revocent, durè contundant, & eviſcerent; ſed ad complexum patris, ad ſinum matris ſe convolare, quæ miſericordiæ ac clementiæ ubera illis porrigat, & lac pietatis, timoris, & amoris Dei ſuaviter inſtillet. Hujus defectu, quot, & quanti peccatores in flagitiis ſuis obdurati perſiſtunt? quot, & quam enormia ſacrilegia non committuntur, dum acerbius excepti, diris perſtricti, quæ dicere pararant, reticent, & cum perpetuo horrore, & animi amaritudine, poſthac accedere deſperant! quam pernicioſam acerbitatem ſeveriſſimè, Doctor mellifluus perſtringens, excla-

x Pſ. 134. y Seneca cit.

z Chryſolog. ſerm. 2. a ibid.

mat:

mat: b *cur morſus à ſerpente parvulus fugit conſcientiam ſacerdotis, ad quem eum oportet, tanquam ad ſinum matris recurrere?* tacetis? at Bernardus non tacet, qui cauſam adfert, quod quidam ſtolas mutent in flagra, linguam non melle, ſed felle plenam habeant: non ubera lacte manantia, ſed ollas, ignem, & fulgura ejaculantes? quomodo vultis ad ſeverum hunc crudelitatis phariſaicæ apparatum peccantes non perhorreſcere? c *manſueſcite, ponite feritatem: ſuſpendite verbera, producite ubera; pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant.* Pluribus hæc, ut ſolet ſolerter, P. N. *d* Fulgura non ſemper ſigna adverſa, & nociva, ſed & blanda, ac ſalubria. Matt. 28 v. 3. Angeli ſuper ſepulchrum *erat aſpectus ſicut* FVLGVR, *& veſtimentum ejus ſicut nix*; ſi talis vultus, aſpectus veſter, *ſicut* FVLGVR, omnes velutí ad Angelum cœlo delapſum accurrent. Quin & Servio Tullio feliciſſimum præſagium fuit, dum puero etiamnum, repentinis è cœlo facibus ardere frontem Tarquinii uxor conſpexit, ſplendido admonitu condocefacta, Servium licet ſerva natum, ad Regium cum ætate faſtigium creſcere, eumque propterea filii loco, modoque educavit. Conſimile quid contigiſſe memorat Virgilius Julo ſuo:

d *Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli*
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Adeo etiam non ferire, ſed blandiri; non lædere; ſed lambere fulmina ſolent; *e* quod Mithridati infantulo, in cunis vagienti accidit, cujus faſcias collapſum fulmen exuſſit, neque ipſum læſit, veſtigio levi in fronte relicto, quaſi nota ad ſumma natum. Si ita fulmina veſtra lambere norint, omnes quos afflarint, ad magna natos, & regni cœleſtis candidatos fore, facile augurabor. Nunc aliam huic affinem, fulminis proprietatem, ad mores proſequamur. *f* Fulmina illæſos prætergreſſa innocuos, ſolos feriant nocentes, & Dei fulminibus aſſimilentur, de quibus Huſſæus vates ſic loquitur: g *mittet contra eum* FVLMINA, *& ad locum alium non ferentur.* Tam perita manu vindex Deus fulgura ſua mittit, ſic ad ſcopum ignea ſua tela collimat, ut feriant illa peccatorem, nemine alio percuſſo; hunc locum exponit divus Gregorius: h *ergo* FVLMINA *locum alium nequaquam tangunt: quia videlicet igne ſuo, non grana, ſed paleas incendunt.* Emittit ex alto in aream Eccleſiæ Deus ſua fulmina, ut paleam comburant, intactis tritici manipulis; tamque ſubtiliter inſinuant ſe, ut conſumendo inania tegumenta, ne unum quidem granum fumo inficiant; ſed illibatum panificio relinquant. Sic qui in arce tam ſacra quam profanâ, judices conſident, ut ſua in reos, & ſceleratos vibrent fulmina

b Bern. ſerm. 23. in cant. c Bern. cit. d Ioan. Paulus Oliva. part. 1. conc. 18. per totum. d Virgil. lib. 2. Æneid.

e Muretus l. 1. var. hiſt. c. 2. f Ioan. Paul. Oliva. part. 1. p. 288. g Iob. 41. h Greg. lib. 34. mor. c. 8.

mina, ſciant non ſimul integros, ac innoxios involvendos. Ut capiatur unus, qui in ſuſpicionem vocatus eſt, evertetur tota familia, excutietur univerſus pagus, & territorium amplum, ob hominem occiſum, ſæpe ſceleratum, exagitabitur, & dura ſervitute ac tyrannide punietur? ſi eſtis Dei fulmina, ignem diſquiſitionis veſtræ effundite in ſolum lolium; at puram ſimilaginem, turbam innocentem nolite afflare: *mitte contra reum fulmina, & ad locum alium non ferantur.* Noxium caput petant, nec in illius liberos, affines omnes, totamque ſuppellectilem, flamma deſæviat: non totum Ordinem unius delictum infamiæ nota adurat. Solet fulmen intactis, & prætergreſſis vicinis, duriora conterere: i *manente vagina gladius liqueſcit*, quod à ſe Romæ conſpectum, M. Antonius Muretus commemorat. *k* Mihi hoc contigit, inquit, ut fulmen in palatium Hippolyti, Cardinalis Ferrarienſis decidens, ad mea uſque cubicula pervenerit: ibi gladii, qui ad lectum unius è famulis meis pendebat, mucronem ipſum ita liquefecit, ut in globulum converterit, vagina prorſus illæſa. Cujus rei rationem Conimbricenſes ex Theophraſto, & Damaſceno allegant: quia in iis quæ reſiſtunt, dum eorum contumaciam fulmen vincat, aliquam in iis moram facit, atque adeo vim ſuam exerit; cum rara, ac tenuia, ſubtili igni per poros, viam præbeant, nec reſiſtant; nec ita cœcum eſt fulmen, ut obvia omnia ſternat, ſed l *divina illi ineſt virtus*, quod etiam gentilis notavit, qua etiam vicinis parcit; ſic refert Cardanus *m* Scopetianum, dum in cunabulis eſſet, à fulmine, occiſo fratre, qui una cum illo natus erat, evaſiſſe incolumem, atque ad extremam ſenectam perveniſſe; ſic & ſalva matre, fœtum in utero afflavit, teſte Plinio *n*: nam Marcia, Princeps Romana, & fulmine icta gravida, partu exanimato, ipſa citra ullum aliud incommodum vixit. Non poterunt miniſtri juſtitiæ, ſacri, ac profani judices, dura capita, & obdurata pectora conterere, illæſis innoxiis? non poterunt noxium flagitii fœtum, homine ſalvo excutere, & perimere? *duo fulmina cœli*, Petrus & Paulus, norunt petras conterere, & parcere innocentibus. Sic Elimam magum, qui proconſulem Sergium ſeducebat à Chriſto, velut progeniem diaboli, & abortivum Satanæ, non ſolum verborum jaculis; ſed & cæcitatis fulmine percuſſit o *Saulus, qui & PAULUS, repletus ſpiritu ſancto, intuens in eum, dixit: plene omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas? & nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cœcus, non videns ſolem.* Dicitur Paulus plenus ſpiritu ſancto, non cum è ſepulchro mortuum reſuſcitat, ſed cum vivum excæcat; non quando raptus in tertium Cœlum, concentus audit Angelorum; ſed dum in diras & iras exſurgit, & ca-

i Seneca nat. quæſt. l. 2. c. 31. k Muretus in notis ad lib. 2. Senec. cap. 31.

l Seneca nat. quæſt. l. 2. c. 31. m Cardan. de rerum ſubtilit. lib. 8. cap. 43. n Plin. lib. 2. c. 51. o Act. 13. 9.

lumniarum tonitrua in eum explodit; non quando carnificum flagris verberatur, ſed quando ipſe lingua ſua flagellat filium diaboli; non quando cœleſti luce cirumfunditur, ſed quando plenum omni dolo, luce orbat, & oculis. Acutius fulmen vibravit Petrus, quo ſub ipſam exorientis Eccleſiæ auroram, Ananiam, & Saphiram exanimavit: p *non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & exſpiravit*: nec multo poſt, ſubintrantem Saphiram, eadem flamma afflavit, & proſtravit. Nec hic ſteterunt hæc fulmina: Paulus libidinoſum Corinthium, Eccleſiæ vinculis colligatum, tradidit Satanæ. Petrus Simonem magum, ſpectante univerſâ Româ, diabolicis præſtigiis in cœlum evolantem, præcipiti fulgure, quaſi Luciferum dejecit. Utriuſque factum extollit S. Auguſtinus. lib. contra Fulgentium donatiſtam: q PAVLVS *Elimam magum ultus eſt cæcitate, & blaſphemum hominem tradidit Satanæ. Et* PETRUS *Ananiam, & Saphiram, ejus uxorem, mendaces occidit, & Simonem magum tamdiu perſecutus eſt, donec morte perimeret.* Sic juſtitiæ fulmen, tam in ſacro, quam civili foro, noxia petat, & plectat capita: in perjuros, falſarios, concubinarios, hæreticos, ſacrilegos, vim ſuam exerat; ſic ut non unà afflet innocentes, juſtos, pios, innoxios; quod immanis eſſet tyrannidis, quam *ſummus ille melliflui oris Gregorius*, ut eum Bernardus appellat r, graphicè exaggerat, in illud Jobi FVLGVRANS *in amaritudine ſua*, ubi ait: ſ *qui itaque in poteſtate poſitus, aliis nocet* (nempe innocentibus) *non incongrue* FULGURANS *dicitur: quia unde ipſe contra bonos quaſi ex luce gloriæ extollitur, inde bonorum vita cruciatur*; quæ fulmina vindex Deus, in auctoris caput, directè retorquebit: *ibunt* inquit ſapiens, *directe emiſſiones* FULGURUM, *& tanquam à bene curvato arcu nubium, exterminabuntur, & ad certum locum inſilient*, quo à vindice Dei manu deſtinantur. Accedit, quoſdam in eo naturam fulminis imitari, quod ſicut illud prius videatur, & feriat, quam audiatur, & quis effugiat, ſic ipſi incautos, ut effugio locus non ſit, perdant, & perimant; quod quam tyrannicum ſit, erudita ſimilitudine exponitur: t *quemadmodum in vulnere, prius apparet ſanguis, quam plaga: & quemadmodum prius emicat* FVLGVR, *quam tonitru audiatur: Ita apud tyrannos, hoc eſt, principes fere omnes* (& ſuperiores, & patres, tam irâ præcipites) *prius erumpit condemnatio, quam probatio, & perit delatus prius, quam arguatur*; de quibus merito dicitur: *procul à Jove*, PROCVL à FVLMINE; dum ſubditus falſo delatus, inauditus damnatur, famulus furti iuſimulatus domo deturbatur &c. At Dei fulmina non ſic præcipitantur: nulla crimina Dominus, niſi quæ oculatus teſtis habet probata, eaque tardè punit, & ſæpe irrita, magis ad terrorem, & emendationem, mittit, quod vel gentiles cenſuere.

p Act. 5. v. 5. q Aug. l. contra fulgent. r Bernard. de formula bene vivendi.

ſ S. Greg lib 15. mor. c. 15. Sap. 5. v. 21. t Eraſm. Chil. 1. cant. 3.

v *Si quoties peccant homines,*SUA FVLMINA *mittat*
Iupiter , exiguotempore inermis erit.

Deus qui gratis benefacit; non niſi invitus, & laceſſitus, ac oppreſſorum juſtis querelis, ad puniendum procedit. Quærit hic ingenioſè Annæus Seneca: x *quare id* FVLMEN, *quod ſolus Iupiter mittit, placabile eſt? perniciosum id, de quo deliberavit, & quod aliis quoque diis Auctoribus miſit? quia Iovem, id eſt, Regem, prodeſſe ſolum oportet; nocere non niſi cùm pluribus viſum eſt. Placabile* ſit Rectoris animarum, prælati, parentis *fulmen*, quos *prodeſſe ſolum oportet*; levis ſit eorum correptio, & blanda correctio, quæ ſubditorum animos placabiles, & pacatos reddat; non furoris, ſed amoris ſint fulmina; qualia Paulus miſit his ardentiſſimis verbis: y *Optarim ego ipſe Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* O ſi poſſem, inquit Paulus, per totam æternitatem à Chriſto ſejungi, à vultu Dei ſeparari! quam felix agerem Cœli exul, & quam beatus viverem inter inferorum flammas! ô placabile, ô mirabile, ô amabile fulmen! quot petras contereret, & ferrea corda emolliret, & funderet! imo z *quot verba, tot fulmina!* quid ais Paule? tu à Chriſto ardes ſeparari pro fratribus, qui paulo ante clamaras: a *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*; unum Paulus reticuit, nempe zelum, & ardorem animarum, quas Chriſtus ſuo ſanguine redemerat; ut has lucraretur, ſe ipſum anathema, & victimam æternis devovet incendiis. Paulus, ſi neceſſe ad hominum ſalutem, libens è cœlo, in ipſam gehennam deſcendiſſet; hoc aurei oris oraculum eſt: b *Paulus ob Chriſti amorem, vel in gehennam decidere libens admiſit, & à Regno excidere non recuſat.* Sic tonandum, ſic fulminandum eſt, quod fiet, ſi hoc placabile, & amabile fulmen Pauli, paſtores animarum, ardore ſuo afflarit, & inflammarit. Quibus, quod addam non habeo, niſi ut illud Pauli monitum alta mente reponatis: c *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*, quod fiet, ſi vos (brevi anacephaleoſi, repetendo quæ diximus) vigiles, & circumſpectos *oculos*: ſi *ubera*, ſi *nubes*, ſi *tonitrua & fulmina* exhibueritis; ut in æternum hic in terras quaſi emiſſa fulmina, tonando verbis, & coruſcando miraculis, in converſione animarum, ad auctorem Deum reverſi, dicere poſſitis: *adſumus*, & in æternum audire mereamini: d *benedicite FVLGURA & nubes Domino.*

v Ovid. 2. triſt. x Sen. l. 2. nat. quæſt. c. 43. y Rom. 9. v. 3. z Bern. ſerm. de S. Amb. a Ad Rom. 8. v. 35.

b Chryſoſt. hom. 5. in Epiſt. ad Rom.
c 1. Cor. 4. verſ. 16.
d Dan. 3. verſ. 73.

INDEX
FESTORUM ET PARAGRAPHORUM,

Quæ in hac prima Parte Cœli Empyrei *continentur.*

Kalendis Januarii in Strenam. *pag.*1.

A *Deſſe feſtinant tempora.* Deuteron.cap 32.v.35.

Emblema I.

Tempus mundum pervolitans velocibus alis.

Nihil eſt annis velocius. Ovid. lib. 10. metam.

§. 1. *Interroga jumenta, & docebunt te: volatilia cœli indicabunt tibi.* Job. 12.

§. 2. Puellis *Gallinæ pullus*, Juvenibus *avis Canarienſis* in ſtrenam datur.

§. 3. Conjugatis *Acanthis* cruculæ alligata : Viduis *Turtur* tribuitur.

§. 4. Servis & ancillis, *Pſittacus.*

§. 5. Eccleſiaſticis & Religioſis, *Luſcinia*: Sanctimonialibus, *Alauda.*

Prima exorientis anni feſta Luce. *pag.*45.

Pr nihilo eorum Anni erunt. Pſal. 89.verſ.5.

Emblema II.

Multa ooo, quæ annorum circuitus denotant, & in numeris nihil ſunt.

ANNIS *nil omnibus actum.* Virg. lib. 11. Æneid.

§. 1. Quod Anni malè acti, inter vitæ Annos non computentur; ſed *pro nihilo eorum anni erunt.* Pſalm. 89.

§. 2. Qua ratione damna vitæ præteritæ, & Annos deperditos, qui pro nihilo habentur, recuperare poſſimus, *redimentes tempus.* Ad Epheſ. 5.

§. 3. Si omni Anno, unum vitium extirparemus: citò viri perfecti efficeremur. *Thomas à Kemp. l.*1. *de Imitat. cap.* 11.

Feſtum Epiphaniæ Domini. *pag.* 84.

Omnia traham ad meipſum. Ioan. 12. verſ. 32.

Emblema III.

Genius ludens chartis pictis, Domino cordis (*met herten Heer*) quod

quod ludi teſſera, tres alios Reges trahit, &c.

TRES TRAHIT *è multis*. Ovid. lib. 3. de arte.

§. 1. *Jeſus* Infans, inſtar *electri, poſt ſe omnem hominem trahit*. Job 21.

§. 2. Chriſtus parvulus, inſtar *Magnetis*, ad ſe gentes, & peccatores trahit.

§. 3. Chriſtus ſignis, verbo, & exemplo traxit ad ſe ipſum.

§. 4 Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. *Joan*. 12. *verſ*. 32.

Feſtum Converſionis S. Pauli Apoſtoli. *pag*. 114.

Domine, quid me vis facere? Actor. 9.

Emblema IV.

Pannus, cui forfex ſartoris impoſita.

Formáſque aptè vertetur in omnes. Ovid. 4. metam.

§. 1. *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9.

§. 2. Non ſolùm ſupremo Numini: ſed & homo homini obedire tenetur; juxta illud Pauli: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*. ad Hebr. ult.

§. 3. Mulieres viris ſubditæ ſint, ſicut Domino. *Ad Epheſ*. 5.

§. 4. Obedientiam velocem ad vocem, actutum ad nutum commendat Paulus his verbis: *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9.

§. 5. Obedientia cœca ex illo Pauli inculcatur: *Apertis oculis nihil videbat*. Actor. 9.

Feſtum Purificatæ Virginis Mariæ. *pag*. 169.

LUMEN *ad revelationem gentium*. Lucæ 2.

Emblema V.

Fax in medio Eccleſiæ ſupra candelabrum accenſa, unde & majores, ac minores cerei, ſibi lumen accendunt.

Accendit, & ardet. Ovid. lib. 3. metam.

§. 1. Vita mortalis, cerei inſtar conſumitur, & extinguitur, juxta illud Pſaltis: *Sicut cera, quæ fluit, auferentur*. Pſalm. 57.

§. 2. Chriſtum, *lumen ad revelationem gentium*, ſcitè per cereum ſignificari.

§. 3. Origo cultus, Deo, Deiparæ, ac cælitibus cereos offerendi, contra Vigilantium, alioſque Hæreticos, lucis oſores.

Feſtum trium BB. Martyrum Japonenſium.

PAULI MICHI, JOANNIS GOTO, JACOBI GHISAI, Soc. Jesu. *pag*. 204.

Hæc fecerunt TRES ROBUSTISSIMI. *Lib*. 2. *Reg*. *cap*. 23.

Emblema VI.

Tres aves expanſis alis in morem crucis, uno telo transfixæ.
Tres unus confixit Amor.

§ 1. Quæ ſit vera, & Chriſtiana virtus fortitudinis?
§ 2. Fortitudinem Romanam Gentilium, longe ſuperat Chriſtiana, vel Japonenſium.
§ 3. Quâ ratione, & nos fortiter patiendo, martyres eſſe poſſimus?
§ 4. Religioſi, *quibus mundus crucifixus eſt, & ipſi mundo*, quomodo Martyres cenſeantur? *Ad Galat. 6.*

Feſtum S. Dorotheæ Coeleſtis Floræ. *pag.* 252.

Homo ſicut FLOS *egreditur, & conteritur.* Job. 17.

Emblema VII.

Poculum florum, ut verno tempore, moris eſt, in camino, aut in abaco expoſitus, quorum quidam decidui.
——*Feſtinat decurrere velox* FLOSCULUS *Juvenal. Satyra 9.*

§ 1. Veniat Dilectus meus *in hortum ſuum.* Cant. 5. v. 1.
§ 2. Homo brevi vivens tempore, quaſi *Flos* egreditur, & conteritur. *Job.* 17.
§ 3. Divinus Sponſus Dorotheam in cœleſtem Paradiſum, ad immarceſſibilem Coronam invitat hiſce verbis: *Veni in hortum meum Soror mea Sponſa.* Cant. 5. v. 1.

Feſtum Cathedræ S. Petri. *pag.* 278.

Tibi dabo claves Regni cœlorum. Matth. 16.

Emblema VIII.

Clavis quæ arcæ ſeram aperit, inverſa claudit.
Clauſa aperit, claudit aperta. Ovid. 4. Faſtor.

§ 1. Penes quem, & quanta ſit *Poteſtas clavium.*
§ 2. *Duas claves* ſacerdotibus neceſſarias, ut à peccatis abſolvant.
§ 3. Veræ contritionis actibus, velut *Clavibus*, nobis cœlum aperiri.
§ 4. Oratio juſti, *Clavis* eſt cœli. *Aug.* Serm. 226. de temp.
§ 5. Nobis, bonorum operum *Clavibus*, januâ Regni cœleſtis aperire poſſumus.

Feſtum S. Matthiæ Apoſtoli. *pag.* 323.

SORS *cecidit ſuper* MATTHIAM. *Actor.* 1.

Emblema IX.

Duo genii ludentes aleis, quarum ſortes in manu Domini.
Utere SORTE *tua.* Virg. lib. 12. Æn.

§ 1. *Unuſquiſque in vocatione, qua vocatus eſt, in ea permaneat:* & ſorte ſua contentus vivat.
§ 2. Utrum *Divinatio ſortium* ſit illicita? *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 95. art. 8.
§ 3. Divina Patroni menſtrui *Sortitio*, ut *in Partem ſortis San-*

Sanctorum venire mereamur.

Tres Dies Antecineralium,

vulgò

BACCHANALIUM.

Solemni Sacramentorum uſu, & feſto pietatis cultu celebrandi. *pag.* 368

Cum Indulgentiis plenariis.

DIES PRIMUS BACCHANALIUM.

COECUS *quidam ſedebat ſecus viam,mendicans.* Luc. 18. v. 35.

Emblema X.

Cœcus Lyricen,qui à juvene ducitur.

Cui lumen ademptum. Virg.3. Æn.

§ 1. *Cœcus* quidam ſedebat ſecus viam mendicans. *Luc.* 18. *verſ.* 35.

§ 2. Ambulabunt ut *Cœci*, quia Domino peccaverunt. *Sophoniæ cap.* 1. *v.* 17.

§ 3. Orationibus,aliiſque pietatis officiis,ac corporis afflictionibus Deus placandus, & propitiandus, *ut videant.*

Dies ſecundus Antecineralium

Seu

BACCHANALIUM.

pag. 399.

Intelligite INSIPIENTES *in populo, & Stulti aliquando ſapite.* Pſalm. 93. v. 8.

Emblema XI.

Stultus, inani uteri ſono, ſuper arcum,ſe oblectans.

INSANIRE *libet.* Virg. Ecl. 3.

§ 1. *Quaſi per riſum Stultus operatur malum*, Proverb. 10. ut ebrioſus avarus,&c.

§ 2. Tertia ſtultorum claſſis eſt, quos ſuperbia,& ambitio damnavit, qui *dicentes ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Ad Roman. 1. v. 21.

§ 3. Supereſt Actus ultimus, qui hiſce diebus ſolemniſſimus,& totus ex larvatis,perſonatis, & morionibus conſiſtit.

§ 4. Quinam *ſtulti propter Chriſtum*? 1. Corinth. 4. v. 10.

Dies tertius Antecineralium

Seu

BACCHANALIUM.

pag. 437.

Delectare in Domino. Pſal. 36. v. 4.

Emblema XII.

Avis Paradiſi,quæ veſcitur aura.

Veſcitur aurâ Ætherea. Virgil. 1. Æneid.

§ 1. *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, Quid fruſtra deciperis?* Eccleſ. c. 2. v. 2.

§ 2 *Juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Pſalm. 67.

§ 3. Deliciæ menſæ Euchariſticæ,in qua hiſce diebus juſti ſplendidè epulantur.

§ 4. *Gaudete in Domino ſemper.* Ad Philipp. 4. v. 4.

Feſtum Sanctiſſimi Deiparæ ſponſi Joſephi. *pag.* 473.

Gemmula Carbunculi in ornamento auri. Eccl. 32. v. 7.

Emblema XIII.

Gemma inſerta annulo, ei confert decorem; ſic Deipara Joſepho.
Non ſine me, eſt tibi partus honor. Tibull. lib. 1. eleg. 7.

§. 1. Erat autem *Joſeph* pulchra facie, & decorus aſpectu. Gen. 39. v. 6.

§. 2. Caſtitas Patriarchæ *Joſephi*, cum illa ſancti *Joſephi*, Sponſi Virginis confertur, ejúſque multum præfertur.

§. 3. Quinam exemplo *Mariæ & Joſephi*, virginitatem in conjugio ſervarint.

§. 4. Quemadmodum vitam *Joſephi* Patriarchæ, ita & *Joſephi*, Sponſi Virginis, *Deus per adverſa, & proſpera admirabili varietate contexuerit.* Chryſoſtom. hom. 8. in Matth.

Feſtum Sanctiſſimi Patriarchæ Benedicti. *pag.* 526.

Faciam te in Gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque BENEDICTUS. Gen. 12. v. 2.

Emblema XIV.

Ficus, ſeu palma Indica, cujus rami in terra, dum agunt radices, excreſcit in mille generationes.
Arbos UNA NEMUS. *Ovid.* 8. *metam.*

§. 1. Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli. *Gen.* 22. *verſ.* 17.

§. 2. Benedixit eum in omni Benedictione. *Epheſ.* 1. *verſ.* 3.

§. 3. Benedictionem dabit Legiſlator. *Pſalm.* 83.

Feſtum Annunciatæ Virginis Mariæ. *pag.* 565.

Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luc. 1.

Emblema XV.

Virguncula clamans, Echonis repercuſſæ verbum concipit.
Hoc ſatis eſt, uno te dicere verbo. Catull. eleg. 68.

§. 1. Verbo VERBUM.

§. 2. Dei Filius *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ut amorem noſtrum in ſe quàm potentiſſimè provocaret.

§. 3. *Verbum caro factum*, ut caro ſpiritus fieret, Deus factus eſt homo, ut homo fieret Deus.

§. 4. Inſtanti incarnationis, *Maria* Mater Dei effecta, ſimul Mater miſericordiæ: quia *in ea, ipſa quæ ex Deo eſt Charitas, novem menſibus requievit.*

§. D ei Matris excellentia, cum

cum illa Sacerdotum confertur, *in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Matris incarnatur.*

GLORIOSA IESV DOMINI NOSTRI RESVRRECTIO. *pag.* 627.

Quis eſt qui aſcendit, niſi qui deſcendit. Joan 3.

Emblema XVI.

Cygnus è profundis emergens.

Revocare gradum, ſuperáſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt. Virgil. lib. 6. Æneid.

§. 1. Omnes qui in monumentis ſunt peccatorum, ad ſpiritualem Reſurrectionem evocantur.

§. 2. Adhortatio ut qui ſpiritualiter mortui ſunt, reſurgant cum Chriſto.

§. 3 Signa, & effectus Reſurrectionis ſpiritualis.

Feſtum Secundum Paſchæ. *pag.* 653.

Coëgerunt illum dicentes: Mane *nobiſcum.* Luc. 24. verſ. 29.

Emblema XVII.

Avis quæ ſuaviter compellitur in caveam intrare.

——— *Amantem injuria talis*
Cogit amare magis. Catull. eleg. 73.

§. 1. Hoſpitalitatem nolite oblivîſci. *Hebr.* 13.

§. 2. Pœnæ inhoſpitalitatis, & merces hoſpitalitatis ex Divo Thoma.

§. 3. Quæſtio. Utrum majoris virtutis, ac meriti ſit cum Diſcipulis in Emaus, ex charitate dicere: *Mane Nobiſcum Domine*; an cum Petro ex humilitate; *Exi à me Domine.*

§. 4. An animæ magis expediat, Chriſtum ad conſolationem invitare præſentem, dicendo: *Mane Nobiſcum Domine*; an ad deſolationem, cum Sponſa clamare: *Fuge dilecte mi, recede Domine.*

Feſtum Tertium Paſchæ. *pag.* 702.

Oportuit Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis. Luc. 24.

Emblema XVIII.

Ludus trochi, quo primum tranſeundum per portam ſpineam, quàm lauream.

Ecquis ad hæc, illinc crederet eſſe viam? Ovid. lib. 2. faſt.

§. 1. Problema: Utrum adverſa, præ proſpera fortuna, quærenda, & expetenda ſit?

§. 2. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum cœlorum.* Actorum. 14. verſ. 21.

§. 3. Non tantum recta, ſed breviſſima per multas tribulationes, etiam ſine purgatorio, ad cœlum via.

§ 3. Signum reprobationis manifeſtum eſt iis, qui nullas hic tribulationes patiuntur.

Feſtum S. Franciſci de Paula,

MAXIMI MINIMORUM *PATRIARCHÆ*. *pag.* 738.

Quod uni ex MINIMIS *meis feciſtis, mihi feciſtis*. Matth. cap. 25.

Emblema XIX.

Genius, qui gallinæ pullis micas porrigit.

Alimenta ſuis maxima præbet amor. Tibull. lib. 3.

§ 1. *Franciſcus de Paula* Chriſti *Benjamin Frater veſter minimus*. Gen. 42.

§ 2. *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem robuſtiſſimam*. Iſaiæ 60.

§ 3. *Quamdiu feciſtis uni ex his Fratribus* meis *minimis*, mihi feciſtis. *Matth. cap.* 25.

§ 4. Deus etiam injurias, uni ex *Minimis* ſuis illatas, gravius quàm ſibi, ulciſcitur.

Feſtum Sancti Marci Euangeliſtæ. *pag.* 776.

Animal primum ſimile LEONI. Apoc. 4.

Emblema XX.

Leo inter ſidera cœleſtia.

Meritis venit in aſtra ſuis. Ovid. 4. Faſtor.

§ 1. *Leo* fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum. *Proverb.* 30.

§ 2. S. Marcus exemplo Chriſti, fortitudine Leo, manſuetudine Agnus.

§ 3. Homo homini lupus, diſcat à Leone humanitatem.

§ 5. Leo hoſpes hominis, hominem gratitudinem docet.

Primo Die Maji. *pag.* 819.

Radices non habent. Luc. 8. v. 13.

Emblema XXI.

Arbor majalis, quæ ut vivere videatur, radice caret.

Fallit imago. Ovid. 3. metam.

§. 1. *Juvenibus, ac puellis*, pro arbore Majali, Arbuſculam *ceraſi* plantabimus.

§ 2. Jam ſuam *Conjugibus* Arborem Majalem erigamus, quâ nullam illis aptiorem,

rem, quàm *Caſtaneam* reperio.

§ 3. *Virginibus Laurus* erigenda.

§ 4. *Viduis*, quæ elato mariti funere, in luctu ſunt, & vitam ducunt in amaritudine animæ ſuæ, aptè *Cupreſſus* figatur, quæ Arbor funeſta, & luctuoſa eſt.

§ 5. *Arbores Autumnales infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Epiſt. S. Judæ verſu 12.

Feſtum inventionis S. Crucis. *pag.* 864.

Omnes perſecutionem patientur. 2. Timoth. 3.

Emblema XXII.

Homo, qui in ſole nititur fugere expanſis brachiis, umbram crucis.

Fugacem perſequitur virum. Horat. lib. 3. carm. ode 2.

§ 2. Tota Chriſtiani hominis vita, *Crux eſt*, atque martyrium. *Auguſt. Serm.* 32. *de Sanctis.*

§ 2. *Tres Cruces* in uno loco erant: in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Chriſtus alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid ſimilius iſtis *Crucibus*? quid diſſimilius iſtis pendentibus? *Auguſtin. Epiſt.* 48. *ad Vincentium.*

Crux mali latronis, quæ fertur repugnanter.

§ 3. Crux boni latronis, quæ toleratur patienter.

§ 4. Conſummatur in charitate, qui amplectitur *Crucem Chriſti* ardenter. *Bernard. Serm. de S. Andrea.*

Feſtum Sancti Ivonis.

JURISPERITORUM PATRONI. pag. 915.

ADVOCATUM *habemus apud Patrem, juſtum.* 1. Joan. 2.

Emblema XXIII.

S. Ivo, ut ſol juſtitiæ, omnes horas ſolarii æqualiter ſignans.

Omnibus idem. Virgil. lib. 10. Æneid.

§ 1. Juriſprudentia commendatur primum ex illo Joannis: *Advocatum* habemus apud Patrem, *JESUM Chriſtum* juſtum. 1. *Johan.* 2.

§ 2. Sancti, qui munere *Advocati* rectè functi, cœlitibus adſcripti ſunt.

§ 3. Iniquorum Cauſidicorum vitia; fraudes, nequitiæ, injuſtitiæ deteguntur.

Feſtum admirabilis aſcenſionis Domini. *pag.* 943.

Videntibus illis elevatus eſt. Actor. cap. 1.

Emblema XXIV.

Pyrobolus qui ignea virtute in cœlum aſcendit.
Ardens evexit ad æthera virtus. lib. 6. Æneid.

§. 1. Oportebat Chriſtum *aſcendere*, ut nos *aſcendere* doceret. *Bernard.* Serm. 4. in Aſcenſ.

§. 2. Chriſtus inſtar Aquilæ in Cœlos aſcendens, nos ut pullos ſuos *provocat ad volandum.*

§. 3. *Aſcenſiones in corde diſponere* quiſque poteſt, per frequentes Orationes Jaculatorias, veluti miſſiles in Cœlum ignes.

Solennitas Pentecoſtes. *pag.* 971.

In uno Spiritu *omnes nos.* 1. Corinth. 12. v. 13.

Emblema XXV.

Organum ex variis fiſtulis, uno ſpiritu animatis.
Aſſenſu conſpirant. Virgil. lib. 7. Æneid.

§. 1. Multitudinis autem credentium erat *cor unum, & anima una.* Actor. 4. verſ. 32.

§ 2. Concordia & unitas in exercitu, in privatis familiis, in Religioſorum cœtibus ſervanda, *per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Rom. 5.

§. 3. *Spiritus eſt qui vivificat*, ſed non niſi membra vinculo pacis, & dilectionis conjuncta. 2. *Corinth.* 3.

Feſtum Secundum Pentecoſtes. *pag.* 1011.

Musto *pleni ſunt.* Actor. 2. verſ. 13.

Emblema XXVI.

Vaſa muſto plena diſrupta.

Qui Spiritus *illi* ? Virgil. 5. Æneid.

§. 1. Non impedit, ſed expedit linguam, hauſtus *muſti hujus.* Bernard. de Paſſione Dom. *cap.* 42.

§. 2. Nullum ſecretum, ubi regnat *Ebrietas.* Eccl. 31.

§. 3. Hæc *ebrietas* facit *audaces* contra adverſa. Bernard. ſuper Salve Regina, *c.* 4.

§. 4. Hoc muſtum facit, quæ *retro ſunt oblivisci.* Philipp. 3.

§. 5. Vinum ad lætitiam creatum eſt. *Eccl.* 30.

Feſtum tertium Pentecoſtes. *pag.* 1044.

Gratia Spiritus Sancti *effuſa.* Actor. 10.

Emblema. XXVII.

Vas, in quod dum ſupernè apertum, ſpiritus influit, liberaliſſimè ſe effundit.

--- *Attra-*

—— *Attractus ab alto* Spiritus. Virgil. 3. Georg.

§. 1. Effundam de *Spiritu meo* ſuper omnem carnem. *Actor.* 2.

§ 2. Per *liberalitatem*(in pauperes, & egenos) homo maximè aſſimilatur Deo, qui dat omnibus affluenter. S. Thom. 2. 2. qu. 117. art. 6.

§. 3. Sicut Deus vaticinatur per Joëlem: *Super ſervos*, *&* *ancillas*, *effundam de Spiritu meo*: ſic & Paterfamilias ſe munificentia,& liberalitate effundere debet in domeſticos,in ſervos, & ancillas. ſuperior in ſubditos.

Feſtum Auguſtiſſimum ter adorandæ, & individuæ Trinitatis, *pag.* 1094.

In ipſo ſunt omnia. Ad Rom. 11. verſ. 36.

Emblema XXVIII.

Vitrum Trigonum, in quo omnia terrena, eminentiori modo relucent.

Quæ majora putas miracula? Martial. lib. 1. Epig. 6.

§. 1. Abraham *tres* vidit, & *unum* adoravit. *Gen.* 18.

§. 2. Myſterium SS. *Trinitatis*, quod in nomine *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, hodie proponitur, vera & viva fide credendum.

§. 3. Cui è Tribus Perſonis Divinis plus obſtricti ſimus? cui cor noſtrum potius conſecrandum?

Octava Sanctiſſimi Corporis Domini Jeſu Chriſti. *p.* 1127.

Notas facite in populis adinventiones ejus. 1. Paralip. 16. v. 8.

Emblema XXIX.

Vitriarius, qui ſpiritu oris ſui, orbem pulcherrimum effingit.

Tanti artificis valet halitus oris. Juvenal. Sat. 10.

§. 1. Anima Chriſti ſanctifica me.

§. 2. Corpus Chriſti ſalva me.

§. 3. Sanguis Chriſti inebria me.

§. 4. Aqua lateris Chriſti lava me.

§. 5. Paſſio Chriſti conforta me. O bone Jeſu exaudi me. Intra VVLnera tVa abſConDe Me.

§. 6. Ne permittas me ſeparari à te.

§. 7. Ab hoſte maligno defende me.

§. 8. In hora mortis meæ voca me: Et jube me venire ad te; ut cum ſanctis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Feſtum S. Norberti Archi-Præſulis Magdeburgenſis,

Glorioſiſſimi Præmonſtratenſium *FUNDATORIS.* *pag.* 1254.

Dominator Dominus ex omnibus floribus orbis, elegit ſibi Lilium. 4. Eſdræ 5. v. 24.

Emblema XXX.

In amœno florum viridario, lilium ſupra omnes, candore, & celſitudine eminens.

Toto vertice ſupra eſt. 7. Æneid.

§ 1. Dominator Dominus ex omnibus floribus orbis, elegit ſibi *Lilium. Eſdræ* 5. v. 24.

§ 2. *Norbertus Lilium convallium præ humilitate.*

§ 3. S. *Norbertus Lilium inter* adverſitatis *ſpinas* illæſum.

§ 4. *Divus Norbertus*, qui in terris germinavit ſicut *Lilium*, florebit in æternum ante Dominum.

Feſtum S. Antonii de Padua,

TVteLarIs pro rebVs DeperDItIs reCIpIenDIs. *pag.* 1285.

Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam. Luc. 15. verſ. 4.

Emblema XXXI.

Paſtor quærens ovem perditam.

Amiſſa requiras. Virg. lib. 3. Georg.

§ 1. *Sanctus Antonius de Padua* quomodo inter *claros Antonios* præclariſſimus extiterit.

§ 2. *Sanctus Antonius* oves perditas invenit, & quomodo *Jeſus* perditus, ac anima perdita invenienda ſit, docebit.

§ 3. Qualiter *Divus Antonius* pro recuperandis rebus quibuslibet humanis perditis, peculiaris Patronus ſit.

Feſtum B. Aloyſii Gonzagæ, Societ. Jesu. *pag.* 1316.

Bonum eſt viro cùm portaverit jugum ab Adoleſcentia ſua. Thren. 3.

Emblema XXXII.

Avis à teneris ad cruculam advolare docta.

A teneris conſueſcere, multum eſt. Virg. 3. Georg.

§ 1. Bonum eſt viro cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. *Thren.* 3. v. 27.

§ 2. Conſummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius. *Sap.* 4. *v.* 13.

§ 3. Parentibus in morte parvulorum ſolatio ſit illud Sapien-

Sapientis : placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut fictio deciperet animam illius. *Sap.* 4.

Feſtum S. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini. *pag.* 1357.

Ecce iſte venit SALIENS. Cant. 2. verſ. 8.

Emblema XXXIII.

Caprea de colle in collem tranſiliens.

Dat in aëre SALTUS. Ovid. 2. metam.

§ 1. Ecce iſte venit *Saliens* in montibus. *Cant.* 2. *v.* 8.
§ 2. *Exultavit* infans in utero *Luc.* 1. *v.* 41.
§ 3. Quæ & quanta in laſcivis choreis flagitia, in ſaltatrice patet Herodiade, de qua Ambroſius : *Quanta in uno facinore crimina* !
§ 4. Parænesis, ut ubi animus è corpore ſalierit, in nuptiis Agni cœleſtes choreas ducere queat.

Feſtum Principum Apoſtolorum

SS. PETRI & PAULI. *pag.* 1386.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ. Pſalm. 96.

Emblema XXXIV.

Duo fulmina.

Duo Fulmina. Virgil. lib. 6. Æneid.

§ 1. *Petrus & Paulus* à quibuſdam mundi *oculi*, ab aliis *duo ubera nuncupantur.*
§ 2. *Qui ſunt hi, qui ut nubes volant* ? Iſaiæ 60.
§ 3. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ.* Pſalm. 96.

INDEX
IN DOMINICAS TOTIUS ANNI,

Qui conceptum, argumentum, & fundamentum Concionatoribus ſuppeditat, cui poſſint ſuperſtruere.

Dominica I. Adventus.

Erunt ſigna. Luc 21.

DEus qui facit ſigna, & mirabilia magna ſolus, multa quidem olim Patribus noſtris monſtravit; ſed omnia exſuperant, quæ nobis in ſacramento mirabili Euchariſtiæ exhibet, ubi adinventiones ejus mirabiles exponuntur *Feſto Sanctiſſimi Corporis Domini in exordio.*

Videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate. Ibid.

Ipſum Numen æterna Dei ſapientia in uſus ſuos aptavit & amavit nubes: ex illis enim ſibi currum triumphalem, & imperatoriã ſellam conficit: iis velut honorato paludamento veſtitur: in iiſdem ut ſplendido ac honorato palatio inhabitat, Sic Moyſi prædicit: *Veniam ad te in caligine nubis.* Exodi 19. Illo apparatu magnifico venientem mirabatur Iſaias cap. 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem.* Atque in ipſo pretioſiſſimo orbis templo *dixit habitaret in nebula.* 3. Reg 8. Dum cœlum aſcenſurus, *nubes ſuſcepit eum.* Actor. 1. Inde ad generalia illa orbis Comitia extremo die, cum gloria & majeſtate *in nubibus cœli* venturus eſt, horribilis, & amabilis. *Feſto SS. Petri & Pauli.* §. 2.

Talis etiam ſub nube Euchariſtica quibuſdam apparet, qui eum ut poteſtate magna terribilem ac venerabilem; accedere non audentes, reformidant, contra ac alii. *Feſto* 2. *Paſchæ.* §. 3.

Moraliter autem Sancti, nubes exſtitere, ut fusè ſancti Patres exponunt illud Iſaiæ 60. qui ſunt hi, *qui ut nubes volant? Feſto SS. Petri & Pauli.* §. 2.

Reſpicite & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Ibid.

Non immerito jubemur *levare capita*, cùm Deus hominem rectum, & erectum fecerit; ſpectent verò animalia cætera terram: ut qui hactenus more pecorum volutati in terris, reſpiciant, & levent capita ſua in cœlum. *Feſto Purificationis B. M. V.* §. 2.

2. Dum maximè adverſa ingruunt, apparet redemptio noſtra. *Feſto* 3. *Paſchæ* §. 2. & 3.

Domi-

Dominica II. Adventus.

Joannes in vinculis. Matth. 11.

Cum Joanne gloriatur & exultat Paulus vinctus in Domino, & tot viri Religioſi ac Sanctimoniales, vinculis votorum adſtricti, quæ nullo modo officiunt Chriſtianæ libertati. 3. *die Bacchanal* §. 4. *Et in Converſione S. Pauli, in exordio.*

2. Longè arctius, & acerbius adſtricti *vinculo conjugati*, quorum vincula in immenſum illa Religioſorum ſua moleſtia excedunt *Kalendis Januarii* §. 3.

3 Sunt & alii diabolicis peccatorum vinculis compediti, quæ ſi velint, ſolvere poſſunt. Quid non egerunt captivi, & vinculis ferreis conſtricti, quò iis ſe eximerent? ut etiam fuerint, qui pedem ſibi truncârint. Unico verbo *Abſolvo*, vos ſolvi poteſtis, ab eo, qui claves, & poteſtatem habet ſolvendi. *Feſto Cathedræ S. Petri*, § 2 *ſub finem.*

Cæci vident. Ibidem.

Hoc miraculo nunc maximè opus eſt, quo innumeri cæci, avaritiâ, temulentiâ, luxuriâ excæcati, apertis oculis, nihil vident qui fusè deſcribuntur *Die primo Bacchanal per totum.*

Sancta autem cæcitas commendatur *Feſto Converſionis S. Pauli*, §. 7. *per totum.*

Mortui reſurgunt. Ibid.

Cùm Chriſtus ad hoc natus ſit, mortuus ſit, & reſurrexerit, ut homines peccato mortui reſurgant, omnes hoc ſacro Adventus tempore hortabor, ut qui mortui ſunt, ſpiritualiter reſurgant. *Dominica Reſurrectionis per totum.*

Quid exiſtis in deſertum videre? Ibid.

Spectaculum ſanè dignum, Deo, Angelis, & hominibus. Joannes à puero, relictâ domo, & parentibus in deſertum ſeceſſit. Quô docetur juventus à teneris mundum deſerendum, juxta prudens illud ſacri Vatis conſilium: *Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* Quod qui volet, videat *Feſto B. Aloyſii*, § 1.

Arundinem vento agitatam. Ibid.

Arundines ſunt heterodoxi, & in fide inſtabiles; non ſic Joannes, non tot inclyti heroes, qui ſteterunt velut robora, ipſis tortoribus fortiores; quæ conſtantia etiam in ipſis pueris Chriſtianis eluxit. *Feſto 3. Martyrum Soc.* Jesu, §. 3.

Arundines & feſtucæ, quæ ab electro mundi in omnem vanitatis partem trahuntur. Vide *Feſto Epiphaniæ*, §. 1.

Quid exiſtis videre, hominem mollibus veſtitum? Ibid.

Heterodoxi, ac homines mundani, qui mollibus veſtiuntur, execrantur eos, qui in melotis & pellibus caprinis, id eſt, in ciliciis, jejuniis, pœnitentiis vitam tranſigunt, inimici Crucis Chriſti. *Feſto Invent. S. Crucis*, § 5.

Dominica III Adventus.

Tu quis es? Joan. 1.

Percunctor & ego te: *Tu quis es?* edifferet Propheta: *Homo natus de muliere repletur multis miſeriis,*

riis, quæ fuſè enarrantur *Feſto 3. Martyrum Soc. Jeſu*, § 3. *& feſto Inventionis S. Crucis*, § 1.

2. *Tu quis es?* Flos fœni, qui egreditur & conteritur, vanitati ſimilis factus *Feſto S. Doroth.* § 2.

3. *Tu quis es?* Conjugatus, Dominus, ſervus, quid officii ſui ſit, videat *Feſto Converſionis S. Pauli. Feſto S. Matthiæ*, §. 1. *Kal. Januar.*

Ego vox clamantis in deſerto. Ibid.

Vox Domini clamantis in mundi hujus deſerto, à paucis auditur, etſi ſtet ad oſtium, & pulſet, ac clamet: *Aperi mihi ſoror mea, Sponſa. Feſto Sanctiſſimi Corporis Domini*, §2. *de corde Chriſti.*

Alii cor ſuum dæmoni, non ſolum clamanti, ſed leviter ſibilitanti aperiunt. *Feſto cathedræ S. Petri*, § 4.

Ego baptizo in aqua. Ibid.

Nobilius nos Chriſtus baptizavit aqua lateris ſui, quæ emundat omnia delicta noſtra: quæ ut vim veri baptiſmatis obtineat, affundenda eſt aqua lacrymarum noſtrarum. *Feſto ſanctiſſimi Corporis Domini*, § 4. *& feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.*

Non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. Ibid.

Exemplo S. Joannis, quidam ſe indignos reputant, ut frequentius ad SS. Corpus Chriſti ſumendum accedant: quod an præ reverentia omittere, an cum demiſſione ſumere expediat, Vide *feſto 2. Paſchæ*, § 3. *per totum.*

Dominica IV. Adventus.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto. Lucæ 3.

Verbum Domini non ſemel ſuper te factum eſt in deſerto, dum Chriſtus loquitur ad cor, & ſub ſpeciebus Euchariſticis os ejus, & cor ejus cordi tuo apprimitur. *Feſto ſanctiſſimi Corporis Dom.* § 2.

Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Ibid.

Baptiſmus pœnitentiæ, non ſemel dumtaxat, ſed ſæpius iterari poteſt. Nec ullæ ſordes tam graves, quæ non per ſacramentum pœnitentiæ, quæ velut alter baptiſmus eſt, expientur. Quod in graviſſimis peccatoribus demonſtratur. *Feſto Cathedræ S. Petri*, § 2.

Quin etiam extra Confeſſionem, in quovis repentino naufragii, læſionis, apoplexiæ, aliove præſenti mortis periculo per actum ſinceræ contritionis, quaſi altero baptiſmo gratia infunditur; & ſi omnino perfectus ſit, etiam omnis reatus, ut in baptizatis, tollitur. *ibidem* § 3. *per totum.*

2. Pœnitentias, aliáſque corporis afflictationes, quas Joannes exercuit, & prædicavit, ac baptiſmi loco eſſe dixit, ſectarii maximè execrantur, & inſectantur; eæ tamen ex Scripturis, & Sanctorum exemplis ſolide probantur, & commendantur. *Feſto 3. Paſchæ. Et feſto Inventionis S. Crucis per totum.*

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Ibid.

Viæ Domini parantur, dum quis ad ea quæ obſtare poſſunt, animum parat, ut quævis obſtantia, ubi occurrerint, ſuperare queat. *Feſto Invent. S. Crucis*, § 3. *poſt medium.*

Viæ autem rectæ fiunt, dum homo, qui à Deo rectus creatus eſt in omnibus operibus ſuis, non tortuosè, ſed recte procedat. *Feſto Purificationis B. V.* § 2.

Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur. Ibid.

Hoc divites, & avari facere poſſunt, in vacuos pauperum ventres, quaſi valles, cumulos & montes divitiarum ſuarum projiciendo. 1. & 2. *die Bacchanalium, de cæcitate, & ſtultitia avari.*

Videbit omnis caro ſalutare Dei. Ibid.

Hunc diem optavit Abraham ut videret, quo myſterium illud perficeretur. Longè plus nobis conceſſum, ut non videre, ſed intra viſcera, & cordis ſinum recipere, & intimè unire valeamus. *Feſto Purificatæ Virginis in exordio. Et feſto Corporis Domini,* § 2.

Dominica infra octavam Nativitatis Domini.

Erat Ioſeph & Maria Mater Ieſu mirantes ſuper his. Luc. 2.

Divina myſteria non tam rimari, quàm mirari convenit nec exiguus in actibus admirationis gratiæ & meriti fructus exiſtit. *Feſto SS. Trinitatis, in exordio.*

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael. Ibid.

Utinam & in reſurrectionem noſtrorum, ut è ſepulchris concupiſcentiæ, temulentiæ, avaritiæ reſurgere ſpiritualiter valeamus: Quod fusè deducitur *Dominica Reſurrectionis Domini per totum.*

Anna vidua erat, quæ non diſcedebat de templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. Ibid.

Status vidualis inſigni encomio à SS. Patribus laudatur: & quænam non ſolum inter Chriſtianas, ſed & inter Romanas ac gentiles illuſtres exſtitere, ſecundas nuptias, præ ipſa morte exoſæ.

Exaggerantur ſimul graviſſima incommoda, damna, diſcordiæ, quæ inter diverſi thori liberos oriuntur. Sed quæ veræ viduæ ſunt, uni Chriſto Sponſo adhærentes, omni virorum commercio renuntiant, jejuniis & orationi cum Anna vidua vacantes. *Kalendis Ianuarii*, § 3. *Et primo die Maji*, § 4.

Perfecerunt omnia ſecundum Legem. Ibidem.

Sicut omnis malitia intravit in orbem terrarum, quod homo tranſgreſſus ſit Legem Domini, nec alios æternis puniat ſuppliciis, quàm legis ſuæ tranſgreſſores; ita omnis ſanctitas conſiſtit, ut Legem Domini obſervemus. *Feſto Converſionis S. Pauli*, § 1.

Puer autem creſcebat. Ibid.

Aliqui ſemper manent pueri malitia, & moribus, etſi creverint in viros, & provectæ ætatis ſenes. Hanc autem pueritiam exuendam, & in maturitatem virilem creſcendum, traditur *primo die Anni*, § 1.

§ 2. Puer ſenſim creſcit in adoleſcentem, ac tandem in virum perfectum, ſicut glans in arborem: & ſicut per gradus ad ſcalæ apicem pertingitur; ſic ſenſim creſcendum in gratia, & ad perfectionis apicem aſcendendum; nam ut inquit Bernardus: nemo

nemo repente fit ſummus; ſicut è contra, nemo repente peſſimus, ſed per actus frequentatos. *Primo die Anni*, §. 3.

Dominica infra octav. Epiphaniæ.

Regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum. Luc. 2.

Quam ſæpe, & quam facile *Jeſus* perditur. Quomodo & ubi quærendus, & qua ratione inveniendus. *Feſto S. Antonii de Padua*, § 2.

Invenerunt eum in Templo ſedentem in medio Doctorum. Ibid.

Plus quam Salomon hic: à primo enim conceptionis inſtanti, fuit animæ Chriſti infuſa ſupernaturalis ſcientia, præter eam quam habebat æternam: neque hanc per partes ut homines ſtudio & labore, ſed ſimul; unde merito *ſtupebant omnes qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis ejus.* Vide *feſto* SS. *Corporis Dom.* §. 1. *ſub medium.*

Videntes admirati ſunt. Ibid.

Quid admiratio, & unde oriatur? quam futilia homines admirentur, & divina quæ maximè ſtupenda, non admirantur; unde tamen fructus uberrimus. *Feſto SS. Trinitatis in exordio.*

Ecce pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te. Ibid.

Quàm durum, & amarum ſit perdere *Jeſum*, & ejus præſentia carere, patet ubi Sponſus à Sponſa, filius à matre, maritus ab uxore, Jonathas à Davide ſeparandus. Quod ſi vel modica *Ieſu* abſentia Joſepho ac *Mariæ* tanti doloris cauſa exſtiterit; quid erit in æternum à ſummo bono ſeparari. *Feſto SS. Corporis Dom.* §. 6. *per totum.*

2. Quem ingenti dolore quæſierunt, ſummo gaudio invenerunt; quod in vita Joſephi potiſſimum animadvertendum eſt, ſemper læta triſtibus, & triſtia lætis permixta fuiſſe; atque ita tota mortalium vita admirabili varietate à Deo contexitur. *Feſto S. Ioſephi*, §. 4. *per totum.*

Et erat ſubditus illis. Ibid.

Tota vita privata Chriſti, his paucis verbis continetur: *Erat ſubditus illis*; fuit enim obediens à primo conceptionis inſtanti, uſque ad mortem Crucis. Cujus exemplo, qualem pueri parentibus, uxores maritis, ſervi Dominis, ſubditi Prælatis obedientiam debeant, patet *Feſto Converſionis S. Pauli per totum.*

Dominica II. poſt Epiphaniam.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Joan. 2.

Simul cruces & tribulationes ortæ, ac factæ ſunt, tam multiplices & graves, ut omnes alias etiam Religioſorum atque anachoretarum exſuperent: quia perpetuæ ſunt, quæ graphicè depinguntur *Kalendis Ianuarii* §. 3. & *primo die Maji*, §. 2. & *feſto Inventionis S. Crucis*, §. 1.

Patienter verò ſi conjuges cruces ſuas ferant, martyres fieri poſſe, vide *feſto* 3. *Martyrum Iaponenſ* §. 3.

2. Alterum

2. Alterum eſt, mulieres dum nuptui traduntur, libertatem amittere, & ſub viri poteſtate eſſe, teſtante Apoſtolo: *Mulieres viris ſubditæ ſint, tanquam Domino.* Epheſ. 5. Quanta autem hæc ſervitus ſit, & quam in omnibus debeant viris obedientiam, ex Patribus, & morali doctrina, tum rara hiſtoria, & ſanctorum conjugum exemplis demonſtratur *Feſto Converſionis S. Pauli*, §. 3.

Erat Mater Ieſu ibi; vocatus eſt autem Ieſus, & Diſcipuli ejus ad nuptias. Ibid.

Felices ac beatæ virginum cum Agno nuptiæ, quibus præeſt paranymphus Spiritus Sanctus. Tales illæ Joſephi & *Mariæ*; tales ubi virgines filiæ Chriſto Sponſo nubunt, quibus ille & *Maria* intereſt. *Feſto S. Ioſephi*, §. 2.

Deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: vinum non habent. Ibid.

In humanis rebus non ſemper ſuppetit conſolationis vinum; ſed ſubinde illud deficit, & velut aqua tribulationis & doloris miſcetur, *Feſto ſancti Ioſephi.* § 4.

Vinum hujus mundi eſt incentivum libidinis, ebrietatis &c. Nobilius nobis propinat in Euchariſtico epulo, & reſervat in cœleſti patria. *Feſto 2. Pentecoſtes. Et feſto SS. Corporis Dom.* § 3.

Nondum venit hora mea. Ibid.

Ubi, ut nonnulli exponunt, non arguit matrem, ſed indicat, nondum tempus eſſe, ut diviniſſimum ſanguinis ſui vinum nobis propinet, quod ardenter deſiderabat. *Ibid.*

Cùm inebriati fuerint. Ibid.

Ebrietas hominem ratione privat, & amentem facit; imo ebrius ſtulto longe deterior, quod vel gentilis Seneca obſervavit, variisque argumentis, & SS. Patrum teſtimoniis comprobatur, *Die 2. Bacchanal.*

Ebrioſis evenit quod viti, quæ Baccho ſacra, ut igni reſerventur. *Primo die Maji*, §. 5.

Ebrietas fœminis maximè indecora. *ibidem* §. 4. *poſt medium*:

2. Exponitur ebrietas ſobria & ſancta per omnes qualitates vini, quod loquaces, audaces reddat, ſecretum prodat, oblivionem inducat, & lætificet. *Feſto 2. Pent. per totum. Et feſto SS. Corporis Domini* § 3.

Dominica III. poſt Epiphaniam.

Cùm deſcendiſſet Ieſus de monte. Matth. 8.

Solitus *Ieſus* montes amare, in montibus orare, montes inhabitare. Ut & in vobis habitet, vos montes præbete, quibus Sancti comparantur; ſin minus, agite ut colles eſſe poſitis. *Feſto S. Ioannis Baptiſt.* §. 1.

2. Cùm deſcendere cum Chriſto facillimum ſit; aſcendere verò difficillimum, omnes homines aſcendere volunt *Feſto Aſcenſionis Domini in exordio.*

Secutæ ſunt eum turbæ. Ibid.

Quia vox ejus dulcis, & facies decora, qua velut electrum, aut magnes, corda mortalium ad ſe trahebat. *Feſto Epiphaniæ per totum. Et feſto ſancti Ioſephi*, §. 1.

Et ecce leproſus veniens, adorabat eum. Ibid.

Lepra fœtidiſſima eſt omnis noxa lethalis; ſed potiſſimum fœtet execrabiliter homo luxurioſus, cujus mephitim non tantum animæ, verum & corporis quidam Sancti perceperunt, & ſuper omnem cloacam deteſtati ſunt. *Feſto Annuntiationis B V. M* § 3. *Et primo die Maji*, § 3. *poſt medium.*

2. *Adorabat eum*; qui cultus adorationis, uni Deo debitus, maxime excellens, & ſummi meriti, præcipuè in beatiſſimis ſpiritibus excellit; at inter homines multi ſunt falſi adoratores, qui Bacchum, Venerem, & Plutum adorant. *Feſto* SS. *Trinitatis in exordio &* § 1.

Domine, ſi vis, potes me mundare. Ibid.

Non ſufficit ut confeſſurus peccata tua, Chriſti Vicario dicas: *Domine ſi vis, potes me mundare*, niſi & tu velis mundari, lepram tuam manifeſtando, & nullum obicem opponendo. *Feſto Cathedræ ſancti Petri*, § 2.

Et extendens Ieſus manum, tetigit eum dicens: volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus. Ibid.

Ut & nos à lepra peccati mundari poſſimus, præſens nobis remedium eſt aqua, quæ fluxit è latere Chriſti, qua ſuper nivem dealbamur. *Feſto* SS. *Corporis Domini*, § 4 *per totum.*

2. Si manus Domini quæ tetigit leproſum, illum ſtatim mundarit, quæ non puritas exſpectanda, ubi non ſolum manus, ſed & cordis ac SS. Corporis Domini per ſacram communionem intimus contactus? *Ibid.* § 2.

Vade, oſtende te Sacerdoti. Ibid.

Quanta dignitas ſacerdotum, puritas ac ſanctitas requiratur. *Feſto Annuntiationis B. V. M.* § *ultimo. Et Feſto* SS. *Corporis Domini*, § 3. *poſt medium, &* 4.

Puer Meus jacet in domo paralyticus. Ibid.

Homo militaris pro ſervo ægro ſolicitus, exemplo & documento eſt Dominis, quo affectu & curâ, famuli potiſſimum ægri habendi ſint, & quàm inde ſibi illos fideles experturi: *Kalendis Ianuarii*, § 4. Et ſicut Spiritus Sanctus ſe effundit in ſervos & ancillas, ita & Paterfamilias, maximè in ægros. *Feſto* 2. *Pentecoſtes*, § 3.

Centurio ait: Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. Ibid.

Quanto ardentiori, & humiliori animo hæc verba à nobis uſurpanda, dum cœleſtis ille hoſpes in Sacramento venerabili interiorem domum noſtram ingredi dignatur; quo factum, ut multi ſanctimoniâ vitæ eximii, præ humilitate & reverentia, eum intra ſe ſæpius recipere non auſi ſint; quod qua ratione probandum, vide *Feſto* 2. *Paſchæ*, § 3. *per totum.*

Tantum dic verbo. Ibid.

Verbo unico *Fiat*, fecit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in

in eis ſunt; verbo unico *fiat*, quod *Maria* protulit, *Deus* homo factus eſt; quidni verbo unico ſanet ſervulum? *Feſto Annuntiationis B. V. M.* § 1.

Verbo unico tu peccator, cujus morbus avaritia eſt, luxuria eſt, &c. ſanari potes, per unum *abſolvo*. *Feſto Cathedræ ſancti Petri*, § 2.

Nam & ego homo ſum. Ibid.

O ſi hoc homines conſiderarent, ex eadem maſſa ſe à Deo conditos, iiſdem infirmitatis ac mortalitatis legibus ſubjectos, eodem pretio redemptos. Quid eſt homo? dicet Job: *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis.* Quid eſt homo? dicet Pſaltes: *Homo vanitati ſimilis factus eſt.* &c. Miſeriæ autem, eæque graviſſimæ deſcribuntur *Feſto* 3. *Martyrum Iaponenſ.* § 3.

Habeo ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alii, veni, & venit: & ſervo meo: fac hoc, & facit. Ibid.

Militaris obedientia, prompta & cœca, omnem aliam exſuperat; unde habent quod & Religioſi, & conjugatæ diſcant, quæ ſub viri poteſtate ſunt. Quod dilucide oſtenditur, & rarâ hiſtoriâ pro conjugatis, declaratur *Feſto Converſionis ſancti Pauli per totum.* Vbi & de obedientia, quam debent ſervi & ancillæ Dominis, & quando. Item de obedientia uxoris erga maritum, *Kalendis Ianuarii*, § 3.

Audiens autem Ieſus, miratus eſt. Ibid.

Quid admiratio, unde oriatur, & an cadat in Deum? quomodo nos futilia & puerilia admiremur, & divina maximè ſtupenda non admiremur; unde tamen fructus uberrimus. *Feſto SS Trinitatis in exordio.*

Non inveni tantam fidem in Iſrael. Ibid.

Actus fidei, inter virtutes Theologales primus, commendatur, & à Chriſto extollitur. Hic ut in aliis fidei articulis, maximè requiritur in myſterio SS. Trinitatis. *Feſto SS. Trinitatis* § 2. *& feſto SS Corporis Dom.* § 2. *de pedibus Chriſti.*

Dominica IV. poſt Epiphaniam.

Ecce motus magnus factus eſt in mari. Matth. 8.

Motus magnus, & tempeſtas in animo peccatoris ex mala conſcientia; atque ea repente ex ſumma malacia, & inter delicias ſuboritur, ut Balthaſaro in convivio accidit. *Die* 3 *Bacchanalium*, § 1.

Quid timidi eſtis modicæ fidei? Ibid.

Juſti quibus ſecura conſcientia, nil habent quod timeant; ſed peccator, cui ſuper impia cervice pendet divinæ juſtitiæ romphæa: cujus etiam, ut loquitur Seneca, ipſæ voluptates trepidæ, & variis terroribus inquietæ. *Die* 3 *Bacchanalium* § 1.

2. Mo-

2. Motus magnus oritur in animo,in extrema cum morte & diabolo lucta; ſed nil habet quod timeat,qui divino viatico munitus,Chriſtum ſecum habet. *Feſto SS Corporis Domini*, § 7.

Apoſtoli, aliíque Sancti, qui antea timidi, ubi muſto Spiritus Sancti repleti, audaces in rogos, in rotas,in omnia tormenta ultro proruerunt. *Feſto* 2. *Pentecoſt* § 3.

3. Alii è contra timent aggredi vitam auſteriorem, quaſi leo ſit in via *Feſto* S. *Marci*, § 1.

Alii timent cruces, ſicut ſolent fures,& latrones,quas alii amant & amplexantur. *Feſto Inventionis S. Crucis*, §. 2. *ſub initium.*

Imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna, unde exclama: *Quia venti & mare obediunt ei.* Ibid.

Mare & venti, ac omnia elementa obediunt Deo,ſolus homo non obedit.

Adam in Paradiſo prævaricatur; cujus peccatum,quod mundum perdidit, graves Auctores inobedientiam ſtatuunt, & ab hac unica,omnem malitiam pullulaſſe: atque in inferno graviſſimè puniri *Feſto Converſionis ſancti Pauli*, § 1. *&c.*

Dominica V. poſt Epiphaniam.

Cum autem dormirent homines. Matth. 13.

De ſomno torporis, quem multi dormiunt, ſurgendum,ut poſſis dicere cum Pſalmiſta: *Ego dormivi & ſoporatus ſum, & exurrexi.* Hominem autem hoc gravi ſopore & torpore correptum, B. Guarricus meritò mortuum nuncupat. *Feſto Reſurrectionis Domini*, §. 2.

Venit inimicus homo, & superſeminavit zizania. Ibid.

Inimicus homo, non ſolum diabolus, ſed homo homini, de quo communis, & nimium vera: homo homini lupus. *Feſto ſancti Marci*, §. 3.

2. *Inimicus homo*, capitalis nobis & Deo hoſtis eſt homo interior,ſeu caro noſtra rebellis, quæ blanditur, & omnia molitur in perniciem animæ noſtræ; quare ſicut olim Eſter: *Peſſimus noſter hoſtis eſt Aman*, in crucem agendus: ita nos carnem noſtram, hoſtem noſtrum crucifigamus, arrepto malleo,& clavo, ut olim vetus illa Heroina Jahel, & percuſſit Siſaram; quæ moraliter applicantur,&amplificantur, *Feſto* 3. *Martyrum Japonenſium*, §. 4.

Superſeminavit zizania. Ibid.

Quænam hæc zizania ſint, indicat Sapiens proverb. 24. *Tranſivi per agrum hominis pigri, & ecce totum repleverant urticæ: operuerant faciem ejus ſpinæ.* Magna profectò inſania,ut majorem curam & cultum homo impendat in agrum,& hortum expurgandum & excolendum, quam animum: quod à ſanctis Patribus graviter exaggeratur, & amœnis hiſtoriis exornatur. Hortum quiſque habet animum,imò & familiam, in qua flores liberi ſunt, qui in zizania degenerant, ſi filii nequam ſint. *Feſto ſanctæ Dorotheæ*, §. 1.

Zizania quoque, teſte Hugone Cardinale,peccata mortalia ſunt,

quæ

quæ non omnia ſimul, ſed ſenſim extirpanda, ut quidam è priſcis anachoretis docuit. *Kalendis Januarii ſub finem.*

Vis imus, & colligimus ea? ibid. Rogant diſcipuli ut evellere poſſint zizania, id eſt tollere ſcelera, & ſcandala, quæ per homines pravos, & truculentos inferuntur, opprimendo ſemen bonum, quod in agro Eccleſiæ per viros Apoſtolicos, & fideles feliciter germinat. Sed reſpondit Chriſtus: *Sinite utraque creſcere.* Ut quid hoc? ut juſti per eos probentur, uxor per maritum temulentum, ſervus per herum truculentum, ſubditus per ſuperiorem ſibi adverſantem, etiam pravum; quibus nihilominus obtemperandum, modo non imperent contra Deum. *Feſto Converſionis ſancti Pauli*, §. 2.

Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum. Ibid.

Quod zizaniis, idem fit ſarmentis vitis, quæ ad nihilum valent niſi ad comburendum. *Primo die Maji*, § *ult.*

Dominica VI. poſt Epiphaniam.

Simile eſt Regnum Cœlorum grano Sinapis. Matth. 13.

Peccata quæ quidem levia ducuntur, ut morſus pomi vetitus, vindex Deus in Adamo, ut in uxore Loth graviſſimè ultus eſt. Hæc curioſè in campo reſpexit; quid illis timendum, qui in templo non ſolum hac illac reſpiciunt, ſed garriunt, rident, & animo fornicantur? *Feſto Converſionis ſancti Pauli*, §. 1.

Minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor. ibid.

Sicut granum ſinapis ſenſim creſcit in arborem, & puer in virum perfectum, ita ſenſim nobis creſcendum in virtute, & ſtudio perfectionis, donec ad apicem non volando, ſed gradatim aſcendendo perveniamus. *Primo die Anni*, §. 3.

Ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Ibid.

Volucres cœli non ſolum Angeli, ſed & homines moraliter intelliguntur, imprimis viri Apoſtolici, & Religioſi, qui in excelſis habitant. Quin & omnis conditionis homines volucribus comparantur, quarum proprietates illis aptantur *Kalendis Januarii, per totum.*

Dominica in Septuageſima.

Simile eſt Regnum cœlorum Patrifamilias. Matth. 20.

Ingens cura incumbit Patrifamilias, ut filiis ſuis jam ex oculis parentis in Univerſitatibus invigilet; filiabus ne liberius agant, & longius evagentur. *Kalendis Jan.* §. 2. & 4. *Feſto S. Dorotheæ*, §. 1 *Et feſto S. Norberti* §. 3.

Eſt & altera cura Patriſfamilias de ſervis & ancillis. *Kalend. Januarii* § 4.

Exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Ibid.

Felices illi, quos Deus primo mane ætatis ſuæ, in vineam ſuam vocat, eique fideliter â teneris ſerviunt. *Feſto B. Aloyſii,* § 1.

Voca operarios, & redde illis mercedem. Ibid.

Merces operariorum, & ſtipendium famulorum aut ancillarum non defraudandum, nec etiam prorogandum; multo minus ægri domo exturbandi. *Kalendis Januarii,* § 4.

Et accipientes murmurabant adverſus Patrem familias. Ibid.

Tales iniquos murmuratores hodiernâ die complures in omni ſtatu reperire eſt, qui de conditione ſua contra Deum murmurant: opifices, & ſervi, quare ſe tali conditione crearit: uxor de viro, vir de uxore, murmurant vocationis ſuæ non fuiſſe conjugium: ſic & nonnulli Religioſi ac Sanctimoniales, ſuò ſtatu non contenti obmurmurant. *Feſto S. Matthiæ,* § 1.

Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Ibidem.

Quomodo fieri poſſit, ut primi noviſſimi ſint, patet ex eo quod qui ſæpe ſeniores ſunt in publicis functionibus, in vinea Religioſæ familiæ, à junioribus ingenio, ſapientia, labore, & virtute ſuperentur. Peccatores quoque, quaſi ultima hora vocati, ut Paulus, Samaritana, Magdalena, plurimos etiam qui multos annos in ſervitio Dei, & in Apoſtolicis muniis cum Juda tranſegerunt ſuperarunt, & non ſolum parem, ſed majorem mercedem receperunt. *Primo die Anni,* § 2.

Dominica in Sexageſima.

Cum turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad Jeſum. Luc. 8.

Quid hoc miri? cùm Chriſtus inſtar electri & magnetis, ſpecie ſua, & pulchritudine ſua ſuper omnes filios hominum, ad ſe omnium corda traxerit; quænam autem adeo ferrea, & obdurata ſint, ut non trahantur, vide *feſto Epiphaniæ, per totum. Et feſto S. Ioſephi,* § 1.

Aliud cecidit in ſpinas, & ſimul exortæ ſuffocaverunt illud. Ibid.

Mundus plenus ſpinis, & tribulis. Spinæ in matrimoniis, in patrimoniis, ſeu divitiis, in honoribus &c. *Feſto Invent. S. Crucis,* § 1. Et de tribulis ac ſpinis conjugatorum. *Kalendis Ianuarii,* § 3. *& primo die Maji,* § 2.

2. Anima cujuſque in hoc mundo eſt velut lilium inter ſpinas, quibus undique cingitur. Magna cura, & cautela opus eſt, ut ſe illæſam ſervet. *Feſto S. Norberti,* § 3. *per totum.*

Ut videntes non videant. Ibid.

Hæc cæcitas in avaris, luxurioſis, ambitioſis, aliiſque peccatoribus reperitur, qui apertis oculis non vident, ut probatis Patribus, morali doctrina, & hiſtoria comprobatur *Primo die Antecineralium per totum.*

2. Eſt & cæcitas laudabilis, qua quis apertis oculis non videt, quid, aut à quali ſuperiore ſibi imperetur, ſed cœcorum more obedit, v. g. ſervus Domino, uxor marito, ſubditus Prælato. *Feſto converſionis S. Pauli,* § 5.

Hi

Hi radices non habent. Ibid.

Hi ſimiles arbori Majali, quæ ante ædes plantata, virere, & vivere videtur, ſed quia radicem non habet, verè mortua eſt. Talis omnis peccator, qui in charitate radicatus non eſt, quod fusè demonſtratur *Primo die Maji*, §. *ultimo.*

In tempore tentationis recedunt. Ibid.

Parati eſſe debemus non tantum ad proſpera, ſed & adverſa, quæ præ proſperis longè nobis ſalutaria & velut certa prædeſtinationis teſſera. *Feſto S. Ioſephi*, §. 4. *Et feſto 3. Paſchæ per totum.*

Fructum afferunt in patientia. Ibid.

Qui patienter pauperiem, ignominiam, morbos, aliáque adverſa tolerat, meritò Martyribus comparatur; qui aut non tam truculentum, lentum & diuturnum patiuntur tormentum. Imò fortior eſt, qui patiendo ſe, quam qui fortiſſima vincit mœnia: eſtque ſpectaculum Deo dignum vir fortiter patiens etiam in lecto, quàm qui in acie dimicat. *Feſto 3. Martyrum Japonenſium*, § 3. *Et feſto Invent. S. Crucis*, §. 3.

Dominica in Quinquageſima.

Ecce aſcendimus Jeroſolymam, &c. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur. Luc. 18.

Hoc tempore Bacchanalium, apte repræſentatur nobis Chriſtus aſcendens Jeroſolymam, ut rurſus illudatur, flagelletur, & occidatur per flagitia hominum, qui quaſi rurſus crucifigunt filium hominis. Cujus commiſeratione ductæ ſanctæ animæ, ferventes preces, calidas lacrymas, & graves pœnitentias Deo obtulerunt. *Primo die Bacchanal.* §. 3. *per totum.*

Et tertia die reſurget. Ibid.

Utinam nos vel tertio menſe, tertio anno, imo trigeſimo aliquando ſpiritualiter reſurgamus: multi enim cum Lazaro non quatriduo dumtaxat, ſed quadriennio, & tota vita in ſordibus ſepulti fœtent. *Feſto Paſchæ per totum.*

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam. Ibid.

Hic cœcus genus humanum ſignificat: nam cœci ſuperbi, ebrioſi, avari, luxurioſi, omnis denique peccator; cujus damnabilis cæcitas, è ſcripturis, SS. Patribus, & tragicis hiſtoriis exaggeratur *Primo die Antecineralium per totum.*

Quid tibi vis faciam? Ibid.

In quæ verba S. Bernardus: *heu! plures habemus Evangelici illius cœci, quam novi Apoſtoli* (Pauli) *imitatores. Quid vis, ait Dominus ad cœcum illum, ut faciam tibi? Abſit hoc Domine: tu magis dic: quid me facere velis*; errat enim graviſſimè, qui voluntatem Dei, aut ſuperioris ad ſuam detorquere conatur; ſed potius dicat cum Paulo: *Domine, quid me vis facere. Feſto Converſionis S. Pauli* §. 5.

At ille dixit: Domine ut videam. Ibid.

Utinam hoc omnes cœci corde,

de, ex corde petant, ut videant vanitates & inſanias falſas, videant in quam miſero ſtatu ſint, videant ſupra ſe Deum vindicem, infra barathrum inferni apertum. Pro quibus viri ſancti, & fœminæ orationes cum lacrymis profuderunt. *Primo die Antecineralium*, §. 3.

Dominicas Quadrageſimæ

Ne actum agamus, vide in Indice peculiari Quadrageſimæ.

Dominica Reſurrectionis.

Hanc vide loco proprio.

Dominica in Albis.

Cum ſero eſſet. Ioan. 20.

Non deſperet, qui etiam ad provectam ætatem in omnibus flagitiis vitam duxit: numquam ſero eſt, ut ſerio reſipiſcat; quin & praxis demonſtratur, qua tempus vitæ præteritæ redimere poſſint. *Primo die Anni* §. 1. *in fine*, *&* § 2. *per totum.*

Dixit eis: pax vobis. Ibid.

Non eſt pax impiis, dicit Dominus: nam etiam inter maximas delicias, & geniales epulas peccator vera pace, & animi tranquillitate deſtituitur, ſed multo angore, & amaritudine repletur; Pax autem quę exſuperat omnem ſenſum, eſt ſecura conſcientia. *Tertio die Bacchanal.* §. 3.

Oſtendit eis manus & latus. Ibid.

Plus nobis beneficii collatum, quibus non ſolum Dominus potentes manus & latus oſtendit, ſed illas in nos munificas & largas exhibet, & intra latus ſuum nos ſibi intimè in Euchariſtico epulo conjungit. Ubi virtus manuum, & dignitas lateris ardenti amore & omni veneratione conſideranda proponuntur. *feſto SS. corporis Domini.* §. 2.

Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Ibid.

Quid ni gaudeant viſo Domino in corpore glorioſo, qui etiam inter homines converſatus, fuit ſpecioſus præ filiis hominum: & cujus intuitu omnis alia creata pulchritudo ſordeſcit. *feſto S. Joſephi.* §. 1.

2. Illud verum ac ſolidum gaudium, inquit Bernardus, quod non à creatura, ſed à Creatore percipitur: non enim habet tædium, nec amaritudinem convictus illius, ſed gaudium. *Tertio die Bacchan.* §. 4.

Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Ibid.

Poteſtas clavium ligandi atque ſolvendi peccata, ſacris ſcripturis, ac Patrum teſtimoniis ſtabilitur: tum quanta illa ſit comprobatur, ut nullum adeo enorme aut multiplex flagitium, quod ſolvi non poſſit; ſed væ illis qui hiſce clavibus ſacrilega confeſſione obicem aut peſſulum obducunt. *feſto Cathedræ S. Petri*, §. 1. *&* 2.

Vidimus Dominum. Ibid.

Cucurrerunt olim filiæ ſuper muros, ut viderent Joſeph ſpecie decorum; ſed præ hoc longè gratius vidiſſe Dominum; at quanto major gratia & excellentius beneficium, eundem ſub ſpeciebus

bus panis intra viſcera noſtra arctiſſimè complecti. *Feſto SS. Corporis Domini in exordio & § 2 de amplexu oſculo, & corde Chriſti.*

Ille autem dixit eis: niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Ibid.

Hæc incredulitas etiamnum invenitur in heterodoxis, potiſſimum circa ſanctiſſimum Euchariſtiæ myſterium: qui ex ipſa forma conſecrationis nervoſo anagrammate confutantur *feſto* SS. *Corporis Dom.* § 2. *ſub finem.*

2. Multi in ſumptione ſacræ Euchariſtiæ, Chriſtum potius cùm turbis trudunt, quam tangunt, quia vera fide non accedunt. *feſto corporis Dom.* §. 2. *de pedibus Chriſti.*

Dixit ei Jeſus: quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Ibid.

Fides vera & viva à Chriſto prædicatur, & extollitur, ejuſque actus maxime meritorii probantur *feſto SS. Trinitatis.* §. 2. *& feſto* SS. *Corporis Dom.* §. 2. *de pedibus Chriſti.*

Dominica II. poſt Paſcha.

Ego ſum Paſtor bonus. Joan. 10.

Bonus Paſtor debet habere diſcernendi ſcientiam, & judicandi potentiam: nam etſi approbatus validè abſolvat, ſi debita ſcientia deſtitutus ſit, facile oves in errorem inducet ac perdet. Unde S. Thereſia præferendum dictitabat Confeſſarium minus probum, viro ſimplici, etiam Sancto. *feſto Cathedræ S. Petri* § 2.

2. Cura & diligentia opus eſt, ne ejus incuriâ ovis pereat, ad quod exemplo ſancti Maurilii excitatur. *Ibid.*

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Ibid.

Hic Paſtor Paſtorum Redemptor noſter eſt, cujus exemplo, & alii viri Apoſtolici per mille difficultates, ærumnas, pericula, poſuerunt animas pro ovibus ſuis. *feſto S. Antonii de Padua.* §. 1. *&* 2.

Et illas oportet me adducere. Ibid.

Zelus eluceat, quem Chriſtus bonus Paſtor commendat, ut quærant oves perditas. Res alias perditas, ovem, bovem, equum, monile, quanto ſtudio quærimus, & animam perditam quis quærit? *feſto S. Antonii de Padua* §. 2.

Dominica III. poſt Paſcha.

Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. Joan. 16.

Cœleſtis Sponſus nunc faciem ſuam abſcondit, nunc oſtendit: nunc immittit proſpera, nunc adverſa, mirabili varietate, vitam mortalium cujuſcumque conditionis contexens, quos nec conſolationes, nec deſolationes vult habere perpetuas. *feſto S. Joſephi.* § 4. *per totum.*

Plorabitis & flebitis vos. Ibid.

Dulces lacrymæ Juſtorum, & pœnitentium, quæ vinum Angelorum plenæ conſolationibus & deliciis cœleſtibus, quibus animæ ſanctæ inebriantur. *Tertio die Bacchanalium.* §. 3. *& feſto* SS. *Corporis Dom.* §. 3. & 4.

Mundus autem gaudebit : vos autem contriſtabimini ; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Ibid.

Gaudium Mundi numquam ſincerum,& in amariſſimam triſtitiam vertitur : at quod à creatore & non à creaturis percipitur , illud verum & ſolidum, quod nemo tollet à nobis. *Tertio die Bachanal.* § 3.

Triſtitia , calamitates,& cruces juſtorum *vertuntur in gaudium* æternum. *Feſto tertio Paſchæ per totum.*

Hæ rerum humanarum vices: nunc adverſa, nunc proſpera : nunc tempeſtas , nunc ſerenitas : nunc triſtitia,nunc lætitia. *Feſto S. Joſephi* § 4.

Dominica IV. poſt Paſcha.

Quo vadis ? Joan. 16.

Hoc interrogant quandoque parentes filios ſuos, qui animum Religioni adjecerunt : *quo vadis* fili ? deſeres tu matrem,patrem, propinquos,divitias , mundum ? Et vadis ad Religionem tam auſteram , nec ætas , nec vires hoc patiuntur. At ſi vadunt ut filiam procentur,aut filiæ dicant ſe velle nubere, ſatis maturæ ſunt. Parentibus vero quæ ſuis obſiſtunt ne vadant poſt Chriſtum , & à Religioſo ſtatu avertunt , quæ vindicta immineat , vide *Feſto B. Aloyſii* § 1.

Expedit vobis ut ego vadam. Ibidem.

Sponſus in canticis venit , & vadit ; quo indicat nos nec conſolationes nec deſolationes velle habere perpetuas : quod quam animæ expediat, ſanctus Bernardus , aliique Patres diſertè tractant. *Feſto S. Joſephi* § 4.

2. An expediat cum Sponſa dicere : *fuge dilecte mi* , expedit mihi ut vadas,& recedas : an verò : veni , & ne diſcedas à me. *Feſto 2. Paſchæ* § 3. *&* 4.

Arguet mundum de peccato , & de juſtitia. Ibid.

Meritò mundum arguet juſtus Judex de Juſtitia , quæ orbi exulaſſe videtur , cum nuſquam prope inveniatur , quod Seneca exaggerat,dicens : *forum inambula , & ſcito tantum vitiorum eſſe, quantum eſt hominum.* Leges pervertuntur , lites pervertuntur, judices corrumpuntur, pupilli & viduæ opprimuntur &c. *Feſto ſancti Ivonis* § 3. *per totum.*

Dominica V. poſt Paſcha.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo,dabit vobis. Joan. 16.

Oratio juſti,clavis eſt cœli, inquit Auguſtinus Hac Elias cœlum clauſum aperuit : hac etiam urbis portæ noctu clauſæ , ultrò apertæ ſunt : hac in theſauros Dei penetratur , & in quavis neceſſitate , tibi vales proſpicere, multo certius & ſecurius , quam qui immani ſacrilegio ariolos, aut dæmones conſulunt, ut neſcio quam radicem inveniant, qua omnes feras aperiant,& theſauros expilent. *Feſto Cathedræ S. Petri.* § 4. *per totum.*

Ego

Ego rogabo Patrem pro vobis. Ibid.

Quis cauſæ ſuæ diffidat, dum Chriſtum habet Advocatum, qui per tot ora quot vulnera perorat pro nobis apud Patrem? juxta illud: *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum.* 1. Joannis 2. Vide *Feſto S. Ivonis*, § 1.

Relinquo mundum, & vado ad Patrem Ibid.

Felices qui à teneris mundum reliquerunt, priuſquam mundum noſſent, ejuſque nequitiis & ſpurcitiis infecti eſſent. *Feſto B. Aloyſii, In exordio & §* 1.

Adoleſcentes & adoleſcentulæ, quæ generoſo auſu per obſtantes parentes & propinquos, & oblatas nuptias, & divitias, ac mundum reliquerunt, aut generoſo ſaltu ex eo fugerunt. *Feſto S Joſephi* § 2. *& primo die Maji* § 3. *& feſto S. Ioan: Bapt.* § 4.

2. Quantum gaudium ſit reliquiſſe mundum, potiſſimum in morte teſtantur Religioſi & ſanctimoniales, quibus clauſtrum paradiſus. *Tertio die Bacchan.* § 4.

Dominica infra Octavam Aſcenſionis.

Ab initio mecum eſtis. Joan. 15.

Chriſtus nobiſcum eſſe voluit tam mirabili & amabili modo in Sanctiſſimo Sacramento uſque ad conſummationem ſæculi. *Feſto SS. Corporis Domini in exordio. &* § . 6.

Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Ibid.

Solicitos nos Redemptor noſter reddit, & diſceſſurus ex hoc mundo extremum monitum tradit, ne ulli ſcandalo ſimus, potiſſimum parvulis, & innocentibus, per verba obſcœna, actus liberiores inter conjuges, aliaſque illecebras, à SS. Patribus graviter exaggeratas. *Feſto S. Joſephi.* § 3.

2. Scandalo ſunt, quæ corporis pulchritudine alios pellicere ſatagunt; quod ut tollerent heroes animæ, fallacem gratiam, & vanam pulchritudinem, ne offendiculo aliis eſſent, deturparunt. *Feſto S Joſephi* § 2.

Dominica Pentecoſtes.

Vide feſto ejuſdem, & 2. ſequentibus.

Dominica Sanctiſſimæ

Trinitatis. Vide feſto proprio.

Dominica I. poſt Pentecoſten.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Luc. 6.

Quia, ſi quam vos proximo miſericordiam exhibueritis, longè majorem Chriſtus præſtabit vobis, & quæ illi facta ſunt, ſibi facta profitetur. *Feſto* S. *Franciſci de Paula*, § 3. & 4.

2. Miſericordia Patris æterni, fuſe demonſtratur *Feſto* 3. *Pentecoſtes* § . 2. *& feſto SS. Trinitatis* § 3.

Dimittite, & dimittemini Ibid.

Injurias remittere non imbellis & ignavi; ſed generoſi ac magnanimi eſt, quod vel ipſi gentiles Catholicos docuere, & ſcripturæ, ac ſancti Patres evincunt. *Feſto S. Marci*, § 1. *poſt medium, &* § 2. *poſt medium.*

2. Oportet obliviſci injuriarum, quarum memoria magnorum ac multorum malorum cauſa. *feſto* 2. *Pentecoſtes.* §. 4. *ante medium.*

Date & dabitur vobis. Ibid.

Cum Deus in nos tam liberalis, & inſtar fontis uberrimi per tot beneficia in nos effuſus; ſi & nos in pauperes effuſi fuerimus, liberalius in nos ſua dona diffundet. *Feſto* 2. *Pentecoſtes* §. 2. *& feſto S. Franciſci de Paula.* §. 3.

Numquid poteſt cœcus cœcum ducere? Ibid.

Hoc indies in mundo videre eſt, ubi omnes cœci ſunt, & à cæcis ducuntur: tales avari, luxurioſi, ambitioſi &c. *Primo die Bacchan. per totum.*

Ambo in foveam cadunt. Ibid.

Socius pravus trahit alium in foveam æternæ damnationis, & Confeſſarius improbus pœnitentem, ut inter natatores fieri conſuevit. *feſto Epiphaniæ.* §. 3.

Dominica infra octavam SS. Corporis Domini.

Homo quidam fecit cœnam magnam: Luc. 24.

Hæc cœna magna, quam benigniſſimus Redemptor noſter inſtituit, Euchariſtica eſt, qua in uno bolo vel hauſtu communicantum omnes deliciæ, & divitiæ quæ in terra & in cœlis ſunt. Hic vinum propinatur, quod germinat Virgines, quo & Apoſtoli ac ſanctæ animæ in cellam inductę, divina temulentiâ ebriæ fuerunt. *Feſto SS. Corporis Dom. per totum, & feſto* 2. *Pentecoſtes.*

Menſa Euchariſtica omnes alias exſuperat delicias. *Tertio die Bacchanal.* §. 3.

Cœperunt omnes ſimul excuſare. Ibid.

Qui non ſapiunt cœleſtes epulas, excuſant ſe, & potius cum Ægyptiis appetunt ollas carnium. *Tertio die Bacchanal.* §. 2. & 3.

Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire. Ibid.

Uxor etſi crux perpetua, ut Dominica 2. poſt Epiphaniam in hoc indice demonſtravi, impedimento non eſt, cum & conjuges innumeri ac innumeræ ſancti reperti ſint, & in matrimonio Virginitatem ſervarint. *feſto S. Joſephi* §. 3.

Exi in vias & ſepes, & compelle intrare. Ibid.

Compelle & tu Chriſtiane viles & pauperes ad menſam tuam intrare exemplo Abrahami, aliorumque ſanctorum.

2. Compelle & Chriſtum cum diſcipulis in Emaus intrare ſub tectum tuum. *feſto* 2. *Paſchæ per totum.*

Dominica III. poſt Pentecoſten.

Murmurabant Phariſæi & ſcribæ. Luc. 15.

His multi ſimiles, qui murmurant contra Deum: vir de uxore proterva, uxor de viro temulento: Dominus de ancilla, & ſervo ſtupido: ſervus de Domino turbulento: ſuperior de ſubditis diſcolis, ſubditi de ſuperiore ſevero, in ſe ac ſuos benigno. In omni denique claſſe hominum invenire eſt, qui ſorte ſua minimè conten-

contenti, obmurmurant, quod in tali ſtatu & conditione, non in alio ſtatuti ſint. *feſto S. Matth.* §. 1.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis; nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Ibid.

Nonne hoc bonus Paſtor, Redemptor noſter fecit, qui novem choros tot millium Angelorum reliquit, ut ovem perditam reperiret. Cujus exemplo tot viri Apoſtolici, relictis omnibus, unam ovem perditam quæſierunt. *feſto S. Antonii de Padua* §. 2.

Dominica IV. poſt Pentecoſten.

Cum turbæ irruerent in Jeſum, ut audirent verbum Dei. Luc. 5.

Quid ni irruerent? verbum ejus dulce ſuper mel & favum: quin & inſtar electri, ac magnetis omnium poſt ſe corda trahebat, ut fusè exponitur *feſto Epiphaniæ per totum*, & *feſto S. Ioſephi* §. 1. & *feſto SS. Corporis Dom.* §. 2.

Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Ibid.

Tales ſunt, qui magno & inutili labore tempus tranſigunt: quibus optima vitæ pars, imo tota perit in otioſis fabulis, ludis, jocis: aut temulentiæ, & laſciviæ impenditur: nihil reportantes virtutis, bonorum operum, aut meritorum. *Primo die Anni.* §. 1.

In verbo autem tuo laxabo rete. Ibid.

Prompta, & cœca Obedientia commendatur, in qua ſumma perfectio eſt, & eluxit olim in Abrahamo, aliiſque ſanctis, & hodie in diſcipulis; unde eam Deus divinis quibuſdam favoribus ac prodigiis cœleſtibus comprobavit. *feſto Converſionis S. Pauli.* §. 4. & 5.

Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Ibid.

Actus hic ſummæ humilitatis, qui laudabiliter uſurpatur dum Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis naviculam animæ noſtræ ſubingreditur; ſed an præ nimia humilitate & reverentia rarius communicandum, ſolide diſceptatur *feſto 2. Paſchæ* §. 3. & 4.

Ait ad Simonem Jeſus: noli timere. Ibid.

Nihil nobis timendum, dum Chriſtum per ſacram Communionem intra naviculam animæ receperimus: ne quidem in extrema cum morte & diabolo lucta, dum tempeſtas magna exſurgit. *feſto SS. Corporis Dom.* §. 5. 6. 7. 8.

Relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Ibid.

Hanc velocem & promptam obedientiam tot milleni Adoleſcentes & adoleſcentulæ æmulati ſunt, qui continuò relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum. *feſto Converſionis S. Pauli* §. 4.

2. Religioſi qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum, quanto gaudio, quaſi centuplo, hic etiam perfruantur in terris, ac potiſſimum in morte, quæ mundanis terribilium omnium terribiliſſima, illis autem amabilis, ut cantando moriantur, & moriendo cantent. *Tertio die Bacchanal.* §. 4.

Dominica V. poſt Pentecoſten.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5.

Juſtitia Phariſæorum, palliata nequitia eſt, quemadmodum & heroici actus Romanorum, aliorumque Gentilium, qui nil niſi vanam nominis famam apud mortales, & inanem gloriam aucupabantur; quos longè exſuperavit vera Chriſtianorum pugilum, imo & fœminarum, ac puellorum juſtitia ac fortitudo. *Feſto 3. Martyrum Iaponenſium.* § 2.

Non occides. Ibid.

Hoc præceptum, quotquot adeſtis, vos hactenus ſervaſſe fatebimur; ſed quid ſi contrarium probem, & plures hic homicidas demonſtrem? Nonne omnis peccator occidit animam ſuam, ut è ſcripturis, & Patribus conſtat? Nonne gravior homicida, qui ſcandalo innocentes animas occidit, quam qui corpora? Hæc fuſe tractantur. *Primo die Maji* § 5. & *Feſto Reſurrectionis Dom.* § 1.

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Ibid.

Veriſſimum nunc illud comprobatur: homo homini lupus, & frater fratri. Quod quam immane ac barbarum, fusè exponitur *Feſto S. Marci pro totum.*

Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade, prius reconcialiare fratri tuo. Ibid.

Injurias remittendas, ſed nec vindictam de hoſtibus ſumendam, non ſolum Romanum, ſed maximè Chriſtianum eſt *Feſto S. Marci* § 1 *poſt medium.* & § 2. *poſt medium.*

Dominica VI. poſt Pentecoſten.

Miſereor ſuper turbam. Marci 8.

Miſericordia ſuperexaltat judicium, & præ omnibus aliis pietatis operibus, à Chriſto Judice commendatur ac deprædicatur. *Feſto S. Franciſci de Paula* § *ultimo.*

2. Deus miſericordiam ſuam in nos prodigialiter prodigus inſtar fontis effudit totus conſumptus in uſus noſtros. *Feſto 3. Pentecoſt. per totum. Et feſto SS. Corporis Dom.*

Exemplo Chriſti, & nos miſereamur ſuper turbam pauperum, ut audire mereamur: ſitivi, & dediſtis mihi bibere &c. *Feſto S. Franciſci de Paula,* § *ultimo.*

Accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit Ibid.

Diſcamus & nos tam munifico largitori gratias agere, non ſolum pro pane quem frangimus, veſte qua tegimur, luce qua fruimur; ſed & pro innumeris aliis, quæ corpori, & animæ contulit, beneficiis. *Feſto Epiphaniæ* § 2.

2. Potiſſimum gratiæ agendæ pro beneficio Euchariſtiæ, quæ gratiarum actionem ſignificat. *Feſto SS. Corporis Dom.* § 8.

Manducaverunt, & ſaturati ſunt.

Epulæ, quas Chriſtus hominibus proponit, ſolæ ſapiunt, & ſatiant; mundanæ fugitivæ ſunt, & amaritudine plenæ. Præ his ſua-

ſuaviſſimæ ſunt Euchariſticæ, *ubi dulcedo in ſuo fonte guſtatur*, quam ſanctæ, ac ferventes animæ, ſuper mel, & favum, deguſtarunt; quod autem tibi hoc cœleſte Epulum non ſapiat, eſt quod palatum affectum habeas, & infirmus ſis. *Tertio die Bacchanalium*. § 3.

Dominica VII. poſt Pentecoſten.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Matth. 7.

Tales ſunt hypocritæ, & ſancti larvati, ſimiles ſepulchris dealbatis; qui adhortandi ut depoſitâ fictâ ſanctitate, verè reſurgant: hos inter, cenſet Cardinalis Cuſanus unam, quæ Confeſſario ſancta videri voluit, cujus fraudem ſolerter detexit. In hac claſſe ſunt, qui ignoto Confeſſario graviora exponunt, & leviora Ordinario, ne ſanctitatis famam amittant, quales ſæpe vero dolore, & propoſito emendationis deſtituuntur *Feſto Reſurrectionis Domini* § 1 *ſub finem.*

Omnis arbor bona, fructus bonos facit. Ibid.

Cum omnis homo à Philoſophis, & Patribus, arbori rectè comparetur, exponitur quomodo puellæ arborem ceraſi: conjugati arborem caſtaneæ: Virgines Laurum: viduæ Cupreſſum in ſe exprimere, & fructus referre valeant. *Primo die Maij*, § 1, 2, 3.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ibid.

Sunt arbores multæ autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, quæ non ſerviunt niſi ad comburendum, quibus peccatores ſimiles perhibentur. *Primo die Maij* §. 5. *per totum.*

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabi in regnum cœlorum. Ibid.

Omnis perfectio, & ſanctitas in eo ſita, non ut prolixis orationibus, & jejuniis vaces, ſed ut facias in omnibus voluntatem Dei. Quemadmodum econtra, omnis malitia in eo conſiſtit, quod quis voluntati Dei adverſetur. *Feſto Converſionis S. Pauli*, § 1.

Dominica VIII. poſt Pentecoſten.

Homo quidam erat dives. Luc. 16.

Dives qui præ avaritiâ, divitiis non utitur, miſer, miſerabilis, mendicus, & cæcus eſt. *Primo die Bacchanalium*. § 2.

2. Nec ſolum talis homo cæcus, ſed & inſanus ac planè ſtultus eſt, ut manifeſtis argumentis evincitur *Die 2. Bacchanal.* § 1.

3 Nil bene facit, niſi dum moritur, & divitiæ è ſaccis, & arcis excutiuntur. *Primo die Maii.* §. 5 *ſub medium.*

Hic diffamatus eſt apud eum. Ibidem.

Cum nomen bonum melius ſit, quam divitiæ multæ, & fama pluris quam ipſa etiam vita æſtimetur, exaggeratur quam grande malum ſit, alterum diffamare, & quanti meriti ſit apud Deum,

illatam famæ, ac nomini ignominiam, patienter tolerare. *Feſto Invent. ſanctæ Crucis* § 3. *ante finem.*

Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ. Ibid.

Hanc accuratiſſimam rationem tam pretioſi temporis deperditi juſtus judex à quoque noſtrum exiget, quare dum tempus villicandi, id eſt, utiliter agendi, habemus, operemur bonum, ne quod omnes damnati graviſſimè lamentantur, nos ſero deploremus, nullam nos rationem temporis habuiſſe. *Primo die Anni per totum.*

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Ibid.

Quod fit divitias in pauperes erogando, quos in judicio amicos non ſolum experiemur, ſed & ipſum judicem Chriſtum, qui quæ ſuis, ſibi facta profitetur. Illuſtre hoc in genere exemplum præbuit ſenator Genuenſis. *Feſto S. Franciſci de Paula.* § *ultimo.* & *feſto* 3. *Pentecoſtes* § 2.

Dominica IX. poſt Pentecoſten.

Cum appropinquaret Jeſus Jeruſalem, videns civitatem, flevit ſuper illam. Luc. 9.

Chriſtus non tantum ſuper civitatem Hieruſalem, ſed & uberrimè ſuper civitatem animæ, ſpiritualem illam Hieruſalem ab ipſa infantia flevit: cujus lacrymæ ſatis potentes ſunt, ut electri inſtar aut magnetis ferrea corda ad ſe trahant. *Feſto Epiph.* § 1.

2. Exemplo Chriſti, ſanctæ animæ amariſſimis lacrymis fleverunt ſuper peccata populi, quæ Laurentius Juſtinianus graphicè deſcribit. *Primo die Bacch.* § 3.

3. Parum fuit benigniſſimo Redemptori noſtro fudiſſe pro nobis lacrymas; ſanguinem dedit, & totus in uſus noſtros expenſus eſt. *Feſto* 3. *Paſchæ per totum.*

Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te undique. Ibidem.

Hæc de extrema lucta cum morte, & dæmone moraliter intelliguntur, quando ſummo ſolatio erit Chriſtum ſub ſpeciebus Euchariſticis habere præſentem, & contra tartareos inimicos propugnatorem. *Feſto SS. Corporis Dom.* § 7.

Eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ. Ibid.

Pretium temporis, quod celerrimè prætervolat, ubi elapſum fuerit, multi plus carendo, quam fruendo cognoverunt, & fleverunt. Kal. Jan. *in exordio*

Hoc omnes damnati ſero deplorabunt, quod tempus viſitationis, miſericordiæ, gratiæ, indulgentiæ tam ſegniter perdiderint; quod ſi daretur recuperari, omnium anachoretarum pœnitentiis, & Martyrum cruciatibus libenter vel unam horulam reſipiſcendi redimerent. Sed tempus non erit amplius. *Primo die Anni,* § 2.

Quomodo tempus deperditum, à nobis recuperari poſſit. *ibidem.*

Domus mea, domus orationis eſt; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Ibidem.

Anima, quæ templum Dei eſt, redditur ſpelunca latronum per peccatum: nam omnis peccator, animæ

animæ ſuæ, & illius cui ſcandalo eſt, peſſimus latro eſt. *feſto Inventionis ſanctæ Crucis.* §. 2.

Horrendæ tragœdiæ latronum enarrantur, quas omnes exſuperat feritate ſuâ, qui animam ſuam per peccatum reddit ſpeluncam latronum, ſeu Dæmonum: & hoſpitem Deum, quem in Euchariſtia excepit, quaſi trucidat. *feſto 2. Paſchæ in Exordio. &* §. 2. *ſub finem.*

Dominica X. poſt Pentecoſten.

Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus, Gratias ago tibi, quia non ſum, ſicut ceteri hominum. Lucæ 18.

Hæc vox hominis inſani, & prorſus ſtulti eſt, qui præ inſana ſuperbia exiſtimat neminem ſibi ſimilem. Unde recte dixit Chryſoſtomus: nemo ſuperbus eſt, qui ſimul ſtultus non ſit, quod variis ſcripturis, & exemplis comprobatur *Die 2. Bacchanalium* §. 1. *de ſtultitia ſuperbiæ.*

Jejuno bis in Sabbato. Ibid.

Hoc priori connexum, quia ſtulti laudant ſeipſos, cum interim omnibus ludibrio ſint. *Ibidem, eodem die.*

Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Ibid.

Qui hic ſe exaltant, & ſuperbia, ac ambitione tumeſcunt, omnibus paſſim contemptui ſunt & humiliantur; illi verò qui ſe humiliant & quaſi ſtulti propter Deum fiunt, apud homines in terris, & apud Deum in cœlis exaltantur. *feſto Sancti Norberti.* §. 2. *& feſto S. Franciſci de Paula,* ubi Minimi, maximi deprædicantur. §. 2. *per totum.*

Dominica XI. poſt Pentecoſten.

Exiens Jeſus de finibus tyri, venit per ſidonem ad mare Galilææ, inter medios fines decapoleos. Marci. 7.

Juris perito Judici inter medios fines Juſtitiæ ſic ſtandum eſt, ut nec affinium, nec amicorum affectu, nec munerum pondere, in alterutram partem inclinet. Quæ corruptela, ut orbi eliminetur, tragici exitus adducuntur *feſto S. Ivonis,* §. 3.

Miſit digitos ſuos in auriculas ejus, & tetigit linguam ejus. Ibidem.

Si ea vis digitis, ac manui Chriſti, ut vel ſolo attactu conferat ſanitatem; quid non ſperandum, ubi manus Domini glorioſæ, quæ tot mirabilia patrarunt, nobis intimè ſub ſpeciebus panis ſacro attactu conjunguntur? *feſto SS. Corporis Dom.* §. 2.

Solutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè. Ibidem.

Vinum ſpiritus ſancti linguas Apoſtolorum, & multorum ſanctorum ſolvit in laudes Dei; quin & linguas ſolvit, ut ſalubriter ſecretum in aures confeſſarii deponamus. *feſto 2. Pentecoſtes,* §. 1.

Dominica XII. poſt Pentecoſten.

Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Luc. 10.

Merito beati oculi dicuntur, qui Chriſtum in carne videre meruerunt: tam enim delectabilis fuit ad videndum, tam ſpecioſus, ut omnis humana pulchritudo, quæ fallax, & vana eſt, meræ ſordes ſint. Fuit Joſeph

ſeph Patriarcha *pulcher ſpecie, & formoſus aſpectu : filiæ cucurrerunt, ſuper murum*, ut eum contemplarentur; quæ animas ſanctas ſignificant, ut humanitatem Chriſti intueri liceret; unde ſubditur: *dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Hæc pluribus *feſto S. Joſephi.* §. 2.

Ubi de pulchritudine humana, quæ multis cauſa peccati, unde & illam quædam virgines generosè deturparunt. *Ibidem.*

2. Sed quanto excellentius beneficium, Chriſtum non ſolum videre; ſed intra cordis ſinum ſanctiſſimum ejus corpus, os, oculoſque intime complecti licere. *Feſto SS Corporis Dom. in Exordio.* & §. 2.

Ecce quidam legisperitus ſurrexit, tentans eum. Ibidem.

Legiſperitorum, qui rectè officio funguntur, & multi ſanctitate eximii fuerunt, præclara encomia enarrantur; eorum verò, qui tentant Deum, leges ac jura pervertunt, pupillos & viduas opprimunt, tragici exitus exhibentur. *Feſto S Ivonis per totum.*

In lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis? Ibid.

Fraudes ac technæ Juriſperitorum in exponendis, ac pervertendis legibus, nec non in litibus protrahendis, eorumque corruptelis, exponuntur *eodem feſto*, §. 3.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua. Ibidem.

Cum Deus, cujus natura bonitas eſt, inſtar fontis perennis per innumera beneficia, & ſe totum communicet, omni amore dignus eſt. *Feſto Cathedræ S. Petri* § 3.

Et proximum tuum, ſicut teipſum. Ibid.

Proximum ut ſe, & ſupra ſe dilexerunt viri Apoſtolici, qui pro proximo animas ſuas poſuerunt, quos inter & Paulus, qui etiam optabat anathema eſſe à Chriſto pro Fratribus ſuis. *Primo die Bacchanalium.* §. 3. & *feſto. S. Antonii de Padua* § 2.

2. Quanti hoc meriti diligere proximum ſicut ſeipſum, ex eo patet, quod quæ proximo fiunt, ſibi facta Deus teſtetur his verbis: quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c. unde ſtolidè ille quærit: quis eſt meus proximus? *Feſto S. Franciſci de Paula.* §. 3. & 4.

3. Dilectio proximi omnes complectitur, ut membra unius corporis, quæ una anima informat, & vivificat. *Feſto Pentecoſtes per totum.*

Accidit autem ut Sacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo eo præterivit. Ibid.

Si ſacerdos, potiſſimum cui ex officio incumbit, negligat pœnitentem in extremis, vel quod ſomno, aut convivio indulgeat, aut alia ratione moram trahat, vel ad alia negotia temporalia excurrens, ægrum prætereat, & neceſſariis deſtituat, à gravi noxa lethali immunis non eſt; non ſolum ſi anima pereat; ſed ſi vel periculo æternæ damnationis exponat. *Feſto Cathedræ S. Petri* §. 2.

DOMI-

Dominica XIII. poſt Pentecoſten.

Occurrerunt ei decem viri leproſi. Luc. 17.

Lepra morbus fœdiſſimus; at multo fœdiori Luxurioſus laborat, qui corpore & animo horrendum putet, quem fœtorem ſancta Catharina Senenſis, & S. Philippus Nerius divinitus percipientes, ſuper omnem cloacam execrabantur. *Feſto Virginis Annunciatæ.* §. 3 *& primo die Maji.* §. 3 *poſt medium.*

Qui ſteterunt à longe. Ibidem.

Nemo ſibi fidat, & temerè occaſioni ſe exponat: ubi ſtupa igni appropinquat, facile ignem concipiet. Hinc longe ſtandum, & recedendum. Etiam ſenes, quaſi ſub cinere, ignem conceperunt, ubi appropinquaverunt. *Feſto* S. *Dorotheæ* §. 1. *poſt medium, & primo die Maji* §. 4. *ante medium.*

Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Ibid.

Quam hoc facile remedium, ut & tu à lepra peccati munderis? adeo ut ſi quis omnia flagitia omnium mortalium ac dæmonum unus perpetraſſet, per ſinceram confeſſionem ſe ſacerdoti oſtendendo, verbo unico, omni labe animi expietur. *Feſto Cathedræ* S. *Petri.* §. 2.

2. Dignitas ſacerdotum, & reverentia illis debita. *Feſto Annunciat.* B. V. §. 5. *& feſto* SS. *Corporis Dom.* §. 2. 3. *&* 4.

Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. Ibidem.

Quin & nos Deo gratias agamus, non ſolum pro morbis corporis, quibus toties ſanati, à quibus ſervati, ſed & potius pro morbis animæ curatis. *Feſto Epiphaniæ*, §. 2. *feſto* 3. *Pentecoſtes*, §. 2. *&* 3. Singulariter vero pro beneficio Euchariſtico, pane illo cœleſti, qui etiam morbos corporis curat, ut variis hiſtoriis comprobatur. *Feſto* SS. *Corporis Dom.* §. 2. *&* §. 8.

Dominica XIV. poſt Pentecoſten.

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Matt. 6.

Nemo poteſt ſervire Deo, & mundo: carni & Spiritui: hic implere ventrem, & ibi mentem: ſapere terrena, & cœleſtia, ollas carnium, & panem angelorum. *Tertio die Bacchan.* §. 3.

Ne ſoliciti ſitis quid manducetis, neque Corpori veſtro, quid induamini. Ibid.

Vanam & anxiam ſolicitudinem temporalium mittendam, docet Chriſtus exemplo volucrum, *quæ non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit ea*; quod variis ſanctorum Patrum teſtimoniis, & exemplis probatur. *Kalendis Ianuarii.* §. 1.

2. Cum Deus inſtar fontis perennis non tantum quoad neceſſitates, ſed etiam delicias, ſua in nos beneficia tam liberaliter effundat, non eſt quod ſoliciti ſimus. *Feſto* 2. *Pentecoſtes.* §. 2.

Re-

Reſpicite volatilia cœli·Ibid.

Magiſtros nobis volucres cœli conſtituit, à quibus cujuſque ſtatus, ac conditionis homines, non ſolum omnium artium, ſed & optima morum, ac virtutum documenta haurire poſſunt. *Kalendis Ianuarii, per totum.*

Conſiderate Lilia agri, &c. *Quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.* Ibid.

Inter omnes flores, colore, odore, decore, exſuperare Lilium demonſtratur; quod & omnes altitudine excedit. Hic Regius flos Sanctorum Patrum encomiis; ſed potiſſimum ipſius Servatoris exornatur. Variæ ejus proprietates moraliter exponuntur *Feſto ſancti Norberti per totum.*

Dominica XV. poſt Pentecoſten.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7

Non unus Adoleſcens mortuus animâ, indies ad inferos effertur. Quod fusè oſtenditur variis ſcripturis, & Patrum teſtimoniis, ac hiſtoriis, peccatum nempe mortem animæ adferre: & ut vivere videantur, verè mortuos eſſe. *Primo die Maji, § ultimo, & feſto Paſchæ,* § 2.

Tragœdia horrenda Adoleſcentis, qui vita animæ extinctâ, morte peſſimâ defunctus eſt. *Feſto Purificationis B. V. M.* § 1.

Et hæc vidua erat. Ibid.

De laude viduitatis, & an vita viduis, in lacrymis, & amaritudine animi ducenda ſit, ſancti Patres luculenter tradidere, eaſque laudibus extulere, quæ veræ viduæ ſunt, Deo, & orationibus intentæ; Illæ autem reprehenduntur, quæ ſecundis nuptiis inhiant, & quàm inde incommoda, & domeſticæ tempeſtates, videre eſt *Kalendis Ianuarii.* § 3. *ſub medium, & Primo die Maji.* § 5. *per totum.*

Miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: noli flere. Ibid.

Cauſæ ſolidæ è ſacris paginis, & Sanctorum Patrum teſtimoniis adferuntur, quibus vetant flere parentes in morte parvulorum, qui rapti, ne malitia mutaret intellectum. *Feſto B. Aloyſii,* § 3. *per totum.*

Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Ibid.

Tempus Adoleſcentiæ futiliter & inutiliter tranſactum deſcribitur *Kalendis Ianuarii in exordio.* Vitia vero Adoleſcentum fusè enarrantur *Ibidem* § 2. *ſub medium.*

2. Quare hodie inclamandum cuique eorum, qui cum prodigo mortui ſunt: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Dominica Reſurrectionis.* §. 2. *&* 3. Quomodo ſpiritualiter reſurgendum.

Deus viſitavit plebem ſuam. Ibid.

Dum jacentes in tenebris, & in umbra mortis, nos viſitavit Sol juſtitiæ oriens ex alto, & nocte gentilitatis, ac ſcelerum depulſa, miſericordiæ ſuæ radiis, in carne humana, velut lumine in teſta, orbem illuminavit. *Feſto Purificationis B. Virg.* § 1. *&* 2.

Dominica XVI. poſt Pentecoſten.

Homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14.

Si quem avarum videris, merito hydropicum dixeris, quod vel ipſi gentiles notarunt, ut ille cecinit:

Creverunt & opes, & opum furioſa cupido:
Et cum poſſideant plurima, plura petunt.
Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab undâ,
Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Sitis hydropici eſt inſatiabilis, nec minor illa avari, qui numquam dicit, ſufficit. *Primo die Bacchanalium*, § 2. & 2. *die Bacchan.* §. 1. & *Primo die Maji* § 5. *in medio.*

Cum vocatus fueris (ad nuptias) *vade, recumbe in noviſſimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperius.* Ibidem.

Cum omnes aſcendere deſiderent, oſtenditur quomodo ſine ſcalis, & alis quis facile, & altiſſimè aſcendere valeat. *Feſto Aſcenſionis Domini per totum.*

2. Te minimum reputa, & *recumbe in noviſſimo loco*, ac audies: amice, aſcende ſuperius, quia omnes minimos Deus exaltavit, & maximos fecit. *Feſto S. Franciſci de Paula* §. 1. & 2.

Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Ibid.

Qui ſe inſanâ ſuperbiâ exaltat, hominibus & Deo, ludibrio ac contemptui eſt, & ut verus ſtultus humiliatur; qui verò Chriſtianè ſe humiliat, & ſtultus mundo videri vult, apud Deum & homines exaltatur. *Die 2. Bacchanal.* §. 2. & *ultimo.*

Qui ſe ut minimos humiliant, exaltantur. *Feſto S. Franciſci de Paula.* §. 1. & 2.

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum. Matth. 22.

Laudes & encomia eorum, qui juris, & legis periti, ac Doctores ſunt, fuſe exponuntur; ſed & eorum vitia ac fraudes deteguntur, qui perversè munere ſuo funguntur, quorum & tragici exitus exponuntur *Feſto S. Ivonis per totum.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Ibid.

Dilige Deum, qui amore tui factus eſt homo, ut te hominem Deum faceret, & noli diligere carnem. *Feſto Annuntiationis B. V.* § 2.

2 Dilige eum qui te traxit in funiculis charitatis, tot beneficiorum vinculis obſtrinxit: traxit te ſtipulam, ut electrum: traxit te ferreum, ut magnes. *Feſto Epiphaniæ per totum.*

3. Dilige eum ex toto corde, qui inſtar fontis perennis in te effuſus eſt, & toto ſe, te redemit. *Feſto 3. Pentecoſtes per totum. Et feſto Corporis Chriſti*, §. 2. *de corde Chriſti.* Quin & actu veræ contritionis. *Feſto Cathedræ S. Petri*, §. 3.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ibidem

Hoc potiſſimum Paſtoribus animarum incumbit. *Feſto Cathedræ S. Petri*, §. 2. & *feſto S. Antonii de Padua*, §. 2.

Diligendus proximus, ſicut mem-

membra unius corporis, cui læſo vel uno compatiuntur omnia membra. *Feſto Pentec. per totum.*

Heroicæ animæ proximum dilexerunt non ſolum ſicut ſeipſum, ſed pluſquam ſeipſum, dum preces & lacrymas, imò & ſanguinem fuderunt pro fratribus. *Die 1. Bacchanal § ultimo.*

Dominica XVIII. poſt Pentecoſten.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9.

Nemo peccator diffidat, cùm nullum peccatum ſit irremiſſibile; ſed confidat de Domino in bonitate, etſi unus omnium mortalium ac dæmonum flagitia perpetraſſet. *Feſto Cathedræ S. Petri,* § 2. & 3.

Quid eſt facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: ſurge, & ambula. Ibid.

Omnia ſigna, & miracula à Chriſto, & Sanctis perpetrata exſuperat remiſſio peccatorum & vera converſio ad Deum, quod ſolidis argumentis probatur *Feſto Cathedræ S. Petri,* § 2.

Dominica XIX. poſt Pentecoſten.

Simile factum eſt Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Matth 22.

Virgineæ nuptiæ, quibus anima filio Dei deſponſatur, earúmque deliciæ, variis ſanctorum Patrum teſtimoniis, & exemplis, quæ illas expertæ ſunt, comprobantur *Feſto S. Joſephi, & die 3. Bacchanal. § ultimo.*

Tribulationes verò & cruces, quæ nuptias carnales conſequuntur, nullâ linguâ, aut calamo exprimi poſſunt. *Kalendis Januarii,* § 3. *Et primo die Maji,* § 2. *Feſto Invent. S. Crucis,* § 1.

Miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Ibidem.

Mittit & ſervos ſuos cœleſtis Rex Confeſſarios, Concionatores, qui invitent ad nuptias Euchariſticas quot Dominicis, aut ſaltem menſibus; ſed nolunt venire, & excuſationes varias prætexunt *Feſto 2. Paſchæ,* § 2. *&* 3.

Intravit autem Rex ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Ibid.

Veſtis nuptialis eſt puritas & ſanctitas animæ ad nuptias Agni accedentis. Unde prius anima purganda, & veſte gratiæ ſplendidè induenda. *Feſto SS. Corporis Domini, in exordio. &* § 3 *&* 4. *Et feſto Annuntiationis B. Virg. M.* § *ultimo.*

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Ibid.

Hæc ſententia ſanctiſſimos viros terruit, unde qui cœlitus certiores facti de prædeſtinatione ſua, nulla unquam gratiora nova exſpectare, aut ſperare potuerunt. *Feſto 3. Paſchæ in exordio.*

Si quis autem novorum rumorum curioſus exiſtat, certum illum reddam novorum de ſalute, quæ omnia exſuperant, ſi viam quam monſtravero, inſiſtere velit. *Eodem feſto per totum.*

Do-

Dominica XX. poſt Pentecoſten.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Joã 4.

Hæc infirmitas non fuit ad mortem, ſed ad ſalutem animæ. Sic multi Sancti morbis uſi ſunt ad ſalutem, patienter, & libenter eos tolerando: quin & illud gratiſſimum Deo & Angelis ſpectaculum, non tantum in campo cum hoſte decertare, & ſanguinem fundere; ſed & in lecto, fortiter pati. *Feſto 3. Martyrum Japonenſium,* §. 3. *feſto S. Marci ſub finem. Et feſto Inventionis S. Crucis,* §. 1. *in fine, &* § 2.

Incipiebat enim mori. Ibid.

Magnus mortalium error, & abuſus, exiſtimantium hominem tunc tantum incipere mori, dum lethali morbo correptus, caligantibus oculis, & extremis labris, ſpiritu hærente, in fatali lectulo cum cereo in manu jacet: homo enim eo ipſo momento, quo vitam auſpicatur, mori incipit: ſicut cereus, quam primum ardere, conſumi incipit; quod aliâ variâ ſimilitudine, & morali doctrina illuſtratur, cum variis proprietatibus cerei, & vitæ mortalis. *Feſto Purificationis B. V. M.* §. 1.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Ibid.

Ipſis Judæis & gentilibus hæretici pertinaciores, qui etſi ſigna & miracula manifeſta videant, non credunt; ſed illis illudunt, aut artibus necromanticis adſcribunt. *Feſto S. Franciſci de Paula,* §. 1. *in fine.*

Credidit ipſe, & Domus ejus tota. Ibidem.

Incredibile quanta vis exempli ſit: dum Paterfamilias, Præſes, Prælatus in virtute præit, facile domeſtici, & ſubditi ſequentur, multò promptius ac potentius quàm monitionibus, aut minis adacti. *Feſto Epiphaniæ,* §. 3.

De fide vera & viva, ejuſque actibus meritoriis, vide *feſto* SS. *Trinitatis* § 2. *Et feſto* SS. *Corporis Dom.* §. 2. *de pedibus Chriſti.*

Dominica XXI. poſt Pentecoſten.

Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Matt. 18.

Reddenda ratio accurata pretioſi temporis deperditi, quod multi tam turpiter & ſegniter conſumunt. *Primo die anni,* § 2.

Procidens autem ſervus ille orabat eum, dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ibid.

Qui patientiam habet in morbis, & adverſis, quę à Deo immittuntur, ſatisfacere poteſt pro omnibus debitis in purgatorio perſolvendis *Feſto Invent. S. crucis* § 3.

Dominica XXII. poſt Pentecoſten.

Non enim reſpicis perſonam hominum. Matth. 22.

Judex omnis, Juriſperitus, & Advocatus non debet reſpicere perſonam hominum, an nobilis, an ignobilis, pauper ſit an dives; ſed cauſam juſtam defendere, & juſtè judicare; imò cauſas pauperum, & viduarum ac pupillorum, præ aliis complecti. In quo Sancti,

cti, & æqui judices quidam eximii exſtitere. Contra verò iniqui à Deo graviſſimè puniti ſunt. *Feſto ſancti Ivonis per totum.*

Cujus eſt hæc imago. Ibid.

Homo imago Dei ad ſimilitudinem divini prototypi creatus, pulchritudine ſuâ, formâ venuſta turpiter abutitur, dum eâ, ad lenocinandum, & pelliciendum ad peccatum utitur, ut multæ vanæ, & laſcivæ filiæ ac fœminæ, imò & adoleſcentes ut fœmina compti facere conſueverunt, qui poſtea in Medeas & Meduſas, ac diabolica monſtra mutantur. Quare multæ ſanctæ ac pudicæ fœminæ imaginem corporis venuſtam deturparunt, ut illam animæ pulchriorem redderent. *Feſto ſancti Joſephi*, §. 1. *Et feſto Aſcenſionis Domini*, §. 1.

Dominica XXIII. poſt Pentecoſten.

Filia mea modo defuncta eſt. Matth. 9.

Quot parentes illud hodierna die queri poſſunt, filias ſuas non corpore, ſed anima mortuas, & turpiter deceptas, ac diſcerptas, dum ab accipitre puellas ſicut gallinæ pullos non defendunt, & ſub tegumento alarum ſuarum non protegunt. *Kal. Januar.* §. 2.

Veni, & impone manum tuam ſuper eam, & vivet Ibid.

Quanta ſit non ſolum munificentia, ſed & potentia manibus Chriſti, quæ omne animal replent benedictione, & tam magna, ac mirabilia patrarunt, potiſſimum experiri poſſumus, dum illæ ſacræ ac perforatæ manus ſub ſpeciebus Euchariſticis nobis intimè junguntur. *Feſto SS. Corporis Domini*, §. 2.

Et tenuit manum ejus, & ſurrexit puella. Ibid.

Utinam puellæ, quæ lethali peccato mortuæ, hodie reſurgant, potiſſimùm quæ luxuriâ jam fœtent, & vivæ ſepultæ ſunt. *Feſto reſurrectionis Domini*, § 1.

Optandum quoque ut juvenes ac viri exemplo Chriſti, qui etiam à Reſurrectione dixit Magdalenæ: *Noli me tangere*, ab omni tactu fœminæ abſtinerent; aut ſaltem non niſi mortuæ attingerent. *Feſto ſanctæ Dorotheæ*, § 1 *ſub medium.*

Dominica XXIV. poſt Pentecoſten.

Sicut fulgur exit ab oriente, & patet uſque in occidentem. Matth. 24

Sic Apoſtoli, ejuſque ſectatores totum orbem celerrimè inſtar fulguris percurrerunt, ubique tonantes verbis, & coruſcantes miraculis. *Feſto SS. Petri & Pauli*, § 3.

Ubicumque fuerit corpus, illic congregantur & aquilæ. Ibid.

Ad ſacroſanctum corpus Domini, convolant Aquilæ, id eſt, non ſolum Angelicæ mentes; ſed & excelſæ ac ſanctæ animæ, *Feſto SS Corporis Domini*, §. 2. *& die 3. Bacchanalium*, §. 2.

Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cœlo. Ibid.

Venerandum & adorandum Crucis ſignum non ſolum in cœlos efferendum, ſed & omnes amatores crucis, Chriſtus exaltabit

tabit; hæreticos verò inimicos crucis, & illuſores ad inferorum æternos cruciatus demerget. *Feſto Inventionis ſanctæ Crucis* § 4.

Videbunt filium hominis venientem in nubibus. Ibid.

Filius Dei in uſus ſuos aptavit, & amavit nubes: ex illis enim ſibi currum triumphalem, & Imperatoriam ſellam conficit: iis velut honorato paludamento veſtitur, in iiſque ut ſplendido palatio inhabitat. In illa ad generalia orbis Comitia judex venturus eſt.

Moraliter autem ſancti, & Apoſtolici viri, nubes exſtitêre. *Feſto SS. Petri & Pauli*, §. 2.

Cœlum & terra tranſibunt. Ibid.

Celerrimè humana omnia tranſeunt, & nos cum illis, quod ſi mortales attenderent, & altè in animum dimitterent, illis non tanquam ſemper manſuris tam tenaciter adhærerent. *Kalendis Januarii in exordio, &* §. 1.

INDEX IN QUADRAGESIMAM.

Feria IV. Cinerum.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 2. Corinth. 6.

NUnc tempore utendum, quod celerrimè prætervolat inſtar navis, aut avis: & cùm præterierit, nullis lacrymis, ac lamentis revocari poteſt. *Kalendis Ianuar in exordio*

Qua ratione, dum vivimus, tempus deperditum recuperari poſſit, juxta illud Pauli: *Redimentes tempus*, varia è ſanctis Patribus petita praxi demonſtratur *Primo die Anni*, §. 2.

Cum jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ.

Hypocritæ apparent jejunantes, orantes, vivere vita ſpiritali, & mortui ſunt. *Die Paſchæ* §. 1. *in fine, & primo die Maji*, § *ultimo.*

Exterminant enim facies ſuas, ut videantur ab hominibus Ibid.

Judæi, & gentiles in ſuis operibus, & palliatis virtutibus, nil aliud ſpectabant, quàm ut viderentur ab hominibus, & vanam ac inanem nominis gloriam aucuparentur. *Feſto 3. Martyrum Japonenſium*, § 2.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur. Ibid.

Hac

Hac ſententia monentur, & docentur avari illi Euchiones, qui hic ſordidè genium ſuum defraudant, ut divitias theſaurizent, quas tinea demolitur, & heredes velut fures diripiunt. *Primo die Bacchanal.* §. 1. *Et 2. die Bacchanal.* §. 1. *Et primo die Maji,* §. 5.

Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ibid.

Nuſquam melius divitias, & theſauros veſtros recondere poteſtis, quam in gazophylacio Dei: nuſquam tutius concredere, quàm manibus Chriſti; quod fit, dum opes veſtras in pauperes & egenos effunditis, de quibus ipſe teſtatur: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, & dediſtis. *Feſto S. Franciſci de Paula,* §. 3.

Feria V.

Puer meus jacet in domo paralyticus. Matth. 8.

Homo militaris pro ſervo ægro ſolicitus, exemplo & documento eſt Dominis, quo affectu & curâ famuli potiſſimum ægri habendi ſint, & quam inde ſibi illos fideles experturi. *Kalendis Januarii,* § 4.

2. Sicut Spiritus Sanctus ſe effundit in ſervos & ancillas, ita & Paterfamilias, maximè in ægros. *Feſto 2. Pentecoſtes,* §. 3.

Centurio ait: Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. Ibid.

Quanto ardentiori, & humiliori animo hæc verba à nobis uſurpanda, dum cœleſtis ille hoſpes in Sacramento venerabili interiorem domum noſtram ingredi dignatur; quo factum, ut multi ſanctimoniâ vitæ eximii, præ humilitate & reverentia, eum intra ſe ſæpius recipere non auſi ſint; quod qua ratione probandum, vide *feſto 2. Paſchæ,* §. 3. *per totum.*

Tantum dic verbo. Ibid.

Verbo unico *Fiat*, fecit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt; verbo unico *fiat*, quod *Maria* protulit, *Deus* homo factus eſt; quidni verbo unico, Dei *Verbum* ſanet ſervulum? *Feſto Annuntiationis B. V. M.* § 1.

Verbo unico tu peccator, cujus morbus avaritia eſt, luxuria eſt, &c. ſanari potes, nempe per unum *abſolvo*. *Feſto Cathedræ ſancti Petri,* § 2.

Nam & ego homo ſum. Ibid.

O ſi hoc homines conſiderarent, ex eadem maſſa ſe à Deo conditos, iiſdem infirmitatis ac mortalitatis legibus ſubjectos, eodem pretio redemptos. Quid eſt homo? dicet Job: *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis.* Quid eſt homo? *quaſi flos egreditur, & conteritur.* Quid eſt homo? dicit Pſaltes: *Homo vanitati ſimilis factus eſt.* Hominis miſeriæ eæque graviſſimæ deſcribuntur *Feſto 3. Martyrum Japonenſ.* § 3. *Et feſto S. Dorotheæ.*

Habeo ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alii, veni, & venit: & ſervo meo: fac hoc, & facit. Ibid.

Militaris obedientia, prompta & cœ-

& cœca, omnem aliam exſuperat; unde habent & Religioſi, ac conjugatæ, quod diſcant. Ut dilucide oſtenditur, & rarâ hiſtoriâ pro conjugatis, declaratur, quomodo ſub viri poteſtate ſint. *Feſto Converſionis ſancti Pauli per totum.* Ubi & de obedientia, quam debent ſervi, & ancillæ Dominis, & de obedientia uxoris erga maritum. *Kalendis Ianuarii*, § 3.

Audiens autem Ieſus, miratus eſt. Ibid.

Quid admiratio, unde oriatur, & an cadat in Deum? quomodo nos futilia & puerilia admiremur, divina verò, & maximè ſtupenda non admiremur, unde tamen fructus uberrimus. *Feſto SS. Trinitatis in exordio.*

Non inveni tantam fidem in Iſrael. Ibid.

Actus fidei, inter virtutes Theologales primus, commendatur, & à Chriſto extollitur. Hic ut in aliis fidei articulis, maximè requiritur in myſterio SS. Trinitatis. *Feſto SS. Trinitatis* § 2. *& feſto SS Corporis Dom.* § 2. *de pedibus Chriſti.*

Feria VI.

Diligite inimicos veſtros. Matth 3.

Quod vel gentiles, auxilio gratiæ & luce fidei deſtituti, nec Chriſti, aut Sanctorum exemplis incitati, fecere: qui & ignominiæ, & injuriæ ſibi illatæ immemores fuere. *Feſto* 2. *Pentecoſtes*, § 4. *in fine.*

Benedicite his, qui oderunt vos. Ibid.

Hoc non imbellis, ſed magnanimi eſt, inimicitias ignoſcere, & benefacere iis, qui oderunt. Quod non Romanum dumtaxat, ſed maximè Chriſtianum, ut fusè probatiſſimis argumentis convincitur *Feſto S. Marci*, § 1. *poſt medium, &* § 2. *poſt medium. Feſto S. Norberti* § 3.

Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Ibid.

Sol omnibus idem, tam pauperum tabernas, quàm Regum turres illuſtrat; & pluvia omnium æqualiter agros irrigat. Quo verum nobis ſymbolum proponitur, Judices inſtar Solis juſtitiæ non debere reſpicere perſonam hominum, ſed omnes æque complecti. *Feſto ſancti Ivonis*, § 1. & 2.

Sabbato.

Cùm ſero eſſet. Marci 6.

Peccator non deſperet, qui etiam ad provectam ætatem in omnibus flagitiis vitam duxit; numquam ſero eſt, ut ſerio reſipiſcat; quin & praxis demonſtratur, qua tempus vitæ præteritæ redimere poſſit. *Primo die Anni*, § 1. *in fine, &* § 2. *per totum.*

Erat navis in medio mari. Ibid.

Vita hominis, inſtar navis celerrimè prætervolat, ſic & omnia terrena. *Kalendis Ianuarii in exordio.*

In hoc procelloſo mundi oceano, homo fluctuatur: beatus qui à Spiritu Sancto impellitur. *Feſto Pentecoſtes in exordio.*

Puta-

Putaverunt phantaſma eſſe. ibid.

Ita multi dum Chriſtus ipſis, aut ipſi Chriſto appropinquare conantur, Sponſum ſuum, ſpecioſum præ filiis hominum, phantaſma credunt, ſpinis redimitum exhorreſcunt, virtutes, ut monſtra extimeſcunt, auſteritates refugiunt, quaſi leo ſit in via. *Feſto S. Marci,* §.1.

Confidite, ego ſum: nolite timere. Et aſcendit ad eos in navim, et ceſſavit ventus. ibid.

Juſti, quibus ſecura conſcientia, non habent quod timeant; ſed peccator, cui ſemper ſuper impia cervice pendet divinæ juſtitiæ romphæa: cujus etiam, ut loquitur Seneca, ipſæ voluptates trepidæ ſunt. *Die* 3. *Bacchanal.* §.1.

2. Nil habet quod timeat, qui Chriſtum ſibi ſub ſpeciebus Euchariſticis appropinquantem, & naviculam animæ intrantem ſuſcipit. *Feſto* SS. *Corporis Domini*, §.7.

Erat enim cor eorum obcæcatum. ibidem.

Non diſcipulorum dumtaxat, ſed & omnium prope mortalium cor obcæcatum eſt. Avari, ebrioſi, luxurioſi, totus mundus obcæcatus eſt. *Primo die Bacchanal. per totum*

Deprecabantur eum ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant. ibid.

Si tanta virtus fimbriæ veſtimenti Chriſti, ut vel ſolo attactu, omnes à languoribus ſuis curarentur, quid non ſperandum ab intimo ſanctiſſimi Corporis attactu, ad omnes animæ morbos, imò & corporis ſanandos? quod variis exemplis comprobatur *Feſto* SS. *Corporis Domini,* §.2.

Dominica I. in Quadrageſima.

Ductus eſt Jeſus in deſertum. Matth. 4.

Ducit & te à mundi curis & turbis in deſertum, ut loquatur ad cor tuum; quod numquam efficacius facit, quam dum ſub ſpeciebus Euchariſticis cor ejus, & os ejus, auri cordis tui intimè conjunctum eſt. *Feſto* SS. *Corporis Domini,* §. 2. *de corde, & ore Chriſti.*

Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. ibidem.

Jejunium non eſt novitium inventum, quod in ipſo Paradiſo, Adamo præſcriptum eſt, & Chriſtus ſuus exemplo omnibus commendavit. *Feſto Converſionis S. Pauli in exordio.*

Multi ſancti jejuniis vacantes, illa omnibus mundi deliciis, & opiparis menſis prætulerunt. *Die* 3. *Bacchanal.* §.3.

Tibi dabo. ibid.

Illud diabolicum *tibi dabo,* omnem juſtitiam evertit, judices, & cauſidicos corrumpit, cauſas pupillorum & viduarum quantumvis æquas perdit. *Feſto ſancti Ivonis*, §.3.

Dominum Deum tuum adorabi[s] ibid.

Cultus adorationis uni & trin[o] Deo debitus, maximè excellen[s] & ſum[mus]

& ſummi meriti, præcipuè à beatis ſpiritibus omni veneratione, & ſubmiſſione exhibetur; at inter mortales, multi ſunt falſi adoratores, qui Bacchum, Venerem & Plutum adorant. *Feſto SS. Trinitatis in exordio, &* §. 1.

Feria II.

Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi: Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: Sitivi, & dediſtis mihi bibere. Matth. 25.

Quanta benedictio, quam ampla merces eorum, qui hic opera miſericordiæ exercuerunt, ut participes futuri ſint regni cœlorum, cujus non erit finis? *Feſto S. Franciſci de Paula*, §. 3.

Hoſpes eram, & collegiſtis me. Ibidem.

Hæc veritas fusè pertractatur, & omnes conditiones hoſpitalitatis, ejuſque merces apud Deum & homines, variis Scripturis, Patrum teſtimoniis, ac hiſtoriis tam ſacris quàm profanis eorum, qui ſub peregrini ſpecie Chriſtum ſuſcipere meruerunt, exponitur *Feſto* 2. *Paſchæ*, §. 1. *&* 2. *Feſto ſancti Franciſci de Paula*, §. 3.

Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Ibid.

In ampliſſimo totius orbis theatro Chriſtus Judex hanc veritatem teſtaturus eſt: quam ſi verâ fide crederemus, nos in paupere, & in Religioſis *Minimis* Ordinis S. Franciſci de Paula, Chriſtum paſcere, omnes divitias in eos effunderemus. *Feſto S. Franciſci de Paula*, §. 3. *per totum.*

Tunc dicet his, qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Ibid.

Tormentum ipsâ gehennâ gravius, diſcedere à Chriſto, & à conſpectu ejus avelli: ſi enim Sponſus à Sponſa, maritus ab uxore, filius à parente, amicus ab amico tam difficulter avellitur, quid erit à ſummo bono, idque in æternum, ſeparari? *Feſto SS. Corporis Domini*, §. 6. *per totum.*

Feria III.

Intravit Jeſus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo. &c. Matth. 21.

Zelus domus Dei, quam ſanctam eſſe voluit, hic Chriſtum invaſit: ſi enim ſancta Sanctorum ubi arca, quæ umbra fuit, tanta in veneratione habita; quæ non reverentia templis noſtris debebitur? *Feſto SS. Corporis Domini*, §. 1.

Domus mea, domus orationis vocabitur. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Ibid.

Anima, quæ templum Dei eſt, redditur ſpelunca latronum per peccatum: nam omnis peccator animæ ſuæ, & illius, cui ſcandalo eſt, peſſimus latro eſt. *Feſto Inventionis S. Crucis*, §. 2.

Horrendæ tragœdiæ latronum narrantur, quas omnes exſuperat feritate ſua, qui animam ſuam per peccatum reddit ſpe-

luncam latronum, ſeu dæmonum, & hoſpitem Deum, quem in Euchariſtia excepit, quaſi trucidat. *Feſto 2. Paſchæ in exordio, & §. 2. ſub finem.*

Feria IV. Quatuor temporum.

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Matth 12.

Ut olim Judæi, ſic & moderni hæretici, volunt ſigna, & miracula videre, dumque ea luce clariora demonſtrantur, non credunt, ſed magiæ, ac necromanticis artibus adſcribunt. *Feſto S. Franciſci de Paula, §. 1. ſub finem.*

Viri Ninivitæ ſurgent in judicio, cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia Pœnitentiam egerunt in Prædicatione Jonæ. ibid.

Surgent quoque Ninivitæ in Judicio, qui pœnitentiam egerunt, contra hæreticos ac ſectatores, qui pœnitentias, jejunia, aliáſque corporis afflictiones maximè execrantur, & inſectantur; quæ tamen Scripturis, & Sanctorum exemplis ſolidè probantur, & commendantur *Feſto 3. Paſchæ, & Feſto Inventionis S. Crucis.*

Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & pluſquam Salomon hic. ibid.

Timendum ne & nos condemnemur, quibus non eſt excurrere dum ad ultimos fines terræ, ut verum Salomonem, æternam ſapientiam Patris adire poſſimus, cùm eum in ven. Sacramento præſentem habeamus, cujus non ſolum divinitas, ſed & ſapientia animæ infuſa, omnem illam Salomonis infinitis paſſibus excedat. *Feſto SS. Corporis domini.* §. 1.

Ecce Mater tua, & Fratres tui foris ſtant, quærentes te. ibid.

Quam pauci ſunt, qui cum Matre & Diſcipulis quærunt JESUM, quærunt eum illo loco, & modo, quo inveniendus eſt. *Feſto ſancti Antonii de Padua*, §. 1.

Feria V.

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens: miſerere mei Domine fili David. Matth. 15.

Non fruſtra hæc mulier, ut miſericordiam impetret, Chriſtum nuncupat filium David, qui miſericordias Dei cantavit perpetuo, & magnam ejus miſericordiam expertus eſt. *Feſto 3. Pentecoſtes*, §. 1.

At illa venit, & adoravit eum. Ibidem.

Actus adorationis maximè excellens, & ſummi meriti, uni Deo omni veneratione & ſubmiſſione exhibendus. At dolendum inter mortales tot inveniri falſos adoratores qui Bacchum, Venerem, Plutum adorant, quales ebrioſi, luxurioſi, avari. *Feſto SS. Trinitatis in exordio, &* §. 1.

At illa dixit etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. ibidem.

Hanc infimam humilitatem imi-

imitantur ſanctæ animæ, ſe indignas reputantes ut in menſa Domini veſcantur pane Angelorum. *Feſto ſecundo Paſchæ*, §.3.

Tunc reſpondens Jeſus, ait illi: ô mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Ibid.

Fides, quam Chriſtus ſæpius deprædicat, & extollit, omnia impetrat; unde actus fidei ſunt valde meritorii & impetratorii. *Feſto SS. Trinitatis*, §.2. *Et feſto SS. Corporis Domini*, §.2. *de pedibus Chriſti.*

Feria VI. Quatuor temporum.

Eſt autem Jeroſolymis probatica piſcina, quinque porticus habens. Joan.5.

Typus hæc fuit ſacratiſſimæ piſcinæ ſanguinis & aquæ, quæ fluxit è latere Chriſti, aliiſque ejus vulneribus, quæ ſanat, & emundat omnia delicta noſtra. *Feſto SS. Corporis Dom.* §.3. *&* 4.

Hunc cùm vidiſſet Jeſus jacentem. Ibid.

Hoc ſolum quod Chriſtus eum vidiſſet, oculos ſuos in eum conjeciſſet, ſatis erat: tanta vis, tanta gratia in oculis Domini. *Vide feſto SS. Corporis Domini*, §.2. *Et feſto SS. Petri & Pauli*, §.1.

Dicit ei: vis ſanus fieri? Ibid.

Quàm multi ſani, & ſancti forent, ſi vellent, cum omnis malitia & ſanctitas à voluntate noſtra dependeat. Quin & petitio hæc non abſimilis illi, quam cæco propoſuit: *Quid tibi vis faciam?* ubi Bernardus potius reſpondendum cum Apoſtolo: *Domine, quid me vis facere?* errat enim graviſſimè, qui voluntatem Dei, aut ſuperioris ad ſuam deflectat. *Feſto Converſionis ſancti Pauli*, §.5.

Sabbato quatuor temporum.

Aſſumpſit Jesus *Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſim.* Matth.17.

Chriſtus montes amare, montes inhabitare ſolitus eſt; peculiariter verò amat & inhabitat myſticos montes, viros ſanctis moniâ vitæ excelſos & ſublimes Tu ſi in montem excreſcere non poſſis, te ſaltem collem exhibe. *Feſto ſancti Joannis Baptiſtæ*, §.1.

Reſplenduit facies ejus ſicut ſol. ibidem.

Hic fulgor divinus è vultu & oculis Chriſti emicabat, unde fiebat ut omnes inſtar electri, aut magnetis ad ſe attraheret. *Feſto Epiphaniæ*, §.1. & 2.

2. Chriſtus hic quaſi ſipario humanitatis remoto, radium aliquem divinitatis, & gloriæ, ſuis manifeſtavit, quid erit beatificum illud corpus, quod omnes Sanctos multo plus lucidiores ſole, in immenſum excedit, contemplari? *Feſto ſancti Joſephi*, §.1.

Veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix, ibid.

Pulchrè de præſtantia, & proprietatibus omnium colorum diſceptatur; inter quos albus eminere probatur, qui & Deo ac Sanctis gratiſſimus oſtenditur, unde & in veſtibus albis apparuiſſe deſcribuntur, & depinguntur, quæ & moraliter exponuntur *Feſto S. Norberti*, §.1.

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. ibid.

Chriſtus nubes in uſus ſuos aptavit, & amavit, potiſſimum nubes myſticas, id eſt, viros Apoſtolicos qui per orbem, ſicut nubes pluviam cœleſtis doctrinæ ſpargendo, miraculis tonando, & fulgurando volitarunt. *Feſto SS. Petri & Pauli, per totum.*

Surgite, & nolite timere. ibid.

Nihil timendum, ubi Jeſus adeſt, potiſſimum ubi per ſacrum viaticum nobis intime præſens, dum terribilium omnium terribiliſſima mors imminet, *Feſto SS. Corporis Domini,* §. 7.

Præcepit eis Jeſus, dicens: nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. ibid.

Chriſtus arcana ſua amicis ſecreto communicat, optandum ut & nos ſacro muſto ebrii, ſecreta noſtra, ejus vicario committeremus. Sed hoc deplorandum, per infidos famulos, & garrulas ancillas, ſecretum ſervandum, & nemini dicendum, evulgari, quod in loquaci pſittaco, & variis hiſtoriis comprobatur *Feſto SS. Corporis Domini,* §. 3. *Et Kalendis Januarii,* §. 4.

Dominica II. in Quadrageſima.

Vide idem Evangelium Sabbato præcedente.

Feria II.

Ego vado, & quæretis me. Joan. 8.

Multi non quærunt Deum, nec quæ Dei ſunt. Sed mundi & carnis: alii quærunt eum inter roſas, in molli lecto, qui inveniendus inter ſpinas, in lectulo crucis: multi cum Judæis illum quærunt, cùm jam abierit ab illis, & ſero eſt. *Feſto S. Antonii de Padua,* §. 1. & 2.

In peccato veſtro moriemini Ibid.

Nullum acerbius malum ab hominibus, aut à Deo denuntiari poteſt: quia ſententia eſt æternæ reprobationis, & damnationis, atque ipſo primæ veritatis teſtimonio: mors peccatorum peſſima, quæ uno, alteróve tragico exitu probatur: in uno, qui cum gratiam, & Deum miſericordem ſerò quærere diſtuliſſet, duo dæmones in veſte religiosâ, & perſonati confeſſarii ſpecie apparuêre, & hominem miſerè diſcerpſerunt. *Primò die Anni,* §. 1.

Altera tragœdia adoleſcentis. *Feſto Cathedræ S. Petri,* §. 4.

Tu quis es? ibid.

Interroga te ipſum: *Tu quis es?* pulvis & cinis. *Tu quis es?* ediſſeret Propheta: *Homo natus de muliere, repletur multis miſeriis,* quæ fuse enarrantur *Feſto 3. Martyrum Japonenſium,* §. 3. *Et feſto Invent. S. Crucis,* §. 1.

Tu quis es? flos fœni, qui egreditur, & conteritur, vanitati ſimilis factus. *Feſto ſanctæ Dorotheæ,* §. 2.

Tu quis es? Conjugatus, Religioſus, Dominus, ſervus, quid officii ſui ſit, videat. *Feſto Converſionis ſancti Pauli Feſto ſancti Matthiæ,* §. 1. *Et Kalendis Januarii.*

Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper. ibid.

In hoc omnis perfectio & ſanctitas ſita eſt, ut quæ ſunt placita Deo faciamus, ejuſque voluntatem

tem exequamur, dicentes cum Paulo: *Domine quid me vis facere?* quod majoris meriti, quàm omnes pœnitentiæ, & auſteritates corporis voluntariè aſſumptæ, in quibus ſæpè multæ illuſiones, & vanitates. *Feſto Converſionis ſancti Pauli.*

Feria III.

Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite, ſecundum opera verò eorum nolite facere. Matth. 25.

Uxor marito, famulus Domino, ſubditus ſuperiori etiam diſcolo, & pravo obtemperare debet, modo nil imperet contra Deum: hoc enim præcipit Apoſtolus, ac documentis comprobatur, & variis hiſtoriis confirmatur *Feſto Converſionis ſancti Pauli,* § 2. & 3.

2. Nec ideo Religioſis, aut Sanctimonialibus, alio commigrandum, aut in deſertum ſecedendum, ut duriori diſciplinæ, aut ſuperiori auſteriori ſe ſubducant, quæ meræ ſunt illuſiones diaboli, & manifeſta propriæ imbecillitatis, & imperfectionis argumenta. *Feſto ſancti Matthiæ,* §. 1.

Omnia verò opera faciunt, ut videantur ab hominibus. Ibid.

Hic ſcopus non tantum Judæorum, ſed & Romanorum, ac gentilium fuit, ut viderentur, & laudarentur ab hominibus: utinam hæc vanitas pleroſque Chriſtianorum non afflaret! *Feſto 3. Martyrum Japonenſium,* §. 2.

Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis. Ibid.

Ambitio ad honores, ad excelſa, ad primos recubitus, & cathedras, homini innata eſt; qua autem ratione quis ſanctè ambitioſus eſſe, & ad ſublimia aſcendere queat, pluribus demonſtratur *Feſto Aſcenſionis Domini per totum.*

Qui ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur. ibidem.

Qui ſe exaltant, & ſuperbiâ, ac ambitione tumeſcunt, omnibus paſſim ludibrio, & contemptui ſunt, atque ut ſtulti reputantur, & humiliantur; illi verò qui ſe ut minimos humiliant, & quaſi ſtulti propter Chriſtum facti ſunt, apud homines in terris, & apud Deum in cœlis exaltantur. *Feſto ſancti Norberti,* § 2. *Et feſto ſancti Franciſci de Paula,* ubi Minimi maximi deprædicantur, §. 2. *per totum.*

Feria IV.

Ecce aſcendimus Jeroſolymam. Matth. 20.

Cùm homo ſuopte ingenio, & genio ad excelſa & ſublimia nitatur, & aſcendere deſideret, oſtenditur quomodo ſine ſcalis & alis facillimè & ſublimiſſimè, ad cœlum ipſum aſcendere poſſit. *Feſto Aſcenſionis Domini per totum.*

Tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Ibidem.

Quod à Judæis olim, hoc in dies

dies peragitur à flagitioſis hominibus, qui ut Paulus loquitur, rurſus ſuis ſceleribus crucifigunt Filium hominis; cujus commiſeratione tactæ ſanctiores animæ, multis lacrymis, imò & ſanguine, peccata mortalium avertere conatæ ſunt. *Primo die Bacchanal.* §. 3.

Tertia die reſurget. ibid.

Quam pauci peccato mortui, tertia die cum Chriſto reſurgunt! ſunt qui cum Lazaro jam quatriduo fœtent, imò & quarto menſe, & anno; quibus documenta & motiva proponuntur, ut ſpiritualiter reſurgere poſſint. *feſto Reſurrectionis Domini per totum.*

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? ibid.

Quinam exemplo Chriſti, calicem Paſſionis ardenter ſitiverint, & epotarint, ac Chriſto calicem propinanti, generoſe reſponderint. *feſto Inventionis S. Crucis,* §. 4.

Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. ibidem.

Docet hic Magiſter humilitatis, quomodo in oculis ſuis parvus, major effici queat; quod variis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, & Sanctorum exemplis probatur *feſto ſancti Franciſci de Paula,* §. 1. & 2.

Feria V.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendide, & erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat. Lucæ 16.

Quam multi hodierna die huic diviti ſimiles, qui non ſolum ipſi, ſed & parietes eorum ſplendidè veſtiuntur, opipare epulantur & helluantur; Chriſtus verò in ſuis membris ſub dio nudus alget, & fame moritur. *feſto ſancti Franciſci de Paula,* §. 3.

In hac claſſe cenſendus ſtultus ille, qui dicebat: anima mea, habes multa bona in vita tua: comede, bibe, epulare. *Die 2. Bacchanal.* §. 2.

Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. ibid.

Adverſa, quæ mendicus hic in vita toleravit, recta ſunt ad cœlum via: eſtque ſignum prædeſtinationis certiſſimum, à Deo hic variis miſeriis, & morbis vexari. *feſto 3. Paſchæ per totum.*

Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. ibid.

Signum reprobationis manifeſtum, hic in mundo divitiis, & deliciis affluere, ut in divite epulone (de quo nil aliud flagitii adfertur) aliiſque comprobatur *feſto 3. Paſchæ,* §. 1. & 4.

Et dixit illi Abraham: fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. ibid.

Hæc rerum humanarum & divinarum viciſſitudo, magno omnibus afflictis debet eſſe ſolatio, aliquando vices mutandas; unde

non

non habent quod invideant, ſi via impiorum proſperetur, cùm exitus eorum funeſtus prorſus ac tragicus ſit. *feſto ſancti Ioſephi.* §. 4. *Et feſto* 3. *Paſchæ per totum.*

Feria VI.

Homo erat paterfamilias, qui vineam habuit, & ſepem circumdedit ei. Matth. 21.

Ingens cura, & cuſtodia incumbit Patrifamilias, ut filiis ſuis, jam ex oculis parentis in univerſitate invigilet: filiabus ne liberius agant, & longius evagentur: ancillis quoque & famulis. *Kalendis Ianuarii*, §. 2. & 4.

Sabbato.

Adoleſcentior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam, vivendo luxurioſe. Lucæ 15.

Tempus adoleſcentiæ inutiliter transactum primo deſcribitur: tum vitia adoleſcentum, ubi peregrè ad univerſitatem, aut exteras terras profecti, fusè enarrantur. Tertio quod omnem ſubſtantiam ſuam perditè vivendo dilapident, parentes veriſſimum experiuntur. *Kalendis Januarii in exordio, &* §. 2. *ſub medium.*

Adhæſit uni civium regionis illius; & miſit illum in villam ſuam ut paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant. ibid.

Adoleſcentes, & quicumque alii luxuriæ dediti, vitam porcinam ducunt, & ſiliquis porcorum veſcuntur, ut ſancti Patres manifeſte comprobant. *Primo die Maji*, §. 4. *Et feſto Annuntiationis B. V. M.* §. 3.

Surgam, & ibo ad Patrem meum. Ibidem.

Surge & tu, ô peccator è cœno vitiorum, & vade ad Patrem miſericordiarum, cujus bonitatis infinitus eſt theſaurus. *Feſto* 3. *Pentecoſtes in exordio, &* §. 1.

Et dicam ei: Pater, peccavi in Cœlum, & coram te. ibidem.

Nullum peccatum, quamtumvis enorme, irremiſſibile eſt: imo licet quis omnia flagitia omnium mortalium ac dæmonum commiſiſſet, per unum *peccavi* ex contrito corde remittuntur: contritio enim clavis cœli eſt, *Feſto Cathedræ S. Petri* §. 1. & 3.

Vidit illum Pater *ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum.* Ibidem.

Ea eſt divinæ bonitatis & miſericordiæ largitas & affluentia, ut vota mortalium exſuperet, ac plura conferat, quam rogetur: ſic & prodigo filio annulum in manum dedit, ſtolam novam humeris aptavit, geniale epulum inſtituit, quæ numquam filius prodigus ſperarat. *Feſto* 3. *Pentecoſtes.* §. 1.

Mortuus erat, & revixit. Ibidem.

Adoleſcens, & quivis alius peccato lethali correptus, pejus animâ, quam corpore mortuus eſt; quod fuse oſtenditur variis ſcripturis, & hiſtoriis, peccatum nempe inferre mortem animæ, *Primo die Maji per totum.*

Vt autem omnis peccator mortuus ſpiritaliter reviviſcat,& reſurgat, efficacia motiva proponuntur *Feſto Reſurrectionis Domini.*

Perierat, & inventus eſt. Ibidem.

Loquitur hic de filio, quaſi de ove perdita, quæ invenitur dum ad Paſtorem ſuum recurrit; qua vero ratione quis animam ſuam perditam invenire queat, vide *Feſto. S. Antonii de Padua.*

Dominica III. In Quadrageſima.

Erat Jeſus ejiciens dæmonium. Luc. 11.

Euchariſtia præſens energumenis, & adverſus Dæmonium luxuriæ remedium. Rara de energumena per Euchariſtiam liberata hiſtoria. *Feſto SS. Corporis Dom.* §. 7 *poſt medium.*

Omne regnum in ſe ipſum diviſum, deſolabitur. Ibid.

Vbi non eſt unitas & concordia; ſed ſchiſma & diſcordia, neceſſe eſt, ut regnum, civitas, Religio, familia omnis, in qua regnat, deſoletur & penitus deſtruatur. *Feſto* Pentecoſtes §. 2. *ſub finem &* §. 3.

Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. Ibidem.

Quin& nos quoque in has voces erumpamus,&cum fiducia ad Matrem Miſericordiæ accedamus, quæ filium Dei lactavit ubere de cœlo pleno: Nec fruſtra gemina ſunt Virgini matri ubera, cum uno juſtos, altero non dedignetur lactare peccatores, ut SS. Patrum teſtimoniis, & variis hiſtoriis comprobatur *Feſto Annuntiationis B. V* §. 4.

Feria II.

Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael. Lucæ. 4.

Status vidualis inſigni encomio à *SS.* Patribus laudatur: & quænam non ſolum inter Chriſtianas, ſed etiam inter Romanas, & gentiles, viduæ illuſtres exſtitêre, ſecundas nuptias præ ipſa morte exoſæ. Quin & veræ viduæ ſæculo ſpreto, ſolitudini, orationi, & operibus miſericordiæ vacant; ad ſimilem Propheta divertit,& apud tales Chriſtus quoque commoratur.

Exaggerantur ſimul graviſſima incommoda, damna, diſcordiæ, & lites, quæ inter diverſi thori liberos oriuntur. *Kalendis Ianuarii.* §. 3. *&* Primo *die Maji,* §. 4.

Quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra. Ibid.

In hac tanta ſterilitate, & extrema fame,oravit Elias, & pluit ſuper terram: *Oratio* enim, ut rectè Auguſtinus, *clavis eſt cœli,* qua multi ſancti non ſolum pluviam, ſed & alias gratiarum influentias impetrarunt, ut in exemplis

emplis adjunctis videre eſt *Feſto Cathedræ* S. *Petri*. § 4.

Feria III.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Matt. 18.

Hoc potiſſimum locum habet in Paſtoribus animarum, & Confeſſariis, quibus incumbit pœnitentem ſalubriter monere, & corripere, pellicem dimittendam, occaſionem deſerendam, reſtitutionem faciendam; etſi ſint qui talem Confeſſarium poſtea fugiant, vel ad alium divertant. *Feſto Cathedræ* S. *Petri* §.2.

Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Matt. 18.

Hæc poteſtas ligandi atque ſolvendi, Chriſti Vicario, & qui ab eo poteſtatem & juriſdictionem acceperunt, tradita eſt. Hæc autem talis, & tanta eſt, ut non ſit major in terra. *Feſto Cathedræ* S. *Petri* §. 1. & 2.

Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Ibid.

Quanto magis Deus qui charitas eſt, in medio eorum erit, ubi plures in familia, in monaſterio inter ſe conſenſerint, & in vinculo charitatis, quaſi membra unius corporis congregati fuerint. *Feſto Pentecoſtes.* §. 1. & 2.

Accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? dicit illi Jeſus: non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties. Ibidem.

Hoc ingens ſolatium eſt peccatori ſæpius relapſo, ut quotieſcumque ſeriò pœnituerit, etſi centies & millies, peccata ei dimittantur, & cum Deo in gratiam redeat. *Feſto Cathedræ* S. *Petri* §. 2.

Feria IV.

Honora Patrem & Matrem. Matth. 15.

Filii maximè parentibus debitum honorem & reverentiam derogant, dum illis obtemperantes non ſunt. Etiam in ſummè arduis, modo nil contra Deum jubeant, obediendum. *Feſto Converſionis* S. *Pauli* §. 3. *ſub finem.*

Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Ibid.

Cæcitas mentis, longè pejor quam corporis: hac ebrioſi, avari, luxurioſi laborant, & miſerabiliter cæci ſunt, ac duces cæcorum, ut fuſe è ſcripturis, ac SS. Patribus probatur *Primo die Bacchanalium per totum.*

Feria V.

Socrus Simonis tenebatur magnis febribus. Lucæ 4.

Infirmitas corporis plurimum conducit ad ſalutem animæ: ſic multi ſancti morbis ad ſalutem uſi ſunt, patienter, & libenter eos tolerando. Quin & illud gratiſſimum Deo & Angelis ſpectaculum, non tantum in campo cum hoſte dimicare, & ſanguinem fundere, ſed & in lecto fortiter pati. *Feſto* 3 *Mart. Iapon.* §. 3.

& feſto S. *Marci. & feſto Inventionis* S. *Crucis*, § 1. *in fine.*

Cum autem ſol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille ſingulis manus imponens curabat eos. Ibidem.

Felices illi qui quacumque infirmitate divexati, accedebant, aut ducebantur ad Chriſtum, & manu ejus impoſita, ſani fiebant. At quanto nos feliciores, qui quoties libuerit, eum ſub ſpeciebus Euchariſticis non ſolum accedere, ſed & intimo contactu illum nobis unire poſſumus, quo potentius, quam impoſitione manuum, omnes morbi corporis & animæ curari poterunt.

Quare quæ maritos habent ebrioſos, zelotypos, iracundos; filios aut filias morbis animæ affectos, deducant eos huc ad Jeſum, & curabuntur. *Feſto* SS. *Corp. Dom.* § 2.

Turbæ requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum: & detinebant illum ne diſcederet ab eis. Ibid.

Detineri Chriſtus deſiderat, ut duobus illis diſcipulis in Emaus oſtendit, quibus finxit ſe longius ire; at ipſi detinebant, & cogebant eum manere. *Feſto* 2. *Paſchæ.*

Hoc præ omnibus Jeſus rogandus, ne diſcedat à nobis, cum ipſa gehenna acerbius tormentum ſit ab illo ſeparari. *Feſto* SS. *Corporis Dom.* § 6.

Feria VI.

Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum. Joan. 4.

Omnes deliciæ hujus mundi, aquæ ſunt amaræ, quæ non ſatiant. *Die* 3. *Bacchanal.*

Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternū. Ibid.

Chriſtus, qui fons perennis eſt, divinam nobis aquam è ſacro latere ſuo largiſſimè fecit ſcaturire: quæ non ſitim dumtaxat reſtinguere, ſed & nos omni ſorde mundare poterit. *Feſto* SS. *Corporis Dom.* § 4.

Da mihi bibere. Ibid.

Sitit Jeſus lacrymas peccatorum, ſitit ſalutem noſtram, & dum calicem paſſionis exhauſit, adhuc clamat: *Sitio.* Mirabilis potator eſt, clamat S. Bernardus, ut & nos ejus exemplo ſitiamus amore ejus pati. *Feſto* 3. *Martyrum Japonenſium, in exordio, & feſto Invent. S. Crucis,* § 4.

Sabbato.

Perrexit Jeſus in montem oliveti. Joan. 8.

Chriſtus montes amare, & inhabitare conſuevit: potiſſimum montes myſticos, id eſt mentes ſanctitate excelſas ac ſublimes. Tu ſi mons eſſe non poſſis, te ſaltem collem exhibe. *Feſto S. Joan. Bapt.* § 1.

Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? nemo te contemnavit? Quæ dixit: nemo, Domine. Dixit autem Jesus: *nec ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare.* Ibidem.

Hæc mulier in adulterio deprehenſa, à Judæis accuſata, & flagitii convicta, Chriſtum optimum Advocatum nacta eſt, qui omnium adverſariorum ora obturavit; inſigni documento, nulli peccatori deſperandum, ubi Chriſtum Advocatum habet, qui perorat apud Patrem per tot ora,

quot vulnera. *Feſto ſancti Ivonis*, §. 1. *& ultimo*.

Dominica IV. in Quadrageſima.

Cum ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet quia multitudo magna venit ad eum. Joan. 6.

Oculi Domini pleni gratiarum, quocumque ſe movent, mirabilem vim, & virtutem operantur. Nuſquam autem, & numquam efficacius, quam dum illi ſub ſacramento venerabili, intimè nobis præſentes, arcana cordis, & interioris hominis luſtrant. *Feſto SS. Corporis Domini*, § 2. *Et feſto SS. Petri & Pauli*, §. 1.

Accepit ergo Jeſus panes: & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Ibid.

Diſcamus & nos tam munifico largitori gratias agere, non ſolum pro pane quo veſcimur, veſte qua tegimur, luce qua fruimur; ſed & pro innumeris aliis, quæ corpori & animæ contulit, beneficiis. *Feſto Epiphanæ* §. 2. *Et feſto* 3. *Pentecoſtes*. §. 2.

Potiſſimum gratiæ agendæ pro ſummo Euchariſtiæ beneficio, quæ gratiarum actionem ſignificat. *Feſto SS. Corporis Domini*, §. 8.

Feria II.

Cum feciſſet flagellum de funiculis, omnes ejecit è templo, oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit. Joan. 2.

Quanto ſeveriori flagello nunc digni ſunt, qui in templis coram Ven. ſacramento, in fabulas, riſus, licentiam omnem, & irreverentiam effuſi ſint? etenim ſi olim tanta veneratio *Sancti Sanctorum* habita eſt, quid non templis, & aris, ubi non arca, aut umbra, ſed ipſum ſacratiſſimum Chriſti corpus requieſcit, honoris ac reverentiæ exhibendum eſt? *Feſto SS. Corporis Domini*, §. 1.

Zelus domus tuæ comedit me. ibidem.

Ardeat & in vobis zelus domus Dei, contra eos, qui cultum & ornatum templorum carpunt, ac cum Juda dicunt: ut quid perditio hæc; vos in ornandis templis, & aris omne ſtudium adhibete. *feſto SS. Corp. Dom.* §. 1. & §. 8.

Feria III.

Mirabantur judæi, dicentes: quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit? Joan. 7.

Chriſtus non ut pueri per elementa prima, & velut de ſchola in ſcholam gradum fecit; ſed primo inſtanti conceptionis plenitudo ſapientiæ & ſcientiæ, divinæ ejus animæ infuſa eſt, præterquam quod viſione beatifica frueretur. *Feſto SS. Corporis Domini*, §. 1.

Feria IV.

Præteriens Jeſus, vidit hominem cæcum à nativitate. Joan. 9.

Cæcitas, maxima hominis miſeria eſt, & illa longè gravior mentis, quam corporis, qua omnis pecator, avarus, luxurioſus, ebrioſus laborat. Imo totus pro-

pè orbis cœcus eſt. Orandum ut videant. *Primo die Bacchanalium per totum.*

Venit nox, quando nemo poterit operari. Ibid.

Unde monet Apoſtolus, ergo dum dies eſt, dum tempus habemus, operemur bonum: veniet enim tempus, cùm nemo poterit operari, quod amariſſimè damnati omnes deplorant, & deplorabunt tota æternitate. Nobis tamen de perdito tempore non deſperandum, cum variæ praxes ſuggerantur illud redimendi. *Primo die Anni per totum.*

Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi. Ibid.

Chriſtus in carne,lumen ad revelationem gentium, quod illuminat omnem hominem,& omnes tenebras diſpellit. Ex hoc lumine velut è cereo accenſo, quiſque ignem, & lucem mutuare poteſt. *Feſto Purificationis B. V. M.* §. 1.

Lava in natatoria ſiloe.

Non eò vobis excurrendum; longè præſtantior ac ſalubrior vobis parata eſt è pretioſo ſanguine, & aqua, quæ fluxit è latere Salvatoris noſtri, quæ ab omnibus infirmitatibus, & ſordibus animæ vos valet expiare, & ſanare. *Feſto SS. Corporis Domini*, §. 2. 3. 4.

Schiſma erat inter eos. ibid.

Vetus illud proverbium: concordia res parvæ creſcunt,diſcordia maximæ dilabuntur.In omni familia, cœnobio,Repub. regno, ubi ſchiſma, & diſcordia eſt, regnum, & communitas omnis deſolabitur, ac deſtruetur; ubi vero concordia, velut membrorum quę una anima informantur,velut acies ordinata,inſuperabiles erunt.*Feſto Pentecoſtes per totum.*

Feria V.

Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ. Lucæ 7.

Non unus adoleſceus mortuus animâ, indies ad inferos effertur; quod fusè oſtenditur variis Scripturis, & Patrum teſtimoniis, ac hiſtoriis, peccatum nempe mortem animæ adferre, & ut vivere videantur peccatores, verè mortuos eſſe. *Primo die Maji*, §. *ultimo.Et feſto Paſchæ*, §. 2.

Et hæc vidua erat. ibid.

De laude viduitatis, & vita viduis in lacrymis & amaritudine animi ducendâ, ſancti Patres luculenter ſcripſêre, eaſque laudibus extulere, quæ veræ viduæ ſunt, Deo & orationibus intentæ; illæ autem reprehenduntur, quæ ſecundis nuptiis inhiant, & quæ inde incommoda, & domeſticæ tempeſtates inter diverſi thori liberos oriantur, videre eſt *Kalendis Januarii*, §. 3. *Et primo die Maji*, §. 4. *per totum.*

Noli flere. Ibid.

Cauſæ ſolidæ è ſacris paginis, & ſanctorum Patrum teſtimoniis adferuntur, quibus vetant flere parentes in morte parvulorum, qui rapti, ne malitia mutaret intellectum. Ubi & diſceptatur qua pœna torqueantur parvuli, qui ſine baptiſmo diſceſſerunt. *Feſto B. Aloyſii*, §. 3. *per totum.*

Adoleſcens, tibi dico, ſurge. ibid.

Tempus adoleſcentiæ futiliter, & inu-

& inutiliter tranſactum deſcribitur *Kalendis Januarii in exordio, &* §. 2.

Quare hodie inclamandum, cuique eorum, qui cum filio prodigo mortui ſunt: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. *Dominica Reſurrectionis,* §. 2. *&* 3.

Feria VI.

Domine; ecce quem amas, infirmatur. Joan. 12.

Morbi, miſeriæ, adverſa omnia Deus amicis ſuis immittit, quia via ſunt ad cœlum, & conducunt ad ſalutem. Unde rectè ſubditur: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem;* multi enim morbis uſi ſunt ad ſalutem, patienter, & libenter eos tolerando; quin & illud gratiſſimum Deo & Angelis ſpectaculum, non tantum in campo cum hoſte decertare, & ſanguinem fundere; ſed & in lecto fortiter pati. *Feſto 3. Martyrum Japonenſium* §. 3. *Feſto 3. Paſchæ* §. 2. *&* 3. *Feſto Inventionis S. Crucis,* §. 1. *in fine.*

Et lacrymatus eſt Jeſus Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. Ibidem.

Non ſemel lacrymatus eſt Jeſus pro ſe, ſed ab incunabulis in præſepio, lacrymas omni vino, gemmis, & electro (ad corda noſtra trahenda) præſtantiores fundere cœpit. Cujus quædam lacrymæ adhuc aſſervatæ, ſummâ meritò in veneratione ſunt: quia unica, orbis pretium erat. Unde potiori jure quilibet noſtrum exclamare poteſt: quomodo amavit nos! *Feſto Epiphaniæ,* §. 1. *Et feſto 3. Pentecoſtes.*

Domine, jam fœtet: quatriduanus eſt enim. Ibid.

Multi peccatis mortui, & prava conſuetudine ſepulti, jam fœtent non quatriduo dumtaxat, ſed & quadriennio, & ſexennio, ac decennio. Omne enim peccatum, mors eſt animæ. *Feſto Paſchæ,* §. 1. *Et primo die Maji,* §. *ultimo.*

Voce magna clamavit: Lazare, veni foras. ibid.

Hoc Deus toties per divini verbi præcones peccatoribus intonat, ut è ſepulchro vitiorum cum Lazaro reſurgant: quæ reſurrectio ſpiritualis animæ, longe præ illa corporis præſtantior eſt. *Feſto Paſchæ, per totum.*

Sabbato.

Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris; ſed habet lumen vitæ. Joan. 8.

Chriſtus lumen ad revelationem gentium, errorum, ac peccatorum tenebras diſcuſſit: cujus Humanitas ceræ: Divinitas flammæ comparatur. Moraliter, ipſe homo inſtar cerei demonſtratur, qui extingui incipit, dum vivere: & lucere debet, ne extinctus puteat. *Feſto Purificationis B. V. M.* §. 1. *&* 2.

Dominica in Paſſione.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis? Joan. 8.

Veritas multis odium parit, hinc libere eam eloqui non audent; fuere tamen, qui pro anima ſua

ſua non timuerunt dicere verum. *Feſto ſancti Franciſci de Paula*, §. 2. *ſub finem. feſto ſancti Marci*, §. 1. *ſub medium.*

Ego non quæro gloriam meam. Ibidem.

Judæi, gentiles, magni illi Romani, Socrates, Catones, aliique in præclaris ſuis factis, & virtutibus moralibus nil aliud quærebant, quàm vanam, & inanem nominis ſui gloriam. Quam utinam Chriſtiani non aucuparentur. *Feſto* 3. *Martyrum Japonenſium*, §. 2.

Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum; vidit, & gaviſus eſt. Ibid.

Vidit ille in ſpiritu, nos in carne, & veritate; longe Abrahamo feliciores, quibus non videre tantum, ſed & intra viſcera, & cordis ſinum recipere filium Dei, & intime unire conceſſum eſt. *Feſto Purificationis B. V. in exordio, & feſto SS. Corporis Dom.* §. 2.

Feria II.

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Joan. 7.

Hoc Judæis olim Chriſtus. At nobiſcum eſt, & in nobis manet uſque ad conſummationem ſæculi. *Feſto SS. Corporis Domino in Exordio.*

Modicum quoque Redemptor noſter ſe diſcipulis ſuis oſtendit, & ſanctis animabus modicum ſe per conſolationes præſentem exhibet, modicum ibit & recedit, nunc proſpera, nunc adverſa: nunc conſolationes, nunc deſolationes immittens. *Feſto S. Ioſephi per totum.*

Quæretis me, & non invenietis. Ibid.

Graviſſima hæc comminatio, quæ utinam in pleroſque veſtrum non cadat, qui non quærunt Jeſum, quando, & eo loco, eo modo, quo inveniendus eſt. *Feſto S. Antonii de Padua* §. 2.

Qui ſitit, veniat ad me, & bibat. Ibidem.

Chriſtus fons perennis beneficiorum, & gratiarum, qui quo liberalius fluit, & ex eo avidius potatur, hoc largius inſtar uberum fluit Quod pluribus rationibus, & ſanctorum Patrum ſententiis comprobatur *Feſto* 3. *Pentecoſtes.*

Feria. III.

Quærebant eum Iudæi interficere. Joan. 7.

Quis hic non in Judæos Deicidas, ſancto zelo exardeſcat, Chriſtum, qui tranſiit benefaciendo, & ſanando omnes, velle occidere? ſed amabo vos, qui plura & longe excellentiora à Chriſto beneficia accepiſtis, ut quid illum rurſus interficere, & crucifigere peccatis veſtris non reformidatis? Cujus commiſeratione ductæ ſanctæ animæ, ferventes preces, lacrymas, & ſanguinem fuderunt, ut peccatores à ſceleribus converterent. *Primo die Bacchanalium.* §. 3.

Tempus veſtrum ſemper paratum eſt. Ibid.

Tempus quod pretioſiſſimum, ſemper dum vivimus, nobis paratum

ratum eſt. Hoc celerrime prætervolat. Ergo utamur eo, dum habemus, nec futiliter, & inutiliter illud deperdamus. Praxes tamen ſuggeruntur, quibus quis tempus deperditum recuperare poſſit. *Primo die Anni,* §. 2. *& Kalendis Ianuarii, in exordio.*

Feria IV.

Oves meæ vocem meam audiunt. Joan. 10.

Noſſe vultis an ex ovibus Chriſti ſitis? attendite an vocem ejus audiatis, potiſſimum dum ſub ſpeciebus Euchariſticis os ejus intime vobis conjunctum, & loquitur ad cor veſtrum. Anima ſponſæ liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt, & quomodo tu non totus liquefies? *Feſto SS. Corporis Domini* §. 2.

Et non rapiet eas quiſquam de manu mea.

Si & tu animam tuam, & ſpiritum tuum commendes in manus Chriſti, nullus hoſtis eum inde eripiet: quia manus illæ omnipotentes, quæ implent omne animal benedictione, in quibus & ſortes noſtræ æternæ beatitatis. *Feſto SS. Corporis Domini,* §. 2.

Feria V.

Rogabat Jeſum quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo, & ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit. Lucæ. 7.

Quanta hæc dignatio ſalvatoris? Hoc ſi tibi beneficium obtingeret, nonne te mortalium feliciſſimum duceres? Longè quid excellentius conceſſum eſt, dum ipſe conviva & convivium ſuo ſacroſancto corpore paſcit, & ſanguine potat, non ſemel, ſed toties. Hoc ſi uni dumtaxat contuliſſet, quam de tali homine ſanctitatis opinionem haberemus? *Feſto SS. Corporis Domini in Exordio &* §. 1. 2. 3. 4.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix ibid.

Plures & in hac civitate mulieres, & animæ peccatrices; ſed non habent quod deſperent, etſi omnium mortalium crimina perpetraſſent, & totâ vita in cœno peccatorum hæſiſſent. *Feſto cathedræ S. Petri.* §. 2.

Stans retro ſecus pedes ejus, lacrimis cœpit rigare pedes ejus. Ibid.

Vis & tu, peccatrix anima, veniam peccatorum tuorum, abjice te ad pedes benigniſſimi Jeſu, eoſque pœnitentiæ lacrimis lava; quod numquam efficacius feceris, quam dum illi ſacri pedes, ſub Ven. Sacramento tibi intimè conjuncti. *Feſto SS. Corporis Domini* §. 2. *de pedibus Chriſti.*

Oſculum mihi non dediſti; hæc autem ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos. Ibidem.

Quin & Redemptor noſter dum interiorem animæ tuæ domum ſubit, meritò & illud de te queri poteſt: *Oſculum mihi non dediſti.* Quare cum Magdalena, ſanctis ejus pedibus mille oſcula, in S. Euchariſtia fige, ut inde merearis ad oſculum oris accedere. *Feſto SS. Corporis Domini.* §. 2.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ibidem.

Unus actus veræ dilectionis & ſinceræ contritionis, delet omnia pecca-

peccata; unde & clavis cœli appellatur, qua magni peccatores, ſalvi facti ſunt. *Feſto Cathedræ S. Petri,* §. 3.

Feria VI.

Prophetavit quod Jeſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Joan. cap. 11.

Chriſtus non tantum pro perfidâ Judæorum gente qui illum crucifixerunt, ſed pro omnibus quamtumvis ſceleratis paſſus, & mortuus eſt, deditque per exquiſita tormenta ultimam guttam ſanguinis ſui. Sic Deus dilexit mundum. *Feſto* 3. *Pentecoſtes in Exordio.*

Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Ibidem.

Hoc de facto peccatores non cogitant dumtaxat, ſed ſuis ſceleribus ruiſus crucifigunt, & interficiunt filium hominis, quantum in ipſis eſt; ad quam injuriam auferendam, multæ ſanctæ animæ, ferventes lacrymas & ſanguinem pro peccatoribus fuderunt. *Die primo Bacchanalium . ultimo.*

Sabbato.

Volumus Jeſum videre. Joan 12.

Utinam hoc ſanctum deſiderium in cordibus eorum accenderetur, qui pulchritudinis vanæ & fluxæ amantes ſunt! eſt etenim Dominus Jeſus ſpecioſus formâ præ filiis hominum, cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur: cujus intuitu, omnes aliæ quamtumvis venuſtæ formæ, meræ ſordes ſunt. *Feſto Epiphaniæ* §. 1. *feſto S. Ioſephi* §. 1.

Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum Ibidem.

Ex quo Verbum Caro factum eſt, inſtar electri traxit & attraxit fœnum carnis noſtræ: traxit paleas poſitus in præſepio, traxit Paſtores, & homines paleis leviores; tum ut Magnates tres Reges traheret, magnetica uſus virtute, qua etiam maxime obduratos peccatores, & ferrea corda traxit; quod potentiſſime fecit exaltatus à terrâ, dum Cruce pendulus, omnia traxit ad ſeipſum. *Feſto Epiphaniæ per totum.*

Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis. Ibidem.

Chriſtus lux eſt mundi, qui tenebras errorum & peccatorum diſcutit: unde lux gratiæ in anima reſplendet, quæ ſi extinguatur, homo in horrendis tenebris ambulat *Feſto Purificationis B. V. In exordio, &* §. 1.

Dominica in Palmis.

Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi manſuetus. Matt. 21.

Chriſtus Leo de tribu Juda, manſuetudine Agnus, quem nos imitari debemus. *Feſto S. Marci.* §. 2.

Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via. Ibidem.

Et vos veſtimenta veſtra Chriſto ſubſternitis, dum illis nudos tegitis, quod enim uni ex minimis feciſtis, illi feciſtis. *Feſto S. Franciſci de Paula.* §. 3.

Feria II.

Domus impleta eſt ex odore unguenti. Joan. 1.

Beata domus, familia, Religio, quæ repletur odore virtutum, & fragrantia Virginitatis, quæ omnes alios ſuffitus & paſtillos nimium quantum exſuperat. Unde & ſuaviſſimus ac divinus quidam odor è virgineis corporibus dudum mortuis etiam exſpiravit. *Primo die Maji*, §. 3. *ſub finem.*

Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus, Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus : Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Ibidem.

Sunt & hoc tempore ſectatores Judæ, qui cultum templorum, argenteam ſupellectilem, vaſa pretioſa quibus ſanguis & corpus Chriſti aſſervatur, cavillantur, & clamant, quare non vendantur, & pretium detur egenis, dum ipſi interim ſputa ſua, & ſordes argenteis pelvibus & auratis poculis excipiunt. Quid de pretio, & ſplendore templi Salomonici tales dixiſſent? *Feſto SS. Corporis Domini.* §. 1. & §. 8. *ſub finem.*

Feria III.

Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Memoriale perenne Paſſionis Chriſti, nobis quotidie in SS. Euchariſtiæ Sacramento exhibetur, quam in memoriam ſui inſtituit; unde & omnes veſtes ſacerdotales, vincula, coronam ſpineam, veſtem purpuream, ac crucem repræſentant, ex hac autem jugi recordatione ingens meritorum & gratiarum fructus redundat. *Feſto SS. Corporis Dom.* §. 5. *per totum.*

Feria V. in Cœna Domini.

Sciens Ieſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ioa. 13.

Ita Chriſtus dilexit nos, ut totus inſtar cerei conſumptus ſit in uſus noſtros, & ſanguinem ſuum pretioſum ad ultimam guttam fuderit pro nobis. *Feſto* 3. *Pentecoſtes in exordio. & feſto Purificatio- B. V.* §. 1.

Cœpit lavare pedes diſcipulorum. Ibid.

Magnum divinæ charitatis, & humilitatis argumentum, filium Altiſſimi ſe projicere ad pedes Apoſtolorum, eoſque lavare. Sed excellentius nos lavit aquâ & ſanguine, qui fluxit ex latere ejus, quo ſuper nivem dealbamur. *Feſto SS. Corporis Domini*, §. 4.

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ibidem.

Multum in animis hominum operantur monitiones, & comminationes; ſed præ his longè major vis & efficacia eſt in exemplo. Quare ſicut Chriſtus nobis

nobis præivit, ita & Paterfamilias domeſticis, & ſuperior ſubditis bono exemplo præeat. *Feſto Epiphaniæ.* §.3.

Feria VI. In Paraſceve.

Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti.

De qua, vide feria 3. & alias ex profeſſo de ea agemus.

Sabbato Sancto.

Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum. Matth. 28.

Mulierem fortem ne quis longè quærat, Evangeliſta nobis Magdalenam proponit, quæ nullo Judæorum metu perculſa, ad monumentum intrepida perrexit, nec ab eo divelli potuit. *Feſto* 2. *Pentecoſtes.* §.3.

Reſpondens autem Angelus, dixit mulieribus: nolite timere vos. Ibid.

Sanctæ animæ, & viri juſti, quibus ſecura conſcientia, nil habent quod timeant; ſed peccator, cui ſuper impia cervice ſemper pendet divinæ Juſtitiæ romphæa, cujus etiam, ut loquitur Seneca, ipſæ voluptates trepidæ ſunt. *Die* 4. *Bacchanal.* §.1.

Multo minus timendum etiam in extrema lucta à tartareis hoſtibus, ſi Chriſtum ſub ſpeciebus Euchariſticis tecum, & intra te habeas. *Feſto* SS. *Corporis Domini.* §.6. & 7.

Scio enim quod Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis. Ibidem.

Multi quærunt Ieſum in molli lecto, inter roſas & lilia; & malè quærunt; qui non niſi in duro lectulo crucis, inter ſpinas inveniendus eſt. *Feſto* S. *Antonii de Padua.* §.2.

Non eſt hic: ſurrexit enim ſicut dixit. Ibidem.

Utinam cum Chriſto reſurgente, potator, ſcortator, peccator omnis è ſepulchro vitiorum ſpiritualiter reſurgat! ut popinæ, proſtibulo, fornici inſcribi poſſit: *Surrexit, non eſt hic.* *Feſto Reſurrectionis Domini per totum.*

INDEX LOCORUM
SACRÆ SCRIPTURÆ.

GENESIS.

Cap.Verſ. *Pag.*

1. 1.In principio creavit Deus cœlum & terram. 52
1. 2. Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. 52
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. 1052
1. 3. Dixitque Deus:Fiat lux·Et facta eſt lux. 579
1. 6. Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. 1201
1. 31.Vidit Deus cuncta quæ fecerat : & erant valde bona. 978
2. 8. Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis. 254
2. 16.Ex omni ligno Paradiſi comede. De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. 117
2. 22 Ædificavit Dominus Deus coſtam in mulierem. 505
3. 2. De fructu ligni,quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud. 117
3. 16.Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi. 134
4. 13.Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. 297
6. 5. Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore. 586
6. 6. Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra. Et præcavens in futurum & tactus dolore cordis intrinſecus. *ibid.*
6. 7. Delebo inquit hominem quem creavi. *ibidem & pag.* 588
6 12.Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram. 586 588
6. 13.Finis univerſæ carnis venit coram me. 588
12. 1.Dixit autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi 529, 530
12. 2.Faciámque te in gentem magnam. *ibid.*
Et benedicam tibi,& magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. 527, 528,529
13. 16·Faciámque ſemen tuum ſicut pulverem terræ. 531
14. 13.Abraham enim habitabat in convalle Mambre Amorrhæi fratris Eſchol, & fratris Aner : hi enim pepigerant fœdus cum Abram. 996
14.21 Da mihi animas, cætera tolle tibi. 1409
16. 9.Revertere ad Dominam tuam

Cap.Verſ. *Pag.*
tuam, & humiliare ſub manu illius. 134
16.10. Multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine. 134
18. 2. Apparuerunt tres viri. 660
18. 3. Et dixit: Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum. *ibid.* 664
18.11. Erant ambo ſenes, provectæque ætatis. 57
19.11. Percuſſerunt cæcitate à minimo uſque ad maximum, ita ut oſtium invenire non poſſent. 385
19.17. Salva animam tuam, noli reſpicere poſt tergum 127
19.26. Reſpicienſque poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. *ibid.*
21.14. Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus, tradidítque puerum, & dimiſit eam. 1067
22. 2. Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac. 147
22.10. Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. 148
22.11. Ecce Angelus de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham, *ibid.*
22.12. Ne extendas manum tuam ſuper puerum. *ibid.*
22.17. Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli. 527, 531, 543
Et velut arenam, quæ eſt in littore maris. 543
24. 2. Servum ſeniorem domus tuæ, 338

Cap.Verſ. *Pag.*
24. 4. Inde accipias uxorem filio meo Iſaac. *ibid.*
24.10. Tulitque decem camelos de grege Domini ſui, & abiit: profectusque perrexit in Meſopotamiā. *ib.*
24.17. Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. 339
24.18. Bibe Domine mi. *ibid.*
24.18. Quin & camelis tuis hauriam aquam. *ibid.*
24.31. Ingredere benedicte Domini. 564
26.24. Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli timere: quia ego tecū ſum. 1233
26.27. Quid veniſtis ad me hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis. *ibid.*
27.20. Quomodo tam cito invenire potuiſti? 1342
27.28. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. 1067
28. 2. Vade & proficiſcere in Meſopotamiam. 144
28.12. Vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlū. 957
28.16. Vere Dominus eſt in loco iſto. 1004
28.17. Non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cœli. *ib.*
32.26. Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. 661
33.10. Vidi faciem tuam, quaſi viderim vultū Dei. 1274
37. 3. Diligebat Joſeph ſuper omnes filios. 477, 507
37.33. Tunica filii mei eſt. 1213
38.17. Patiar quod vis, ſi dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris. 495

Cap.Verſ. Pag.

38.18. Ait Judas, quid vis pro arrhabone dari? reſpondit annulum tuum. *ibid.*

38.27. Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in utero. 936

39. 1. Igitur Joſeph ductus eſt in Ægyptum. 507

39. 4. Invenitque Joſeph gratiam coram Domino ſuo, & miniſtrabat ei, à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum & univerſa, quæ ei tradita fuerant. *ibid.*

39. 6. Erat autem Joſeph pulchra facie, & decorus aſpectu. 474, 477

39. 7. Poſt multos itaque dies injecit Domina ſua oculos ſuos in Joſeph, & ait: dormi mecum. 481

39. 9. Nec quicquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi. 285

39.12. Relicto in manu ejus pallio, fugit & egreſſus eſt foras. 651

41.25. Reſpondit Joſeph, ſomnium regis unum eſt. 516

41.26. Septem boves pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ: ſeptem ubertatis anni ſunt. *ibid.*

41.27. Septem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ aſcenderunt poſt eas, & ſeptem ſpicæ tenues, & vento urente percuſſæ: ſeptem anni venturę ſunt famis. *ibid.*

41.40 Ad tui oris imperium cunctus populus obediet. 1066

41.42. Tulit annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus: veſtivitque eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit. 727

41.43. Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum. *ibid.*

41.45. Salvatorem mundi. 727

42.15. Benjamin frater veſter minimus. 741

43. 3. Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis. 740, 757

43.29. Attollens Joſeph oculos ſuos vidit Benjamin fratrem ſuum. 744

43.30. Feſtinavitque, quia commota fuerant viſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum flevit. *ibid.*

44. 5. Scyphus, in quo Joſeph augurari ſolet. 328

45.26. Nuntiaverunt Jacob dicentes: Joſeph filius tuus vivit. Quo audito, 630.

45.27. Revixit ſpiritus ejus. *ibid.*

45.28. Et ait: ſufficit mihi, ſi Joſeph filius meus vivit, vadam & videbo eum antequam moriar. *ibid.* 1056

46. 3. Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. 525

48. 2. Confortatus ſedit in lectulo. 700

49. 2. Congregamini & audite filii Jacob, audite Iſrael patrem veſtrum. 872

49. 3. Ruben primogenitus meus principiũ doloris mei. *ib.*

49. 4. Maculavit ſtratum meum. *ibid.*

49. 5. Simeon & Levi vaſa iniquitatis bellantia. *ibid.*

Cap. Verſ. *Pag.*

49. 6. In furore ſuo occiderunt virum. *ibid.*
49. 12. Pulchriores ſunt oculi vino. 1395
49. 13. Zabulon habitabit in littore maris. 873
49. 14. & 15. Iſachar factus eſt tributis ſerviens. *ibid.*
49. 16 Dan judicabit populum ſuum. *ibid.*
49. 19. Gad accinctus. *ibid.*
49. 20. Aſer pinguis panis ejus.
49. 21. Nephtali dans eloquia pulchritudinis. Cervus emiſſus. *ibid.*
49 22. Filius accreſcens Joſeph & decorus aſpectu. ibid. & 477. 506
49. 23. Filię diſcurrunt ſuper murum. 488
50. 3. Et flevit eum Ægyptus ſeptuaginta diebus. 66
50. 10. Celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi impleverunt ſeptem dies. *ibid.*

EXODI.

1. 6. Creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt: ac roborati nimis impleverunt terram. 540
12. 29. Percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat, uſque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere. 876
12. 30. Neque erat domus, in qua non jaceret mortuus. *ibid.*
18. 18. Tu homo ſtulto labore conſumeris. 188
19. 9. Veniam ad te in caligine nubis. 1399
22. 28. Diis non detrahes. 623
23. 8. Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum. 379
24. 14. Habetis Aaron & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos. 923
29. 4. Filios ejus applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii. Cumque laveris patrem cum filiis ſuis aqua. 1207
29. 5. Indues Aaron veſtimentis ſuis. *ibid.*
32. 28. Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum. 644
32. 31. Obſecro Domine, peccavit populus tuus peccatum maximum, feceruntque ſibi Deos alienos.
33. 11. Facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. 546
34. 28. Quadraginta dies, & quadraginta noctes. *ibid.*

LEVITICI.

17. 14. Sanguinem univerſæ carnis non comederis, quia anima carnis in ſanguine eſt, & quicumque comederit illum interibit. 1101
22. 3. Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea, quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia peribit coram Domino. 626

23. 26. De-

Cap·Verſ. Pag.

23.26. Decimo die menſis hujus ſeptimi affligetis animas veſtras in eo. 392

23.29. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populo ſuo. *ibid.*

26. 5. Comeditis panem veſtrum in ſaturitate. 1253

NUMERI.

5. 30. Maritus zelotypiæ ſpiritu concitatus. 872

8 2. Lucerna contra Boream. 180.

11. 4. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? 461

11. 5. Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepe, & allia. *ibid.*

11. 6. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. *ibid.*

11.11. Cur afflixiſti ſervum tuum? quare non invenio gratiam coram te, & cur impoſuiſti pondus univerſi populi ſuper me? 874

17. 8. Turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt, 1056

21. 5. Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. 461

22.13. Ite in terram veſtram, quia prohibuit me Dominus, venire vobiſcum. 128

22.15. Qui rurſum plures & nobiliores, quam ante miſit. *ibid.*

Cap·Verſ. Pag.

22.16. Ne cuncteris venire ad me: paratus ſum honorare te, & quidquid volueris, dabo tibi. *ibid.*

DEUTERONOMII.

4. 24. Deus noſter, qui ignis conſumens eſt. 188

4. 29. Cùm quæſieris ibi Dominum Deum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris & tota tribulatione animæ tuæ. 305

5. 9. Ego ſum Dominus Deus tuus. 1047

5. 21. Non concupiſces uxorem proximi tui. 786.

16.19. Munera excæcant oculos ſapientum: & mutant verba juſtorum. 379

25. 4. Ligari os bovis terentis in area. 1386

27.25. Maledictus, qui accipit munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis. 786

28.15. Quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ & apprehendent te. 128

28.16. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. *ibid.*

28.17. Maledictum horreum tuum. *ibid.*

28.18. Maledictus fructus ventris tui &c. 129

28.28. Percutiat te Dominus cæcitate ac furore. 376

28.29. Et palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cœcus in tenebris, & non dirigas vias

Cap.Verſ. *Pag.*

vias tuas. *ibid*

32. 6. Hæccine reddis Domino populę ſtulte & inſipiens. 405

32. 15 Impinguatus & dilatatus recalcitraret. 392,716

32. 28. O gens abſque conſilio & ſine prudentia! utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent. 436

32. 35. Adeſſe feſtinant tempora. 1

33. 12. Benjamin amantiſſimus Domini: habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet. 741

JOSUE.

6. 18. Cavete ne de his, quæ præcepta ſunt vobis, quidpiam contingatis, & ſitis prævaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atque turbentur. 128

7. 21. Vidi inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui. *ibid.*

7. 25. Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus. *ibid.*

JUDICUM.

1. 7. Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa ciborum reliquias. 1242

Cap.Verſ. *Pag.*

5. 24. Benedicta tu inter mulieres Jahel. 248

5. 26. Siniſtram miſit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos percuſſitque Siſaram. *Ibid.*

9. 8. Ierunt ligna ut ungerent ſuper ſe Regem: dixeruntque olivæ, impera nobis. 467,860

9. 9. Quæ reſpondit: numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines; & venire ut inter ligna promovear? *ibid.*

9. 10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni, & ſuper nos regnum accipe. *ibid.*

9. 11. Quæ reſpondit: numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, & ire, ut inter cætera ligna promovear? *ibid.*

9. 12. Locutaque ſunt ligna ad vitem, veni & impera nobis. *ibid.*

9. 13. Quæ reſpondit eis: numquid poſſum deſerere vinum meum quod lętificat Deum & homines, ut inter cætera ligna promovear. *ibid.* 856

9. 14. Dixerunt omnia Ligna ad Rhamnum: veni & impera ſuper nos. 860

9. 15. Quæ reſpondit eis: ſi vere me regem vobis conſtituitis, venite & ſub umbra mea requieſcite: ſi autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & devoret cedros Libani. *ibid.*

14. 6. Irruit Spiritus Domini in Sam-

Cap.Verſ. *Pag.*

Samſon , & dilaceravit Leonem,quaſi hœdum in fruſta diſcerpſerit, nihil omnino habens in manu. 374,993

15.14.Irruit Spiritus Domini in eum. *ibid.*

15.15.Inventamque maxillam id eſt mandibulam aſini, quæ jacebat arripiens,interfecit in ea mille viros. *ibid.&* 375

16.10.Rupit,quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppę tortum putamine, cum odorem ignis acceperit. 375

19.23.Nolite fratres, nolite facere malum hoc,& ceſſate ab hac ſtultitia. 420

I. REGUM.

1. 13.Loquebatur in corde ſuo, tantumq; labia illius movebantur,& vox penitus non audiebatur. 1018

1. 22 Ut appareat ante conſpectum Domini,& maneat ibi jugiter. 1322

2. 2. Non eſt ſanctus,ut eſt Dominus. 1137

3. 3. Non poterat videre lucernam Domini antequam extingueretur. 386

8. 5. Conſtitue nobis Regē. 719

9. 3. Perierant autem aſinæ Cis patris Saul,& dixit Cis ad Saul filium ſuū: Tolle tecum unum de pueris, & conſurgens vade,&quære aſinas:qui cum tranſiſſent per montē Ephraim, 1311

9. 4. Et per terram Saliſa,& non inveniſſent, tranſierunt etiam per terram Salim, & non erant: ſed & per terram Jemini,& minimè repererunt. *ibid.*

9. 6. Qui ait:Ecce vir Dei eſt in civitate hac, vir nobilis, omne quod loquitur,ſine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, ſi forte indicet nobis,&c. *ibid. &* 1284

9. 10 Et dixit Saul ad puerum ſuum : optimus ſermo tuus, veni, eamus. Et ierunt in civitatem in qua erat vir Dei. 1311

11. 6.Et inſiluit Spiritus Domini in Saul. 993

11. 7.Miſit in omnes terminos Iſrael.Et egreſſi ſunt quaſi vir unus. *ibid.*

11. 8 Fueruntque filiorum Iſrael trecenta millia. *ibid.*

11.11.Et factum eſt, cum dies craſtinus veniſſet,conſtituit Saul populum in tres partes : & ingreſſus eſt media caſtra in vigilia matutina , & percuſſit Ammon uſque dum incaleſceret dies:reliqui autem diſperſi ſunt , ita ut non relinquerentur in eis duo pariter. *ibid.*

13. 1.Filius unius Anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael. 48

16.20,Mitte ad me David filium tuum, qui eſt in paſcuis. 513

16.21,Dilexit eum nimis, & factus eſt armiger ejus. *ibid.*

16.22.Invenit gratiam. *ibid.*

17.15.Reverſus eſt David à Saul, ut paſceret gregem patris ſui in Bethlehem. *ibid.*

17.25. Virum , qui percuſſerit eum,ditabit Rex divitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei,& domum patris

Cap.Verſ. Pag.

ejus faciet abſque tributo in Iſrael. 514

17.55. De qua ſtirpe deſcendit hic Adoleſcens. *ibid.*

17.56. Interroga, cujus filius ſit iſte puer. *ibid.*

17.58. De qua progenie es ô Adoleſcens. *ibid.*

18. 1. Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David. 989, 1227

18. 7. Percuſſit Saul mille & David decem millia. 514

18. 8. Iratus eſt autem Saul nimis & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte, dixitque: dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum. *ibid.*

18. 9. Non ergo rectis oculis Saul aſpiciebat David à die illa, & deinceps *ibid.*

18.11. Putans, quod configere poſſet David cum pariete. *ibid.*

18.16. Omnis Iſrael & Juda diligebat David. *ibid.*

18.17. Ecce filia mea major, Merob, ipſam dabo tibi uxorem, tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat dicens: non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſtinorũ. *ibid.*

18.21. Dabo eam illi, ut fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum. 515

18.23. Parum videri generum eſſe regis. *ibid.* & 495

18.27. Dedit Saul ei Michol filiam ſuam uxorem. 515

91. 4. Locutus eſt ergo Jonathas de David bona, ad Saul patrem ſuum. 991

20.22. Si dixero puero, Ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas: tu veni ad me, pax tibi eſt, & nihil mali, vivit Dominus. Si autem ſic locutus fuero puero: Ecce ſagittæ ultra te ſunt, dimiſit te Dominus. 734

21.11. Nonne iſte eſt David Rex terræ? nonne huic cantabant per choros dicentes: percuſſit Saul mille & David decem millia? 430

21.12. Poſuit autem David ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valde à facie Achis Regis Geth. *ibid.*

21.13. Immutavit os ſuum coram eis, & collabebatur in manus eorum. 1171

31. 4. Dixitque ad armigerum ſuum. Evagina gladium tuum, & percute me. 132

II. REGUM.

2. 7. Eſtote filii fortitudinis 215

2. 14. Surgant pueri, & ludant coram nobis. 230

6. 9. Extimuit Dominum in illa die dicens: quomodo ingredietur ad me arca Domini. 679

6. 10. Et noluit ad ſe divertere arcam Domini in civitatem David, ſed divertit eam in domum Obededam Gethæi. *ibid.*

6: 16. Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit Regem David ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino: & deſpexit eum in corde ſuo. 432, & 1364

6. 20. Et

Cap.Verſ. *Pag.*
6. 20. Et egreſſa in occurſum David ait; quam glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris. *ibid.*
6. 21. Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me, ludam. 432
6. 22. Et vilior fiam, pluſquam factus ſum: & ero humilis in oculis meis. *ibid.*
9. 3. Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo miſericordiã. 611
11. 25. Varius eſt eventus belli: nunc hunc, nunc illum conſumit gladius. 516
12. 16. Deprecatus eſt Dominum pro parvulo, & jejunavit, & ingreſſus ſeorſum, jacuit ſuper terram. 1348
12. 20. Surrexit de terra, & lotus, unctuſque eſt. *ibid.*
13. 1. Sororem ſpecioſiſſimam vocabulo Thamar adamaret. 420
13. 2. Et deperiret in eam valdè, ut propter amorem ejus ægrotaret. *ibid.*
13. 12. Reſpondit ei: noli frater, noli frater, facere ſtultitiam hanc. *ibid.*
13. 13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quaſi unus de inſipientibus in Iſrael. *ibid.*
19. 34. Octogenarius ſum, nunquid delectare poteſt ſervum tuum cibus & potus. 851
23. 14. David erat in præſidio: porro ſtatio Philiſtinorum tunc erat in Bethlehẽ. 206
23. 15. Deſideravit ergo David, & ait; O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem circa portam? *ibid.*
23. 16. Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat juxta portam, & attulerunt ad David: at ille noluit bibere, ſed libavit eam Domino. *ibid.*
23. 17. Hæc fecerunt tres robuſtiſſimi. *ibid.*

III. REGUM.

4. 33. A cedro, quæ eſt in libano, uſq; ad hyſſopũ, quæ egreditur de pariete. 946, 993
6. 19. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini. 1142
6. 20. Porro oraculum habebat viginti cubitos, longitudinis, latitudinis & altitudinis, & operuit illud atque veſtivit auro puriſſ. *ibid.*
8. 12. Dixit, ut habitaret in nebula. 1133, 1399
11. 4. Cumque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres. 851
13. 17. Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam, quam ieris. 127
13. 18. Et ego Propheta ſum ſimilis tui: & Angelus locutus eſt mihi in ſermone, dicens: Reduc in domum tuam, ut comedat panem & bibat aquam. Fefellit eum, *ibid.*
13. 19. Et reduxit ſecum. *ibid.*
13. 21. Quia non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod præ-

Cap.Verſ. *Pag.*

præcepit tibi Dominus Deus tuus. *ibid.*
13.22. Et reverſus es, & comediſti, & bibiſti aquam in loco, in quo præcepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in ſepulchrum patrum tuorum. *ibid.*
13.24. Et Leo ſtabat juxta cadaver. 799
13.25. Et ecce viri tranſeuntes viderunt cadaver projectum in via, & Leonem ſtantem juxta cadaver. *ib.*
17.18. Ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ; & interficeres filium. 679
19.14. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuū filii Iſrael. 388
19.19. Miſit Elias pallium ſuum ſuper illum. 154
19.20. Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam. *ibid.*

IV. REGUM.

4. 9. Animadverto, quod vir ſanctus tranſit per nos frequenter. 680
4. 21. Collocavit ſuper lectulum hominis Dei. 670
6. 14. Miſit equos & currus robur exercitus, qui cum veniſſent nocte, circumdederunt civitatem. 376
6. 18. Oravit ad Dominum: percute, obſecro gentem hanc cæcitate, percuſſitque eos Dominus, ne viderent. *ibid.*
6. 20. Aperuit Dominus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ. 386

Cap.Verſ. *Pag.*

7. 9. Dies boni nuntii. 630
9. 11. Quid venit inſanus iſte ad te? 431
11. 4. Oſtendit eis filium Regis. 1130

PARALIPOMENON.

16. 8. Notas facite in populis adinventiones ejus. 1127, 1129, 1133

PARALIPOMENON II.

3. 8. Fecit quoque domum ſancti ſanctorum, & laminis aureis texit eam, quaſi talentis ſexcentis. 1142
3. 9. Sed & clavos fecit aureos, ita ut ſinguli clavi ſiclos quinquagenos appenderent: cœnacula quoque texit auro. *ibid.*
3. 10. Fecit quoque in domo ſancti ſanctorum Cherubim duos. & texit eos auro. *ibid.*
3. 11. Alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur, &c. *ibid.*
16. 12. Ægrotavit Aſa dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt. 888

ESDRÆ III.

3. 19. Vinum mentem liberi & & ſervi pauperis ac divitis, 1041
3. 20. Et omnem mentem convertit in ſecuritatem, & jucunditatem, & non meminit omnem triſtitiam & debitum. *ibid.*

ESDRÆ IV.

5. 24. Dominator Dominus ex omnibus floribus orbis elegit ſibi liliū. 1254, 1256

TO-

Cap. Verſ. Pag.

TOBIÆ.

4. 3. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. 812
4. 4. Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo. ibid.
12. 9. Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam. 1060

JUDITH.

8. 5. In ſuperioribus domus ſuæ ſibi faciant ſecretum cubiculum. 847
8. 6. Super lumbos cilicium omnibus diebus vitæ ſuæ. ibid.
15. 15. Omnes populi gaudebant cum mulieribus. 1384

ESTHER.

1. 4. Oſtenderet divitias gloriæ, regni ſui. 1130
Multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. 457
1. 7. Bibebant autem, qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vaſis cibi inferebantur, vinum quoque ut magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur. ibid.
5. 2. Summitatē virgæ ejus. 602
5. 3 Dixit ei Rex: quid vis? quæ eſt petitio tua? ibid.
5. 6. Ut detur tibi: & quid vis fieri? etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. ibid.
8. 16. Nova lux oriri viſa eſt. 173
15. 17. Valde mirabilis es. 1103, 1129

Cap. Verſ. Pag.

JOB.

1. 15. Irruerunt Sabæi tuleruntque omnia, &c. 513
1. 18. Filiis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo Fratris ſui primogeniti. ibid.
1. 19. Repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & cōcuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt. ibid.
1. 21. Nudus egreſſus de utero matris. 1280
2. 7. Percuſſit Job ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem. 513
2. 10. Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es. 423
3. 3. Pereat dies, in qua natus ſum. 1319
3. 4, & 5. Dies illa vertatur in tenebras: occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. 56.
3. 6. Non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. ibid.
5. 3. Vidi ſtultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus ſtatim. 405
5. 6. Nihil in terra ſine cauſa fit. 339
7. 6. Dies mei velocius tranſierunt, quam à texente tela ſucciditur: & conſumpti ſunt abſque ulla ſpe. 175
7. 13. Conſolabitur me lectulus meus. 898
7. 15. Suſpendium elegit anima mea. 99
9. 10. Qui facis magna & incomprehenſibilia, quorum non eſt numerus. 1129

Cap.Verſ. Pag.
9. 26. Poma portantes. 823
10. 8. Manus tuæ fecerunt me. 1172
10. 12. Viſitatio tua cuſtodivit Spiritum meum. 700
10. 19. De utero translatus ad tumulum. 178
12. 7. Interroga jumenta, & docebunt te, volatilia cœli indicabunt tibi. 6,968
13. 28. Quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea. 174
14. 1. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. 869
14. 2. Sicut flos egreditur& conteritur. 266,268,275
19. 15. Quaſi peregrinus. 653,656
19. 20. Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.
21. 12. Tenent tympanum & cytharam, & ludunt ad ſonitum organi. 271
21. 13. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. *ibid.*
28. 7. Semitam ignoravit avis. 961
28. 13. Non invenitur in terra ſuaviter viventium. 1311
28. 21. Abſconditus eſt ab oculis viventium. 1098
29. 12. Liberet pauperem vociferantem,& pupillum, cui non erat adjutor. 931
29. 15. Sit oculns cæco, & pes claudo. *ibid.*
29. 16. Sit pater pauperum. *ibid.*
31. 1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem de virgine. 594
31. 2. Quam enim in me partem haberet Deus deſuper, & hereditatem omnipotens de excelſis. 595
31. 12. Ignis eſt uſque ad perditionē devorans, &omnia eradicans genimina. *ibid.*
31. 32. Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit. 665
36. 5. Ne potentes abjeciſſe videretur, cum ipſe ſit potens. 539
38. 1. Reſpondens autem Dominus Job de turbine dixit &c. 513
38. 35. Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent, Adſumus? 151
39. 16. Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodii & accipitris. 961
42. 10. Addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job, duplicia. 513
42. 12. Dominus autem benedixit noviſſimis Job magis quam principio ejus, & facta ſunt ei quatuordecim millia ovium, & mille juga boum, & mille aſinæ. *ibid.*

PSALMORUM

Pſ.Verſ. Pag.
3. 6. Ego dormivi, & ſoporatus ſum,& exſurrexi. 642
4. 6. Quis oſtendit nobis bona?
6. 2. Quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea. 1178
8. 4. Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti. 647
8. 5. Quid eſt homo, quod memor es ejus? 1040
9. 7. Periit memoria eorum cum ſonitu. 553
9. 27. Non movebor. 522

Pſal Verſ. *Pag.*

9. 38 Deſiderium pauperum exaudivit Dominus. 1055
11. 9. Secundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum. 619
15. 6.Sortes ceciderunt mihi in præclaris. 349,364
17.38. Perſequar inimicos tuos. 574
18. 5.In ſole poſuit tabernaculum ſuum. 1360
18. 6.Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam. *ibid.*
18. 7.A ſummo cœlo egreſſio ejus. *ibid.*
21 11.Ne diſceſſeris à me. 1227
22. 2.Super aquam refectionis educavit me. 1210.
22. 4.Quoniam tu mecū es. 1237
22. 5.Paraſti in conſpectu tuo menſam adverſus omnes, qui tribulant me. 1241
Calix tuus inebrians, quam præclarus eſt. 1187
23. 5.Accepit benedictionem à Domino. 530
24. 1.Ad te Domine levavi animam meam. 955
24. 7.Delicta juventutis & ignorantias meas, ne memineris Domine. 1333
24.16.Reſpice in me, & miſerere mei. 1161
26. 8.Exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. 522
26 10.Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. 1324
28. 5.Confringet Dominus Cedros Libani. 859
29.10.Quæ utilitas in ſanguine meo? 1197

Pſal Verſ. *Pag.*

30.15.Ego autem in te ſperavi, quia Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ: 328,333,352
32.17.Fallax equ9 ad ſalutē. 1380
33. 9.Guſtate & videre, quoniam ſuavis eſt Dominus. 451,463
33.22.Mors peccatorum peſſima. 555
35. 9.Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: torrente voluptatis tuæ potabis eos. 1043
36.4.Delectare in Dom. 440,441
36.39.Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut Cedros Libani. 859
37. 6. Putruerunt & corrupta ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. 644
37. 7.Miſer factus & curvatus uſque in finem. 192
37.22.Ne derelinquas me. 1227
39.13.Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem. 383
Cor meum dereliquit me. 1167
41. 3.Fontem vivum. 1046
Quando veniam & apparebo ante faciē Dei. 1131
43.20.Humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis. 645
43.22.Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. 245
44. 3.Speciosus formâ præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. 104,488
44.11.Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuū, & domum patris tui. 1032

Pſa.Verſ. *Pag.*

44.12.Et concupiſcet Rex decorem tuum. *ibid.*
44.14.Omnis gloria filiæ Regis abintus. 199
44.15.Adducentur Regi virgines poſt eam. 1338
45. 5.Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus. 199
45. 6.Deus in medio ejus, non commovebitur. 1238
47. 8.In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis. 974
47.10 Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui. 601
48.11.Simul inſipiens & ſtultus peribunt: & relinquent alienis divitias ſuas. 411
48 12.Sepulchra eorum domus illorum in æternum. 433
49.23.Sacrificium laudis honorificabit me & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. 1247
50. 1.Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. 734
50. 8.Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. 420
50.12.Cor mundum crea in me Deus. 1255
51. 4.Sicut novacula acuta feciſti dolum. 938
52. 3.Intelligens aut requirens Deum. 1310
54. 7.Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo, ut requieſcam? 962,1033
54.25.Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. 762
56. 8.Paratum cor meum Deus: paratum cor meum. 146
57. 9.Sicut cera, quæ fluit, auferentur. 173

Pſa.Verſ. *Pag.*

58.18.Deus meus, miſericordia mea. 601
60. 5.Protegar in velamento alarum tuarum. 13
61. 5.Cucurri in ſiti. 899
62.10.Partes vulpium. 597
63. 5.Sagittant in occultis immaculatum. 890
63. 7.Accedit homo ad cor altum. 1098
63. 8.Et exaltabitur Deus. *ibid.*
64. 1.Te decet hymnus Deus in Sion. 1101
65.12.Tranſivimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium. 731
66. 7.Benedicat nos Deus, Deus noſter. 1105
66. 8.Benedicat nos Deus. *ibid.*
67. 4.Juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia. 445 449
67.26.Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus: in medio juvencularum tympaniſtriarū. 40,1385
67.35.Magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus. 1400
68. 2.Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam. 955,968
68. 6.Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita. 420
68.10.Zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. 387
70.15.Quoniam non cognovi litteraturam, 941
70.16.Introibo in potentias Domini. *ibid.*
72. 5.In labore hominum non ſunt,

Pſa.Verſ. *Pag.*

ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. 714.
72. 8.Operti ſunt iniquitate,ideo tenuit eos ſuperbia. *ibid.*
72.10.Si dies pleni invenientur in eis. 55,57
72.18.Veruntamen propter dolos poſuiſti eis: dejeciſti eos dum allevarentur.
72.19.Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitates ſuas. *ibid.*
72.26.Deus cordis mei. 1168
73.12 Operatus eſt ſalutem in medio terræ. 1173
74. 5.Dixi iniquis:nolite iniquè agere. 405
74. 9.Calix in manu Domini vini meri plenus muſto. Et inclinavit ex hoc in hoc. 517
75. 8.Tu terribilis es & quis reſiſtet tibi? 512
76. 3.Renuit conſolari anima mea. 452,696
76. 4.Memor fui Dei,& delectatus ſum. 452
76. 6.Annos æternos in mente habui. 83
76. 8.Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc? 569
76.10.Aut obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira miſericordias ſuas? *ib.*
76.11.Dixi: nunc cœpi. 574
76.18.Vocē dederunt nubes. 1401
76.19.Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ: vidit & commota eſt terra. 1412
77.24 Pluit illis manna ad manducandum. 1130
77.33.Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. 49,83
79. 5.Iraſceris ſuper orationem ſervi tui. 1041
81. Deus ſtetit in Synagoga Deorum. 619
Ego dixi,dii eſtis. *ibid.*
83. 6.Aſcenſiones in corde ſuo diſponere. 944,965
83. 7.Benedictionem dabit legiſlator. 556
83. 8.De virtute in virtutem. 258
85. 4.Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animā meam levavi. 955
87.16.In laboribus à juventute mea. 897
88. 7 Quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filiis Dei? 1400
89. 5.Pro nihilo eorum anni erunt. 47
89.15.Anni, quibus vidimus mala,pro nihilo habentur. 61
90.15.Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. 728
91. 5.Delectaſti me Domine in factura tua. 821
91. 7.Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc? 405
92. 1.Decorem indutus eſt. 488
93. 8.Intelligite inſipientes in populo:& ſtulti aliquando ſapite. 401,413
95.11.Lætentur cœli, & exultet terra. 633
100.1.Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. 602
101.14.Tempus miſerendi ejus, quia venit tempus. 569
101.28.Anni tui non deficient. 83

Pſal.Verſ. *Pag.*

102. 2. Benedic anima mea Domino: & noli obliviſci omnes retributiones ejus. 811

102.20. Angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus. 159

103. 14. Ut educas panem de terra. 1041

103. 15. Et vinum lætificet cor hominis. *ibid.*

103. 25. Mare magnum & ſpatioſum. 725, 931

104. 17. In ſervum vænundatus eſt Joſeph. 507

104. 18. Ferrum pertranſiit animam ejus. *ibid.*

105. 2. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus. 249

105. 3. Beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore. 929

105. 35. Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. 77, 1262

105. 36. Et factum eſt illis in ſcandalum. *ibid.*

106. 10. Vinctos in mendicitate. 728

106. 15. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. 312

106. 16. Quia contrivit portas æreas: & vectes ferreos confregit. *ibid.*

106. 19. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis. 687

106. 27. Omnis ſapientia devorata eſt. 420

Pſal.Verſ. *Pag.*

110. 5. Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui. 1245

110. 6. Virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo. *ibid.*

112. 2. Nomen erit benedictum: ex hoc nunc & uſque in ſæculum. 555

113. 4. Montes exultaverunt ut arietes: & colles ſicut agni ovium. 1382

113. 5. Oculos habent, & non videbunt: 43

115. 3. Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? 1186

117. 17. Non moriar, ſed vivam. 650

117. 24. Hæc dies, quam fecit Dominus. 630

118. 4. Mandaſti, mandata tua cuſtodivi nimis. 128

118. 25. Adhæſit pavimento anima mea. 88

118. 28. Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis. 710

118. 53. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. 388

118. 80. Fiat cor meum immaculatum. 1265

118. 82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quando conſolaberis me? 697

118. 120. Confige timore tuo carnes meas. 246

118. 131. Os meum aperui & attraxi ſpiritum. 1009

118. 136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia eloquia tua non cuſtodierunt. 388

118. 139. Tabeſcere me fecit zelus meus,

Pſal.Verſ. *Pag.*
meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. *ibid.*
118.144.Intellectum da mihi & vivam.
118.158.Vidi prævaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt 388
118.164.Septies in die laudem dixi tibi. 38,39
132. 1. Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum. 521
134. 7. Fulgura in pluviam fecit. 1417
134. 8. Promit de theſauris ſuis. 1104
136. 6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. 1040 1310
137. 1. In conſpectu Angelorum pſallam tibi. 36
138. 17.Nimis honorati ſunt amici tui Deus. 551,768
144. 16.Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. 328
146. 4. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. 531
147. 20.Non fecit taliter omni nationi. 529
148. 1. Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis. 1247
148. 2. Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus. *ibid.*
148. 3. Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen. *ibid.*
148. 4. Aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. 1201
148. 5. Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt. 647

PROVERBIORUM.

Cap.Verſ. *Pag.*
1. 32.Proſperitas ſtultorum perdet illos. 734
4. 10.Multiplicabuntur tibi anni vitæ. 83
6. 11.Pauperies tanquam vir armatus. 707
7. 22.Statim ſequitur quaſi agnus laſciviens & ignorat, quod ad vincula ſtultus trahatur. 422
8. 31 Ludens in orbe terrarum. 508,647
8. 34.Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. 1181
9. 1. Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. 1148
10.23.Quaſi per riſum ſtultus operatur malum. 404
12.21.Non contriſtabit juſtum, quid ei acciderit. 466
15.15.Secura mens quaſi juge convivium. 449
16.32.Melior eſt patiens viro forti. 235
Qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. 805
17. 6.Gloria filiorum patres eorum. 549
18.16.Donum hominis dilatat viam ejus, & ante principes ſpatium ei facit. 380
18.18.Contradictiones componit,

Cap.Verſ. Pag.
nit, & inter potentes quoque dividat. 351
18.19.Frater, qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma. 988
19.19.Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damna. 883
22.13.Leo eſt in via. 783.1236
22.15.Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam. 422
23.29.Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? 382
23.30.Nonne his, qui commorantur in vino, ſtudent calicibus epotandis? *ibidem &* 1016
2e.34.Et erit ſicut dormiens in medio mari: & quaſi gubernator amiſſo clavo. 407
24. 8.Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur. 405
24.31.Tranſivi per agrum hominis pigri, & ecce totum repleverant urticæ, operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ. 261
25.11.Mala aurea in lectis argenteis: verbum in tempore. 366
25.14.Nubes, & ventus, & pluviæ non ſequentes: vir glorioſus & promiſſa non complens. 1056
30. 2.Stultiſſimus virorum, 412 421
Et ſapientia hominum non eſt mecum. *ibid.*
30.24.Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis. 761
30.30.Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum. 780,786
31. 4.Nullum ſecretum, ubi regnat ebrietas. 1012,1026

ECCLESIASTÆ.

1. 15.Stultorum infinitus eſt numerus. 404,412
2. 2.Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi: quid fruſtra deciperis? 439, 441, 443
2. 19.Ignorat utrum ſtultus an ſapiens. 411
3. 2.Tempus naſcendi, & tempus moriendi. 174
3. 4.Tempus flendi & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus ſaltandi. 518
3. 5.Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. *ibid.*
3. 8.Tempus belli, & tempus pacis. *ibid.*
4. 1.Vidi lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem, nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos. 927
7. 25.Alta profunditas: quis inveniet eam? 1099
7. 27.Inveni amariorem morte mulierem. 871
12. 3.Molentes ſunt in minuto numero. 851

CANTICI CANTICORUM.

1. 1.Oſculetur me oſculo oris ſui. 1055
1. 3.Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. 604
1. 4.Introduxit me Rex in cellam vinariam. 1042
1. 5.Recti diligunt te. 192

Nigra

Cap.Verſ. *Pag.*
Nigra ſum ſed formoſa. 1260
1. 13. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. 602
1. 14. Botrus cypri dilectus meus mihi. *ibid.*
1. 17. Laquearia cedrina. 336
2. 1. Flos campi. 260, 276.
Lilium convallium. 1255, 1265
2. 2. Lilium inter ſpinas. 1255, 1270
2. 3. Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi. 1180
2. 8. Ecce iſte venit ſaliens. 1357, 1359
In montibus, tranſiliens colles. 1359
2. 9. Similis eſt dilectus meus capreæ, hinuloque cervorum. *ibid.*
2. 16. Paſcitur inter lilia. 257, 1255
2. 17. Revertere: ſimilis eſto dilecte mi capreæ, hinnuloque cervorum. 522
3. 1. In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea, quæſivi illum, & non inveni. 1309
3. 4. Tenui eum, nec dimittam. 662
3. 9. Ferculum ſibi fecit Rex Salomon. 728
3. 10. Reclinatorium fecit aureum, aſcenſum purpureum. *ibid.*
Media charitate conſtravit. 1145
4. 2. Dentes tui, ſicut grex tonſarum. 1002
4. 5. Duo ubera, ſicut duo hinnuli, capreæ gemelli. 604
4. 7. Veni de Libano Sponſa. 574

Cap.Verſ. *Pag.*
4. 8. Veni de Libano. *ibid.*
5. 1. Veniat dilectus meus in hortum ſuum. 256
Veni in hortum meum, ſoror mea Sponſa. 259, 172, 276
Comedite, bibite, & inebriamini chariſſimi. 1022
5. 2. Ego dormio, cor meum vigilat. *ibid.*
Aperi mihi ſoror mea, Sponſa, amica mea, columba mea, immaculata mea. 321, 1159
Caput meum rore plenum. 1159
5. 5. Manus meæ ſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. 896
5. 6. Anima mea liquefacta eſt. 187
5. 10. Candidus & rubicundus electus ex millibus. 488
5. 14. Manus ejus tornatiles aureæ. 1068, 1170
Plenæ hyacinthis. *ibid.*
6. 3. Pulchra es amica mea: terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. 1003
6. 9. Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. 1244
8. 2. Dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorū. 1191
8. 14. Fuge dilecte mi.

SAPIENTIÆ.

2. 6. Fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. 16, 591

4. 7. Vino

Cap.Verſ. *Pag.*

2. 7. Vino pretioſo & unguento nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. 17,273,591
2. 8. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. 273,591
2. 9. Ubique relinquamus ſigna lætitiæ. 17
3. 17 Siquidem longę vitę erunt, in nihillum computabuntur, & ſine honore erit noviſſima ſenectus illorum. 55
4. 8. Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata. 21,52
4. 9. Ætas ſanectutis vita immaculata. 851
4. 10. Placens Deo factus eſt dilectus: & vivens inter peccatores tranſlatus eſt. 1356
4. 11. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. *Ibid.* & 1343, 1350
5. 4. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam. 436
5. 5. Inter ſanctos ſors illorum eſt. 367
5. 6. Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis. 386
5. 9. Tranſierunt omnia illa, tanquam nuntius præcurrens. 2,4
5. 10. Et tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam. *ibid.*
5. 11. Aut avis, quæ tranſvolat in aëre. *ibid.*
6. 8. Puſillum & magnum ipſe fecit & æqualiter cura eſt illi de omnibus. 334
8. 16. Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium. 441
10. 13. Non dereliquit. 507
10. 14 Donec afferret illi ſceptrum regni, & potentiam adverſus eos, qui eum deprimebant. *ibid.* & 727
10. 21. Linguas infantium facit eſſe diſertas. 974
11. 21. Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. 339
11. 24. Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. 297
15. 4. Effigies ſculpta per varios colores. 644
15. 5. Cujus aſpectus dat inſenſato concupiſcentiam, & diligit mortuæ imaginis ſimilitudinem ſine anima. *ibid.*
16. 20. Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore. 458, 1130
Omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. 1130
17. 11. Cùm ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia. 1123
19. 12 Juſtè patiebantur ſecundum ſuas nequitias. 666
19. 13. Etenim deteſtabiliorem inhoſpitalitatem inſtituerunt

Cap.Verſ. *Pag.*

fuerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas: alii autem bonos hoſpites in ſervitutem redigebant· *ibid.*
19. 14. Et non ſolum hæc, ſed & alius quidam reſpectus illorum erat: quoniam inviti recipiebant extraneos. *ibid.*
19. 15. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eiſdem uſi juſtitiis ſæviſſimis afflixerunt doloribus. *ib.*
19. 16. Percuſſi ſunt cæcitate. *ibid.*

ECCLESIASTICI.

3. 2. Super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te in omnibus bonis ſuis. 811
3. 4. In motu ſaltationis homo ſuæ mentis gaudium, & animi demonſtrat affectum. 1382
4. 24. Pro anima tua non confundaris dicere verum. 786
4. 35. Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos. 802
4. 46. Manus tua ſit ad dandum porrecta. 1172
7. 29. Honora patrem tuum, & gemitus matris, ne obliviſcaris: memento, quoniam per illos natus non fuiſſes. 812
7. 33. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes. 615
7. 37. Ne deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. 1395
8. 19. Quaſi nihil ante illos eſt ſanguis. 798
9. 4. Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, ne forte pereas in efficacia illius. 1373
2. 9. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt. 482
10. 6. Omnis injuriæ proximi ne memineris. 1039
13. 23. Venatio leonis onager in eremo: ſic & paſcua divitum ſunt pauperes. 798
15. 3. Cibabit illum pane vitæ & intellectus. & firmabitur in illo, & non flectetur. 1222
15. 19. Fortes in potentia. 214
20. Dona excœcant oculos judicum. 379
24. 26. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. 725
24. 27. Hæreditas mea ſuper mel & favum. *ibid.*
24. 29. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. 455
25. 2. Concordia fratrum. 1004
25. 22. Non eſt caput nequius ſuper caput colubri. 215
25. 23. Et non eſt ira ſuper iram mulieris: commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. *ibid.*
26. 8. Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa. 871
26. 9. In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans. 872
26. 11. Mulier ebrioſa, ira magna: & contumelia & turpitudo illius non tegetur. 1018
28. 3. Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam. 771

Cap.Verſ. *Pag.*
28.10.Abſtine te à lite. 938
28.28.Initium vitæ hominis aqua & panis. 1222
30. 1.Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. 553
30.15.Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ, melior eſt omni auro & argento. 1144
30.23.Sine defectione ſanctitatis. 1137
32. 7.Gemmula carbunculi in ornamento auri. 473
33.19.Audite me magnates, & omnes populi, & rectores Eccleſiæ auribus percipite. 813
33.20.Filio & mulieri, fratri & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua:& non dederis alii poſſeſſionem tuam:ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis. *ibid.*
33.21.Dum adhuc ſuperes & aſpiras, non immutabit te omnis caro. *ibid.*
33.22.Melius eſt enim ut filii tui te rogent, quàm te reſpicere in manus filiorum tuorum. *ibid.*
33.31.Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, quaſi fratrem tuum, ſic eum tracta. 31
34.25.Panis egentium, vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. 762
37.14.Propter crapulam multi obierunt, & in multis eſcis erit infirmitas. 448
39.19.Florete flores, quaſi lilium. 1281
41. 1.O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantia ſua. 1227
44. 1.Laudemus viros glorioſos. 92, 545, 549
Et parentes noſtros in generatione ſua. 545, 549
44. 5.In peritia ſua requirentes modos muſicos. 552
44. 6.Ac pulchritudinis ſtudium habentes. 270
44.20.Et non eſt inventus ſimilis illi in gloria. 530
45. 4.Elegit eum Deus ex omni carne. 557
45. 6.Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ. *ibid.*
48. 1.Sermo ipſius, ut facula ardebat. 1294

ISAIÆ.

1. 2.Filios enutrivi & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me. 811
1. 13.Neomeniam & ſabbathum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri. 371
1. 14.Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odivit anima mea. *ibid.*
1. 15.Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine. 762
1. 16.Quieſcite agere perverſè. 935
1. 17.Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam. *ibid.*
1. 22.Vinum tuum miſtum eſt aqua. 1020
1. 30.Velut quercus defluentibus foliis. 855
2. 12.Dies Domini ſuper omnem ſuperbum & excelſum.

Cap.Verſ. *Pag.*
ſum. 859
2. 13.Et ſuper omnes Cedros Libani ſublimes. *ibid.*
5. 6.Nubibus mandabo,ne pluant ſuper eam imbrẽ.1404
5. 20.Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum. 941
5. 22.Viri fortes ad miſcendam ebrietatem. 214,215
5. 23.Qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo. 942
6. 1. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum. 726
6. 2. Seraphim ſtabant. 618
11. 1.Flos de radice ejus aſcendet. 1147
11. 2.Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, ſpiritus conſilii, ſpiritus ſcientiæ. *ibid.*
11. 6.Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. 91
Vitulus & Leo, & ovis ſimul morabuntur. *ibid.* & 790
Et puer parvulus minabit eos. 91
14.13.Super aſtra cœli exaltabo ſolium meum. 330,414
14.14 Similis ero Altiſſimo. *ibid.*
19. 1.Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem.1399
19.11.Stulti facti ſunt Principes Taneos. 405
21.11.Cuſtos quid ne nocte? cuſtos quid de nocte? 172
22.18.Coronans coronabit te tribulatione. 273
22.22.Dabo clavem Domus David ſuper humerum ejus. 280,284

Cap.Verſ. *Pag.*
Et aperiet, & non erit, qui claudat:& claudet,& non erit, qui aperiat. 284
26.10.Miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam. 736
28. 7.Præ vino neſcierunt, & præ ebrietate erraverunt, ſacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino,erraverunt ab ebrietate, neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium. 1015
28. 9.Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere facit auditum? ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus. 697
30.14.Cor comminuatur, ſicut lagena figuli conteritur contritione prævalida, & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. 305
38.17.Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. 443
40. 6.Clama,omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus,quaſi flos agri. 266
40. 7.Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. *ibid.*
40.31.Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. 215
42. 6.Dedi te in lucem gentium. 197
42. 7.Ut educeres de concluſione vinctum, de domo carceris, ſedentem in tenebris. *ibid.*
45. 2.Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringã.
49. 6.In manibus meis deſcripſi te. 1172

49.23.Et

Cap.Verſ. *Pag.*
49.23.Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ. 553
50. 6.Faciem meam non averti ab increpantibus,& conſpuentibus in me. 1273
51. 1.Attendite ad petram, unde excifi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis. 549
51. 2.Attendite ad Abraham patrem veſtrum. *ibid.*
52. 6.Ego, qui loquebar, adſum. 1231
53. 2.Non erat ei ſpecies, neque decor. Vidimus eum & non erat aſpectus. 726
53. 7.Tanquam ovis ad occiſionem ductus. 355
Quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. 771
55. 1.Omnes ſitientes venite ad aquas:& qui non habetis argentum, properate, emite abſque argento. 1054
57.21.Non eſt pax impiis dicit Dominus. 444,555
58. 7.Frange eſurienti panem tuum. 1072,1073
Et egenos, vagoſque induc in domum tuam. 1073
Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam,ne deſpexeris. 998, 1073
58.14.Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ: & cibabo te,& vocaberis Sabbatum delicatum 452
59. 1.Non eſt abbreviata manus Domini. 387
59. 5.Quia telas aranearum texuerunt. 50
60. 1.Surge, illuminare Ieruſalem quia venit lumen tuum. 172
60. 4.Filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. 21
60. 8.Qui ſunt hi, qui ut nubes volant? 1399
60.16.Mamilla regum lactaberis. 553
60.22.Minimus erit in mille, & parvulus in gentem robuſtiſſimam. 755
61. 3.Date his, qui lugent Sion, gloriam pro cinere, oleum gaudii pro luctu. 389
62.12.Et vocabunt eos populus ſanctus redempti â Domino. 1141
63. 1.Formoſus in ſtola ſua. 488
63. 3.Torcular calcavi ſolus. 1184
65. 1.Quæſierunt, qui non interrogabant. 1055
65.13.Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis: Ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis. 461
65 14.Ecce ſervi mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce ſervi mei laudabunt præ exultatione cordis,& vos clamabitis præ dolore cordis, & contritione ſpiritus ululabitis. *ibid.*
65.20.Puer centum annorum morietur. 59
65.23.Semen benedictorum Domini. 531
66. 1.Terra ſcabellum eſt. 1173

JEREMIÆ.

1. 6. A.A.A.Domine Deus, neſcio loqui, quia puer ego ſum. 1097

2.12.Ob-

Cap.Verſ. *Pag.*
2. 12.Obſtupeſcite cœli ſuper hoc,& portæ ejus deſolamini vehementer. 1208
2. 13.Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ,& foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. *ibid.*
34. In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum& innocentũ. 762
4. 22.Stultus populus meus me non cognovit. 405
7. 11.Nunquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta? ego ego ſum, ego vidi, dicit Dominus. 663
8. 20.Tranſiit meſſis, finita eſt æſtas, & nos ſalvati non ſumus. 61
11,19 Ego tanquam agnus manſuetus, qui portatur ad victimam. 1211
Cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus. 1211
14.19.Exſpectavimus pacem, & tempus curationis, & ecce turbatio. 509
15.19.Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. 920
20. 9.Et factus eſt in corde meo, quaſi ignis exæſtuans clauſuſque in oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens. 388
20.10.Audivi enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu. *ibid.*
22.13.Væ, qui ædificat domum ſuam in injuſtitia. 1197
22.14.Qui aperit ſibi feneſtras &facit laquearia cedrina, pingit ſinopide. *ibid.*
23.24.Cœlum & terram ego impleo
31. 3.Charitate perpetua dilexi te, miſerans tui. 581
31.22.Uſquequo deliciis diſſolveris filia vaga? 197
Creavit, Dominus novum ſuper terram, Fœmina circumdabit virum.
39. 7. Oculos quoque Sedeciæ eruit,& vinxit eum compedibus ut duceretur in Babylonem. 375
49.16.Arrogantia tua decepit te. 414

THRENORUM.

1. 13.Miſit ignem in oſſibus meis,& erudivit me. 1008
Poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam. 875
3. 27.Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. 1318, 1322
4. 20.In umbra tua vivemus. 1180
5. 15.Verſus eſt in luctum chorus noſter. 273
5. 16.Cecidit corona capitis noſtri. *ibid.*

EZECHIELIS.

1. 4. Vidi,& ecce nubes magna, & ignis involvens, & ſplendor in circuitu ejus: & de medio ejus, quaſi ſpecies electri. 86
1. 9. Junctæq; erant pennæ eorum. 1000
1. 10.Similitudo vultus eorum facies hominis, & facies leonis. 779
1. 18.Totum corpus plenum oculis. 1392
1. 26 Et quaſi aſpectus hom. 86

Cap.Verſ. *Pag.*

4. 6. Diem pro anno dedi tibi. 889

16.15. Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es. 483

16.42. Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius. 736

17. 3. Aquila magnarum alarum. 596

18.21. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet, & non morietur. 296

18.22. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. *ibid.*

18.32. Nolo mortem morientis dicit Dominus. 643

19. 6. Leunculus factus eſt leo, & dedicit prædā capere. 75

25. 6. Pro eo quod plauſiſti pede, & gaviſa es toto affectu, 1378

25. 7. Extendam manum meam ſuper te, & interficiam te. *ibid.*

33.11. Nolo mortem impii. 643

33.32. Es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuavi dulcique ſono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea. 1414

34. 2. Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemet ipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? 1408

34. 3. Lac comedebatis & lanis operiebamini, gregem meum non paſcebatis. *ib.*

36.26. Dabo vobis cor novum & Spiritum novum in medio veſtri, & auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. 1169

Cap.Verſ. *Pag.*

37. 3. Fili hominis, putaſne vivent oſſa iſta? & dixi, Domine, tu noſti. 1004

37. 4. Et dixit ad me: vaticinare de oſſibus iſtis: & dices eis, oſſa arida audite verbum Domini. *ibid.*

37. 8. Ecce ego intromittam in vos Spiritum, & vivetis. *ibid.*

37. 9. Et dixit ad me: Vaticinare ad Spiritum, & dices: Hæc dicit Dominus: à quatuor ventis veni Spiritus: & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant.

47. 3. Cum egrederetur vir ad orientem, qui habebat funiculum in manu ſua, menſus eſt mille cubitos: & traduxit me per aquā uſque ad talos. 1117

47. 4. Rurſumque menſus eſt mille, & traduxit me per aquam uſque ad genua. *ib.*

47. 5. Et menſus eſt mille, & traduxit me per aquam uſque ad renes: Et menſus eſt mille, torrentem, quem non potui pertranſire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſvadari. *ibid.*

3. 57. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. 1247

3. 73. Benedicite fulgura & nubes Domino. 1421

3. 77. Benedicite fontes Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula: 967

3. 78 Benedicite maria & flumina Domino. *ibid.*

5. 1. Fe-

Cap. Verſ. Pag.

5. 1. Fecit grande convivium optimatibus ſuis mille. 441

5. 3. Bibebant Rex, & optimates ejus, uxores & concubinæ illius. *ibid.*

5. 5. In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis. 442

6. 3. Igitur Daniel ſuperabat omnes principes & ſatrapas. 800

6. 17. Allatuſque eſt lapis unus, & poſitus eſt ſuper os laci, quem obſignavit Rex annulo ſuo, & annulo optimatum ſuorum, nequid fieret contra Danielem. *ibid.*

7. 10. Centena millia aſſiſtebant ei. 618

10. 2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus. 393

10. 3. Panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, ſed neque unguento unctus ſum; donec complerentur trium hebdomadarum dies. *ib.*

12. 3. Fulgebunt, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. 544, 777, 778, 818

13. 8. Exarſerunt in concupiſcentiam ejus. 851

13. 50. Veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis: quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis. 58

14. 37. Prandium, quod miſit illi Deus. 1223

OSEE.

10. 2. Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt. 1168

11. 4. Traham eos in vinculis charitatis. 96

14. 6. Germinabit ſicut lilium. 1282

14. 7. Et erit quaſi oliva gloria ejus. *ibid.*

14. 8. Convertentur ſedentes in umbra ejus: vivent tritico. 1179

IOELIS.

1. 13. Plangite ſacerdotes ululate miniſtri altaris. 390

2. 10. Moti ſunt cœli: Sol & luna obtenebrati ſunt: & retraxerunt ſplendorem ſuum. 1218

2. 12. Convertimini ad me in toto corde veſtro. 305

IONÆ.

1. 7. Miſerunt ſortes, & cecidit ſors ſuper Ionam. 352

3. 3. Ninive erat civitas magna itinere trium dierum. 63

3. 4. Et cœpit Ionas introire in civitatem itinere diei unius. *ibidem.*

SOPHONIÆ.

1. 17. Ambulabunt, ut cæci, quia Domino peccaverunt. 377

HABACUC.

2. 3. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. 522

ZACHARIÆ.

2. 8. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. 770

13. Fons patens domui Iſrael & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatorum. 1048, 1209

13. 7. Percute paſtorem, & diſpergentur oves. 130

MALACHIÆ.

1. 11. Ab ortu ſolis uſque ad occaſum

Cap. Verſ. Pag.

caſum in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. 623

2. 10. Nunquid non pater unus omnium noſtrum? nunquid non Deus unus creavit nos? quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum? 987

3. 6. Ego Dominus, & non mutor. 570

4. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitię, & ſanitas de pennis ejus: & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento. 1382

I. MACHABÆORUM.

10. Purpuram & coronam auream. 728

II. MACHABÆORUM.

6. 31. Exemplum virtutis & fortitudinis. 215

7. 27. Fili mi, miſerere mei, quæ te novem menſibus in utero portavi, & lac trienio dedi. 812

Novum Teſtamentum.

MATTHÆI.

Cap. Verſ. Pag.

1. 18. Cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph. 476

21. Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. 598

2. 11. Invenerunt puerum cum Maria matre ejus. 94

3. 2. Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum. 731

4. 9. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. 1107

4. 20. Relictis retibus ſecuti ſunt eum. 150

5. 10. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. 703. 704

5. 28. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. 504

5. 44. Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, ut ſitis filii patris veſtri. 1273

6. 9. Pater noſter, qui es in cœlis 987

6. 26. Reſpicite volatilia cœli. 641

6. 28 29. Conſiderate lilia agri; dico vobis, quia nec Salomon in omni gloriâ ſuâ coopertus eſt, ſicut unū ex iſtis. 1255, 1279

6. 27, 28. Qui audit verba mea, & non facit, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam, deſcendit pluvia, advenerunt flumina, flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta eſt ruina illius magna. 354

8. 6. Domine puer meus jacet in domo paralyticus & malè torquetur. 31

8. 8. Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. 678

8. 21. Domine permitte me prius ire, & ſepelire patrem meum.

Cap.Verſ. Pag.

meum. 150.
8. 26. Facta eſt tranquillitas magna. Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei ? 747,1234
9. 9. Præteriens Jeſus vidit hominem ſedentem in telonio. 674,1161
9. 18. Modo defuncta eſt. 636
9. 22. Jeſus converſus & videns eam dixit confide filia: fides tua te ſalvam fecit, & ſalva facta eſt mulier ex illâ hora. 1174
9. 25. Tenuit manum ejus. 265
14. 9. Non poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam. 1081
10. 17. Cavete ab hominibus 1065
10. 29. Non cadit ſuper terram ſine Patre veſtro. 339
10. 38. Qui non tollit crucem ſuam quotidie, & ſequitur me, non eſt me dignus. 245,904
11. 12. Regnum cœlorum patitur vim, & violenti rapiunt illud. 281,726
11. 21. Væ tibi Corozain! væ tibi Bethſaida! quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. 905
11. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. 1089
12. 42. Et pluſquam Salomon hic. 434
13. 17. Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis. 489
13. 38. Zizania autem ſunt filii nequam. 265
14. 28. Domine, ſi tu es, jube me venire ad te. 162
15. 19. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes &c. quæ coinquinant hominem. 1169
16. 16. Tu es filius Dei vivi. 320
16. 19. Tibi dabo claves regni cœlorum. 280,283
16. 24. Tollat crucem ſuam & ſequatur me. 242,357
17. 5. Hic eſt filius meus dilectus. 952
18. 26. Procidens autem ſervus ille, orabat eum dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 1056
19. 10 Si ita eſt, inquiunt, non expedit nubere. 344
19. 21. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. 357,1326
19. 24. Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum cœlorum. 81
19. 28. Cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim. 618
20. 16. Sic erunt noviſſimi primi. 67
20. 22 Neſcitis quid petatis. 1131
20. 23. Calicem meum bibetis. 721
21. 5. Vade & dic filiæ Sion; Ecce Rex tuus venit. 573
21. 9. Benedictus qui venit in nomine Domini. 530
21. 21. Si monti huic dixeritis; tolle, & jacta te in mare, fiet. 1061
23. 3. Super cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi,

Cap.Verſ. Pag.

riſæi, quæ dicunt, facite; ſecundum autem opera illorum nolite facere. 344
23. 8. Omnes autem vos fratres eſtis. 987
25. 11. Clauſa eſt janua. 1076
25. 34. Venite benedicti Patris mei. 564
25. 40. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. 765, 766
25. 41. Diſcedite à me. 1231
26. 2. Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. 355
26. 8. Vt quid perditio hæc? potuit enim venundari multo, & dari pauperibus. 1252
26. 18. Ite in civitatem ad *Quendam*, & dicite ei. Magiſter dicit, tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. 1249
26. 39. Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. 899
26. 76. Egreſſus foras flevit amare. 1396
27. 46. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me. 899
27. 52. Sepulchra aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt. 628, 634
28. 1. Valde mane una Sabbathorum venit ad monumentum Maria Magdalene, & altera Maria. 609
28. 4. Et facti ſunt velut mortui. 784
28. 19. In nomine Patris & filii & Spiritus ſancti. 1097
28. 20. Vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. 662, 1129

MARCI.

5. 41. Puella, tibi dico, ſurge. 637
5. 42. Et confeſtim ſurrexit puella & ambulabat. *ibid.*
6. 31. Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. 1081
6. 48. Venit ad eos Ieſus ambulans ſupra mare, & volebat præterire eos. 661
10. 14. Sinite parvulos venire ad me & ne prohibeatis eos: talium eſt enim regnum cœlorum. 1326
14. 5. Potuit enim venundari multo, & dari pauperibus. 1252
14. 14. Vbi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem. 1210
15. 43. Audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu. 1027

LUCÆ.

1. 20. Eris tacens, & non poteris loqui. 1059
1. 31. Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. 573
1. 32. Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. *ibid.*
1. 32. Regnabit in domo Iacob in æternum. 1067
1. 34. Quomodo fiet iſtud. 573
1. 38. Fiat mihi ſecundum verbum tuum. 568
1. 41. Exultavit infans in utero. 1358, 1364
1. 43. Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me. 598

Cap.Verſ. Pag.

1. 78.Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. 598
2. 14.Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus. 633
2. 29.Nunc dimittis ſervum tuum Domine. 1230
2. 30.Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. *ibid.*
2. 32.Lumen ad revelationem gentium. 171,186
2. 34.Ecce hic poſitus eſt in reſurrectionem multorum in Iſrael. 648
2. 48.Ego & Pater dolentes quęrebamus te. 524
3. 8. Facite dignos fructus pœnitentiæ. 904
4. 22.Ut omnes mirarentur in verbis gratiæ,quæ procedebant de ore ejus. 104
4. 42.Turbæ requirebant eum, detinebant eum,ne diſcederet ab eis. *ibid.*
5. 1. Cum turbæ irruerent in Jeſum, ut audirent verbum Domini. *ibid.*
5. 8.Exi à me Domine. 678
5. 8.Quia homo peccator ſũ. 678
5. 20.Remittuntur tibi peccata tua. 287
6. 18.Venerant, ut audirent eum,&ſanarentur à languoribus ſuis. 103
6. 19.Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes. *ibid.&* 1081
6. 37.Dimittite & dimittemini. 787
6. 38.Date & dabitur vobis.
7. 14.Adoleſcens,tibi dico ſurge. 628
7. 32.Cantavimus vobis, & non ſaltaſtis. 1366
7. 37.Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix. 609
7. 39.Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. 770
7. 47.Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. 307
8. 13.Radices non habent. 819, 821,862
8. 46.Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiiſſe. 1174
8. 54.Puella ſurge. 628
8. 55.Et reverſus eſt Spiritus ejus, & reſurrexit continuo. *ibid.*
9. 3. Nihil tuleritis in via.
9. 23.Qui non tollit crucem ſuam & ſequitur me,non eſt me dignus. 245
9. 8.Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet. 1157
10.23.Beati oculi,qui vident,quæ vos videtis. 1132
10.24.Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, & non viderunt. 1131
10.30.Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones. 937
11.27.Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. 606
11.52.Væ vobis, qui tuliſtis clavem, ipſi non introiſtis; eos vero qui intrare poterant prohibuiſtis. 298

Cap.Verſ. Pag.

12.13. Magiſter, inquit, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem. 987

12.17. Et cogitabat intra ſe dicens: quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos. 412

12.18. Et dixit: hoc faciam: deſtruam horrea mea & majora faciam. *ibid.*

12.20. Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paraſti, cujus erunt? *ibid.*

12.49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur. 975

13.11. Ecce mulier, quæ habebat Spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata: nec omnino poterat ſurſum reſpicere. 192

13.12. Mulier dimiſſa es ab infirmitate tua. 193

13.13. Et confeſtim erecta eſt. *ib.*

15.4. Vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam. 1283, 1285, 1297

15.8. Accendit lucernam. 186

15.13. Proficiſcitur in regionem longinquam, ut ſubſtantiam ſuam diſſipet inter meretricias cupiditates. 100

15.18. Vadam ad patrem, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum & coram te. 1057

15.19. Iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis. *ibid.*

15.22. Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus. *ibid.*

Cap.Verſ. Pag.

15.29. Ecce tot annis ſervio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi. 462

15.21. Fili tu ſemper mecum es & omnia mea tua ſunt, *ibid.*

15.32. Frater tuus mortuus erat. 861

16.22. Factum eſt, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. 1059

16.25. Fili recordare, quia recepiſti bona in vitâ tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. 713

17.11. Cum tranſiret per mediam Samariam, & Galilæam.

17.12. Occurrerunt ei decem viri leproſi.

18.31. Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis. 371

18.32. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur. 372

18.35. Cœcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. 372

18.41. Quid tibi vis faciam? 387 Domine ut videam. 388

21.25. Erit in terris preſſura gentium. 936

22.10. Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo, amphoram aquæ portans, ſequimini eum in domum, in quam intrat. 1202

22.15. Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum. 1149

22.19. Hæc quotieſcunquè feceritis,

Cap.Verſ. Pag.
ritis, in mei memoriam facietis. 1212
22.24.Quis eorum videatur major. 1387,1388
22.28.Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. 723
22.29.Et ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum meum. *ibid.*
22.30.Ut edatis & bibatis ſuper menſam in regno meo. 454
22.35.Quando miſi vos ſine ſacculo, & calceamentis, nunquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil. 1081
22.61.Converſus Dominus reſpexit Petrum. 1161
23.41.Digna factis recipimus. 885
24.26.Oportuit Chriſtum pati & reſurgere à mortuis. 704 720
Et ita intrare in gloriam ſuam. 720
24.29.Coegerunt illum dicentes: mane nobiſcum Domine. 655,660
24.34.Surrexit Dominus vere. 648
24.39.Videte manus meas & pedes meos. 720

IOANNIS.

1. 3. Quod factum eſt. 1095
1. 4. In ipſo vita erat. *ibid.*
1. 9. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 172
1. 11.In propria venit, & ſui eum non receperunt. 656
1. 14.Verbum Caro factum eſt. 586

Cap.Verſ. Pag.
1. 17.Lex per Moyſen data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. 558
2. 4. Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea. 1184
3. 2. Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. 751
3. 16.Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret. 1049
4. 10.Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forſan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. 1208
4. 19.Domine, video, quia Propheta es tu. 1147
4. 23.Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. 1107
4. 24.Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. *ibid.*
4. 29.Dixit mihi omnia, quæ feci. 1147
5. 14.Ecce ſanus factus es, jam noli peccare. 103
5. 25.Venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent. 645
5. 39.Scrutamini ſcripturas, ſcrutamini. 43
6. 2. Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat. 103
6. 17.Tenebræ jam factæ erant,

Cap.Verſ. Pag.

& non venerat ad eos Jeſus. 1234
6. 18. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. *ibid.*
6. 26. Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus & ſaturati eſtis. 104
6. 27. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. *ibid.*
6. 44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. 98
6. 53. Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? 1181
9. 54. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis. 1182
6. 55. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. 1245
6. 68. Et vos vultis abire? 104
6. 69. Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternę habes. *ibid.*
7. 23. Totum hominem ſanum fecit. 652
8. 4. Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. 918
8. 5. In lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare: tu ergo quid dicis. *ibid.*
8. 6. Jeſus vero inclinans ſe digito ſcribebat in terra. *ib.*
8. 12. Lux mundi. 1113
8. 56. Abraham exultavit, ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt. 632, 1365
9. 6. Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus. 387
9. 41. Si cœci eſſetis, non haberetis peccatum. 382
10. 12. Mercenarius videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit & diſpergit oves. 1408
10. 34. Dii eſtis vos. 1066
11. 15. Lazarus mortuus eſt, & gaudeo. 1348
11. 25. Ego ſum reſurrectio & vita. 645
11. 35. Lacrymatus eſt Jeſus. 1348
11. 36. Ecce quomodo amabat eum. 584, 1348
12. 19. Totus mundus poſt illum curreret. 104
12. 20. Erant autem quidam gentiles, ex his, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto. 1130
12. 21. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, &c. & rogabant eum dicentes, volumus Jeſum videre. *ibid.*
12. 32 Omnia traham ad me ipſum. 108
13. 1. Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. 1212
13. 7. Quod ego facio, neſcis modo, ſcies autem poſtea. 159
13. 10. Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. 1203
13. 34 Filioli, mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. 986
13. 35. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. 976, 986

14. 28. Va-

Cap.Verſ. Pag.
14.28. Vado & venio ad vos. 522
15. 5. Ego ſum vitis. 857
15. 6. Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. *ibidem.*
16. 6. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. 522
16. 7. Expedit vobis ut ego vadam. *ibid.*
16.16 Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. 522
16.20. Plorabitis, & flebitis vos, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. 523
16.23 Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 314
17.11. Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi ut ſint unum ſicut & nos. 986
17.20. Non pro eis rogo tantum ſed & pro eis, qui crediturі ſunt per verbum eorum in me. 919, 986
17.21. Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint. 986, 1155
17.22. Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum. 985, 1155
18.18. Exivit Diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ & introduxit Petrum. 695
19.34. Lancea latus ejus aperuit. 1165
20.15. Quia hortulanus eſſet. 257.
20.17. Noli me tangere. 265
20.22. Accipite Spiritum Sanctum. 290, 1009
Cap.Verſ. Pag.
20.23. Quorum remiſeritis peccata. 290
25.25. Si ſcribantur, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. 1149

ACTUUM APOSTOLORUM.

1. 9. Videntibus illis elevatus eſt. 943, 945
Nubes ſuſcepit eum. 1400
1. 17. Sortiuntur ſortem miniſterii ſui. 362
1. 24. Domine qui corda noſti omnium. 1147
1. 26. Sors cecidit ſuper Matthiam. 325, 330
Et annumeratus eſt cum undecim. 330
2. 5. Ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt. 974
2. 9. Parthos & Medos, & Elamitas: Judæos quoque & Proſelytos, Cretas & Arabes. 976
2. 13. Muſto pleni ſunt. 1011, 1013
2. 17. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. 1052
2. 37. Quid faciemus viri fratres? 1412
2. 38. Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum. *ibid.*
2. 42. Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & fractione panis. 1223
3. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit, reſpice in nos. 1391
3. 5. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. *ibid.*

Cap.Verſ. *Pag.*

& non venerat ad eos Jeſus. 1234

6. 18. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. *ibid.*

6. 26. Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus & ſaturati eſtis. 104

6. 27. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. *ibid.*

6. 44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. 98

6. 53. Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? 1181

9. 54. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis. 1182

6. 55. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. 1245

6. 68. Et vos vultis abire? 104

6. 69. Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternę habes. *ibid.*

7. 23. Totum hominem ſanum fecit. 652

8. 4. Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. 918

8. 5. In lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare: tu ergo quid dicis. *ibid.*

8. 6. Jeſus vero inclinans ſe digito ſcribebat in terra. *ib.*

8. 12. Lux mundi. 1113

8 56. Abraham exultavit, ut videret diem meum, vidit

Cap Verſ. *Pag.*

& gaviſus eſt. 632, 1365

9. 6. Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus. 387

9. 41. Si cœci eſſetis, non haberetis peccatum. 382

10. 12. Mercenarius videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit & diſpergit oves. 1408

10. 34. Dii eſtis vos. 1066

11. 15. Lazarus mortuus eſt, & gaudeo. 1348

11. 25. Ego ſum reſurrectio & vita. 645

11. 35. Lacrymatus eſt Jeſus. 1348

11. 36. Ecce quomodo amabat eum. 584, 1348

12. 19. Totus mundus poſt illum curreret. 104

12. 20. Erant autem quidam gentiles, ex his, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto. 1130

12. 21. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, &c. & rogabant eum dicentes, volumus Jeſum videre. *ibid.*

12. 32 Omnia traham ad me ipſum. 108

13. 1. Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. 1212

13. 7. Quod ego facio, neſcis modo, ſcies autem poſtea. 159

13. 10. Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. 1203

13. 34 Filioli, mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. 986

13. 35. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. 976, 986

14. 28. Va-

Cap.Verſ. *Pag.*
14.28.Vado & venio ad vos. 522
15. 5. Ego ſum vitis. 857
15. 6.Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. *ibidem.*
16. 6.Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. 522
16. 7.Expedit vobis ut ego vadam. *ibid.*
16.16 Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. 522
16.20.Plorabitis, & flebitis vos, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. 523
16.23 Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 314
17.11.Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi ut ſint unum ſicut & nos. 986
17.20.Non pro eis rogo tantum ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me. 919, 986
17.21.Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint. 986, 1155
17.22.Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum. 985, 1155
18.18.Exivit Diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ & introduxit Petrum. 695
19.34.Lancea latus ejus aperuit. 1165
20.15.Quia hortulanus eſſet. 257.
20.17.Noli me tangere. 265
20.22.Accipite Spiritum Sanctum. 290, 1009

Cap.Verſ. *Pag.*
20.23.Quorum remiſeritis peccata. 290
25.25.Si ſcribantur, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. 1149

ACTUUM APOSTOLORUM.

1. 9. Videntibus illis elevatus eſt. 943, 945
Nubes ſuſcepit eum. 1400
1. 17.Sortiuntur ſortem miniſterii ſui. 362
1. 24.Domine qui corda noſti omnium. 1147
1. 26.Sors cecidit ſuper Matthiam. 325, 330
Et annumeratus eſt cum undecim. 330
2. 5. Ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt. 974
2. 9. Parthos & Medos, & Elamitas: Judæos quoque & Proſelytos, Cretas & Arabes. 976
2. 13.Muſto pleni ſunt. 1011, 1013
2. 17.Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. 1052
2. 37.Quid faciemus viri fratres? 1412
2. 38.Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum. *ibid.*
2. 42.Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & fractione panis. 1223
3. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit, reſpice in nos. 1391
3. 5. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. *ibid.*

Cap.Verſ. *Pag.*

3. 6. Petrus autem dixit: argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. 1391, 1413

3. 7. Et apprehenſa manu ejus dexterâ allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ. *ibid.*

4. 32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. 975, 976, 978

5. 4. Non es mentitus hominibus ſed Deo. 1420

5. 5. Audiens autem Ananias hęc verba, expiravit. *ibid.*

5. 15. Ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. 1178

5. 29. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. 132

8. 26. Surge & vade contra Meridianum. 159

9. 1. Paulus ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini, perſecutus eſt Eccleſiam. 1396

9. 6. Domine, quid me vis facere? 114, 117, 145

9. 7. Ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. 158

9. 8. Apertis oculis nihil videbat. 157

10. 9. Aſcendit Petrus in ſuperiora, ut oraret. 1400

10. 10. Cecidit ſuper eum mentis exceſſus. *ibid.*

10. 11. Vidit cœlum apertum. *ib.*

Cap.Verſ. *Pag.*

10. 38. Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes. 1089

10. 45. Gratia Spiritus Sancti effuſa. 1044

13. 9. Saulus, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, dixit: 1419

13. 10. O plene omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas. *ibid.*

13. 11. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cœcus non videns ſolem. *ib.*

14. 21. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. 719

17. 21. Athenienſes omnes, & advenæ peregrini, ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid novi. 704

19. 2. Si Spiritum Sanctum accepiſtis? 977, 1008

20. 31. Per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrum. 1396

20. 35. Beatius eſt magis dare, quam accipere. 765

24. 25. Diſputante de juſtitia, & caſtitate, & de judicio futuro tremefactus Felix. 1412

28. 20. Propter ſpem Iſrael catenâ hac circumdatus ſum. 469

EPISTOLÆ BEATI PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

1. 13. Sæpe enim propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc. 165

1. 20. Inviſibilia enim ipſius per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. 965

1. 21. Di-

Cap. Verſ. Pag.
1. 21. Dicentes ſe ſapientes ſtulti facti ſunt. 413, 415
2. 1. Inexcuſabilis es, ô homo. 407
5. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. 977, 993
6. 21. Quem ergo fructum habuiſtis tum in illis, in quibus, nunc erubeſcitis. 592, 1333
8. 13. Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis. 598
8. 14. Sic qui ſpiritu Dei aguntur. 974
8. 17. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur illi & conglorificamur. 726
8. 32. Qui etiam proprio ſuo filio non pepercit &c. 584
9. 3. Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. 396
9. 20. O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? &c. 334.
10. 17. Fides eſt ex auditu, 342
11. 33. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. 1117
11. 36. In ipſo ſunt omnia. 1120
12. 4. Quippe unum corpus ſumus & alter alterius membra. 998
13. 13. Non in commeſſationibus & ebrietatibus. 356
14. 1. Infirmum autem in fide aſſumite. 356
15. 19. Ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum.

EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

1. 18. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt. 905
1. 20. Stultam fecit ſapientiam hujus mundi. 433
1. 23. Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. *ibid.*
1. 27. Stulta mundi elegit Deus ut confundat fortia. 432, 436
3. 2. Tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi. 1397
3. 13. Vniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit. 731
3. 15. Ipſe autem ſalvus erit ſic tamen quaſi per ignem *ibid.*
4. 7. Quid habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis. 760
4. 9. Spectaculum facti ſumus mundo & Angelis, & hominibus. 213
4. 10. Nos autem ſtulti propter Chriſtum. 429
5. 12. Quid mihi de iis qui foris ſunt judicare? 290
6. 6. Frater cum fratre judicio contendit. 987
6. 9. Neque fornicarii neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt. 594
6. 15. Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Spiritus Sancti? tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit. 625
6. 18. Fugite fornicationem. 838
7. 5. Ad tempus ut vacetis orationi. 502
7. 7. Unusquiſque proprium donum habet à Deo. &c. 338

Cap.Verſ. *Pag.*
7. 9. Melius eſt enim nubere quàm uri. 21,848
7. 20. Unuſquiſque in ea vocatione qua vocatus eſt, in ea permaneat. 329, 334, 338, 347
9. 9. Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos utique hoc dicit? 1086
9. 27. Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo. 904
10. 17. Quoniam unus panis & unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus. 981
11. 21. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. 1392
11. 26. Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. 1212
11. 30. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles.
12. 13 In uno ſpiritu omnes nos. 971. 973, 975
12. 17. Si totũ corpus oculus ubi auditus, ubi odoratus? 335
12. 21. Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii. 1001
12. 25. Alia pro aliis ſollicita ſunt membra. 1394
12. 26. Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. 1001
12. 26. Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. 990
13. 1. Si linguis hominum loquar & Angelorum. 1294
15. 9. Ego autem ſum minimus Apoſtolorum, & non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. 743. 758
15. 19. Miſerabiliores omnibus hominibus. 880
15. 33. Corrumpunt mores bonos colloquia prava. 505
16. 21. Si quis non amat Dominum noſtrum Jesum Chriſtum, ipſe Anathema ſit. 586

EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.

1. 8. Supra modum gravati ſumus. 954
2. 15. Chriſti enim bonus odor ſumus. 106
2. 16. Odor vitæ in vitam. 845
3. 6. Spiritus eſt qui vivificat. 1004
4. 10. Mortificationem Jesu ſemper in corpore noſtro circumferentes. 245, 247
5. 4. Supra modum ingemiſcimus gravati. 954
7. 4. Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. 469
11. 23. In laboribus & ærumnis & vigiliis multis. 1392
11. 29. Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandelizatur & ego non uror. 388, 998, 1394
12. 7. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ. 522
12. 14. Non ero gravis vobis; non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. 1410

12. 15. Ego

Cap.Verſ. Pag.

12.15. Ego autem libentiſſime impendam & ſuperimpendar pro animabus veſtris. *ibid.*

EPISTOLA AD GALATAS.

2. 20.Vivo autem non ego, vivit verò in me Chriſtus. 1155
3. 28.Omnes vos unum eſtis in Chriſto. 981
5. 15.Quod ſi invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem conſumamini. 1002
6. 15.Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. 240,244

EPISTOLA AD EPHESIOS.

1. 3. Benedixit nos in omni benedictione. 549
2. 1. Mortui delictis & peccatis. 641
3. 17.In charitate radicati & fundati. 861.
4. 3. Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis 992
4. 4,& 5.Unum corpus, & unus ſpiritus ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ,una fides, & unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium. 981,995
5. 19.Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis. 595
5. 14.Surge qui dormis,& exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. 643
5. 15,& 16. Videte fratres quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus quoniam dies mali ſunt. 62
5. 18.Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria. 1189
5. 22.Mulieres viris ſubditæ ſint. 134
5. 25.Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. 830
5. 28.Viri diligite uxores veſtras ut corpora veſtra, qui uxorem ſuam diligit, ſeipſum diligit, nemo enim carnem ſuam odio habuit, ſed fovet & nutrit. *ibid.*
6. 5. Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto. 133
6. 12.Adverſus poteſtates tenebrarum harum nobis colluctatio eſt. 996

EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

1. 27.In uno ſpiritu unanimes. 980
2. 1. Si quæ ſocietas ſpiritus. 997
2. 7. In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. 581
2. 8. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. 906
2. 21.Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ JESU Chriſti. 1411
3. 8. Omnia arbitror ut ſtercora. 969
3. 13.Quæ retro ſunt obliviſcentes. 1033

Cap. Verſ. *Pag.*
3. 18. & 19. Multi ambulant quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt: quorum gloria in confuſione: quorum finis interitus. 905, 1395
3. 20. Converſatio in cœlis eſt. 273, 954, 1400
4. 3. Gaudete in Domino ſemper. 465

EPISTOLA AD COLOSSENSES.

1. 12. In partem ſortis Sanctorum. 362
1. 15. Primogenitus omnis creaturæ. 1218
1. 20. Per ſanguinem crucis ſuæ. 280
1. 24. Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea. 904
2. 3. In quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi. 1148
2. 9. In ipſo habitat omnis plenitudo corporaliter. 1133
2. 15. Et exſpolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans in ſemetipſo. 779
3. 1. Si conſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. 652, 951, 956
3. 5. Mortificate ergo membra veſtra quę ſunt ſuper terram. 904
3. 19. Nolite amari eſſe ad illas. 836
3. 22. Servi obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes quaſi hominibus placentes &c. 133

EPISTOLA I. AD THESSALONICENSES.

1. 6. & 7. Vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum, &c. 1413
2. 7. Facti ſumus in medio veſtri tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos. 1397
4. 3. Ut abſtineatis vos à fornicatione. 786
5. 2. Sicut fur in nocte. 178
5. 17. Sine intermiſſione orate. 542

EPISTOLA I. AD TIMOTHEUM.

1. 13. Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus. 1396
2. 4. Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 911
5. 6. Vidua quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt. 861
5. 14. Volo juniores nubere. 848
5. 17. Maxime qui laborant in verbo & doctrina. 1086
5. 23. Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum & frequentes infirmitates. 1089
6. 10. Radix omnium malorum eſt cupiditas. 863

EPISTOLA II. AD TIMOTHEUM.

1. 16. Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia

Cap.Verſ. Pag.

quia me refrigeravit, & catenam meam non erubuit, &c. 673

2. 9. Quaſi male operans pro Chriſti Evangelio: verbum tamen Dei non eſt alligatum. 225

2. 12. Si ſuſtinebimus & conregnabimus. 724

3. 12. Et omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. 864, 866, 884

EPISTOLA AD TITUM.

2. 2. Senes ut ſobrii ſint non multo vino ſervientes.

2. 11. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem, &c. 590

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

2. 9. Videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum. 723

9. 24. Ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. 919

10. 29. Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit. 1197

10. 36. Patientia vobis neceſſaria eſt. 884

11. 6. Credere enim oportet accedentem ad Deum. 1114

11. 34. Fortes facti ſunt in bello extinxerunt impetum ignis, obturaverunt ora leonum. 1239

13. 2. Hoſpitalitatem nolite oblivisci. 659, 666

Cap.Verſ. Pag.

13. 17. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. 129

EPISTOLA JACOBI.

1. 5. Qui dat omnibus affluenter. 1046

2. 13. Superexaltat enim miſericordia judicium. 1074

5. 17. Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, &c. 312

EPISTOLA I. PETRI APOSTOLI.

1. 15. Et ipſi in omni converſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt, ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. 1152

2. 2. Quaſi modo geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis ad ſalutem. 1397

2. 12. Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum: ſive regi quaſi præcellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum; laudem vero bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei. 131

2. 18. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. *ibid.*

2. 21. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus.

3. 1. Mulieres viris ſubditæ ſint, ſicut Sara obediebat Abrahæ. 143

Cap.Verſ. *Pag.*
4. 1. Et vos eadem cogitatione armamini. 1223
4. 15. Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 880
5. 8. Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide. 1392

EPISTOLA I. S. JOANNIS APOSTOLI.

1. 7. Lux mundi. 1113
2. 1. Advocatum habemus apud Patrem, JESUM Chriſtum juſtum. 915, 917, 919, 935, 942
3. 4. Qui non diligit, manet in morte.

EPISTOLA JUDÆ APOSTOLI.

1. 12. Arbores infructuoſæ bis mortuæ eradicatæ. 854
1. 12. Nubes ſine aqua. 1401

APOCALYPSIS B. JOANNIS APOSTOLI.

1. 18. Habeo claves mortis & inferni. 282
Cap.Verſ. *Pag.*
2. 4. Quia charitatem primam reliquiſti, movebo candelabrum tuum de loco ſuo. 180
3. 1. Nomen habes quod vivas, & mortuus es. 649
3. 18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias. 1145
4. 6. Et in conſpectu ſedis tanquam mare. 725
4. 7. Et animal primum ſimile leoni. 778
7. 9. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. 940
7. 14. Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna. 721
10. 6. Quia tempus non erit amplius. 60, 73
20. 1. Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem Abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, &c. 280
21. 1. Et vidi cœlum novum, & terram novam. 1355
21. 27. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. 1152
22. 17. Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. 1208

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM ET MEMORABILIUM.

Quæ in hoc primo Tomo Cœli Empyrei continentur.

A.

Pag.

ABraham virtute eſt ſenex 57
Ejus obedientia. 147, 160
Ejus eximia laus. 528
Hoſpitalitatis fuit exemplar. 663
Qualiter SS. Trinitatem adorarit. 1105
Abſentia per Magiam repræſentantur. 326
Abſolvere in mortis articulo quilibet ſacerdos poteſt. 290 *vide* ſacerdos.
Omnia peccata abſolvi poſſunt. 295
Etiam graviſſima. 301
Abſolutionis materia. 303
Acanthis avis conjugatorum ſymbolum. 18
Accipitres pullis albis magis inſidiantur. 12
Achan ob inobedientiam lapidatus. 128
Achæus Callicon. *vide* Avarus.
Adelheidis obedientia mirabilis. 156
Adæ quodnam peccatum. 122
Quamdiu fuit in Paradiſo? 125
Adam per ſuperbiam mente captus fuit. 414
Adoleſcentia cito præterit. 3, 4
Adoleſcens Indus concionatori illudens excœcatus eſt. 385
Adoleſcentes paulatim in vitia declinant. 74
Adoleſcentiæ libertatem noxiam exemplo probatur. 181
Admirabilia ſunt & delectabilia. 1103
Adverſa patienter toleranda. 886
Advocatus an teneatur patrocinium præſtare pauperi. 925
Advocatum agere pro cauſa pauperis, vicem gerit eleemoſynæ. *ibid.*
Advocatus injuſtæ cauſæ patrocinari non poteſt. 933
Advocati perfidi non ſalvantur. 940
Advocati qui lites torquent & trahunt. 938
Advocatorum corruptela. 935
Advocatis bonis tria ſunt ſanctitatis adminicula. 930
Ægidii obedientia. 153
Ægyptii cereo accenſo anniverſaria celebrabant. 198
Ægros cereus ſanavit. 189, 190
Ægrotus annos male præteritos tot roſariis compenſat. 65
Æſopi inſigne commentum, quo homines inſtar volucrum volare oſtendebat Spiritualiter in cœlum mentis noſtræ evolatum docet. 960
Ætas, *vide* ſenectus.
Ætas 20 annorum apud Romanos conſulatui adhibita. 58

Æter-

Pag.

Æterna quærere, eſt temporalia perdere. 64
Affectus nimius excœcat. 381
Agathæ de cruce caſtitas. 266
Crucis amor. 241
Agnus vellere purpureo natus, Chriſto applicatur. 1211
Agrippæ Regis de ſacerdotum dignitate ſententia. 615
Alaudæ Etymon & natura, & quomodo ei ſanctimoniales ſint ſimiles. 38
Septies de die canit. *ibid.*
Albertus Falckenbergenſis à Religione dimoveri nequit. 248
Alexander Magnus odorem bonum ſecutus, Abraham invenit. 843
E proſpera fortuna talem in inſaniam devenit, ut pro Deo adorari vellet. 712
Dies felices ſolùm computavit. 56
Alexandri Magni in ſe calumniantis manſuetudo. 793
Alexander tragœdum, lacrymas exprimentem, condemnat. 90
Natandi imperitiam deplorat. 165
Algarius Anglorum Rex oculis captus, & cur. 385
Alis qualiter ad cœlos oporteat aſcendere. 960
Alphonſus magnus in Reginam graviter offenſus, filiæ ſuæ in matrem pietate victus eſt, 815
Alphonſi Luſitaniæ Principis infortunatus caſus. 517
Alterna Amat Deus. 508
Alvarius Baſſanus Marchio, à Philippo Secundo Hiſpaniæ rege paucis verbis carptus obiit. 951

Pag.

Aloyſii Gonzagæ laudes à *pag.* 1318
Aman ſuſpenſio quæ dicatur. 247
Amantes nonnunquam amentes ſunt. 420
S. Ambroſii de proſperitate vitæ ſenſus. 718
Ambitio excœcat. 381
Ambitioſi cedro & rhamno comparati. 859
Amor Chriſti omnes attrahit homines. 87
Eſt magnes. *vide* Deus. 93
Omnes accendit. 190
Amoris Dei violentiâ Sethbaldus miles Burgundus interiit. 964
Amor divinus ſicut vinum inebriat. 1015
Amor inimicorum, Dei filios efficit. 1274
Amor conjugalis quis, aut qualis eſſe debeat. 829
Amoris Conjugalis inſigne exemplum. 832
Ancilla ad impudica à Domino allecta, repudiavit. 133
Ancillæ obediant Dominis; ſed nunquam in illicitis. 133 *V.* ſervus. & citra damnum aut periculum 157. *V.* obedientia. Suâ ſorte contentæ vivant. 333
S. Andreæ Apoſtoli ardens patiendi deſiderium. 900
Andreæ Burgundi aſſiduitas in choro. 36
Anima Chriſtum deſiderans à terrenis impeditur. 99. *vide* Peccator.
Anima ad recipiendum Chriſtum, qualis, & quibus virtutibus ornata ſemper creſcere debet. 256
Anima Hortus Domini. 261
Quomodo colendus. 261

Animæ

Pag.
Animæ periculum, patroni menſtrui auxilio evaditur. 364
Animarum curam paſtores ſedulò gerant. 298
Animarum perditio deploranda eſt. 388
Anima noſtra quomodo moraliter ſancta ſanctorum effici queat? 1144
auro charitatis & ſplendore gratiæ fulgeat? ibid.
Anima è corpore in Cœlum ſaltet. 1379
Animi dotibus quiſque ſit contentus. 338
Animalium fortitudo à minimis infirmatur. 210
Animalia demulſit Orpheus, 90
Qualia deſignent vitia. 91
Annæ imperatricis ex ſorte obventis ſententiis pietas. 366
Anniverſaria olim cereo accenſo colebantur. 197
Annus quot hebdomades, dies & horas habet. 3
Velox eſt, cujus ſymbola vide pag. 3
Ejus prima dies Romanis celebris. 5
Negligenter tranſactus, quomodo deaurari poſſit. 61
Quot habeat dies. 65
Anni derperditi, quî recuperari poſſint. 62. vide Tempus.
Anni male acti pro nihilo ſunt. 49.
Bene acti ſolum computantur. 49, 51, 56
Annulus magnete tactus alium attrahit. 98
Annulus quem Judas Thamar dedit, Peruſii aſſervari traditur. 495
Antigoni Regis in ſe calumniantis manſuetudo. 792
Antonius Regius, ſe ipſe cruci affixit. 241
Antonii nomine plurimi clari fuere. 1285
S. Antonius Paduanus cum aliis claris Antoniis confertur à pag. 1288, uſque 1294.
S. Antonius peculiaris patronus pro recuperandis rebus perditis. 1311
In omni neceſſitate patronus. 1295
S. Antonii lingua incorrupta à morte. 1394
S. Antonii in requirendis animabus perditis ſtudium. 1299
Apes Lilium & flores attrahunt. 166
Apoſtolorum obedientia. 150
Apoſtolorum cum Chriſto maris transfretatio, myſtice & moraliter pulchre explicata. 1234
S. Apollonia audax ad mortem. 1028
Aqua lateris Chriſti. 1198
Aqua ceratâ ægri curati. 189
Aquam Bethlemicam David ſitivit. 206
Aquæ uſus & proprietas. 1198
Ejuſdem ſumma dignitas. 1198
Araneam ſe quis optavit, ut hortos incoleret. 263
Araneis ſimiles peccatores avaritia ſeſe eviſcerando, inutili ſtudio tempus conſumendo &c. 49
Arborum plurimarum duplex ſexus. 829
Architectura ab hirundine tradita. 7
Artes ab avibus edoctæ. 6, 9
Arthemiſiæ in virum ſuum ingenioſus amor, amorem Chriſti repræſentat. 1133
Artocrea avibus plena in ſtrenam datur. 6

Pag.
Aſcenſio Chriſti quare admirabilis ſit, *pag.* 952. *vide* Chriſtus.
Aſcendere cum Chriſto Chriſtianus qualiter oporteat. 954
Aſcendere quiſque cupit, ſed quorſum attendat. 947
Atilii fortitudo. 218
Athenienſes erant valde curioſi. 704
Avarus ſtultus eſt. 410
Avari Achæi Calliconis riſu ridentur. 410
Avarus cæcus eſt. 379
Per nucem arborem adumbratur. 858
Avarorum mira inſania. 410
Avaritia ſenilis peſſima. 60
Retrahit à Chriſto. 100
Ex proſperitate naſcitur 714
Aves artocreæ incluſæ in ſtrenam dantur. 6
Diſciplinæ capaces homines erudiunt. 6
Artes tradunt. *ibid.*
Per eas naves reguntur. 8
Aves tres uno telo confixit Boullonius. 208
Aves virtutes edocent. 9
In eis paterna Dei Providentia elucet. 10
Avis in Strenam datur. 5
Ei Chriſtus comparatur. *ibid.*
Avis ad volandum, homo ad laborandum natus. 234
Avium in ſingulari quadam ſylva mors tempore paſſionis Dominicæ, & ad vitam reditus tempore reſurrectionis, peccatoribus adaptatur. 641
Avium noſocomium. 31
S. Auguſtinus Sanctiſſimæ Triados myſterium perſcrutans. 1099
Aula ſceleribus referta, horto delicioſo comparatur. 262
Auſtriacorum in præferendo cereo Ven. Sacramento laudanda conſuetudo. 193

B.

Bachanalia ſub pœna mandata. 424. vetita. 429.
Bachanalia à Romanis proſcripta. 403
Unde initium duxere. *ibid.*
Qualiter à primis Chriſtianis agi cœpta. 403
Bachanaliorum ritus à legato turcico irriſus. 404
Bachanalium abuſus, multorum heroica devotione impeditus. 391
Bachanalium tempore qualiter ſancti ſe afflixerint. 393
Bachanalium tempore mundus maxime inverſus & perverſus. 401
Balneatores bini fratres ſubmerguntur. 107
Barlaam ſeptuagenarius cur ſe 45 Annorum eſſe dixit. 51
Balthaſaris Babyloniæ regis convivium eleganter deſcribitur. 441
Baſilii Imperatoris Orientis crudelitas. 375
Beatitudo non in libertate conſiſtit. 115
Beati an in cœlo tripudiaturi. 1382
Bella vitia comprimunt. 709
D. Benedicti quæ Patria, qui parentes fuere. 529
Benedictus duodennis puer paternam domum deſerit. 530
D. Benedicti & Abrahæ Patriarchæ paralleli. 528
S. Benedicti Ordo plurimorum Pontificum parens, Imperatorum,

Pag.
rum, & Imperatricum, Regum & Reginarum ſpiritualis vitæ palæſtræ, 531, 539
S. Benedictus nonnullis antiquæ legis patribus comparatur. 546
S. Benedictus ut legislator alter quidam Moyſes eſt. 557
Benedictini in temporalibus opulenti. 552
Benedictinæ Regulæ varia encomia. 560
Speculum eſt, amuſſis, nervi & oſſa, forma &c. 561
Eſt ſcala in Cœlum, quæ & aliorum Ordinum Regulis non incongrue applicabuntur. 562
Beneficia Dei, quæ & quanta homini præſtentur. 95
Benjaminus quantùm præ cęteris fratribus à Ioſepho Ægypti prorege dilectus fuerit & honoratus, 745
Idipſum typice dilectioni Chriſti erga S. Franciſcum de Paula accomodatur. 746
Benjamina Tribus quare præ cæteris Deo gratior. 742
Ea quoque ſacro Minimorum Ordini comparatur. 744
In maximo illius Tribus excidio 300 viri ob D. Paulum ex eo orituro ſervati. 743
D Bernardi erga Cor Jeſu Devotio. 1167
Bernardus Pipini Frater ad fulgorem auri excœcatus eſt 379
Bercharii obedientia. 156
Berengaria omnibus deſpecta abbatiſſa creatur, 436
Bionis pulchrum monitum pro conſervanda pudicitia. 839
D. Bonaventuræ quis animarum zelus? 396
Bonitas Dei. *Vide* Deus, Beneficia.
Bona ſine libertate nulla. 118
In Borgiæ Familia ſors menſtrui patroni familiaris. 362
Boreali in parte ſex menſium nox. 171
Boullonius aves tres uno telo confixit. 208
Brachiorum in Crucem expanſio, efficax petitionis eſt medium. 109

C.

CAin primus civitatum conditor fuit. 254
Caji Caligulæ inſanus furor. 418
Calcis ſapore Jovinianus extinctus. 178
Calix Dominicæ Paſſionis ſpiritualiter inebriat. 1029
Canarienſis avis deſcriptio, quæ ſymbolum juventutis. 16
Candela *vide* Cereus, Lucerna.
Cantus eccleſiaſticus à Divo Gregorio magno reformatus. 552
Cantus quantum Deo placet. *ibid.*
Canonizatio ſanctorum moderna unde, & ſub quo Pontifice initium ſumpſerit. 550
Quid ſit. 551
Captivis incantatis dæmon perſeverantiam ſuadet. 184
Caput Chriſti. 1156
Cardoſus obedientiam plus vita æſtimavit. 167
Carceris fuga mirabilis. 302
Caro-

Pag.

Carolus Quintus Imperator cotidie exequias ſuas agebat. 1217

Caroli Quinti Imp. mors per Lilium præſignificata. 1281

Caroli Quinti Galliarum Regis filii inſigne reſponſum tribulatis inculcandum. 729

Carolus IX. Franciæ Rex pro æterno præmio laborandum docet politico ſuo exemplo. 721, 729

Caſtitas Joſephi Patriarchæ. 478 492

Caſtitas Balduini Imperatoris. 479

Caſtitas moderni ſæculi pulchre deſcripta. 492

Caſtitas in juventute mirabilior. 492

Caſtitas Conjugalis. 501

Eadē honeſtatem requirit. 504

Caſtiſſimum conjugium S. Ioſephi & Deiparæ. 505

Caſtitas morte potius eſt tuenda 133

Caſtanea arbor conjugum ſymbolum. 829

Caſtitas formoſitatem conſervat. 841

Catonis fortitudo 221

Catharina Senenſis, amore tribulationis accenſa, præ gemmea Corona ſpineam eligit. 722

Catenæ annulum ſingulis annis Iacobus Rex adjecit. 82

Catena beneficiorum. 96

Cauſidici cæci ſunt, qui à canibus ducuntur. 379

Ceada fovea apud Spartanos ſymbolum eſt lapſus & reſipiſcentiæ. 596

Cereo vita hominis ſimilis, & quomodo. 173 *vide* lucerna.

Cereus ſe ipſo extinctus hominem brevi extinguendum

Pag.

ſignificat. 178.

Cedri & vitis facetus apologus. 856

Cedrus ambitioſorum ſymbolum eſt. 859

Cereus in Baptiſmo datus ſignificat internam gratiam. 179

Cereo Chriſtus incarnatus, quomodo ſimilis. 185, 188

Manu geſtatus quid. 186

Laboris pro alio ſuſcepti ſymbolum. 188

Cereus Atrebati cuſtoditus ægros ſanavit. 189

Multis lumen participat. 190

Quomodo rectus & candidus eſſe debeat. 191 *v.* Chriſtus.

Cereum diabolo accendunt. 195

Cur Divis offerendus inſtitutus. 197

Cereo accenſo anniverſaria olim colebantur. 197

Curvati qui ſint. 192

Ceres Proſerpinam facibus quæſivit à Plutone raptam. 197

Cereus B. V. denotatur ob prærogativa. 198

Per eum Chriſtiani à gentilibus diſtincti. 199

A Romanis B. V. oblati inconſumptibiles. 200

Cereos offerre quanti meriti. 200

Mortualis cur traditur, & quid notat. 201

Ceraſus juventuti applicatur. 822

Rubicundus Ceraſorum Color pudicitiæ virginalis ſymbolum. 822

Ceraſorum origo memorabilis. 828

Cedenæ Urbis in recipiendis hoſpitibus conſuetudo laudabilis. 668

Charitas abſens mortem ſpiritualem in anima relinquit. 861

Chirotheca S. Cunegundis à ſolis radio

Pag.
radio in aere ſuſpenſa attenta fuit. 1135
Choreis mundi ſpretis ad cœleſtes anhelantis filiæ cujuſdam percelebris hiſtoria. 1384
Chriſtus avi comparatur. 5. Electro. 86. *vide* Deus.
Chriſtus incarnatus cereus eſt, manu geſtandus. 80
in Paſſione & venerabili Sacramento conſumptus. 185
Quando pro nobis conſumptus, manet inconſumptus. 188
Multis datus, manet integer tamen. 190
Ei in Sacramento cereus accendendus & præferendus. 193
Hominem perditum inquiſivit. 197
Flos eſt & hortulanus. 256
Sitivit ſalutem hominum. 207
Paſſione Cœlum aperuit. 281
Chriſti nomine quævis impetrantur. 314
Chriſtus reputatus ſtultus. 433
Chriſtus non invenit locum in diverſorio. 657
Chriſtus Dominus intra nos hoſpes receptus mira operatur. 674
Chriſtus omnia fere miracula in ſolis hominibus patravit & quare. 748
Chriſtus non invenitur ob tres cauſas. 1308
Cur in Martio ſanguinem ſuum effundere voluerit. 1120
Chriſtus lilium convallium aptè dicitur. 1265
Chriſti animę ſanctitas per unionem verbi. 1138
Per plenitudinem gratiæ infuſæ. 1139

Pag.
Chriſti animæ gratia tota ſimul infuſa fuit. 1140
Ipſius animæ communicatæ perfectiones. 1146
De ipſius intellectu & ſcientiis infuſis. *ibid.*
Chriſti perfectio & ſanctitas, voluntas. 1149
Chriſti oſculum in Euchariſtia. 1136
Sicque de ſingulis membris ejus, à *pag.* 1156 uſq; ad 1174
Chriſti corporis anatomia ſpiritualis. 1156
Oculi Chriſti. 1160
Caput Chriſti. 1156
Chriſti corpus in Euchariſtia, ſanat morbos corporis. *vide* Euchariſtia.
Sanat morbos animæ. 1175
Chriſti Domini ardens patiendi deſiderium. 897
A primo conceptionis inſtanti Chriſtus paſſus eſt. *ibid.*
Chriſtus Advocatus. 917
Chriſtus aquila volans, nos in cœlum volare docet. 960
Chriſti reſurgentis metamorphoſis. 629
Chriſtus quare à parentibus inquiri voluerit. 524
Chriſtus cur crucem maluit? 108
Ejuſque in cruce potentia. 109
Brachiorum expanſio. 109
Crucifixus quomodo omnia ſecum traxit. 108
Ejus obedientia, Adæ inobedientiam reſtauravit. 124
Suo lumine mundum illuminat. 185
Chriſti perſecutio in electro oſtenditur. 86
Velut electrum homines attrahit ſicut fœnum. 87
Ei ſemper adhærendum. 88
Ob humilitatem & amorē. 88

Pag.
Attrahit pulchritudine & lacrymis. 891
Chriſti lacryma Vindocini colitur cum miraculis. 90
Chriſtus Orpheus duros animorum lapides demulcet. 91
Chriſti amor magnes eſt. 93 *vide* Deus.
Cur in terram deſcendit. 104
Ut lilium apes attrahit, ſic hic peccatores. 106
Chriſtiani per cereum à gentilibus diſtincti. 199
Chriſtum per Paſſionem ſuam intraſſe in gloriam, quomodo intelligendum. 720
Chriſtianorum primorum concordia. 975
Chryſanthi obedientia. 155
Chriſtophori pueri rara martyrii fortitudo. 221
Ciconia nidum ardentem extinctura à flammis opprimitur. 11
Civitatis claves Deo ac B. Virgini traditæ. 318
Civitatum conditor primus fuit Cain. 254
Ciſta oratione præmiſſa aperitur. 314
Clara de monte Falco in corde paſſionem expreſſit. 40
Crucis amans. 896
Clavi Religioſorum qui. 243
Clavium neceſſitas. 281
Clavis cœli quæ. 281
Clavium dignitas. 284
S. Petro poteſtas clavium collata. *ibid.* 287
Claves domeſticas fideliter ſubditi curent. 285
Clavis opera datur Xaverio, ut ſuccurrat pauperi. 286
Clavis ordinis & juriſdictionis quæ & quibus datæ. 289, 291
Clavis ſcientiæ & potentiæ in confeſſario. 291
Pag.
Clavium poteſtati nullum peccatum irremiſſibile, 295
Claves cereæ, 302
Claves aureæ contritionis, 305
Claves orationis efficaces, pluviam impetrant, 311
Claves domus & urbis Deo ac Deiparæ oblatæ, 318
Claves cœlorum ſunt bona opera. 319
Clementis Epiſcopi Ancyrani horribile & diuturnum martyrium. 901
Cleomenes Rex Spartanus juventuti exercitium pugnæ ſemper eſſe voluit. 710
Cleopatra ex proſperitate inſanit, 712
Clitumni fluvii aquæ in dealbandis nigris ovibus arcana virtus. 1209
Cœlum vim patitur, 305, 311
Oratione aperitur, 311
Cœlum ſanctorum paradiſus, 254
Cœli via compendioſiſſima quæ? 729
Cœli aſpectu ſordet tellus, 273
Cœli claves quæ? 280
Floribus conſitum, 275
Cœleſtia immortalia, terrena ſunt mortalia, 273
Cœcus miſer, 374
Cœci ſpirituales eleganti paræneſi excitantur ut videant, 386
Cœcorum tria genera, 379
Cœcitas animæ miſerabilior cœcitate corporis, 377
Cœci cur Philoſophi eſſe voluerint, ſibi oculos eruentes, 158
Pauli cœcitas, orbis illuminatio, 158
Cœca ſit obedientia, 158
Cœcitate quidā puniti viſum mētis & corporis recepere, 385

Pag.

Cognati cur invicem nubere prohibeantur, 980
B. Coleta cur oculos in magno pretio habuerit, 1132
Colloquia prava caſtitati contraria, 504
Colnagi S. JESU pluviam impetrat, 313
Colores ſenſuum ſunt oblectamenta. 1258
Quinam antiquitus præ cæteris æſtimati. 1259
Quid ſignificent. *ibid.*
Albus color cæteris præſtat,& quare? 1261
Columba clementiæ divinæ ſignum, 494
Columba Spiritus Sanctus eſt, 495
Columbani mirabilis obedientia, 156
Communio ſpiritualis commendatur. 684
Sacramentalis nimis frequens aliquot rationibus diſſuadetur. 681
Frequens item communio ſacramentalis ſub certis tamē legibus itē ſuadetur, 687
Concionatori illudens excœcatus eſt. 385
Concionatoris ſermo ſit tonitru, vita fulgur. 1412
Seria tractent, 1415
Concordia civilis, 997
Concordia Religionem firmat, 977, 999
Concordia primorum Chriſtianorum, 975
Concordia & unio omnes res creatas reddidit valde bonas. 978
Concordiæ argumentum fraternitas eſt, 987
Davidis & Jonathæ inter ſe concordia, 989
Concordia, militaris exercitus firmatur, 993
Confeſſarius debet habere clavem ordinis & juriſdictionis. 289
Scientiæ & pœnæ, 291
In mortis articulo quivis poteſt abſolvere, 290. *vide* Sacerdos.
Confeſſarii cujuſdā in ſufferenda ignominia innocenti eidē inuſta, mira patiētia, 891
Confeſſio ridicula, 303
Ejus conditiones, 310
Confeſſio frequens ſalutaris, 308
Confitens doctum quærat confeſſarium, 293
Quidam confiteri recuſant, quare? 303
Conjuges ſint ſua ſorte contenti, 338
Eorum ſolatia, *ibid.*
Conjugium miſerum patienter toleratum, ſummum martyrium eſt, 238
Raræ patientiæ, 136
Conjugati martyres ſunt, 20
Quo vinculo ligati, *ibid.*
Eorum exemplum, 20
Conjugati Acanthidi quomodo ſimiles, 18
Eorum cruces, 19
Conjuges nonnulli caſtitatem ſervarunt, 500
Conſolationes divinas ex humilitate nonnulli recuſarunt. 696
Conſtantini Imperatoris exequiarum pompa, 1217
Conſtantini Imperatoris erga ſacerdotes reverentia, 615
Conſtantini Magni manſuetudo, 795
Conſtantinus leonem interemit, 212
Conſcientiam qui occludant, 303
Conſcientia rea ſēper pavida, 443

Bona

Pag.
Bona ſemper gaudet, 449
Conſuetudines pravæ dimittendæ, 638
Conſuetudine fimus peſſimi, 74, 181
Etiam optimi ſanctique, 80
Mala evellenda. 261
Contritio in neceſſitate ſufficit, & quid ſit, ejuſque poteſtas, 305, 306
Ejuſdem neceſſitas. 308
Et quā difficulter eliciatur, *ib.*
Contumeliæ quomodo vitandæ, 180
Continentia turturum, 22, 25
Qualis & viduarum ſit, *ibid.*
Contritionis fructus, 310
Contemptum proprium deſiderantes, Deus in hac vita honorat, 435
Converſio Lutherani, 67
Margarethæ Cortonæ. 66, 102
Pauli, Latronis, &c. 67
Mariæ Bonaventuræ, 68
Viri ab uxore per obedientiam, 137
Peccatoris, 305
Cor Jesu, erga illud plurimorum devotio, 1167
Corporis pulchritudo vana eſt, 477
Correctio peccatoris vi aut viſione fit à Deo, 102
Corpus humanum inſtar organi concordiæ ſymbolum. 975
Cor cui è tribus perſonis potiſſimum debeatur, 1120
Corporis Chriſti anatomia ſpiritualis, 1156
Corpus Chriſti in Euchariſtia ſanat morbos corporis, *vide* Euchariſtia.
Sanat morbos animæ, 1175.
Cretenſes ſortibus ſuis commutatis impatientes, 332
Crux clavis cœli, 280
Pag.
Crux eſt perpetua vita, 869
Crucis conditiones, 243
Ejus plurimi amatores, 240
Cruci ſe ipſos plurimi affixerunt, 240
Crucis Chriſti theſaurus per totum terrarum orbem diviſus, 896
Crucis ſignum omni omnino creaturæ impreſſum, 866
Crux omnes etiam hominum ſtatus infeſtat, 870
Crucis ſignum omni omninò homini impreſſum, 866
Crux Chriſti patienter ferenda, 895
Crux quomodo ſufferenda, 884
Crucis inimici acriter perſtringuntur, 903
Interiores cruces graviſſimæ, cruces ſunt triplicis generis, 879
Cruces variorum ſtatuum, 19
Cur crucem Chriſtus maluit, 108
Crux ſpes ſalutis, 725
Cruce ſua quiſque contentus vivat, 330
Cupreſſus mortis luctuſque ſymbolum, 846
Cupido à veteribus oculis orbatus depingebatur, & cur? 384
Curioſitas punita, 127
Futurorum, 325
Curioſitas hominibus innata, 704
Cynici Philoſophi in tumulando ſuo corpore mirus ritus, & quare? 401
Cynegiri fortitudo, 218

D.

DÆmon in agone & in captivis extrema tentat, 183, 184, 1240
Specioſa multa oſtendit, ut in ſen-

Pag.
ſententia ſint ſtabiles, 183
Ipſi multi cereum accendunt, & qui ? 195
Pœnitentibus illudit, 294
Pactum ejus quotuplex, 358
Quomodo ſacris ſe immiſceat, 359
Facere nequit ut mortuus vere reſurgat, 649
Damnati quantopere optent tempus perditum ſe poſſe recuperare, 72
Daniel puer quomodo ſenex, 58
David cur ſitiens aquam Bethlehemiticam effuderit, 206
David libidine infatuatus, 420
David ſtultitiam fingens à morte ſe exemit, 430
In Deo maxime delectabatur, 453
Variæ fortunæ exemplum, 513
Davidis in Jonatham amor, *vide* Concordia.
Delectationes omnes homines quærunt, 439
Deliciarum mundanarum contemptus à Deo recompenſatur, 452
Deliciæ carnis nauſeam, ſpiritus vero famem & ſitim generant, 454
Dentes cum ovibus comparati concordiã ſignificant, 1002
Deſperatione multi pereunt, 222
Nunquam & in nullo caſu deſperandum, 67, 81, 296, 305

DEUS.

Dei bonitas & providentia in avibus elucet, 10
Dei amor magnes eſt peccatores attrahendo, 93
Humilitate attrahit, 94
Beneficiis temporalibus & ſpiritualibus aliiſq; modis, 96
Gratiam ſuam cuique dat ſufficientem,
Deo ſervire libertas eſt, 118
Deus primus fuit Hortulanus, 254
Cur ſortes inæqualiter diviſerit, 334
Ejus jus in ſingulos, 334
Ab omnibus in Sponſum admittendus, 496
Ejuſdem rei exempla adducuntur, 497
Pro peccatoribus orationibus, aliiſque piis operibus placandus eſt, 387
Amat alterna, 508
Cur rerum permittat viciſſitudines, 522. 523
Ab anima deguſtatus non ſine gravi tormento amittitur, 694
Ipſius in anima abſentia Martyriũ quoddam eſt. 695, 1228
In tribulationibus nobis maximè præſens eſt. 698
Ad maxima minimos eligit, 757
Injurias omnes ſuis illatas pluſquam ſi ſibi illatæ eſſent, ulciſcitur. 770
Dei Patris in nos liberalitas. 1046
Dei Filii in nos liberalitas. 1047
Divinę liberalitatis proprietates. 1054
Deus largior in dando quam in promittendo. 1055
Magna ſemper dat, 1060
Ejus ſanctitas, 1136
Quot modis dicatur ſanctus, 1137
Cur Deus homo, 586
Quomodo ad imaginem Dei facti ſimus, 491
A Deo ſeparari quàm malum & amarum, 1227
Primum hominem perditum quærit, 1300

Pag.
Per peccatum perditus confeſtim requirendus, 1302
Dido ardere maluit,quàm nubere, 21
Dies Anni prima Romanis celebris erat, 5
Dies felices candido, infauſtos nigro calculo notant Thraces, 55
Dies peccati execrandus, 56
Dies virtutis ſolum computantur, ibid.
Anni dies quot ſint? 65
Dies Purificationis Plutoni olim celebris, 196
Ablactationis olim celebris 1318
Cur in die ablactationis gaudendum, ſenſu morali & myſtico explicatur, 1319
Dina ob vagationem violata, 13
Diogenis rara fortitudo & temporalium contemptus, 224
Diogenis ſtultitia, 417
Dionyſii Tyranni de vanitate mundani gaudii in Damocle ſumpta experientia, 444
Divinatio vide ſors.
Domini qualiter in ſervos fideles obligati ſint. 27
Dominis in illicitis obedire non licet 132. vide ſuperior, ſervus, Obedientia.
Dominis in dubiis rebus ſemper licet obedire.
Domus Claves à ſancta quadam Deo ac B. V. traditæ. 319
Dona hominum plus mercaturæ quam beneficentiæ continent. 1050
Dorothea florum patrona. 255
Virtutibus florida quotidie creſcebat. 257
Quomodo Chriſtum ſecuta nullis minis territa. 259
Dotibus animi quiſque ſit contentus, 338
Duello ſepties mille Cædes factæ impune & quomodo. 380

E.

Ebrietas vivi hominis ſepultura. 635
Qualiter à Veteribus per navim adumbrata ſit. 407
Ejuſdem fortitndo. 214
Ebrii ſunt ſtulti. 407
Ebrietas ſancta qualis ſit. 1013 item 1187
Ebrioſi per vitem adumbrantur. 856
Ebrietatis effectus. 1016
Ebrietas ſancta facit diſertos. 1017
Fœminæ quam execranda. 1018
Ebrietas ſpiritalis etiam in ſomnis facit diſertos. 1022
Ebrietas omne pandit ſecretum, 1023
Audaces facit. 1026
Oblivionem inducit. 1030
Ebrius quis dicendus ſit. ibid.
Eccleſia Chriſti eſt hortus. 261
Cur ita jactetur perſecutionibus.
In ea eſt Petri ſucceſſio. 288
Eccleſiaſtici Luſciniæ quomodo ſint ſimiles, 32
Electrum quid ſit, 87
Eleemoſyna veluti Lumen æternitatis viam præmonſtrat, 203
Eliæ Oratio valde efficax, 312
Elzearius Comes pauperum advocatus. 928
Ejuſdem circa Dominicam Paſſionem mirabilis viſio, 1220
S.Epiphanii inſigne factum in curanda avaritia, 380
Eſſeni non ætate ſed virtute præditos præferebant. 57

Pag.

Ethnici quomodo vitia extirparunt, 82

Euchariſtia, 457

Omnes in ſe complectitur delicias, *ibid.*

Eas nonnulli faſtidiunt. 461

In ea Chriſtus velut cereus quidam conſumptus fuit. 187

Multis datur, in ea Chriſtus integer tamen manet. 190

Candido animo ad eam accedendum, 19,1203

Cereus ei præferendus,&in hoc Auſtriacorum laudanda conſuetudo. 193

Ab ea ex humilitate aliquot diebus abſtinere,an vero eandem ex Charitatis fervore frequentius ſumere melius ſit,diſputatur, 678

Concordiam ſuadet & exigit animorum, 981

Lætificat mentem, 1042

Dei adinventiones in ea mirabiles, 1129

Erga eam quorundam fames & amor, 1149

Ejus mirabiles effectus per myſticam Corporis Chriſti Anatomiam explicantur, 1162 uſque 1170

Cur ex ejus frequenti uſu pauci proficiant, 1174

Sanat morbos corporis, 1175

Et animæ, 1176

Eandem viſitandi multorum devotio& praxis, 1180

Sub una ejus ſpecie tantum ſumitur quantum ſub utraque, 1195

Eſt Paſſionis Dominicæ ſignum repræſentativum. 1210

Chriſti exequias repræſentat. 1215

Martyres confortat. 1222

Cur de ea particulas domum conferre primis Chriſtianis permiſſum fuerit. 1223

Pellit Dæmonem è Corpere Energumeni. Fugatque illum ex animo moribundi. 1242

Cum laude & gratiarum actione ſuſcipienda eſt. 1246

Ejuſdem recipiendæ praxis, *ib.*

Infiniti eſt pretii, 1248

Gratitudo erga eam non ſolum ore,ſed opere eſt exhibenda. 1249

Quorundam in honorando ſanctiſſimo Sacramento mira munificentia. 1249

Evippus & Phocion in pœna ſocii. 1234

Euſtachius variæ fortunæ exemplum. 515

Exempla mala quantum attrahant. 106

Exempla fortitudinis, 219

Exercitia Religioſa quænam eſſe debeant? 70

F.

Famæ læſio patienter toleranda, 890

Hujus rei varia exempla. 891

Fames magna & inaudita in Italia. 554

Favonius Floræ Deæ connubio junctus, 259

Februarius unde dictus, 370

Februaria Quirinalia & Fornicalia olim dicta. 407

Februarius Plutoni & inferis dicatus, 197

Ferdinandi Secundi in Venerabile Sacramentũ pietas, 194

Feſta Hebræorum & Gentilium meliori ritu ad Eccleſiam traducta ſunt. 370,371

Fides cœcæ obedientiæ comparatur. 158

Fidei defectu quanta orta ſint

Pag.
Fiduciam in Deum aves nos edocent, 10
Filii Filiæque ſemper ſub curâ parentum ſint. 181
Illis noxia eſt libertas, *ibid.*
Filiorum erga parentes prompta obedientia, 143
Eorundem obedientia ſit cœca. 159
De iis plura *vide* verb. Puella & Juvenes præſertim, 11, 16
Firmamentum quantum diſtet à ſuperficie terræ, 953
Flora cur Romanis ita celebris fuerit. 255
Flores divinitus è Cœlo lapſi. 274
Florum amatores. 255
Floribus fruuntur Beati. 276
Flores Chriſti quales, 256
Flos Chriſtus eſt, *ibid.*
B. Felix Capuccinus abrasâ ad dimidium barbâ publico riſui ſe expoſuit. 434
Fœminæ Ebrietas. *vide* Ebrietas.
Fœnum, & Chriſtum, & hominem denotat. 87
Fortitudo Chriſtiana quæ, 209
Fortitudinis Corporalis variorum exempla, 209
Facile infirmatur in animalibus & hominibus, 210
Fortitudo vera quæ? 212
Mala quæ? 214. 222
Fortitudo Martyrum, 216
Romanorum vana, 218
Catonis, 221
Diogenis. 224
Socratis, 223
Fortitudinis act us ſunt pati & aggredi ardua. 233
Fortunæ variæ exempla, 506
Adverſa fortuna hominib9 plus prodeſt quam proſpera, 709
Fortunæ ſymbola uva & oliva ſunt. 718

Pag.
Fortunæ mirabiles ludi. *V.* Sors.
Franciſcæ Romanæ erga virum ſuum Obedientia. 20. 136
Franciſci Galliarum regis liberalitas, 1170
Franciſcus de Paula cœleſti prodigio depingitur, 324
Ejus laudes copioſe deſcriptas habes à *pag.* 741. ad 765.
S. Franciſci de Paula ortus cum D. Pauli progenie confertur, 743
Chriſti Benjaminus fuit, 746
Dens ejus Neapoli aſſervatus ad oſculum impuræ mulieris ruptus fuit, 752
S. Franciſcus de Sales Corpus ſuum teſtamento legat Medicis in Anatomiam. 1156
S. Franciſco Xaverio injurias patienter toleranti Imago Crucifixi compatitur, 772
Fraternitas, *vide* Concordia.
Fratres bini balneatores ſubmerguntut, 107
Frater pro converſione diſcoli fratris ſui Spiritum ſanctum invocans, eandem impetrat, 1122
Frater in carcere detentus miro aſtu ab altero fratre interemptus eſt, ut ſqualore carceris liberaretur, 1163
Fuga Carceris mirabilis, 302
Fulminis natura & potentia, 1416
Ejuſdem eventus aliqui mirabiles paſſim, 1417, 1419
Furor Caji Caligulæ, *vide* Cajus Caligula.
Furti recipiendi modus admodum ingenioſus & lepidus, 1306

G

GAlli quomodo pueros ad promptam Obedientiam compellebant, 144

Pag.
Gallinæ pullus puellarum ſymbolum eſt, 11
Gaudia honeſta licita ſunt, 446
Gaudia mundi triſtem habent finem, 447
Gaudendum ſemper, & videndū unde quis gaudeat, 440, 465
Gaudii continui modus traditur, 466
Gaudendum etiam in tribulationibus, 469
Gentilitas ante Chriſtum quanta pepererit ſcelera, 172
Germani cur impotentes contra Turcas exiſtant. 437
Gerſon legata præmiſit & quomodo? 203
S. Gertrudis qualiter vitæ ſuæ negligentias expiârit. 61
Goſwaldi ſervi cujuſdam fidelitas, 133
Gozonis Equitis in enecando horribili Dracone induſtria patientibus applicatur, 892
Gratia in Baptiſmo conferenda per Cereum ſignificatur, 179
Eam extinguit peccatum, *ibid.*
Gratia includenda eſt lucernæ timoris Dei, 180
Gregorii noni Pontificis Maximi in ſedando populo Romano prudentia, 1158
Griſeldis Villica à Marchione in ſponſam adlegitur 138
Grotii Calviniani cujuſdam mira fuga è Carcere. 302
Grues Grammaticam docuêre, ex earumque volatu Palamedes litteras finxit, 6
Gualtherus Marchio ruſticam in ſponſam elegit, 138
Guilielmi Elfinſthonii felix mors ob beneactam vitam, 54

H.

Hannibalis magnanimitas Juventuti applicata, 1327

Pag.
Hæretici omnis Crucis inimici. 903
Hæreticorum in corpus S. Franciſci Paulani ſacrilega Tyrannis, 752
Eorum ſymbolum & ſtrena eſt noctua, 43
Sunt filii tenebrarum, 199
Hemerocallis flos cum ſole oritur & occidit, 267
Henricus Secundus Angliæ Rex pacem cum uno ſacerdote ſe habere non poſſe palam profeſſus eſt. 132
S. Hermanni Joſeph Præmonſtratenſis eximia ſanctitas, 1275
Herodiadis Caput ſaltat in glacie. 1368
S. Hieronymus cur cum Leone depingatur, 805
Hirundo architecturę invētrix, 7
Qualiter nidum exſtruat, *ibid.*
Homo cur prius ploret quam rideat, 869
Hominem nullum ſine Cruce vixiſſe Democritus ridiculo invento probavit, 877
Naturaliter ſcire deſiderat, 947
Naturaliter aſcendere deſiderat, *ibid.*
Homo à Chriſto velut palea ab electro attrahitur, 87
Quas à Deo acceperit gratias, 198
Homo homini cur debeat obedire, 129
Cereus eſt & quomodo? 173
Homo à dæmone raptus à Deo rurſum inquiritur, 197
Homo brutus, 424
Ejus vita brevis, 266
Ad laborem & miſerias natus eſt. 234
Curioſus eſt futurorum, 325, 704
Homo homini lupus, 798, 1065
Honores à plurib. recuſati, 1266

Pag.
Hortus Semiramid. pretioſus, 255
Hortus Chriſti Eccleſia eſt, 261
Hortorum inordinati amatores, 262
Horti Mahometis, 272
Hoſpitia nonnunquam latronum ſunt ſpeluncæ, 655
Hoſpitia diverſa mundus habet, 656
Hoſpitalitas commendatur, 659
Præcipitur illa lege naturæ, veteri, & nova, 259
Gentibus commendatiſſima fuit. 659
Hoſpites cogendi ſunt, 660. ab injuriis defendendi, 662
Cum hilaritate tractandi, 663
Hoſpitalitatis inimici graviter à Deo puniuntur, 665
Hoſpitales variè à Deo remunerantur, 666
Mira Incolarum Provinciæ Camul hoſpitalitas, 668
Hoſpitio quodam receptus Maximilianus Bohemiæ Rex vitæ periculum ſubit, iis qui Chriſtum indigne ſumunt applicatur, 676
Hugolini Girardeſci proſperæ fortunæ ob inde enatam ſuperbiam ludibria, 712
Humanarum rerum varietas & inconſtantia, 515
Humana omnia ut flos marceſcunt. 270
Humanitas Salvatoris nobiliſſimum Beatitudinis Objectum poſt divinitatem, 584
Humilitas Franciſci Jojoſæi Galliarum Ducis, Capuccini, cauſam dedit converſioni perverſiſſimi cujuſdam hæretici, 673
Humilitas Chriſti omnes attrahit homines, 87
Humilitas exaltata, 256

Pag.
Hypocriſis *V.* Sanctitas ſimulata.

I.

JAcobo Patriarchæ, filii ejus omnes Crucem procurarunt, 872
Jacobus major, alter minor cur ſic dicti, 50
Jacob Obedientiæ Typus, 144
Jacobus IV. Scotiæ Rex Catenæ annulum ſingulis annis adjiciebat, 82
Jacobi Japonenſis Martyr. 226
Jacoponus exemplo uxoris mundo valedixit, 432
Ejuſdem inſaniæ ſanctæ facetum factum, *ibid.*
Ejuſdem Animarum Zelus, 389
Uxoris propriæ devotione converſus fuit, 432
Jahel Siſaram Clavo cõfixit, 246
Januarius à quo nomen ſortitus, 370
Japoniæ ſtatus circa Religionem, 211
Quantum in ea deſudet Societas Jeſu, 231
Japonenſes Martyres è Societate Jeſu, 231
Japonenſium ingens in Martyrio fortitudo, 226
Japonenſis mulieris erga nomen Jeſu & Mariæ devotio, 65
B. Ida ſolvendo Deo laudes Deum in ulnis ſuſcepit, 41
Jephtæ Obedientia minus prompta, 159
Jeroſolymæ vaſtatio myſtice animæ applicata, 1239
Jeſus ſumptus in Euchariſtia non facile dimittendus, 662
Item factus animarum noſtrarum hoſpes ab injuria quavis defendendus eſt, 663
Jeſum videre omnes deſiderant, imo & olim videre deſiderarunt gentes, 1130
Jeſus quomodo Magdalenæ exemplo

emplo ſit inquirendus. 1304
S. Ignatius in Monaſterio montis Serrati Spiritus primitias accepit, 564
Ignatii in ſuos diſcretio & in Deum fiducia, 1085
Ejuſdem in ægros charitas, 1088
Impatientes minutis rebus graviſſimè conturbantur, 881
Imperium carens Principe miſerum eſt, 130
Imperatorum coronæ cruci ſubjectæ, 874
Imprecationis horribile exemplum,
Impudens quis dicendus, 826
Incarnatio filii Dei amorem noſtrum in ſe provocat, 581
Eſt remedium carnalis concupiſcentiæ, 590
In incarnatione verbi divini tria mirabilia concurrêre. 580
Incarnationis divini verbi proceſſus pulchrè deſcribitur 568 uſque 502.
Indi plumarum opere pulchras efficiunt tabulas, 8
Ingenii dotibus quisque contentus ſit, 338
Infans quo anno ablactari ſolitus, 1322
Ingratitudo hominis erga Deum major eſt quàm beſtiarum erga homines, 808
Inobedientia primum Adæ peccatum, 123
Ex ea omne malum, 125
Ejus punitio, 161
Inſania ſancta quæ ſit? 430
Invidia manſuetudine temperanda eſt, 801
Joanna Luſitaniæ Regis filia pulchritudinis miraculum, & in repudiandis variarum nuptiis mira cõſtantia, 269
Joannæ à Cruce amor crucis, 241
B. Joannæ Principiſſæ Luſitaniæ erga cor Jesu imitanda devotio, 1167
S. Joannes Baptiſta quem ſaltum ſpiritualem egerit, 1364
S. Joannes à ſaltu vitam inchoavit, & ab impiis ſaltibus mortem accepit, 1367
S. Joannis Evangeliſtæ in perdito adoleſcente requirendo ſtudium, 1298
Joannes Martyr Japonenſis, 226.
Joannis de Rocca per S. Franciſcum de Paula mirabilis converſio. 749
Joannis Luſitani Regis in SS. Sacramentum pietas. 194
Jobum patientia Martyrem fecit, 236
Ejus filiæ tres, qualiter vocatæ ſint, 1113
Jonas inobedientiam duplici obedientia compenſavit, 63
S. Joſeph Sponſus Deiparæ, 476
Ejus pulchritudo cum illa veteris Joſephi Patriarchæ confertur, 487
Per omnem vitam proſperis & adverſis rebus excruciatus fuit, 507
Ejus typus fuit Patriarcha Joſeph. 506
S. Joſeph in calamitatibus Patronus ſingularis, 524
Ejus rei exempla, *ibid.*
Veteris Joſephi tunica ſanguine tincta, quid nobis myſterii referat, 1213
A qua fera devoratus fuerit, 800
Joſeph Patriarcha Chriſti imago, 630
Jovinianus Imperator vapore calcis extinctus fuit, 178
Ira nobilis cujuſdam Sileſii mirabiliter punita, 419
Iracundi ſunt ſtulti, 417
Eorund. cum ſtultis paralleli, *ib.*

Pag.
Ira brevis inſania dicta, *ibid.*
Ira, per quæ ordinarie in hominibus concitetur, 418
Iræ reſiſtendum, 215
Iſaac obedientiæ typus, 147
Iſidora humilis exaltatur, 435
Judices ſorte non ferant ſententiam, 351
Juriſtæ paulatim fiunt peſſimi, 76
Juriſperitorum dignitas, 920
Juriſperiti plurimi ſancti, 924
An teneantur patrocinium gratis præſtare pauperi, *vide* Advocatus.
Eorundem fraudes deteguntur, 931
Juſtificatio impii opus Dei maximum, 646
Juſtiniani Imperatoris triclinium aureum animæ applicatur, 1145
S. Ivo Juriſperitorum ſpeculum, 929
S. Didaco admodum devotus fuit, 930
Juvenes canarienſi avi ſimiles, 16
Juventutem Deo conſecrare optimum eſt, 1323

K.

KAlendæ Januarii Romanis celebres, 5
Kempis lectio fortuita commendatur. 357

L.

LAcrymari olim probroſum, & Tragœdus Alexandro lacrymas exprimens capite damnatus eſt, 89
Lacrymæ Heliadum in electrum verſæ, 90
Lacryma Chriſti Vindocini cum miraculis colitur, *ibid.*
Lacrymæ pœnitentium dulces, 455

Pag.
Lapſus Angelici & humani deſcriptio, 568
Lapſus & reſipiſcentiæ è vitio luxuriæ ſymbola ſunt, Ceada dehiſcens fovea & emedullatæ arboris hiatus melle exundans, 596
Larvati ſunt perſonati ſtulti, 423
Brutis ſimiliores, 424
A Deo puniti, 426
Latro cum Chriſto crucifixus Diſmas dictus ſine purgatorio ad cœlū pervenit, 730
Latro bonus qualiter Martyr dici poſſit, 885
Is fuit in converſione ultimus, & in cœlo primus. 67
Lætitia ſpiritualis, *vide* Gaudiū.
Laurus virginitatis ſymbolū, 836
Laurus in incendio Romano inter medios ignes ſervatus, virginum monitum eſt, 840
Laurus ſemper virens virginitatis mercedem indicat, 841
Legata ante mortem ſolvere multo tutius eſt, 203
Leo Imperator à Pſittaco è vinculis liberatur, 31
Dignas injuſtitiæ ſuæ pœnas dedit, 30
Leo bellua ſine dentibus quibus naturâ adhuc carebat, ovem cauda rapit, 75
Leonem Lyſimachus laceravit, 209
Fortiſſimus beſtiarum eſt, 780
Leo quidam cicuratus fuit, ut ad nullos canum latratus excandeſceret, à Chriſtianis imitandus eſt, 794
Leonis cujuſdam mirabilis manſuetudo, 797
Ejus in benefactores gratitudo, 805
Leoni cuidam exhibita gratia, ad divinam in nos beneficentiam

Pag.
tiam confertur, 806
Ibidem quoque mira & rara habentur de leonum in benefactores ſuos gratitudine.
Leopoldi Auſtriaci in Deum fiducia, 1238
Ejuſdem in SS. Sacramentum pietas, 194
In Libertate non conſiſtit beatitudo, 115
Quid & quanti ſit æſtimanda, 117
Vera libertas eſt obedire Deo. 118
Vitioſa libertas quæ? 119
Libertatis noxiæ in adoleſcentibus horribile exemplũ, 181
Liberalitatis raræ admirabile exemplum, 286
Liberalitas Dei, *vide* Deus.
Liberalitas non debet eſſe mercenaria, 1050
Liberalitas quorundam eximia, 1048, 1066
Liberalis nihil perdit, 1069
Liberalitas in egenos commendatur, 1063
Liberalitas Itali cujuſdam Genuenſis, 1076
Libidinis turpitudo & fœditas, 591
Libidinis peccatum certum reprobationis ſignum. 594
Libidinis peccatum infernus merito dicitur, 588
Libidinoſi qualiter puniti, 587
Libidinoſorum lamentabilis querela, *ibid.* 544
Per quereũ adumbrantur, 855
Libidinoſorum fœtor coram Deo & hominibus intolerabilis eſt, quod inſigni hiſtoriâ verificatur, 593, 636
Libidinoſis inſcripta adhortatio ut reſipiſcant, 595
Libidinis ſtimulis per Euchariſtiã quidã liberatus fuit, 1176

Pag.
Libri ſacri pro ſorte conſulendi, 357
Lilium apes attrahit, 106
Lilii deſcriptio & commendatio, 1256
Lilium inter ſpinas quid? 1270
Lilium convallium humilitatem deſignat, 1265
Lilium Salomonis gloriam ſuperat, 1279
Lilium ore ſuo produxit B. Benedictus Ordinis vallis umbroſæ, 1281
Linguæ igneæ in quibus Spiritus Sanctus apparuit, concordię ſunt ſymbolum, 991
Lothi uxor ob inobedientiam in lapidem converſa, 127
Lucerna Tulliolæ ultra 1500 annos arſit, 176
Imo perpetuo ardere quædam poſſunt, & inventę varię, 178
Lucernæ timoris Dei, gratiæ divinæ cereus includendus ne extinguatur, 180
Lucernæ quædam nullo modo extingui poſſunt, 181
Ludovico undecimo Galliarum Regi cor aureum à virgine oblatum virginibus applicatur, 1265
Ludovici Caroli Magni filii humilitas eximia, 758
Ludovicus ſecundus Hungariæ Rex, ſine pelle natus, 78
Lupercalia unde dicta, 370
Lupoldi Comitis per varios caſus fortuna, 509
Luſcinia, 32
Lutheri circa ætatem religioſo ſtatui aptam inſana ſententia, 1331
Lutherani cujuſdam mirabilis converſio, 67
Luxuriæ gradus paulatĩ altior, 75
Retrahit à Chriſto, 101

Pag.

Luxurioſi ſunt cœci, 383
Sunt ſtulti, 420
De hac plura, *vide* Libido.
S. Lyduvinę Virginis Chriſti paſſi mirabilis viſio, 1216

M.

MAchabæorũ fortitudo in tormentis, 219
Magærus hominẽ armatũ dentibus ſublatũ circumtulit, 209
Magi, *vide* Reges.
Magi non conſulendi pro rebus perditis, 1313
Magiâ abſentia repræſentantur, 326
Ejus rei terribilis tragœdia, 360 *vide* ſortes.
Magnanimitas in quo conſiſtat, 782
Omni hominum ſtatui neceſſaria eſt, 786
Magnanimitas & manſuetudo ambo in uno ſubjecto ſe bene compatiuntur. 790
Magnes Chriſti amor, 93
Ejus natura, ac quanti æſtimandus, à quo inventus, 93, 94
Non ſuſtentat Mahometis ſepulchrum in aëre, 99
Magnes quando ferrum non attrahat, 100
Magnetis attractiva virtus ferri, Euchariſtię applicatur, 1134
Mahometis Paradiſus, 272
Mala quare bonos magis infeſtent,
Manlius inobedientem victorem filium percuſſit, 129
Manus Chriſti myſticè explicatę, 1170
Manſuetudo Regis Antigoni, *vide* Antigonus.
Eadẽ Alexandri, *v.* Alexander.
Item Conſtantini Magni, *vide* Conſtantinus.
Marcella vidua, 22
Marci Monachi obedientia, 154

Pag.

S. Marcus Evangeliſta ſub leonis typo variis Encomiis celebratur, 778
Ejus exemplo gratitudo in Deum & homines commendatur, 909
Margarethę de Albouſe erga diem baptiſmi ſui devotio, 1106
Margarita Maximiliani Secundi Imperatoris filia, magna crucis Chriſti amatrix, 909
Margarethæ Cortonæ admirabilis converſio & opera. 66
S. Maria Virgo Deipara, Cereo ægros curat. 189 *v.* Purificatio.
Maria lux ſole ſplendidior, 198
Ejus prærogativæ in cereo explicantur, *ibidem.*
Ab adoleſcentibus in Sponſam admittenda eſt, 496
Eſt gemma ſingularis, 495
S. Joſephò virtutes tribuit, 495
Mariæ cum S. Joſ. colloquia, 505
Per novem horas Archangelum Gabrielem in Annuntiatione detinuit, 574
Ejus conſenſus exſpectabatur in Incarnat. divini verbi, 575
Ejus datum reſponſum *Fiat* in Incarnatione, mirabilius prope fuit quàm divinum *Fiat* in mũdi creatione, 579
Maria Virgo concepto verbo facta eſt Dei Mater, 598
Ejus ſumma dignitas, 599
Ejus Maternitatis titulus quid nobis proſit, 600
Ejus miſericordia inſigni hiſtoria comprobatur, 600 *vide* Puella.
Eſt Miſericordiæ Mater, 601
Quos proprie lactârit, 604
Mariæ devotus ab eadem largiter remuneratur, 605
Ejus ope diabolo mancipati mirabiliter liberantur, 607

Maria prima fuit quæ Chriſtum vidit reſurgentem. 631
Mariæ Magd. peccatricis exemplum in quærendo Jeſu, 1305
Marię Magdalenę de Pazzis Carmelitanæ Animarum zelus qualiter à Deo remuneratus, 389, 393
Fortitudo ſpiritus ejus, 697
Qualiter à diabolo infamata fuerit, 893
Ejus mirabilis viſio de latere Chriſti, 1206
Maria Medicæa Galliæ Regina, Crucibus innumeris afflicta, 874
Maria Aurillot ſpeculum conjugatorum, 20
Mariæ Bonaventurę converſio & vitæ exercitia, 68
Maritus unus ſepelivit viginti uxores, 25
Mariti erga uxorẽ obligatio, 1079
Martyres pro tormentis gaudium obtinuere, 275
Sunt milites, 208
Eorum fortitudo in quo conſiſtat, 216
Eorum tormenta varia, 219
Japoniæ infiniti, 231
Martyres quomodo omnes eſſe poſſimus, 233
Incruenti qui, 236
Martyrium pueri deſiderantes conſequuntur, 227
Martyrium Caroli Spinolæ, 232
Maryrium eſt virtus omnium excellentiſſima, 240
Eſt vita religioſa, *ibid.*
Eſt humana, 869
Maternus amor in avibus videtur, 10
S. Matorii viſio circa recipiendos hoſpites, 664
Matres filiis ſemper ſint præſentes & ut pullos eos ſollicite cuſtodiant. 12
Earum officium, *ibid.*
Prolẽ natã Deo cõſecrent, 1323
Earum ſolatia in morte parvulorum, 1343
Duæ Matres Romanæ quarum una impatienter, altera ęquanimiter filii mortẽ tulit, 1346
Matrum ſolatia in morte parvulorum qui ſine Baptiſmo moriuntur, 1351
Matrum in filios affectus tenerior, 604
Matrimonium *vide* Conjugati.
Matrimonii Crux. 18
Matrimoniũ viri cujuſdã viginti uxores ſucceſſive, & mulieris viginti duos itidẽ ſucceſſive Maritos habentis, 23
Matrimonium malum quale, 136
Matrimonium ſtatus ſanctus, 341
Similiter tribulationibus eſt plenum, 835
Ejuſdẽ Cruces ſpecificatæ, 871
Verum inter conjuges virgines exiſtit, 501
S. Matthiæ Apoſtoli ſors in Deo & qualis fuerit, 328
Ejus Martyrium, 330
S. Maurilii Cura animarum, 298
Maximiliani Bohemiæ Regis in vita ſua defendenda factũ generoſum. *v.* Hoſpitium.
Memoria, 1030
Solius Dei habenda, 1040
Memoriæ portentoſæ, *ibid.*
Memoriæ jactura, *ibid.*
Mendicandi lepidus nec minus Religioſus modus, 767
Merovæi ſortes Conſultoriæ punitæ, 355
Mezentii Tyranni immane tormentum peccatoribus applicatur, 635
Militares ſortes. 353
Milvus flexu Caudæ rem nauticam tradidit, 8
Miraculis Deus homines attrahit, 103

Pag.

Miſerias humanas Chriſtus omnes attraxit, 110
Ad miſerias nati ſumus. 234
Eas contemnere fortitudo eſt, 213
Miſeria humana in felicitatem in Cœlis convertitur, 275
Miſericordia in egenos aliquid de Deo communicat, 1062
Ejus mira præ cæteris virtutibus efficacia, 1074
Morbi patienter tolerati Martyrem efficiunt, 236
Mores boni paulatim in malos commutantur, 74
Mori potius quam peccare debemus, 132
Morio Henrici Regis Galliarum ſimulata ſtultitia centum Piſtolas lucratur, 407
Mors peccati duplex eſt, 645
Mors varia, 266
Mortis memoria temperat vitia, 747
Mortis agonia patienter à Religioſo quodam tolerata purgatorii pœnas exſolvit, 732
Mortuorum cum Chriſto reſurgentium myſtica & moralis expoſitio. 634
In Mortis articulo quivis ſacerdos poteſt abſolvere, 290
Mortis tempus quodnam, 173
Mortis diſcrimen Patroni menſtrui auxilio ceſſat, 363
Moniales duæ habitum ementitę inter Capuccinos vixerunt. 424
Monialis Clauſtra deſerens à Deo punita, 249
Mulier formoſa periculoſa eſt, 478
Mulier cur non ex terra ſed ex coſta viri formata, 980
Zelotypa mulier gravis Crux eſt, 871
Mulier Cyathum ſemper ebibit

Pag.

& cur, 448
Muliere ebria nihil turpius, *ib.*
Mulieres mortaliter peccant quæ ſe ornant ut alios pelliciant, 486
Mulier ridiculo ſtratagemate mariti continuatam ebrietatem corrigit, 408
Mulieres quædam ſingulariter ſtultæ, 415
Inſigne de ea re exemplum, *ib.*
Mulieres veſte virili non utantur, 424
Forma & ſtatura Corporis contentæ ſint, 335, 336
Mulierū ſervitus morte gravior,
Mulieris cujuſdam rara obedientia, 137
Mundus inverſus & perverſus, 401
Mures ruinam domus ſentientes fugiunt, 59
Murmurationis indignitas comparatione picturæ exponitur, 336

N.

Naturæ duæ rationis compotes à Deo creatæ, 569
Naves per aves impoſitas reguntur, 8
Naviganti obediens comparatur, 164
Nauticam rem milvus flexu caudæ tradidit, 8
Natantibus obediens comparatur, 164
Natandi imperitiam deplorat Alexander, 165
Nazarenus quid, 256, 259
Neronis per exungues & cicuratos Leones aulicis ſuis incuſſus terror, eidem qui adhuc delicatulis Chriſtianis ineſt, pulchre accomodatur, 784
Neceſſitate ad delenda peccata qua-

Pag.
qualis ſufficiat contritio, 306
Neceſſitati utilis oratio, 315. *vide* miſeria.
Ad deteſtanda compellit, *ibid.*
Nobilitas vana eſt, & morte tranſit, 268
Noctua hæreticorum ſymbolum & ſtrena, 43
Noſocomium avium, 31
Novati hæreſis, 296
Novellarum curioſitas, 325
S. Norbertus candidam ordinis ſui veſtem à B. Virgine accepit, 1261
Ejus progenies, 1266
Ejus humilitas, *ibid.*
Ejus in tribulationibus conſtantia, 1270
Occultas fraudes detegit, 1271
Ejus in perferendis injuriis patientia, & inde enati fructus, 1272
Ejus in dæmones imperium, 1276
Adamitarum hæreſin oppugnavit, 1276
Norwegis ſine vino ſacrificare permiſſum, 1194
Nox ſex menſium in parte Boreali, 171
Nubes quid in ſcriptura deſignent, 1399
Nuptiæ ſecundæ cur diſſuadentur, 24
Nutricum mores ordinarie cum lacte imbibuntur, 605
Nux arbor avarorum ſymbolum, 858

O.

Obedientia Chriſti reſtauravit inobedientiam Adæ, 123
Obedientia *Pauli*, 117
Abrahæ, 146
Jephtæ minus prompta, 149
Apoſtolorum, 150
Scoti, 150
Religioſorum. 151
Huic opera bona poſtponenda, 151
Quæ ſit optima, 152
Obedientia Ægidii, 153
Et alterius, 153
Perfecta imperfecta relinquit, 155
Etiam imperfectam litteram, exemplo Marci monachi &c. *ibid.*
Militaris, 155
Obedientia ſit citra periculum, damnum &c. 156
Sit cœca, 157
Cœca fidei comparatur. 158
Summa eſt ſapientia. 159
Debet eſſe ſine diſquiſitione, *ibid.*
Sanat morbos. 163
Obedientia Annæ de. S. Bartholomæo. 163
Obedientia quid eſt. 164
Plus vita æſtimata eſt. 166
Ducit immediate ad cœlum. 168
Religioſa eſt clavis ad cœlum. 243
Obedire Deo vera eſt libertas. 118 121
Inobedientia prima ſervitus, 125. *vide* inobedientia.
Obediendum ſuperioribus. 129
Etiam diſcolis, 130
Servi obediant Dominis, 131
Contra Deum præcipienti nunquam obediendum. 132 133
Obedire homo homini cur debet. 129
Uxores maritis. 135
Obedientiæ raræ mulieris erga maritum exemplum. 137
Pueri obediant parentibus 143
Omnes Deo. 145
Oblivio rerum ſaluti noxiarum

Pag.
quid cauſet. *vide* Spiritus ſanctus.
Obtemperans naviganti, natanti, & cum tondendis comparatur. 164
Occaſio libidinis vitanda. 424
Oculus Corporis pars pretioſiſſima. 372
Oculi *vide* Chriſtus.
Oculi *vide* Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli de iis multa, *Pag.* 1390
Oculi lumina & flumina, 1392 1395
Oculos cur ſibi philoſophi eruerint. 158
Odo Cluniacenſis. 600
Odor virtutis quis. 106
Officia ſorte diſtribuenda. 351
Olympiæ viduitas & pietas laudata. 23
Oliverii Manaræi è Soc. Jeſu egregium factum pro tollendis bacchanalibus. 391
Opera bona, *vide* virtutes.
Opera mala bonis compenſantur. 63
Opera bona obedientiæ poſtponenda. 152
Opera pietatis, tempore quo gravius in mundo peccatur, Deo gratiſſima ſunt. 394
Opera verbis reſpondere debent. 209
Opera bona claves cœlorum, 319
Corporalia, quando claves cœlorum ſint. 322
Opifices ſua ſorte contenti. 335
Opilio quomodo magnetis inventor. 94
Opus paulatim perficitur. 79
Oratio cœlum aperit. 311
Oratio Eliæ efficax. 312
Pluviam impetrat. 313
Oratio utilis neceſſitatibus. 315
Oratio jaculatoria modus eſt ſpiritualiter in Cœlum aſcendendi. 965
Ejuſdem variæ praxes. *ibid.*
Orationis deliciæ. 451
Orbis terrarum cœcis undique plenus. 378
Ordinis clavis, *vide* ſacerdos.
Ordo ſine juriſdictione & virtute nullus eſſe poteſt. 290
Organum familiæ domeſticæ ſymbolum. 978
Orpheus ſaxa Thebas convenire, arbores, feraſque demulcere potuit. 90

P.

PActū dęmonis quotuplex. 359
Pachomius è Chriſtianorum hoſpitalitate ad converſionem uſq; ædificatus fuit. 659
Palamedes ex gruum volatu litteras finxit. 6
Paleæ ab electro trahuntur. 87
Palmam crucis Chriſtus aſcendit. 112
Parentis cujuſdam ut filiarum lucraretur benevolentiam aſtutia. 824
Parentes bene ſibi provideant, ne in ſenectute filiorum gratiâ vivere cogantur. 813
Filiæ ethnicæ cujuſdam in matrem pietas.
Parentes filios ſuos immatura morte ſublatos nō lugeant, 1343
Parentes filios & familiam debent in virtutibus excolere, 265
Parentum in filias curæ quantæ eſſe debeant. 12, 16
Exemplis familiam regant. 105
Puerorum erga eos obedientia. 143
Parentibus quid debeant filii. 811
Parvuli ſine baptiſmo morientes an careant pœna ſeſus. 1252
Item

Pag.
Item de ſtatu parvulorum ſine Baptiſmo morientium. *ibid.*
Parvuli non baptizati quam pœnam damni ſubeant. 1253
Parvulorum locus quis ſit poſt diem judicii. 1355
Paradiſi auctor primus Deus 254
Ejus præſtantia. *ibid.*
Mahometis Paradiſus imaginarius. 272
Paſſio Chriſti horis Canonicis applicata. 39
In ea velut cereus fuit. 187
Paſſio Chriſti Clavis eſt cœli. 280
Paſſionis Dominicæ memoria ſub ſacrificium ſeu Euchariſtiæ ſumptionem Deo gratiſſima. 1219
Quos fructus nobis adferat, 1220
Paſtores in ſubditas animas curas habeant. 298
Paſtores animarum ſe ut nubes effundant, propriæ non ſtudeant utilitati. 1404
Sint patres benigniſſimi. 1417
Sint fulmina lambentia, non percutientia. *ibid.*
Pater familias ſit liberalis in domeſticos. 1078
Patientia mala quæq; alleviat. 884
Ubi de adverſis fortunæ, de morbis patiēter tolerandis.
Patientia Tobiæ. 341
Aliorum ſanctorum. 348
Podagræ remedium. *ibid.*
Patientiâ martyres efficimur. 233
Iobi, 236 *vide* fortitudo, ſors.
Patientiæ in convertendis infidelibus ſumma vis. 1273
Patroni menſtrui ſors. 362
Adeſt auxilio in mortis diſcrimine. 363
In animæ periculo. 364
Praxis eum colendi. 365
Virtute honorandus. 365
Pavo philomelæ cantum expetit. 331

Pag.
Paulus Apoſtolus ab ortu ſuo commendatur. 743
Fuit obedientiæ typus, 117
Ejus cœcitas orbis illuminatio. 158
Paulus Japonenſis. 206
Ejus Martyrium. 226
Paulæ viduæ Romanæ abſtinentia. 449
Pauper poteſt eſſe liberalis animo. 1072
Peccator ſemper timet. 443
Peccator ſtultus. 405, 426
In converſione Magdalenam imitetur. 1173
Peccator iterum crucifigit Chriſtum. 372
Cœcus eſt. 377
Peccatoris converſio. 305
Peccator doctum quærat confeſſarium. 293, 294
Cur conſcientiam occludant. 303
Ejus ſpeculum. 307
Peccator velut araneæ quomodo vivat dies. 50
Nunquam repente peſſimus. 74
Peccator malam vitam bona recuperare poteſt, & debet. 63
Peccator quomodo à Chriſto attrahatur. 93, 97, 103
Quomodo impediatur. 100
A Chriſto recedendo. 100
Avaritiæ luxuriæ, gulę & temporalibus ſtudendo. *ibid.*
Quibus mediis ad Chriſtum trahatur. 101, 109
Et terrificis objectis. 102
Miraculis, verbo, exemplo. 103
Peccatoris & ſtulti proprietates. 405
Peccatoris ſtatus abſurdiſſimus. 634
Pecca-

pag.
Peccatores per arbores autumnales adumbrantur, 854
Peccatores ultimi quomodo primi eſſe poſſunt. 66
Tempus perditum quomodo vellent in altera vita recuperare. 72
Peccatores quantum punientur. 128
Peccatores Dæmoni cereum accendunt. 195
Peccatum virtute compenſandum. 207
Peccatum omnem mentis guſtum & ſaporem tollit, 463
Peccatum mors animæ. 643
Peccatum carnis orbem perdidit.
Peccatum quodnam primum Adæ? 122, 123
Eſt ſemper contra Dei voluntatem. 123
Et ex noſtra inobedientia. 124
Gratiam extinguit. 179
Peccato mors anteponenda. 133
Peccata paulatim evellenda. 80, 261
Peccati dies execrandus, 56
Nullus eſt. *ibid.*
Quanta invexit mala, 122
Peccata quanta defectu cognitionis rerum divinarū orta. 172
Peccatis ſuperiorum ocedire non licet. 132
Eorum frænum timor Dei. 133
Peccatorū ridicula confeſſio. 303
In neceſſitate remittuntur confeſſiones. 306
Peccata omnia à ſacerdote remitti poſſunt. 295
Cur quædam tacentur. 303
Peccatis omnes obnoxii. 352
Pedes Chriſti myſtice explicati. 1173
Perfectio paulatim acquiritur. 79
Quæ compendioſiſſima. 120
Periculo mortis & animæ eripit patronus menſtruus. 363 364
Periculum fugiendum. 133, 157
Perſecutio parit beatitudinem 275
Petitionis efficax eſt medium brachiorum in Cruce expanſio. 109
Petra quædam Virginis Deiparæ lacte emollita. 606
Petrus & Paulus Apoſtoli duo mundi oculi, ab aliis duo ubera vocantur. 1390
Cur ubera dicti. 1397
Nubibus comparantur. 1399
Petrus & Paulus ſunt fulgura. 1411
D. Petro poteſtes clavium collata, qualis dignitas? 284
Petri ſucceſſio demonſtratur. 288
Petrus Vellejus pauperi rara quadam liberalitate ſuccurrit. 286
Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis de capta Antwerpia lætitia. 705
Ejuſdem Regis manſuetudo. 804
Philippi macedonis tria fauſta nuntia. 706
S. Philippus Nerius caſtos ab incaſtis odoratu novit diſcernere. 594
Ejus erga cor Chriſti devotio. 1167
Ejuſdem geſta ſtulta amore contemptus. 434
Philoſophi cur oculos ſibi eruerint. 158
Philippidis velocitas. 4
Philomela muſicam tradit. 7
Philomelæ ſimiles eccleſiaſtici & Religioſi. 32
Earum in cantu contentio. 33 34
Semper vigilat in ſomnis. 37

pag.
Pictoris cujuſdam ingenioſum inventum pro agnoſcenda mercatoris cujuſdam effigie. 402
Picturæ comparatione murmuratio exponitur. 336
Pictor venetus S. Franciſci de Paula oculos depingens ſubito expirat. 740
Pii V. Papæ de ſummo pontificatu pius ſenſus, 1267
Plutarchi ingenioſus de lupo apologus, in Eccleſiaſticorum Præſulum negligentiam ſtringitur. 787
Pluviæ clave orationis impetratæ. 312
Plumis Indi tabulas conficiunt. 8
Podagræ remedium patientia. 348
Politia quo magis indiget? 130
Polydamantis fortitudo. 209
Polyphemus gygas quo ſtratagemate ab Vlyſſe occiſus. 407
Pomelia maritum obedientia convertit. 136
Pontificum ſucceſſio. 288
Populus arbor ſenectutis ſymbolum. 848
Quid de colore hujus arboris fabulentur Poëtæ. 849
Porcius Romanus peroraturus in initio plane obmutuit. 917
Potamiœna Virgo, mori potius, quam peccare voluit. 133
Poteſtas Eccleſiaſtica per claves deſignata penesquem. 283 *vide* ſacerdos.
Pœnitens in neceſſitate quomodo contritione peccatum deleat. 306
Ejus exempla, 307
Pœnitentiæ procraſtinatio quam periculoſa ſit, duabus horrendis hiſtoriis comprobatur. 1308, 1309

Pag.
Pœnitentiam differre ad mortem, quale peccatum. 308, 309 *vide* contritio.
Pœnitentiâ mala vita recuperari poteſt. 66
Etſi ſera quantum proſit. 67
Non differenda. 73
Pœnitentia libidinis ſordes extergit. 597
Præcepta Dei facilia. 126
Et tamen tranſgredimur. *ibid.*
Eorum tranſgreſſores quantum puniti. 127, 128
Prædeſtinatio aliquibus ſanctis certo ſignificata fuit. 706
Præmonſtratenſis Ordo in primo vigore ſemper perſtitit. 1262
Principe imperium carens miſerum eſt, 130
Iis obediendum eſt. 130
Principes ſervorum moribus paulatim depravantur. 76
Providentia divina in avibus elucet. 10
Hæc omnia diſponit. 338
Proſerpina à Plutone rapta quid. 196
Proſperitas ſuperbiam & inſaniam cauſat, quod ſacris & prophanis exemplis comprobatur. 711
Avaritiam cauſat. 714
Luxuriam excitat. 714
De Proſperitate D. Ambroſii cenſura. *vide* Ambroſius.
Protogenis miraculum venuſtatis animæ ſine gratia, & compto corpori applicatur. 643
Pſittaco ſervus quomodo ſimilis. 27
Orat Ave Maria, Symbolum Apoſtolicum. 28
Leonem Imperatorem è vinculis liberat. 31
Puella per ſacram Euchariſtiam à Dæ-

Pag

à Dæmone liberata, *vide* Euchariſtia.
Puella Dæmoni devota, miſericordia B. Virginis convertitur. 607, 608
Puellæ innuptæ nunquam Dominæ dicuntur. 499
Puella longius evagata, facta eſt ſaga. 14
Puellæ Gallinæ pullis ſimiles ne evagentur. 12, 180
Earum in hoc periculũ. 12, 180
Pueri quomodo ſenes, & ſenes præcedant. 57
Pueri martyrium deſiderantes, conſequuntur. 227, 228
Puerorum erga parentes obedientia. 143
Pulchritudo Chriſti quanta. 89
Pulchritudo vana & fragilis. 266 270
Ejus miraculum Joanna Luſitana. 269
Pulchritudo illex amoris eſt. 477
Pulchritudo Corporis, *vide* Corpus.
Pulchritudo humana Dei donum eſt. 489
Pulchritudo animi, Corporis præſtantior. 490
Pulchritudinẽ corporis, ut luxuriæ periculum evaderent, nonnulli defœdarunt. 481. 483
In Purgatorio quanti tempus perditum recuperetur. 72
In Purificatione V. M. cur cereus offertur. 186
Ea dies olim Plutoni celebris. 196
Cur inſtituta. 197

R.

RHamnus ambitioſorum ſymbolum 860
Recreatio licita quæ ſit? 430
Redemptionis humanæ conſiliũ eleganter deſcribitur. 568
Reges Magi quomodo à Chriſto attracti. 93
Veluti annuli magnete tacti alios attraxerunt, 98
Religioſi quomodo Philomelæ ſimiles. 32
Eorum in Choro inſolentia punita à Chriſto. 36
Quomodo annos negligenter tranſactos deaurare poſſint. 61
Eorum exercitia qualia eſſe debeant. 70
Quando & in quibus ſuperioribus obedire debeant. 129
Vita Religioſorum Crux & perpetua. 238
Quando mundo Crucifixi. *ib.*
Quibus clavis Crucifixi ſint. 243
Sint ſua ſorte contenti. 338
Semper habent cauſam gaudendi. 268
An ex una Religione ad aliam tranſire liceat. 342
In quo rigor religionis conſiſtat. 346
S. Remigii in converſione, Clodovæi Francorum Regis egregium factum. 1108
Rerum divinarum quis verus hæres cenſendus. 544
Reſurrectio Spiritualis qualiter fiat. 636
Ad eandem exhortatio. 641
Efficax duplex eſt. 645
Ejuſdem ſigna & effectus. 646
Reſurgentis ficte hiſtoria, 649
Robertus Salentinus ſeipſum Cruci affixit. 240
Romanis ſortes conſultoriæ celebres. 353
D. V Cereos inconſumptibiles offerunt. 200

Va-

Pag.

Variorum Romanorum fortitudo. 218
Roſa vitæ ſymbolum. 270
Cur ſpinis circumſepta. 218
Roſariis infirmus quidam tot annos male præteritos compenſat, quot vixerat, 65

S.

SAcerdos Claves ordinis & Juriſdictionis habeat. 289
Hujus poteſtatis dignitas. 284
Sacerdos quilibet in articulo mortis poteſt abſolvere. *vide ibid* Conſequenter plura de hac materia.
Sacerdotes plangere debent peccata populi. 390
Sacerdos quidam S. Agnetis patrocinio ab æſtu libidinis liberatur. 496
Sacerdotum dignitas & Excellentia. 611-626
Sacerdotes honorantium diverſa exempla. 615, 616
In ſacerdotes non honorantes pulchra invectiva. 616
Sacerdotum quanta debeat eſſe puritas. 619
Sacerdotum ſacrilegorum ſumma indignitas. 624
Sacerdos quare ante conſecrationem abluat digitos. 1204
Sacerdotales veſtes ſingula quid ſignificent. 1218
Sacerdos quidam idololatra ſcalis ad cœlos aſcendere conatus ſpiritualiter nobis applicatur. 957
Sacris dæmon quomodo ſe immiſceat. 358
Sagarum ritus. 14, 15
Iis in captivitate perſeverantiam dæmon ſuadet. 184
vide Magia ſors.
Salomonis ſtrenæ, 5
Salentinus, *vide* Robertus.

Pag.

Salomon per libidinem infatuatus. 421
Saltare ſtultorum eſt. 1368
Saltus divini. 1359
Saltus morales, 1361
Saltatio immanium ſcelerum cauſa & libidinis incentiva, 1370
Saltantium Choragus dęmon ſæpe exiſtit, 1372
Saltantibus divinitus conflictæ pœnæ, 1374
Saltantes quidam totius anni continua ſaltatione puniti ſunt. 1377
Saltus quidam admirandus refertur, 1380
Salvari quiſque in ſuo ſtatu poteſt, 348
Sampſon miſer poſtquam cœcus. 374
Sampſon libidine excœcatus fuit 383
Sanctimoniales, *vide* Virgines, Monialis, Religioſi.
Sancti quibus fruantur bonis, 275
Sanctorum ſortes quæ? 355
Sanctos non tantum imitari, ſed & aſſequi poſſumus, 556
Sanctitas quid ſit? 1137
Sanctitas ſimulata, 640
Sanctum quid ſignificet, 1141
Sancta Sanctorum deſcribuntur, 1142
Animæ Chriſti humanæ comparantur, *ibid.*
Sanctitas vera in quo conſiſtat, 1152
Ejuſdem tres gradus, *ibid.*
De Sanctorū in cœlo majoritate, ſtulta diſceptatio, 1388
Sanguinem è juvenum venis extractum ſeni ad conſequendum corporis vigorem bibere licet, 1183
San-

Pag.
Sanguis Chriſti, 1182
A quo & quomodo Brugas delatus, 1185
Germinat virgines, 1188
De ſanguine nonnullorum Sanctorum quædam mirabilia referuntur 1185
Sanguis Chriſti cur laicis nō detur ſub utraque ſpecie, 1193
Sapientia ſumma eſt, cœca obedientia, 159
Sapientes ſtulti, 430
Sara plures præter Iſaac filios lactavit, & cur? 605
Sarmata quidam in vaſtæ emedullatæ arboris hiatum decidens ab urſo extractus, lapſus & reſipiſcentiæ ſymbolum eſt, 597
Saul quomodo Rex unius anni, 48
Scientia qualis confeſſario neceſſaria, *vide* Confeſſarius,
Scriptura ſacra pro ſorte conſulenda, 355
Seductionis cauſa nimia libertas evagatio & ſocietas, 180
Semiramidis horti pretioſi, 255
Senectus vera non in annis ſed virtutibus conſiſti, 52
Senex quis dicendus, 57
In peccatis inveteratus miſere perit, 60
Senectus non eſt nimis ſera ad diſcendum, 60
Senectus per populum arborem adumbrata, 848
Senectutis vitia, 849
Servi pſittacum imitentur, 27
Sint juvenes & dociles nec ſerviliter habeantur ſed munuſculis digni remunerentur, 29, 30
Obediant Dominis ſed nunquam in illicitis, 131
Servorum obedientia cœca eſſe debet, 159
Servitutem ut fugeret, mulier quædam ſe & tres filios ſtrangulavit, 223
Servi ſint fideles, 133
Sententia ſorte obventa multis ſaluti fuit, 365
Severinus Chriſtianos diſtinxit, 199
Sexus habendum eſt diſcrimen, 424
In brutis ſervrtur, 425
Scilurus faſciculum ſagittarum filiis tradit frangendum, 81
Simeon Chriſtum ulnis ſtringens qualiter imitandus, 1230
Simonides quid de Deo ſenſerit, 1097
Simon leproſus Chriſtum domo ſua excipiens, cur à lepra mundatus non ſit, 1162
Simoniæ crimen divinitus punitum, 1118
Sitis Chriſti qualis fuerit, 207
Socius in pœna doloris eſt alleviamentum. 1234
Societatis Jeſu animarum zelus tempore Bacchanal. 391
Eadem ſocietas quantum in Japonia pro fide Catholica deſudet, 231, 232
Societas mala quantum attrahat, & quantum noceat, 106
Socratis rara fortitudo, 223
Sodomitæ qualiter puniti, 587
Sol poſt ſex menſes partem Borealem illuſtrat, 171
Sol Chriſtus, 172
Solis in ſigno leonis & virginis contrariæ proprietates, Deiparæ applicantur, 602
Sol beneficus eſt, 1062
S. Sophiæ trium filiarum, Fidei, Spei, Charitatis Martyrium, 1112
S. Sophiæ erga SS. Trinitatem devotio

Pag.
votio, ibid.
Sors de hac *v*.plurima à *pag*. 330 ad 366 per diſcurſus de ſancto Matthia Apoſtolo.
Speculo abſentia per Magiam repræſentantur, 326
Spes in Deo collocanda, 328
Spinæ peccatorum animo evellendæ, 81
Spina è corona Domini Tuderti aſſervata die *Paraſceves* floret, 723
Spinola familia hoc nomen ab hoſpitalitate ſortita, 668
Spiridion pluvias impetrat, 312
Spiritus Sancti aſpiratio omnia immutat. 574
Spiritus Sancti efficacia, 973
Cur in forma ignis apparuit 974
Cur ignis ille non fuerit aculeatus in modum fulminis, ſed in modum linguæ, 795
Spiritus Sanctus animorum concordiam conciliat, 975, 991
Spiritus Sanctus vivificat, ubi pax eſt. 1004
Spiritus Sancti ebrietas. *vide* Ebrietas.
Spiritus Sancti gratia oblivionem inducit populi & domus paternæ, 1032
Omnis vanitatis prçteritæ, 1035
Omnium præteritorum peccatorum, 1037
Omnium injuriarum, 1038
Spiritus Sancti in nos liberalitas, 1052
Statuum variæ cruces, 19
Statua uxoris Loth ſemper durat, 908
Stellæ innumerabiles eſſe cenſentur, 531
Strenæ Romanis uſitatæ variæ enumerantur, 5
Studia ſeu litteras cur aliqui vetarint, 947
Stultitia honeſta & licita, 430
Stulti ſapientes, ibid.
Per ſtultitiam ſimulatam David vitæ evaſit periculum, 430
Eâdem procos Ulphia invaſit, 431
Stulti propter Chriſtum, qui? 429
Stultitiæ ſanctæ varia exempla, 430
Stultorum ut ſæculi, ita & Chriſti infinitus eſt numerus, 434
Stultorum tres claſſes, vide à *pag*. 401. uſque ad 436
Stultus quis dicendus, 414
Stultitia quædam ſapientia eſt, 430
Stultitiam aliqui fingentes peccata aut impediverunt, aut vitarunt, 431
Subditus, *vide* Servus,
Superbia an primum, & quantum peccatum, 122
Superior Religioſus qualiter liberalis eſſe debeat. 1082
Qualis erga ægros ſenes & hoſpites, 1088
Superioribus etiam diſcolis obediendum, 130
In dubiis ſemper, 166
Contra Deum nunquam, 132
Symmachi ſtrenæ Imperatoribus oblatæ, 5

T.

TAbulæ plumeæ artificioſè ab Indis confectæ, 8
Tarantula morſi, cytharæ ſono ſanantur. 1377
Temeritas fugienda, 185
Tempus velox eſt, 3.4.
Quanti faciendum, ibid.

Ejus

Pag.
Elapſum irrevocabile, 62
Deperditum quomodo recuperabile, 63
Tempore nil magis notum, neque ignotum, 47
Tempus mortis, vide Mors.
Quatuor Anni tempora cur in Septembri inſtituta, 392
Temporale perdere eſt æternum quærere, 1071
Theophilus viſis cœleſtibus roſis, roſeum effudit ſanguinem, 274
Thereſia claves domus D. Virgini offert, 318
S. Thereſia Euchariſtiæ delicias mirabiliter experitur, 459
S. Thereſiæ erga S. Joſephum fiducia, 524
Teſtamentum, *Vide* Legata.
Tiburtius inobedientem victorem filium ſecuri percuſſit, 129
Timor Dei peccati frænum, 133
Lucerna eſt, 180
Timor vanus in ſervitio Dei nonnullis occurrens, generosè excutiendus, 784
Tobiæ patientia fortis, 341
Tondendis obedientes comparantur, 165
S. Thomas de Villa nova, de ſua inter beatos prædeſtinatione certificatus, 706
Thomæ Mori mirus terrenorum contemptus, 423
Tornacum obſidione per B. Virg. liberatum fuit, 318
Thraces candido felices, adverſos dies nigro calculo notant, 55
Tragœdia terribilis, 360
Tribulatio prædeſtinationis æternæ ſignum, 706
Via eſt ad cœlum, 719
Sine purgatorio ad cœlum ducit, 729
Tribulationes non ſentire reprobationis ſignum, 733
Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium imperſcrutabile 1097
Rimandum non eſt, ſed admirandum, 1102
Vitrum trigonum Sanctiſſimæ Trinitatis ſymbolum. 1103
Sanctiſſima Trinitas mari comparatur, 1099
Sanctiſſimam Trinitatem adorandi ritus, 1108
Adoranda in Euchariſtia, 1111
B. Joanna huic myſterio admodum devota, 1109
Sanctiſſima Trinitas qualiter adoranda ſit, 1114
Sanctiſſimæ Trinitatis invocatio, quam contra dæmonum præſtigia efficax, exemplo comprobatur, 1115

V.

Vanitatibus impenſum tempus, quomodo recuperandum, 62-74
Vapore calcis Jovinianus extinctus, 178
Vas ſeu dolium eſt vita hominis 176
Ubera duo cur natura mulieribus dederit, 604
Velocitas, *vide* Tempus,
Philippidis, 4
Velle quando Deus vult, vera eſt libertas, 120, 146
VERBUM caro factum eſt, idem eſt, quod VERBUM homo factum eſt, 589
VERBUM caro factum carnalia fugere nos docet, *ibid.*
Verbis facta reſpondere debent, 209

Verbis

Pag.
Verbis Chriſtus homines attraxit, 103
Verecundia ſub ceraſorum ruboris typo ſuadetur, 823
Verecundia melioris frugis indicium,&virtutis tinctura eſt, 825
Veritas quia exulavit, cœlum multis animabus viduatur. 764
Veſte muliebri utens, quomodo peccet, & è contra, 424
Viduitatis ſtatus per cupreſſum arborem deſignatur, 846
Viduæ turtures imitentur. 21
Viduitatis exempla, 22
Sint continentes, nec ad alteras cito provolent nuptias. 25
Vinum, *vide* Ebrietas,
Vinum lætificat, 1041
De vino nonnulla habes 1189
Vindicta 1038
Non ſuccumbendum, 217
Viola quid? 256, 529
Vir muliebri veſte ſine piaculo uti non poteſt, 424
Aliquibus tamen caſibus id licet, *ibid.*
Vir unus ſepeliit 20 uxores. 25
Viris uxores obediant, 134 *vide* Mulier.
Subjectus mulieri miſerrimus, 135
Mulierum obedientia converſi, 136
Viri glorioſi laude digni, quinam ſint, 549
Virgo ruſtica à Marchione in uxorem adaptatur, 137
Virgines ſanctimoniales quomodo obedire debeant, 152 153
Quomodo alaudis ſimiles, 38
Ad voluptates nunquam deſcendendo, 42
Laudes Deo ſolvendo, & mente in cœlum aſcendendo, 39, 41
Virgines voto aſtrictæ, ſunt liberæ, 121
Virgines ſint ſua ſorte contentæ, 336
Virgines quædam fatuæ, 423
Virginalis ſtatus, 836
Virgines fugiant, 838
Virginitas boni odoris fragrantiam ſervat, 843
Virgines inter Monachos virili veſte vixerunt, 424
Virginum pia exercitia, 69 *vide* Puella,
Virtus paulatim addiſcitur, 77
Virtus ætati præfertur, 57
Virtutis dies ſolum computantur, 56
Virtute peccatum compenſatur, 207
Oratione impetratur, 314
Virtute anima ſemper debet creſcere, 257
Sunt claves cœlorum, 319 *vide* opera bona.
Peculiari honorandus Patronus. 365
Virtutes pennæ ſunt, quibus in cœlum evolamus, 963
Virtutes & opera bona duplicanda, 63
Perfectione ultimi, quomodo primi eſſe poſſunt, 67
Paulatim aſſequimur, 79
Viſionibus terrificis Deus peccatores attrahit, 102
Viſio duplex eſt, 157
Vita bona tantum, mala non computatur, 55, 56
Bene peragenda eſt, 59
Male peracta quomodo recuperanda, 62
Vita mala, etſi ſero, meliorari poteſt, 67
Vitæ ſanctæ exercitia, 70

Mala

Pag.
Mala peracta, in altera quomodo puniantur, 72
Mala non repente ſuboritur, 74
Vita corporis cereo ſimilis ſeipſam conſumit, 173
Levi morborum vento in media ætate extinguitur, aut interno humore emungitur, 178
Dolio comparatur, 176
Spiritualis cereo comparatur, 179. 180.
Crux eſt perpetua, 239
Vitâ plus obedientia æſtimata, 167
Vita humana & religioſa perpetuæ cruces, 243
Vita hominis crux eſt, & martyrium, 869
Vitæ brevitas & fragilitas, 266
Calamitas in felicitatem convertitur, 275
Vitia paulatim ſuboriuntur, 74
Paulatim etiam eradicantur, 80
Vitia quomodo ethnici extirparunt, 82
Quovis anno unum corrige, 80
Vitia paulatim expugnantes, martyres efficiuntur, 239
Vitia non palpanda, 764
Vitioſa fortitudo, 213
Vitiges Gothorum Rex Italiam vaſtat, 554
Vivere eſt bene agere, 21
S. Ulphia ſimulata ſtultitia caſtitatem tuita. 431
Voluntatis cum divina conformatio omnia impetrat, 320
Voluptas carendo magis, quàm fruendo intelligitur, 3
Quiſque ſua trahitur, 101
Voluptuoſi nullos vivunt annos, 49
Hinc fletus in altero ſæculo. 72, 73
Voto adſtrictus quomodo liber, 120
Vota Religioſos configunt modo, 240
Uva & oliva proſperæ & adverſæ fortunæ ideæ, 718
Uxor una 23 habuit maritos, 25. *vide* Mulier.

X.

XAverius, *vide* Franciſcus.
Xerxes Perſarum Rex exercitum ſuum conſciciens flevit, 543

Z.

ZElus Dei verus quis ſit? 387
Sanctorum quorundam exempla qui tali zelo exarſerunt, *ibid.*
Zelus animarum qualiter à Deo remuneratus, 389
Quam Deo gratus, 326
Zelus quid ſit? 395

FINIS.

I – III + I + II

W. 3 engr. t.
+ 195 woodblocks

Missing: "Lux"

III, 1: 1 prel. leaf
pp. 131–134

II, 2: title page